[illegible]
[illegible]
[illegible]
E·O·IV

TERTULLIANUS PRÆDICANS,

ET

SVPRA QVAMLIBET MATERIAM omnibus Anni Dominicis, & Festis non ordinariis solùm, sed etiam extraordinariis; singulisque Quadragesimæ Feriis prædicabilem ordine alphabetico copiosè dispositam,

SEX AD MINVS FORMANS CONCIONES, ingeniosè adinventas, bellè concinnatas, & trinâ subdivisione illustratas.

CVM DVPLICI INDICE, CONCIONVM scilicet & Materiarum.

AVCTORE R. P. MICHAELE VIVIEN, Sacræ Theologiæ Lectore, Provinciæ Recollectorum in Aquitania alumno, nec-non antiquo Custodum Custode.

Editio, post binas Gallicas, tertia in Germania.

TOMVS QVARTVS.

B  A

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM Bibliopolam. ANNO M.DC.LXXXI.

37·15·A·8

II

PERMISSIO REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS.

FRATER Agathangelus Petit Provinciæ Recollectorum in Aquitania Minister Provincialis, & servus, R. P. MICHAELI VIVIEN ejusdem Provinciæ alumno, sacræ Theologiæ Lectori, nec non antiquo Custodum Custodi, salutem. Cùm Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus in sex Tomos distributus, sit jam maxima ex parte typis mandatus, & fœliciter à Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus, ut præclarum illud opus perficias, & denuo typis mandes, sive in quarto, sive in folio, prout melius tibi visum fuerit. In cujus fidem præsentem Licentiam propria manu subscripsimus, & parvo officii nostri sigillo munivimus. Datum in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19. Februarii, Anno 1677.

F. AGATHANGELUS PETIT
Minister Provincialis.

Approbationes Lectorum Theologiæ.

L*Ibri cui titulus est*, Tertullianus Prædicans, *secundum & tertium Tomum frustra commendarem; Primus siquidem & reliquos & eorum authorem satis commendat; qui illum legerunt videndi quod in lucem edendum supererat vehementi flagrabant desiderio; neque fallet eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem observabunt, ac materiarum abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipse perlegendo miratus sum, ideoq; Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum sit utilissimum tum cæteris omnibus, tum præcipuè divini verbi Præconibus. Quod testor in hoc Conventu Recollectorum sanctæ Valeriæ propè Lemovicas, die 22. mensis Iulii Anni 1673.*

F. GERMANVS DEYR, Lector sacræ Theologiæ, & Guardianus Conventus Recollectorum sanctæ Valeriæ prope Lemovicas.

Ego

EGo infrascriptus sacræ Theologiæ Lector, summa cum delectatione attentè perlegi librum (cui titulus Tertullianus Prædicans) in quo Tertulliani doctrina licèt ex se satis commendata, mirè tamen commendatur, tum ob selectas Patrum sententias, quibus adornatur, tum ob subtiles Theologorum rationes, quibus ab Authore solidatur. Ipsum ergo typis dignissimum judico, non solùm quia nihil in ipso, quod Catholicæ fidei sectatoribus adversetur, sed etiam quia nihil in ipso, quod Christianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus Tertullianus Prædicans, erit Tertullianus docens methodum, clarè, breviter, & nervosè sermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus, & prælo quàm citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utilissimum, censeo & peropto. Datum in Conventu sancti Leonardi, die 8. Iunii Anni 1673.

F. GABRIEL BARRIERE S. Theologiæ Lector.

LICENTIA ET CENSURA Ordinarii.

T*Ertullianus Prædicans*, sive campus floridissimus selectissimorum conceptuum ac Discursuum omni tempore prædicabilium; qui, cùm in Galliâ, non absque singulari fructu binis vicibus impressus, & à diversis Theologis approbatus fuerit, nihilque ab orthodoxâ Doctrinâ alienum complectatur, hisce pro tertia vice imprimendi facultatem concedimus, Signatum Coloniæ Agrippinæ decimâ sextâ Februarii.

F. THEODORUS DEGHENS, *SS. Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis Provincialis ad Rhenum, & Prior Coloniæ, Ordinarius Librorum Censor. m. p.*

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA



Euntes in mundum universum
DABIT VERBVM EVANGELIZANTIBVS VIRTVTE MVLTA.
Psal. 67. v. 12.
Jo. Goossens. Sculp.
VERBVM DEI
à Tertulliano Prædicante
in 6. Tomos divisum.

TABULA CONCIONUM
QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

LACHRYMÆ.
SCHOLIVM.

Conſideratur Lachrymarum 1.Neceſſitas. 2.Efficacitas. 3.Vtilitas. 4.Jucunditas. 5.Dignitas. 6.Fœlicitas.

CONCIO PRIMA.

CONCIO SECUNDA.

CONCIO TERTIA.

CONCIO QUARTA.

CONCIO QUINTA.

CONCIO SEXTA.

LEX JUSTITIÆ.

SCHOLIUM.

Sextuplex in præsenti considerandæ est Lex justitiæ, 1.Viri in Uxorem. 2.Uxoris in virum. 3.Parentis in filium. 4.Filii in parentem. 5.Domini in servū. 6.Servi in dominū.

CONCIO PRIMA.

CONCIO SECUNDA.

CONCIO TERTIA.

CONCIO QUARTA.

CONCIO QUINTA.

CONCIO SEXTA.

LINGUA SCELEROSA.

SCHOLIUM.

Sex linguæ scelerosæ considerandi sunt defectus, 1. Garrulitas seu multiloquium. 2. Scurrilitas seu turpiloquium. 3. Detractio seu maliloquium. 4. Imprecatio seu maledictum, 5. Falsitas seu mendacium: 6. Blasphemia seu vanum juramentum.

CONCIO PRIMA.

CONCIO SECUNDA.

CONCIO TERTIA.

CONCIO QUARTA.

CONCIO QUINTA.

I. Pars

CONCIO SEXTA.

LUXURIA.

SCHOLIVM.

Luxuriæ 1. Enormitas declaratur. 2. Quot bona dissipet luxuria declaratur. 3. De crudelitate, luxuria culpatur. 4. Ostenditur, quàm facile homo in luxuriam labatur. 5. Quàm difficile à luxuria convertatur. 6. Quàm severe à Deo luxuria puniatur.

CONCIO PRIMA.

CONCIO SECUNDA.

CONCIO TERTIA.

CONCIO QUARTA.

CONCIO QUINTA.

CONCIO SEXTA.

LUXUS VESTIUM.

SCHOLIVM.

Luxus vestium, reus est 1. Gloria & vanitatis. 2. Jactura & prodigalitatis. 3. Injustitia & perversitatis. 4. Lascivia & voluptatis. 5. Periculosa nuditatis. 6. Fucata & pigmentata venustatis.

CONCIO PRIMA.

CONCIO SECUNDA.

CONCIO TERTIA.

CONCIO QUARTA.

CONCIO QUINTA.

CONCIO SEXTA.

MARIANÆ FESTIVITATES.

SCHOLIVM.

In hoc Tractatu agitur de Mariana 1.Conceptione. 2.Nativitate. 3.Præsentatione. 4.Annunciatione. 5.Visitatione. 6.Purificatione. 7.Assumptione.

CONCIO PRIMA.

CONCIO SECUNDA

CONCIO TERTIA.

CONCIO QUARTA.

LACHRYMÆ.

SCHOLIUM.

Consideratur lachrymarum 1. Necessitas, 2. Efficacitas, 3. Utilitas, 4, Iucunditas, 5. Dignitas, 6. Felicitas.

CONCIO PRIMA.

HERACLITUS *ille tenebrosus* continuò fundebat lachrymas, eò quòd (nihil in homine tam caducum) conspiceret,& ne profana misceantur sacris,*quia Deus plorare non potest,assumpsit humanam naturam,ut plorare posset.* Deus utpote essentialiter beatus, propriè lugere non poterat, ideò humanatus est, ut plangere posset : imò de facto multoties lachrymatus est Christus. Ut enim ait Salvian. *Christum flevisse sæpè legimus,risisse nunquam.* Ter autem potissimùm flevit Salvator: 1. Super civitatem Jerusalem: *Videns Jesus civitatem flevit super illam.* 2. Dum suscitaturus erat Lazarum: *Lachrymatus est Jesus.* 3. Quando affixus cruci orâns *cum lachrymis,& clamore valido exauditus est pro sua reverentia.* Ex Guilielmo Parisiensi Antistite, primus fletus est compassionis; secundus compunctionis; tertius satisfactionis. Ut autem vult Tertull. *Ex lachrymis ejus universa aquarum natura manavit.* Omnes namque lachrymæ, quas licitè fundere possunt mortales, sunt vel compassionis, vel compunctionis, vel satisfactionis. Compassionis, ad plangendam humanæ naturæ miseriam. 2, Compunctionis ad lugendam peccati malitiam. 3. Satisfactionis, ad placandam divinam justitiam.

Tertul 2. adv. marc. 28 Laert.l.5. c.2 S. Bernardin.ser.de dign.An. art.2.c 1 l.6 de Provid. Joan.11 Hebr.5 2.p. Ser. 110. l.adv. Valent.15

Hic existimandum, quantis lachrymarum generibus inundârit. Lachrymæ, quas homo naturaliter fundit, sunt in triplici differentia. Nonnullæ tristitiæ,& afflictionis. *Semper lachryma sicut dolore magno, ita producuntur & gaudio, quæ utiq; interni pectoris exponunt, & testantur affectum.* Quædam humanitatis & compassionis: *Siquidem fletum natura ipsa suppeditat, ut compatiamur.* Sicut compassio humanitatem sapit, sic absq; *compassione, & lachrymis*

I PARS. Tert.lib. adv Valent.15 Chrysol. serm 46 Theophyl.

Theoph. *esse, bestiarum est*. Tertia, amoris, & dilectionis; nam ut ait S. August. *Te-*
l.50.Hō. *stantur lachrymæ dolorem, testantur etiam amorem, erūpunt quasi rivuli sangui-*
ho.27 *nis cordis*. Discriminantur autem lachrymæ, ex diversitate objectorum pro quibus funduntur; nam vel respiciunt propriam miseriam, vel adversam aliorū fortunā, vel proximorū mortē & jacturam. Lachrymas fundit homo, 1. pro propria miseria, tristitiæ, & afflictionis: pro adversa aliorum fortuna, humanitatis & compassionis: 3. pro proximorum morte, & jactura, amoris & dilectionis.

Tert.l.de bapt.3. 1. *Ipsius quoq; hominis figulandi opus, sociantibus aquis absolutum est*. Veteres hominem ad lachrymas damnatum conspicientes, humanorū fletuum sciscitantes originem, fabulati sunt Prometheum, cùm ex terra effingeret hominem, neque ad manum haberet aquam, ejus defectu, luto attemperasse lachrymas, atque exinde hominem animal flebile, verius, quàm risibile extitisse. Deus qui est *verus Prometheus*, *qui signa majestatis suæ judicantis ediderit per imbres*, inobsequentem & criminosum hominem ad pœnam & dolorem damnavit, quem miser per fletus demonstrat. Ut enim docet Angelicus Doctor, *Lachrymæ causantur ex tristitia*, & ita fletus sunt effectus magni doloris cor valde afficientis. Effectus ad causæ cognitionem ducunt; lachrymæ tanquam doloris & tristitiæ effectus, tristitiam & dolorem ostentant. *Dolorem non sequimur, sed ostendimus*.

Stobæus

Tert. apol.18

22.q.82. a.4.

Sen.ep. 64

Adeò est lugenda miseria quam incurrit homo per peccatum, quòd flebilis nascitur, à fletu vitam auspicatur, deflens quas patitur ab infantia miserias, & quas toto vitæ decursu præsagit patiendas. *Mentior si non statim infans, ut vitam vagitu salutavit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse, quod natus est*; scilicet ad ærumnas, ad miserias, ad dolores, quibus obnoxius est in pœnam originalis delicti. *Statim & terra maledicitur, sed antè benedicta: statim tribuli & spina, sed ante fœnum, & herba, & arborum fructuosa: statim sudor, & labor panis, sed ante ex omni ligno victus immunis, & alimenta secura: exinde homo ad terram, sed antè de terra: exinde ad mortem, sed antè ad vitam: exinde in scorteis vestibus, sed antè sine scrupulo nudus*. Tot ærumnas & miserias quibus ob originalem culpam mancipatus est homo, nascens infantulus quodammodo suo vagitu præsentit: *Ita prima illa vox, de primis sensuum vocibus, & de primis intellectuum pulsibus cogitur*. Fletus quos emittit natu recens infans, cuncta vitæ ominantur incommoda; nam ut addit Tertull. *Plus est quod de prospectu lachrymabilis vitæ, quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, qua etiam præsciens habenda sit ab ingressu nativitatis, nedum intelligens*. Idipsum docet S. August. ipsissima ferè Tertulliani referens verba: *Infantia non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo*. Tertulliano, & S. Augustino arridens S. Zeno Veronensis, de illo miseriæ auspicio sic fatur: *Mundum ut assolet, infans fusus ingrediens spontè vitæ reptantis, pravius lachrymis auspicatur*.

Tert.l.de an.19

Tert. l.2 adv. Marc.11.

Tert.l.de an.19.

l.21. civ.14.

Ser.2.de Nat.

Quod

Quod experientiâ ipsâ quotidie comprobatur, neque ab infausto illo omine, immunes sunt infantes stirpe regia nati, ut de semetipso asseverat Sapiens : *Primam vocem similem omnibus, emisi plorans.* Et quamvis Christus peccati originalis labe non fuerit contaminatus, quia tamen humanas assumpsit ærumnas, nascitur plorans: quapropter de ipso canit Ecclesia, (Vagit infans inter arcta conditus præsepia,) præsagiens incommoda, quæ in vita & morte erat passurus, & ob hanc causam dum suscitaturus est Lazarum, plorat Salvator, quia scilicet *de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis* tui sus excitandus erat ad præsentis vitæ miserias. *Certè ipse qui dixerat : Lazarus mortuus est, & gaudeo : de quo gaudet mortuo, ipsum cùm resuscitat, tunc lamentatur : qui cùm amittit, non flet, cùm recipit tunc deplorat, tunc fundit mortales lachrymas, vitæ spiritum cùm refundit.* Hujus pulchram accipe à Ruperto rationem : *Lachrymatus est, non tam quòd mortuus est, quàm quòd revocare illum oportebat ad tolerandas rursus hujus vitæ miserias* : eadem est mens Isidori Pelusiotæ. Christum tamen ex compassione lachrymatum existimat Chrysolog. *Plorat Maria. Judæi plorant, plorat & Christus, simili compassione.*

Sap. 5 Tert. apol. 37. Chrysol. ser. 64 lib. 10. in Joann. l. 2. ep. 173 Ibid.

2. Christus *lachrymatus est super Lazarum*, tum ut conformaretur lugentibus : ex S. namque Ambrosio, *Christus omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, profluus abundantibus : in carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit*, tũ ut plorantibus & afflictis compateretur. *Solent qui humani sunt, alios videndo lachrymantes excitari ad misericordiam.* Humanum est aliorum tangi miseriâ, inhumanum est nullo eorum dolore moveri. Inter genuinos idololatriæ partus ponit Apostolus homines *incompositos*, *sine affectione*, id est, inciviles, ac barbaris motibus præditos, *sine affectione*. Græca lectio habet, *sine humanitate.* Qui enim ex aliena miseria ad compassionem & pietatem non flectitur, immisericors, ac inhumanus est: Christus Dominus ex quadam teneritudine, & pietatis affectu conspiciens plorantes, super eorum tristitiam & dolorem lachrymabatur, *movebatur misericordiâ, cùm videret in obitu lachrymas plorantium.* Tandem compassionis Christus fudit lachrymas, ut nos ad compassionem suo induceret exemplo. *Quare flevit Christus, nisi quia homines flere docuit ?*

Tert. l. de car. Chr. 9. l. 4. in Luc. Euthy. Rom. 1. S. Ambr. l. 2. de pœn. 7. S. Tho. in c. 11 Jo.

Ejusmodi compassionis lachrymas fuderunt etiam Dei amici, ut Job de semetipso testatur : *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat.* Eadem compassione motus Hieremias, abundè lachrymabatur. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum ? & plorabo die, ac nocte interfectos populi mei.* Et Vas electionis Paulus, cunctis infirmantibus infirmabatur : *Quis infirmatur, & ego non infirmor ?* Ubi S. Chrysostomus : (Hoc erat quod tribulabat ipsum, & angebat, ac sauciabat ejus mentem, quòd in singulis infirmus hæc pateretur, quicunque illi essent : non enim de majoribus quidem dicebat, minores autem despiciebat, sed etiã abjectum inter necessarios ponebat, ideò dicebat : Quis infirmatur ? quisquis fuerit.

Cap. 30 Cap. 9. 1. Cor. 11. hom. 20.

Quomodo autem Paulus alienæ condolens infirmitati infirmaretur, rectè declarat Greg. Magn. *Quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ.*

Hom. 32 in Evang. Adeò excellens S. Bernardo videtur compassio alienæ miseriæ, ut ei martyrii conferat dignitatem. *Triplex est genus martyrii: unum in sanguinis effusione, alterum in carnis maceratione, tertium in proximi compassione.* Quod est in patiente tribulatio, in compatiente dicitur martyrium: siquidem cõpassio per condolentiam attrahit, & sibi alienos arrogat cruciatus. Etenim si in naturali corpore, quando patitur unum membrum, alia compatiuntur membra, quantò magis in religione, ubi cuncti fideles idem mysticũ componunt corpus, sibi mutuò debent compati? *Cæterum inter fratres atq; conservos, ubi communis spes, metus, dolor, gaudium, passio, (quia communis spiritus de communi domino & patre) quid tu hos aliud, quàm te opinaris,* eorum compatiens miseriis? Et quia maximè in oculis prælucet compassio, funde pietatis, & commiserationis lachrymas: *Miseri estote, & lugete, & plangite.* Nam ut bellè ad propositum philosophatur Raymundus Abbas Cellensis, *Oculus in eminentiori loco corporis locatur; pro toto corpore speculatur, ea quæ sunt ab eo distantia, non sibi adhærentia contemplatur; senescente corpore deficit, & debilitatur; cæteris membris dolentibus, tanquam compatiens lachrymatur.* Christianus etiam præ cæteris corporis mystici compatitur membris, & adhuc ad propinquorum mortem & jacturam, emittit amoris & dilectionis lachrymas.

In sent.

Tert. l. de pœn. 10.

Jacob. 4. De ocult. myst. c. 12.

Tert. l. de pœn. 9. *3. Nec illa quidem impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur affectio.* In proximorum morte lachrymarum damnatur excessus; temperata laudatur moderatio. Lachrymarum damnatur excessus; nam diuturnior luctus, dedecet Christianos, qui se in terris peregrinari credunt, æternamque in cœlis sperant habitationem. Magnus luctus magna pietas sæpè putatur, & sæpiùs degenerat in impietatem. Ut enim profundè ratiocinatur Tertull. *Cæterum impatientia in hujusmodi, & spei nostræ malè ominatur, & fidem prævaricatur, & Christum lædimus, cùm evocatos quosq; ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus.*

Tert. ib.

Dandum tamen est aliquid amori, & dolori in charissimorum interitu. Idcircò in Lazari nece Maria *soror flet, quia nec fratrẽ retinere potuit, nec morti potuit obviare; quæ licèt esset de resurrectione secura, destitutione tamẽ solatii præsentis, mora absentiæ tam longa, tristitia diutinæ separationis, non potuit non deflere: simul quia tam crux, tam funera, tam crudelissima imago mortis, quamvis fidelem mentem, non potuit non tangere, nec movere:* Neque duntaxat fleverunt Lazari sorores, flevit & Dominus: Tum ut suum erga Lazarum demonstraret amorem: *Lachrymatus est Jesus: neq; hactenus resurrectionis ullum prodit indicium, & sic comploraturo, quàm resuscitaturo propior venit; nam quod lamentaturo, quàm resuscitaturo propior venisse videretur; audi Evangelistæ sententiã. Dixerunt nonnulli: Ecce quomodo amabat eum.* Tum ut Mariæ, & Mar-

Chrysol. serm. 64.

Basil. Sel. orat. 41.

Marthæ mitigaret dolorem, & lachrymas temperaret. *Flebat Dominus, non quod ante se mortuum periisse cognosceret, sed quo sororum fletus temperaret.* Inde dominicam bonitatem prædicat sanctus Paulinus: *O divitias bonitatis Dei! non pietatis propensa invidus, sed infirmitatis nostra conscius lachrymas in mortuum produci jubet: amaritudinem tamen lugendi una die claudit: illud porrigi sinens, quo relaxatur dolor, & anima respirat: istud verò pracidens, quod immoderate & irrationabili cruciatu, mentem nostram conficit, quodque diutius fragilitas nostra non valet sustinere.* S. Zen. Ser. de Laz. suscit. Epist. 45

Tantum abest ut Christus moderatam in defunctos proximos damnet pietatem: quin immo, amoris lachrymas suo approbat exemplo; & ut fatur aliorsum Nolanus antistes; *Lachrymas quasi evaporando dolori permittit*: Vult tamen *amaritudinem luctus uno ferendam die.* Ejusmodi fletus temperamentum ab Ecclesiastico mutuatus est Paulinus. Sic enim mortalem hortatur Siracides: (Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare; propter delaturam autem, fac luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam: & fac luctum secundùm meritum ejus, uno die, vel duobus propter detractionem.) Expende illud; *Incipe plorare.* Luctus inceptio veris Christianis consummatio est: parturiunt oculi lachrymas, quas statim Christiana patientia simul tumulat cum defuncto. Epist. 35

Perfecti Christiani, Abrahami æmulantur constantiam, qui ad uxorem suam Saram summe dilectam emortuam, lugendam venit: *Venit Abraham ut plangeret & fleret eam.* Non ait Scriptura Abrahamum planxisse Saram, sed ad plangendam venisse. Illa verba aliter Lippomanus interpretatur: (Ante sepulturam Saræ planxit semel, & sicut Patriarcha: post sepulturam autem nequaquam flevisse legitur: ut fideles suos per hoc sancta Scriptura doceat, mortuos moderate deflendos, & tunc tantum cum in promptu adest funus: quidquid enim aliud postmodum agitur præter orationes, eleemosynas & oblationes pro eorum animabus, videtur ex infidelitate procedere; admonente nos Apostolo, ne super mortuos contristemur, sicut cæteri qui spem non habent.) quasi lachrymæ pro defunctis immoderate effusæ fidem evaporent, & resurrectionis negent veritatem. Ad siccandos juges illos fletuum & lachrymarum fontes, *proponendus est respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: Ne contristemini dormitione cujusquam, sicut nationes quæ spe carent. Et merito: credentes enim resurrectionem Christi, in nostram quoque credimus, propter quod ille & obiit & resurrexit: ergo cùm constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis; vacat & impatientia doloris: cur enim doleas, si periisse non credis? cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversurum? Profectio est quam putas mortem; non est lugendus qui antecedit, sed plane desiderandus; idque desiderium patientia temperandum; cur enim immoderate feras abiisse quem mox subsequeris?* Plures conglobat Tertullianus rationes quibus Christianos ab immoderatis fletibus dimovere nititur. Gen. 23 In Caten. Pat. Græc. Tert. l. de Pat. 9

Tres sunt lachrymarum species; quædam noxiæ & vituperabiles; aliæ

 super-

superfluæ & inutiles; tertiæ proficuæ & laudabiles. Noxiæ & vituperabiles sunt, quibus peccata, vel peccandi occasiones, vel peccatorum objecta deflentur, cujusmodi sunt qui deflent scorta à se auferri; qui lugent mancipia diaboli à se morte separari: occasiones peccati violenter sustolli: & irremediabilibus oculis amasiam emortuam prosequuntur: cujusmodi sunt adhuc mulieres, quæ suis fletibus vel viros ad iram & vindictam provocant, *Hinc est quod lachrymis arma vincunt: regna fletibus inclinant; lamentis totam fortitudinem virorum frangunt*: vel suæ subdunt dominationi, & ad venereas voluptates inflammant: *Ob hoc pascuntur lachrymis; mancipantur mœroribus; gemitibus addicuntur, & in lamentis tantum fortes sunt quantum viribus inveniuntur infirmæ; & quantum imparatæ sunt ad laborem; tantum ad lachrymas sunt paratæ:* Vel deflent juventutem amissam, deperditam pulchritudinem, gustatas carnis delicias: idcirco Ezechiel Propheta prodit mulieres plorantes Adonidem: Pro ly Adonidem Tertullianus ponit vocabulum Græcum Thammus: *Et introduxit me ad limina januæ Domini quæ aspicit ad aquilonem, & ecce illic mulieres sedentes, & plangentes Thammus.*

Chrysol. Ser. 69 / Chrysol. ibid. / Cap. 8 / L. adv. Jud. 11

Adonis, quoddam simulachrum erat juvenis cujusdam lascive à Venere dilecti, qui ut fabulantur Poetæ ab apro in inguine vulneratus occumbens, in florem purpureum transmutatus fuit: ejus mors postea ab idololatris deplorabatur: Verum cum Adonis non solum à mulieribus, sed etiam à viris plangeretur, cur Ezechiel Propheta recenset mulieres plorantes Adonidem, non autem viros? D. Hieronymus existimat Prophetam vidisse lugentes tum viros, tum mulieres, quia luctus ille Adonidis ex æquo ab utroque celebrabatur sexu: solas tamen exprimere mulieres, sub quibus viri muliebriter flentes comprehenduntur: *Mulier mali causa, lamenti necessitas tota.* Constantia & animi fortitudo decet viros, qui nonnisi magna de causa flere solitant: Quia veró lachrymæ *masculos molles efficiunt*, qui ob jacturam fluxæ voluptatis lachrymantur à virilitate degenerant, & tanquam mulieres molles & lachrymosæ existimantur: *Mulieres sunt qui ad sæculi mala contristantur molli & effeminato animo: dicunturque plangere Adonidem; id est, ea quæ in rebus mundi putantur pulcherrima.* Lachrymas illas quas criminose fundunt sive viri, sive mulieres, *venenatas* nuncupat Tertullianus; quia procedunt à venenoso corde, & suo adhuc veneno toxicant.

Chrysol. Ser. 69 / Tert. lib. adv. Valent. 15 / D. Hier. in c. 8. Ezech.

Plures sunt venenatæ lachrymæ, sed multo plures vanæ & inutiles. Heu quot & quantæ *lachrymæ volvuntur inanes?* Quot sunt qui plangunt, aut quia divitiis sunt denudati, aut speratis dignitatibus frustrati, aut à magnatum & principum gratia & favoribus exclusi, aut in litibus à judicibus condemnati? Fletus ejusmodi fletus carnis & non cordis vocitat D. Augustinus. *Propterea*, inquit, *rugiebam à gemitu cordis mei: quia homines si quando audiunt gemitum hominis, plerumque gemitum carnis audiunt, gemitum à gemitu cordis non audiunt.* Qui ob fluxa & temporalia bona lugent, & non flent jacturam æterno-

L. 4. Æneid. / In Ps. 37

ternorum, digni sunt qui plangantur, *Multi gemunt, gemo & ego, & hoc gemo, quia male gemunt: amisit nummum, gemit; amisit fidem, non gemit: Ego appendo nummum & fidem, & invenio majorem gemitum, de male gemente, aut non gemente.* Cæteri etiam justi plorant eo quod sæculi homines inutiliter plorant. *Justus plorat veraciter plorantes steriliter: plorat plorantes, quia & qui plorant de rebus vanis, inaniter plangunt.* Nam prætereundo quod fletus illi Deo displicent, nullius sunt valoris. *Inanes sunt lachrymæ quæ damnum vel incommodum extorquent temporale.* D.Aug. in Ps.101 D.Aug. Ser. 49 de Sanct. Pet. Cell. l.de panib.c.12

Nec minus sunt inutiles lachrymæ quæ pro defunctis immoderate funduntur. Bassianus Imperator lachrymabatur, quoties aut mentio fieret, aut imaginem videret Gethæ fratris. D. quoque Augustinus ante conversionem suam Didonis lugebat necem, ut ipsemet fatetur his verbis: (Oblitus errorum meorum, plorabam Didonem mortuam quæ se occidit ob amorem, cùm interea meipsum in his à te morientem Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus: Quid enim miserius misero non miserente seipsum, & flente Didonis mortem, quæ flebat amando Æneam, non flente autem animam suam, quæ flebat non amando te?) Et quotidie irremediabilibus lachrymis parentes filiorum interitum, aut filii parentum necem plangunt. Quàm verò vani sint tales fletus ostentat Salvator, non annuens discipulo ad patris sepulturam ire desideranti. *Christus ergo discipulum suum non deesse voluit obsequiis paternis, sed prophanis luctibus noluit interesse.* L.1. Conf. 13 Chrysol. Ser. 19

Verum si lachrymæ quæ stulte pro jactura temporalium aut proximorum funduntur, sunt inutiles; illæ sunt utiles & fructuosæ quæ sapienter ab oculis pœnitentium dimanant. *Vos qui pœnitentiam in Ecclesia accepistis & agitis, perseverate in fletu & in compunctione, & docte plangite: Docte plangere est, non quærere in oratione res temporales, sed æternam beatitudinem, & remissionem peccatorum: qui sic orat docte plangit.* Ob hos duos fines fructuosæ sunt lachrymæ: 1. ob cœlestem beatitudinem; *Sterilis est omnis effusio lachrymarum, qua non effunditur propter regnum cœlorum.* 2. Ob peccati remissionem: unde D. Chrysostomus: *Tristitia nobis data est, non ut in morte, aut alia in re doleamus, sed ut doleamus peccata: Tristitia peccatum tollit, non alias ægritudines: v.g. pecunia quis mulctatus est; doluit, non recuperavit: filium amisit, doluit, non resuscitavit mortuum: contumeliis affectus est, doluit, famam non revocavit: infirmatur, dolet, morbum non aufert, sed auget: at peccavit quis, tristatus est, peccatum delevit: ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, à quo nata est.* Inde concludit Laurentius Justinianus: *Flendum solummodo est aut pro amisso paradiso, aut pro commisso peccato;* scilicet ad delendam culpæ malitiam. D.Aug. Ser.7. de Temp. Pet. Cell. l.de panib. c.12 Hom. 5. ad pop. L. de Orat c.7

Dabit tibi Deus cor tadiens, & tabescentem animam, & oculos deficientes, ut peccati lugeas malitiam. Fletus necessitatem declarat Climacus, asseverans quod *nisi lachrymæ divinitus datæ essent, pauci inventi essent qui salutem consequerentur*: quia peccator nequit consequi salutem nisi plangat peccatum: Triplici autem potissimum de causa debet de peccato dolere & lugere: Quia II. PARS. Tert. l. adv. Jud. 11 Apud Eliã Cret orat. procorgô.

Quia 1. Deus per peccatum offenditur: 2. Christus per peccatum crucifigitur: 3, ipse peccator incomparabile damnum per peccatum patitur.

Tert. lib. adv. Valent. 14 Cap 16 D. Aug. Ser. 30. in Psal. 118

1. Christianus *mœrore* affligitur & luget, attendens quantum Deus offendatur per peccatum; ad instar Job qui de semetipso sic fatur: *Ad Deum stillant oculi mei*; id est, peccata quæ adversus Deum continuo perpetrant scelerosi, ab oculis meis eruunt lachrymas. *Zelus bonus est de amore veniens*: Zelus autem honoris Dei charitate succensus, erumpit in fletus quoties Deus à scelerosis offenditur. Zelo observationis legis æstuans Regius Vates, & divino sufflammatus amore lachrymarum fundebat torrentes: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Quid ploras rex potentissime? num Bethsabeam, quam adeo stulte deperisti, repentina morte sublatam? num filium in infantia extinctum? num filiam violenter constupratam? num cladem regio exercitui ab hoste illatam? num pestem populum per totum regnum depopulantem? num infidelitatem subditorum rebellem Absalonem insequentium? *Habuit quidem multa quæ fleret, vel incestum filiæ, vel interitum filiorum: sed hic non hoc flevisse dicitur, sed quia non custodierunt legem Dei.* Dei honorem & amorem præferebat regno, filiis, sibique, & ut concludit D. Ambrosius, *à tanto viro plus culpa, quàm ærumna defletur.*

In Ps. 83

D. Amb. in Ps. 118

Abbas Pambo Alexandriam ingressus videns mulierem habitu meretricio comptam, obortis lachrymis, ductisque toto corde suspiriis, exclamavit: *Heu miserum me!* Ad has voces doloris plenas hærentes, stupentes, & sciscitantes qui tunc aderant, quæ tam insolens esset lachrymarum causa? quæ doloris ac suspiriorum data occasio? quibus sanctus Abbas; Nonne æquum est ut abeam in suspiria, effluam in lachrymas, conspiciens mulierem quæ tot perdit horas ad Deum offendendum, plusque insumit temporis ad luxum & lasciviam, quàm ego ad Dei cultum? De sancto Adhelando refert Paschasius, (quòd inter ipsas palatii populorum frequentias, dum rex & consiliarii ejus, aliud quid intenderent, & turba nec solito undique perstreperet, sæpe eorum in medio positus lugebat, quasi ad agonem flendi huc venisset,) scilicet crimina quæ curiales committere solent. Ex D. etiam Augustino: *Maria mater Domini, dum juxta crucem fleret, non sua peccata flebat, quæ nullum peccatum habebat: flebat, non tantum filii passionem, sed & Judæorum damnationem*, quam merito merebantur ob atrocissima quæ faciebant in Deum crimina. Imo ipsemet Christus in morte Lazari qui erat peccatoris imago *ingemuit, ut doceret nos super peccantes gemere.*

L. 6. Histor. Eccles. 2. p. c. 1

In ejus Vit. apud Sur.

Ser. 11. ad Frat.

Euseb. Emiss hom. de Lazar.

Quærit D. Chrysostomus, quem in finem usumque datæ sint homini lachrymæ: respondetque datas esse ad lugendum proximi peccatum. *Hæ sunt lachrymæ philosophiæ*: Quando enim frater peccat, in sceleribus perseverat, fitque à sua salute, à cœlo, à Deo aversus, tunc *flendum est*: quando autem bonorum temporalium patitur jacturam, non est deflendus; *hæc enim non sunt digna lachrymis*, utpote quæ mundum duntaxat & fortunam respiciunt, non verò salutem & Deum: Quia *tunc cernitur cujusque virtus, quando ducitur ad*

Hom. 12 in Ep. ad Coloss.

aptam muneris sui functionem; quando autem ad alieni, nequaquam. Quemadmodum vinum datum est ad lætitiam, non ad ebrietatem, sic lachrymarum finis est flere peccatum quod Deum offendit, & animam perdit, non adversam sæculi lugere fortunam. *In his non habent sui muneris functionem, nec usum suum.* Propter sæculi damna producere lachrymas, est flere secundùm hominem; & lugere propter offensam Deo illatam est *flere secundùm Deum.* Multi tamen hac ætate lugent secundùm hominem, perpauci secundùm Deum, quia non lachrymantur pro tot commissis peccatis, licet *universa delicta adversus Deum sapiant*, & Christo intulerint mortem. Euthym. in c 6 Luc. Tert.l. de Idol 1

2. *Insurgente adhuc & alio luctu, conversionis in Christum.* Certissimum est innocentissimum Christum propter peccata nostra fuisse cruci patibulatum. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Luit Salvator pœnas nostris sceleribus debitas, quod belle meditatur D. Augustinus. (Quid commisisti dulcissime puer, ut sic judicareris? Quid commisisti amantissime juvenis, ut adeo dure tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego, ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis, ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterii dispositio! Peccat iniquus, & punitur justus: delinquit reus, & vapulat innocens: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exolvit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus.) Sane nullum est validius contritionis motivum quàm seria dolorum consideratio, quos pro peccatis nostris sustinuit innocuus Salvator; nihil efficacius ad educendas ab oculis lachrymas. Tert.lib. adv Valent. 14 Esa. 53 L. Medit. c. 7

Legi Romanum Oratorem dixisse quondam: *Quid dicam de Socrate, cujus morti illachrymari soleo, Platonem legens?* Et nos non Socratis, sed Salvatoris nostri acerbissimos cruciatus, mortem acerbissimam, sine fletu legimus & audimus, quantumvis ei debeamus amoris, gratitudinis, & compunctionis lachrymas? Gregorius Nyssenus, si quando in oculos incurrisset Isaaci innocentis imago, & in illius cædem stricto ferro imminens pater, lachrymas abunde fundebat: Isaac tamen non amisit vitam, sed fuit duntaxat Christi imago, qui vere pro nobis passus est mortem: *Isaac cùm à patre hostia duceretur, & lignum ipsi sibi portaret, Christi exitum jam tunc denotabat, in victimam concessi à Patre, lignum passionis suæ bajulantis.* D. Ambrosius ut suos auditores moveret ad luctum supra mortem Valentiniani Imperatoris, sic eos alloquutus est: *Solvamus bono principi stipendiarias lachrymas, quia ille nobis solvit etiam sua mortis stipendium.* Quanto à fortiori Christo solvere debemus lachrymas, qui pro nobis crucis subiit supplicium? Christiani lugeamus pro peccatis quæ committuntur adversus Deum, plangamus pro doloribus, quos pro nobis pertulit Christus; *ploremus Deo pro peccatis nostris.* Tert.l. adv Jud. 11 Chrysol. Ser. 65

3. *Audisti mœrorem*, quo dolet & lachrymatur Christianus peccatum, quod Deum offendit, pro quo Christus crucis passionem sustinuit. Adhuc lugere debet, Tert.lib. adv. Valent. 15

debet peccator ob damnum quod per peccatum incurrit: ad quod nos hortatur Regius Propheta: (Venite, inquit, adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, *vult adorare, procidere, & nos repensare lachrymis, atque continuo devotionis obsequio. quod diu & longo tempore neglexmus.* Peccator Deum despicit, salutem negligit, idcirco pœnitens coram Deo quem contempsit, procidit, de neglectu salutis dolet, pro commissis peccatis lachrymatur: *Plorat ergo cùm de prateritis pœnitet.* Has pœnitentiæ lachrymas inquisitrices, & delictorum etiam in ossibus & medullis scrutatrices vocitat Cæsarius. *Sint autem efficaces gemitus, qui peccata in ossibus scrutentur, qui in medullis persequantur: nihil intactum fletus, nihil incuratum medicabilis pœnitentiæ dolor relinquat, quod contra nos, in die discussionis assurgat.*

Chrysol. ser. 46

Chrysol. ibid.

Hom. 17

Peccata scrutantur lachrymæ, non ut prodant, sed ut deleant; non ut publicent, sed ut expungant; non ut tanquam facta cernantur; sed quasi non facta reputentur: Ut enim addit Cæsarius; *Nos ergo quibus adhuc conceditur curare maculas, lavare culpas, subvenire prateritis, consulere futuris, & facere infecta de factis;* modo ex corde pœniteamus, doleamus, & lugeamus damnum animæ, salutis, ipsiusque Dei, quæ omnia peccando perdidimus.

Tract. 49. in Joan.

Ad salubrem illum luctum hortatur nos D. Augustinus: *Exhibeamus animæ nostræ quod alii exhibent carni alienæ;* Plangamus nimirum mortem animarum nostrarum, eodem plane modo quo parentes corporalem filiorum plangunt mortem. Gemitus parentum non revocant filios de morte ad vitam corporalem, pœnitentiæ autem fletibus animæ nostræ de morte culpæ resurgent ad supernaturalem gratiæ vitam. Christiane, *cur fundis lachrymas in vanum? mortuus est filius; plorasti? sic, revixit? non: peccasti? Deum offendisti? sic, lachrymatus es? sic: sanasti? Deum placasti? equidem. Plora ergo, & lachrymas funde.* Quanto anima est nobilior corpore, & quo vita animæ supernaturalis est majoris pretii & valoris quàm naturalis vita corporis; eo mors animæ est magis lugenda, quàm mors corporis. *Si templum ex lapidibus constructum Jeremias lugebat eversum: quanto magis animam deplorasse convenit illo sanctiorem?* Christianus qui ad filii necem fundit lachrymas, nec sua deflet crimina! de duritia & defectu compassionis redarguitur à D. Augustino: *Non sunt in te Christiane, viscera pietatis si luges corpus à quo recessit anima, & non luges animam à qua recessit Deus.*

D. Chrysost. ho. 5. ad Pop.

D. Chrysost. hom. 22. ad Pop.

Tract. 49. in Joan.

Ser 7 in Ps. 118

Quanta peccatoris stultitia, qui, ut obplorat D. Augustinus, *nescit flere qui flenda committit, & cùm sit ipse lachrymabilis, non habet culpa lachrymas sua.* Scit criminosus se patrasse delicta, quibus patitur jacturam animæ, gratiæ, salutis, ipsiusmet Dei; & cùm debeat pro tanto damno jugiter lachrymari, nullatenus gemit ut suis fletibus emortuam suscitet animam, deperditumque recuperet Deum. Multi sunt hac tempestate qui Davidis imitantur scelus, sed pauci qui ejus æmulentur pœnitentiam: Quoties Regius Vates revocabat ad memoriam suum adulterium insontis Uriæ sanguine cruentatum, quo gratiam Deique amiserat benevolentiam, toties prorumpebat in fle-

fletus: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Ubinam sunt qui illud pœnitentiæ & doloris nitentur exemplum? *Quis stupris deditus, flagitiis involutus, lavat per singulas noctes lectum suum* ? Non dico per singulas noctes, sed semel in hebdomada, semel in mense, semel in anno, semel toto vitæ decursu, fundat non lachrymarum torrentes, sed unam lachrymulam, pro tot ac tantis sceleribus commissis? Ps. 41 D. Aug. Ser. 7. Psal. 118

Unus sufficiat Michas idololatra ad incutiendum ruborem obcæcatis & induratis Christianis illis peccatoribus. Cùm nonnulli milites de stirpe Dan per vim domum Michæ ingressi Deos ejus aureos abstulissent, ita concitatus fuit, ut è vestigio eos sit insequutus plorans ac vociferans: Illi verò cum Michan ejulantem & magnis clamoribus insequentem vidissent, dixerunt ad eum: Quid tibi vis? cur clamas? quænam est fletuum & lachrymarum tuarum causa? Qui respondens dixit: *Deos meos quos mihi feci, tulistis, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid tibi est?* Nihil ex Michæ supellectili tulerant milites, non pecunias, non amplas quibus affluebat divitias, & tamen clamat & vociferatur: *Deos meos tulistis, & omnia quæ habeo*; quia scilicet omnia pro nihilo ducebat, ubi deunculos suos amiserat; quibus deperditis se omnia perdidisse existimabat, seseque omnium mortalium miserrimum lamentabatur: Si Michas se omnia perdidisse credebat amittens deos fictiles, quanto verius peccator omnia perdit Deum suum amittens, in quo universa generaliter bona continentur? Et si idololatres tantopere deorum suorum lachrymatur jacturam, quanto magis lugere debet Christianus qui peccando Deum amisit? Lugeat ergo ut suis fletibus deperditum valeat recuperare damnum, insuper & suis lachrymis divinam possit placare justitiam. Judic. 18

Bene igitur quod præmisit optimi Dei titulum, patientissimi scilicet super malos, & abundantissimæ misericordiæ, & miserationis super agnoscentes, & supplangentes delicta sua. Tanta est lachrymarum vis & efficacia, ut divinam 1. flectant misericordiam: 2. mitigent iracundiam: 3. rescindant sententiam. III PARS Tert. l. 2 adv. marc. 24

1. Lachryma patientiæ *clementiam elidit*; ut Davidis comprobatur exemplo, qui à facie Absalonis fugiens, *ascendebat clivum olivarum, scandens & flens.* At cur ita lachrymatur rex? quia, ut animadvertit Abulensis, *sciebat David se peccasse, ideo non pro malis quæ patiebatur, dolebat, sed ut per lachrymas Dei furorem leniret*: & hac de causa ejulans & flens scandit, non per quemlibet collem, sed per clivum olivarum; olivæ namque sunt symbolum misericordiæ: qui enim lachrymas emittit, ad divinæ misericordiæ montem gressus suos velocissime dirigit: Nam ut belle ad propositum ait Paschasius: *cùm lachryma effunditur, misericordia Dei superinfunditur.* Unde mirandũ non est, si David lachrymas fundẽs divinæ obtinuerit misericordiæ superinfusionẽ. quod ipsemet testatur Deum sic alloquens: *Vitã meã annuntiavi tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Quasi dicat: Annuntiavi tibi cuncta quæ mihi acciderunt Tert. l. de Pat. 13 L. 2. Reg. 15 Quæst. 38 L. 11 in Matth.

derunt in toto vitæ meæ decu ſu: victorias quas de urſis, leonibus & gigantibus reportavi; perſecutiones quas à Saule paſſus ſum; injurias quas à Semei ſuſcepi, dolorem quem ex afflictione populi & nece Abſalonis perſenſi; atrociſſima crimina quæ commiſi; at tu ſolas lachrymas quas pro meis peccatis effudi, poſuiſti in conſpectu tuo, ut tuam ſuper inf. nderes miſericordiam: Hebræa lectio habet: *Poſuiſti lachrymas meas in libro tuo*: Tugurina legit: *Poſuiſti lachrymas meas in rationario tuo*. Symmachus verò vertit: *Poſuiſti lachrymas meas contra te*. Cunctæ ejuſmodi lectiones probe declarant, quàm potentes & efficaces fuerint Davidis lachrymæ ad divinam flectendam miſericordiam. In libro ſuo Deus ſcripſerat Davidis peccata, peccata
D.Greg. in Pſ. 50 delevit miſericordia, quorum loco Prophetæ lachrymas poſuit. *In codice ſcripta ſunt peccata tua, ſpongia peccatorum tuorum lachrymæ ſunt*; quibus Regii Vatis peccata delevit Deus, ejuſque lachrymas in ſuo rationario poſuit. Divinæ namque rationi conſentaneum fuit, ut lachrymæ loco peccatorum
Serm. 46 conſervarentur. D. Ambroſius; *Sine aliquo intervallo conjunguntur lachrymæ peccatoris, & miſericordia Salvatoris*. Lachrymas tandem contra ſe ponit Deus; nam lachrymarum unda Dei iracundiam mitigat, &

Tert. l. de P. c. 13 2. *Severitatem diſpergit*. Quàm potentes ſint pœnitentium lachrymæ ad mitigandam divinæ iracundiæ ſeveritatem, colligi poteſt ex eo quod ipſemet Deus Ezechieli præcepit Prophetæ. *Sume tibi laterem, & pones eum co-*
Cap 4 *ram te & deſcribes in eo civitatem Jeruſalem. Ordinabis adverſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in giro.* Animadvertit ibi Lyranus laterem illum divina ordinatione ab Ezechiele ſumendum, fore non coctum ſed crudum, ut paxillo aquæ omnes figuræ in eo delineatæ poſſent nullo negotio deleri. Figuræ illæ in latere expreſſæ denotant ſcelera quæ peccator in ſua exaravit anima; circunvallatio, obſidio, & munitiones bellicæ adverſus Jeruſalem diſpoſitæ ſignificant vindictam quam Deus de anima criminoſa ſumere exoptat, & ſupplicia quæ ejus indignatio peccatrici præparat: Vis ne peccator vitare divinæ iracundiæ obſidionem? curre ad aquam quæ in latere crudo delineatas delere valet figuras. Lachrymæ ſiquidem contritionis, cunctas divinæ iracundiæ oblitterant delineationes. Quomodo præfatum Ezechielis my-
Apud Calam. to 1 diſcurſu 34 ſterium, modernus explicat Auctor. (Jeruſalem obſeſſa, eſt anima poſita in peccato, contra quam cunctæ divinæ juſtitiæ munitiones diriguntur. Verum hæc omnia in latere non decocto ſed crudo, qui facile aqua diſſolvitur, deſcribuntur, ut intelligamus omnes divinæ iræ munitiones adverſus peccatores diſpoſitas, pœnitentiæ lachrymis poſſe diſſolvi)

Iſaias Propheta conſpiciens varias calamitates quibus Hebræos affligebat Deus, dolens & gemens ſic nomina omnium aiebat Deū alloquens: *Ce-*
Cap. 64 *cidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos*: & hoc nobis accidit, quia omnes ſumus ſceleroſi, & in tanta hominum multitudine, *Non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te*. Ubi Hugo Car-

Cardinalis: *Non est qui teneat te per lachrymarum copiosam effusionem, lachryma enim tenet & cogit Deum.* Quasi dicat Propheta; Tanta est lachrymarum adversus Dei indignationem vis & potentia, quod si in tanto Israelitarum numero, vel unus inventus fuisset, de peccatis suis dolens, & pœnitentiæ lachrymas fundens, vindicantis Dei tenuisset manus, indignationem mitigasset, & ad clementiam induxisset.

Ideoque Deus Persarum exercitum suscitans adversus Babyloniam vult, ut eam aggrediatur dum ejus cessarunt lachrymæ. *Ascende Ælam, obside Mede, omnem gemitum ejus cessare feci.* At cur exoptat Deus, ut Persæ insurgant in Medos, cessantibus eorum gemitibus? Quia scilicet Babyloniorum lachrymæ Dei temperabant indignationem, ejusque impediebant vindictam. Inde lachrymarum efficaciam colligit Oleaster: *Perpende virtutem gemituum, qui cogere videntur Deum ne puniat: ut scilicet non cesset misericordia ejus, quandiu non cessaverit gemitus tuus.* Christiani, vultis ut super vos non cesset Dei misericordia? studete ne vestri cessent gemitus: quandiu lugebitis, Deum impedietis ne puniat, lachrymæ vestræ divinam ligabunt iracundiam, ne de vestris sceleribus vindictam sumat. *Incumbamus gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris: hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare & perseverare fortiter faciunt; hæc sunt arma spiritualia & tela divina quæ protegunt*; nam divinam flectentes misericordiam, defensant nos adversus vindicantem iracundiam, & latam adversus nos rescindunt sententiam. Esa. 21 D Cypr. l. 1 Epist. 1

3. Pœnitentes & plangentes scelera sua, divinam rescindunt sententiam, ut Ninivitarum exemplo probat Tertullianus. *Dicente Scriptura Jonæ, Et pœnituit Dominum de malitia, quam dixerat facturum se illis, nec fecit: sicut & ipse Jonas ad Dominum; Propterea præveni fugere in Tharsos.* Infœlix Ninive suis sceleribus divinam ita irritarat justitiam, ut Deus in illam totalis subversionis dederit sententiam: verum ut ait D. Hieronymus, *Ninive civitas, quæ peccato perit, fletibus stetit.* Jonas Propheta annuntiata Ninivitis futura civitatis ruina; (egressus est de civitate, & sedit contra orientē civitatis, & fecit sibimet umbraculum ibi, & sedebat super illud in umbra:) probeque sciens quanta sit divina miseratio erga pœnitentes & lugentes; *quales tunc Ninivitæ*, petiit à Deo ut Ninivem devastaret, sicuti prædicaverat ne tanquam mendax Propheta argueretur. At cur tanto ardore Deum stimulat Jonas, ut promulgatā adversus Ninivitas executioni mandet sententiam? *Timebat enim Jonas aspiciens eorum lachrymas: unde quod civitati eventurum erat, animadvertebat.* Observans Propheta ab umbraculo in quo sedebat, Ninivitarum pœnitentiam & lachrymarum imbrem qui dimanabat ab eorum oculis, timuit ne Deus rescinderet de destruenda civitate, sententiam, lugentibus parceret Ninivitis sicut de facto accidit. Nam ut fatur D. Hieronymus: *Minatus est per Jonam, & impendentem gladium lachrymarum & gemituum multitudo superavit.* Ninivitarum luctus majoris fuerunt efficaciæ, quàm Jonæ deprecatio. Nec mirum, quia, ut ait eloquenter Chrysologus, lachrymæ *delent in omne facinus* L. 4. adv. Marc. 24 Ep. ad Damas. Jonas 4 Tert. ibid. S. Ephrem. Sirus homil. de Jona. In c. 4. Jon. Serm. 39.

 latam

Pet.Cell. l.de pan. 12. *latam divina promulgatione sententiam.* Tanta est lachrymarum vis, ut peccatores, à Dei justitia eximant, in ejusque gratiam restituant. *In magna enim Dei curia tam ingens est vis vel unius solius lachrymæ pro peccatis effusa, ut judicis emolliat iras, vibratas obtundat acies, erectaque jam resuppinet supplicia.* Illam fletus virtutem exaggerat adhuc Abbas Cellensis lachrymam alloquens. *Quandoque sententiam rapis, etiam de ore judicis: audes ubi timet Angelus : non est qui te perturbet ab ingressu secretorum, ab interpellatione pro culpis reorum : non est qui accedere vellet: sola si intraveris, nunquam tamen sola, vel vacua redibis :* nam vibratam rescindis sententiam, sufflammatam mitigas iracundiam, & divinam flectis misericordiam.

Tert.lib. adv.Jud. 11 Quapropter Ezechieli præcepit Deus: *Scribe signum Thau in frontibus virorum qui gemunt, & dolent super omnia facinora, quæ fiunt in medio eorum.* Per signum Thau intelligitur crux, idcirco Siriaca versio legit *crucem*, cujus figuram præ se fert signum Thau. Signum autem Thau est signum salutis, quo notantur non solum qui de alienis lugent peccatis quæ divinam offendunt majestatem, sed etiam lachrymantur pro sceleribus ab ipsismet commissis; nam propria flentes facinora, illa delent, gratiam acquirunt, & salutem & gloriam sibi comparant.

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. de Bapt. 3 QVanta vis aquæ quæ est materia, *quàm in omnibus rebus & operibus suis Deus disposuit, etiam in sacramentis parere fecit.* Loquitur de baptismo Tertullianus, cujus materia est aqua, quæ in hoc sacramento renatorum abluens carnem, animam quoque à peccatorum maculis mundat: *Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur:* Aquæ vim prædicat Tertullianus, lachrymarum efficaciam commendat D. Chrysostomus: *Magna lachrymarum vis.* At unde lachrymis tanta virtus? Quia scilicet *lachrymæ peccata baptizant;* & ut fatur D. Isidorus, *Lachrymæ apud Deum pro baptismo reputantur.* Qui triplex distinguit baptisma, aquæ, sanguinis, & lachrymarum. Quantum autem valeat lachrymarum baptismus, eloquenter propalat D. Chrysostomus: *Dicam tibi quid valeant lachrymæ: Martyres sanguinem fundunt, peccatores lachrymas fundunt: meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, & delevit peccata sua:* per peccatricem, Magdalenam intelligit, quæ usa est lachrymis pro baptismo. Hoc lachrymarum baptisma baptismo aquæ & sanguinis antistare videtur: tum quia in adultis nec aquæ nec sanguinis baptismus proficit ei qui in impœnitentia perseverat: tum quia baptismus lachrymarũ (non verò aquæ aut sanguinis iterati contingit.) Quod stupens D. Augustinus attente considerat: *O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur! ô fœlix lavacrum, quod toties valet ad purgandum, quoties purgandum indiget cor humanum!* Idipsum mellito sermone cõfirmat D. Bernardus: *Est & baptismus ali-*

Tert. l. de Res. 8. Hom. 2. in Ps. 50 Chrysol. Ser. 97 L. 1. c. 2 Ibid. Ser. 11. ad Frat. Ser. 1. in Oct. Pasch.

aliquis in lachrymarum assiduitate, & quoniam baptismi sacramentum iterari non licet, qui sæpe in multis offendimus frequenti oportet ablutione suppleri. Fœlix supplementum quod idem præstat quod aquæ baptismus: nam 1. diabolum expellit: 2. peccatum diluit: 3. infernum extinguit.

Legimus quidem pleraque aquarum genera miranda : sed aut ebriosos reddit lyncestarum vena vinosa; aut lymphaticos Colophonis scaturigo dæmoniaca: aut Alexandro accidit Nonacris Arcadia venenata. Noxia ejusmodi aqua, quæ aut dæmoniacos efficit, aut ebriosos & insanientes reddit, aut cor mortali veneno inficit, malos denotat effectus quos in peccatore operatur dæmon, in quo inhabitat, cujus intellectum excæcat, & cor læthaliter vulnerat: Verum sicut in baptismate aquæ diabolus à renato ejicitur, visus ei redditur, & dæmonis jaculis resistitur, ita baptismus lachrymarũ in pœnitente 1. diabolũ expellit: 2. illum adversus diaboli jacula protegit: 3. cæcutientes ejus oculos aperit. II. PARS Tert. l. de An. 50

Anima originale contrahens peccatum, est sedes in qua hospitatur diabolus; at ubi in baptismate regeneratur, ejicitur dæmon, & Spiritus sanctus in ea velut in templo sibi dicato inhabitat. Etenim *reformata per secundam nativitatem ex aqua & superna virtute excipitur à Spiritu sancto, sicut in pristina nativitate à spiritu prophano.* Spiritus sanctus nequit habitare cum spiritu nequam: unde ab anima fugatur dæmon statim ac in illa suum domiciliũ constituit Spiritus sanctus. *Quid enim mirum si eadem operatione spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur?* Quemadmodum autem per aquæ baptismum dæmon expellitur ab anima renati, ita per lachrymarum baptisma, à pœnitentis corde ejicitur. *Lachrymantes equidem oculi diabolum terrent, & sic lachrymarum erumpentium expavet impetum, ac si procellosi nimbi grandinem, vel furentium undique ventorum effugiat tempestatem.* Lugubris placide lachryma ab oculis pœnitentis dimanans, ejusque genas leniter ac silenter rigãs, velut procellosa tempestas diabolo terrorem incutit, illumq; in fugam vertit. Subdit autem Cardinalis causam, ob quam pœnitentium lachrymas sic dæmõ expavescit. *Sicut spumosi torrentis cumulus superveniens cunctis alveum sordibus purgat, sic lachrymarum profluentium cursus ex mente fluens, & diabolicæ versutia semina, & omnes sordentium vitiorum pestes eliminat.* Lachrymæ quæ ex mente pœnitentis sapienter fluunt, conscientiæ sordes mundant, dæmonem fugant, cunctos ejus impetus frangunt, & jaculatis ejus telis fortiter resistunt. Tert. l. de An. 41 Tert. l. de Jejun. 8 Petr. Damian. Opusc. 13. c. 12

2. Aquas exquirunt dæmones, in illis immorantur, in illis deliciantur, eisque utuntur, ut terreant homines, eis noceant & amentes efficiant. *Annon & immundi spiritus aquis incubant ? sciunt opaci quique fontes , & avii quique rivi, & in balneis piscina, & euripi in domibus vel cisterna & putei, qui rapere dicuntur, scilicet per vim spiritus nocentis : nam & apopnictos, & lymphatos, & hydrophobos vocant, quos aqua necaverunt, aut amentia vel formidine exercuerunt.* Verum aquæ lachrymarum dæmonis impediũt malitiam, vires frangunt, incursibus resistunt, pœnitentes protegunt, qui gloriose diabolicam debellant & prosternunt paraturam , ut belle animadvertit Petrus Tert. l. de Bapt. 5

Cel-

L.de panib.c.12 Cap.40 Cellensis expendens istud Jobi de diabolo sub nomine & symbolo Behemoth loquentis. (Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus:) quæ verba sic elucidat præfatus auctor. *Flumina omnia sorbet. sed hanc tantum aquam non sorbet: rumpuntur namque ventris ejus interiora, si conspersa fuerint hac aqua: dentes excutiuntur, fauces perforantur venæ inflantur, & nervi ejus solvuntur.* Et quemadmodum olim Ægyptii suffocati sunt in aquis maris rubri, sic dæmones lachrymarum aquis D Aug. prosternuntur, *instant, urgent, premunt, sed usque ad aquas.* Adeo exitialis est diabolo aqua lachrymarum: quantalibet præditus sit fortitudine, deficit enervis & impotens redditur, dum gemitus & fletus potatur aqua.

Eadem præstat pœnitenti lachrymarum unda, quod Christiano fides. Sumere debet Christianus scutum fidei, ut repellere valeat ignita diaboli jacula. Ephes.6 *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Tela diaboli ignea instar ignis penetrantia, ardentia & inflammantia, sunt diaboli suggestiones, quibus phantasiæ pravas suggerit cupiditates, & ad eas appetendas appetitum accendit, concupiscentiam inflammat. Adversus ejusmodi ignita diaboli tela, sumendum vult Apostolus fidei scutum. Ad retundenda ignita nequissimi jacula, validissimæ sunt etiam lachrymarum aquæ: idcirco Alexandrinus Clemens ad Pauli alludens verba: sic hortatur Christianos: Orat. Adhort. ad Gent. *Confligamus instructa acie adversus malum: Ignita mali jacula extinguamus aqueis à Verbo tinctis cuspidibus.* Nempe sicut sagittarum cuspis veneno medicari solet, ut venenatum efficiens vulnus, mortem inferat, sic jacula quæ Christiani vibrant adversus dæmonem, aqueo quasi lachrymarum veneno, linienda & tingenda sunt ut cuspides lachrymis velut veneno medicatæ, sævius dæmonem feriant. Optima arma tum defensiva tum offensiva sunt lachrymæ, quæ non in ignita Vulcani chalibia, sed in madidâ oculorum officina cuduntur: His armis gehennalis adversarius propulsatur, referitur, debellatur, vincitur: ut constat ex Sara, quæ gloriosum de dæmone reportavit triumphum. Asmodæus septem ejus maritos luxuria incensos peremerat, Saramque eodem libidinis incendio sufflammare moliebatur, sed frustra. Quibus autem armis munita, cubile ab Asmodæo infestatum ingredietur, ut ejus possit arcere ictus, & repellere tela? Audi sacram Scripturam, *Et introduxit illac Saram filiam suam, & lachrymata est.* O bonum ex lachrymis conflatum scutum, quo armatus pœnitens dæmonum repellit Tert. l. de Bapt. 1 incursus, seseque ab ignitis eorum telis conservat immunem! *Nam fere viperæ & aspides, ipsius reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur: sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrũ Jesum Christũ in aqua nascimur: nec aliter quàm in aqua permanendo salvi sumus.* In aquis namque diabolum reddimus inermem, de illo Ps.50 triumphamus, ejusque confringimus caput, juxta istud Davidicum: *Contribulasti capita draconum in aquis;* seu, ut expendit Urbanus quartus: Confregisti *venenata superbia caput in diluvio lachrymarum.* Lachrymarum imbribus

quasi

qua teliscaput venenosi serpentis contribulatur, confringitur, conculcatur, conciditur,& homo à mentis cæcitate sanatur.

3 *Fuit & Judea lacus medicus ante Christum*: probatica scilicet piscina, de qua aliorsum loquitur Tertull. *Angelum aquis intervenire, si novum videtur, exemplum futuri præcucurrit, piscinam Bethsaidicam Angelus interveniens commovebat: observabant qui valetudinem querebantur; nam si quis prævenerat descendere illuc, queri postea desinebat.* Piscina Bethsaidica, vel baptismum aquæ, vel pœnitentiæ figurabat baptismum: in utroque à morbo liberatur,& sanitatem requirit Christianus. *Figura ista medicina corporalis, spiritualem medicinā canebat, eā formā, quā semper carnalia in figura spiritualium antecedunt.* Baptismus autem, sive aquæ, sive pœnitentiæ,& lachrymarum, longè est salubrior piscinā Bethsaidicā, tum quia à pluribus liberat morbis, tum quia sæpius adhibet remedia: tum quia majorem confert valetudinem, tum quia sanat non solùm corpus, sed etiam animam. Nam, ut prosequitur Tertull. *proficiente itaq; hominibus gratiā Dei plus aquis,& Angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant.* Tert. l.de an. 50 l.de bapt. 5. Tert. ib.

In baptismo sanantur oculi, renati namque *abluti delictis pristina cæcitatis*, mentis recipiunt visum, pœnitentes quoque lachrymis oculantur, & cœlesti illustrantur luce. Quod hac comparatione eloquenter declarat S.Chrysost. *Sicut post vehementes imbres, mundus aër ac purus efficitur; ita etiam lachrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, omnisque illa de tenebris effusa caligo dissolvitur.* Ubi cœlum ingenti pluviā quodammodo se exoneravit, detersā nube, Sol radios spargit, & orbi universo post nubila Phœbus, post ventos & imbres serenitas arridet. Sic postquàm lachrymæ tenebrosā peccati detersērunt noctē, pœnitens videt lucidius, & mens ejus cœlesti illustratur Sole. Tert. l.de bapt. 1. ho. 6. in Marc.

Apud Josue, in sorte Benjamin, *fons Solis* emicat, à quo aquæ largiter profluunt: Lachrymarum baptismus est fons Solis, mentis illuminans oculos, dum animam à peccatis emundat: quapropter Christianum sic alloquitur Laurentius Novariensis: *Ex illa die illaque hora, quā egressus es de lavacro, ipse tibi es fons jugis, & diuturna remissio.* Post Baptismum velut quemdam jugem Baptismi fontem secum quisque portat, qui commissa exinde scelera tanquàm diuturna remissio diluat; nam dum pœnitentia lachrymas fundit, ipse sibi est fons jugis, & diuturna remissio. Cap. 8. hom. de pœn.

Tres cæcos sanavit Dominus, sed non eadem curationis specie contulit illis visum; (Nam juxta viam sedenti cæco visum sola restituit jussione: à nativitate cæco nato, non lumini, sed tenebris, Christus imponit lutum, & collirio materiali, fingit, facit, procurat oculos, non recurat, ut creante non medicante manu, inde homini suppleret lumina, unde hominem faceret totum: Iste verò cæcus, cujus Marcus Evangel. retulit curam, novo sanatur modo; nam apprehensā manu cæci eduxit eū foras extra vicum, quasi Chrysol. ser. 176. Cap. 8.

eum curare non potuerit in loco, aut beneficio loci indiguerit, universis qui civitatis visum.) si autem causam perscrutemur, cur tam diverso curationis genere huic cæco restituit visum Salvator, respondet Chrysolog. locũ, in quo jacebat cæcus, fuisse Bethsaidam, cui Dominus infidelitatem &
Matth. 11 perfidiam exprobrabat. *Ergo apprehensâ manu ejus de domo infidelitatis eduxit, levat eum de perfidiæ sessione, ut ante fidem, quàm oculos daret; ante menti, quàm corpori redderet sanitatem.* Sed modus, quo in corpore, & in anima illuminatur cæcus, est prorsus admirabilis; nam ut subjungit Chrysolog. *Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas, divino ore luciferam dat salivam, ut sancti roris gusta baptizaret oculos peccatoris, ut aperiret venia, quos clauserat culpa.*

Hunc ritum in administrando baptismate à Christo mutuatum observat Sacramenti minister: sputo baptizandi linit oculos, ut innuat virtute baptismi mentis aperiri visum. Virtutem etiam conferendi animæ lucem habet baptismus pœnitentiæ; nam piæ lachrymæ baptizant oculos peccatoris, imò totum hominem, ut vult Hugo Cardin.
In c. 5. Matth. *Luctus est humanæ mentis baptisterium*, siquidem lavacrum lachrymarum, est secundum baptisma. Id-
S. Greg. apud Hug. ib. circò *mens lachrymis baptizata videt limpedius.* Quanta lachrymarum vis, quæ mentis cæcitatem sanant, & tantam conferunt visûs perspicaciam, ut oculi lachrymis baptizati, & à lippitudine peccatorum sanati, videant limpidius,
Chrysol. ibid. & cernant perspicacius. *Nemo ergo dubitet, cùm videat parva dominici sputi gutta arentes cæcitate oculos subitò sic suscitatos in lucem:* quin baptismus sive aquæ, sive lachrymarum cæcis conferat lucem, cùm uterque efficaciam habeat diluendi peccatum.

II. PARS *Conversata istic quædam, de Caiana hæresi vipera venenatissima, doctrinâ suâ*
Tert. l. de Bapt. 1 *plerosq; rapuit, baptismum destruens.* De Quintilla loquitur, (à qua hæretici Quintilliani nuncupantur,) Baptismi sacramentum negante. Hanc monstruosissimam vocat Tertull. eò quòd docendi sibi arrogaverit munus, quod ad viros præsertim Sacerdotes pertinet. *Ita Quintilla monstruosissima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optimè norat pisciculos necare, de aqua auferens.* Baptismus ordinatus est ut homo ex Deo renascatur: Quintilla au-
Tert. l. 1. adv. Marc. 29 tem hominem *vetat nasci, de quo nascitur auferendo*, & sic eum quodammodo enecat impediens, ne supernaturalem animæ recipiat vitam. Qui hunc sequuntur, eorum Pharaonis æmulatur inhumanitatem. *Non erit immanior*
Tert. ib. *duritia Pharaonis nascentium enecatrix; nam ille animas adimit, hic non dat: ille aufert de vita, hic non admittit in vitam: nihil apud ambos de homicidio differt, sub utroq; homo interficitur: sub altero editus, sub altero edendus.*

Tert. l. 4. adv. Marc. 24 Ita aversatus est Deus Pharaonis crudelitatem, *ut apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos, periclitantes edicto Pharaonis*, & adeò exoptat, ut homines denuò renascantur, ut aquas, quæ futuræ erant baptismi materia, in maledictione adversus terrã vibrata non involverit, ut acutè animadvertit Alcuinus, qui scilicet, (Quare creator in Adæ maledicto

terræ

terræ maledixit, non aquis) respondet tum (quia de terræ fructu, contra interdictum manducavit homo, non de aquis bibit:) tum magis ad propositum, *quia prædestinavit Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terræ contraxit homo.* Originale autem peccatum trinum præsertim homini affert damnum; nam 1. illum culpat, 2. turpat, & dedecorat, 3. æternæ morti mancipat: Baptismus autem sive aquæ, sive lachrymarum, 1. peccati culpam emaculat, 2. Animam pulchrè decorat, 3. hominem ab æterna morte liberat. Q.10. in Gen.

1. Ad corporeas diluendas sordes aquam nobis subministravit naturæ Auctor. Cùm *igitur propria materia ejus sit abluendi, in auspicia emundationis* conveniens fuit, ut eam Christus in naturam baptismi susciperet, in quo anima à culpa originali abluitur. *Quamquam ad simplicem actum competat similitudo, ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur: sed delicta sicut non in carne comparent, ita in spiritu sordent, qui est auctor delicti: spiritus enim dominatur, caro famulatur: tamen utrumq; inter se communicant reatum; spiritus ob imperium, caro ob ministerium: igitur medicatis quodammodo aquis, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritaliter mundatur.* Eodem enim momento, quo foris corpus baptismi undâ rigatur, anima intùs abluitur, & ab originali culpa emaculatur. Uti autem originale delictum diluitur per baptismum aquæ, ita actuale peccatum, per pœnitentiam, & baptismum lachrymarum deletur. Nam, ut ait Greg. Nazianz. *Lachrymæ sunt peccati diluvium, & mundi expiamentum.* Et ob hanc causam, ut animadvertit S. Chrysost. Regius Vates dicens (Lavabo per singulas noctes lectum meum) ostendit, *lavacrum, & purgatorium peccati, lachrymas esse.* Quod in Magdalena recognoscit Chrysolog. nam peccatricis illius lachrymæ, quæ abluunt dominicos pedes, in caput pœnitentis refluunt, & vice baptismatis peccatorum suorum illuviem diluunt. *In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier, in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum.* Idcircò S. Leo Magdalenæ lachrymas prædicat felices, eò quòd ad abluendam ejus culpam virtutem habuêre baptismi. *Felices lachrymæ, quæ ad diluendas culpas criminum, virtutem sacri habuere baptismatis! Felices lacrymæ, quibus audire meruit: Remittuntur tibi peccata tua; verbis ipso Christi ore prolatis.* Tert. l. de bapt. 5. Tert. l. de bapt. 4. Orat. 11. Hom. 5. de pœn. Ser. 93. Ser. 9. de Pass.

Ezechiel Propheta *Scripturarum oceanus, & mysteriorum Dei labyrinthus,* qui magno Gregorio teste, *Magistrorum speciem, & typum prædicantium tenet;* vidit Angelum, ut fatur aliorsum summus ille Pontifex, Christum magni consilii Angelum repræsentantem, atramentum scriptoris in lumbis suis habentem; seu, ut legit Symmachus, *Tabulam scriptoris, ut scilicet omnium peccata describeret.* Divinum illum Scriptorem peccata sua scribentem agnoscit Job: *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*: id est, scribis peccata, quæ te ad amaritudinem provocant, & peccatori peracerbam amaritudinem causant. S. Hier. in c. 37 Ezech. lib. 26. moral. 5. l. 3. in l. 1. Reg. 9. Ezech. 9. Cap. 13.

A divino illo Scriptore cuncta servantur delicta, sive exarata sint in papy-
Jer. 17. ro, sive celte scripta in cilice, aut plumbi lamina, sive ut *peccatum Juda, scri-
pta sint stylo ferreo, aut ungue adamantino. Quovis autē modo exarata & scri-
pta sin: humana delicta, pœnitentiæ delentur lachrymis. Peccator noli abi-
S.Chrys. re in desperationem, pœnitentiæ funde lachrymas, & tua obliterabuntur
ho. 2. in crimina. *Peccata tua in libro scripta sunt : spongia autem instar sunt lachrymæ*
ps. 50. *tuæ: lachrymas mitte, & obliterantur; lachrymas mitte, & purus illic liber inve-*
nitur. Spongia chartam delet, bibula humoris, ad se illum attrahendo, &
S.Chrys. sensim absumendo *Magna peccatorum spongia sunt lachrymæ*, quæ velut attra-
hunt ad se flenda peccata, illaque absumunt, eaque de conscientia quasi de
libro delent, diluunt, peccatoremque lavant, & purè emaculant.

Judith.7 Urbi Bethuliæ extremam attulit Holophernes calamitatem, dum *incidi
præcepit aquæ ductum illorum.* Theodoretus quoque Imperator à civibus Cō-
Bar.ann. stantinopolitanis graviter offensus, insuetato eos volens punire supplicio,
Do. 388. omnes jussit obturari fontes, cunctas occludi balneas, ne fruerentur aquis,
sed continuis, & diuturnis polluerentur sordibus. Verùm longè gravius
tormenti genus, dum cœlestis lachrymarum imber peccatori denegatur :
dum infernalis Holophernes, saluberrimum illum præripit aquæ ductum :
S. Bern. quo fit ut anima, vitiorum cœno tota sordescat : *Aquæ inopia non modò ari-*
ser. de ni- *dum, sed & sordidum facit, dum non est quo laveris : & humanum cor lachrymas*
mia fall. *nesciens, non modò durum, sed & impurum esse necesse est.* Multi tamen corporis
vitæ. sordes non patiuntur, & animam sordescentem deferunt : quotidie faciem
S. Chrys. & manus abluunt, animam maculatam negligunt. Christiane, *faciem corpo-*
ho. 21. in *ris tui quotidie abluis, ne qua fortè macula faciei inhærens, fœda appareat : & sic*
Matth. *animæ curam habe, quotidie lachrymis eam abluens,* ut peccati deleas culpam,
eamque pulchrè decores.

Tert. l. de 2. Renati, *in aqua emundati* pulchrescunt: pœnitentes quoque fletibus
bapt. 6. decorantur : etenim lachrymæ *sordida lavant, decorant fœda.* Quas Pierius
Pet. Cel. eleganti symbolo per margaritas expressit, Suidam inducens, qui refert so-
l. de pa- mniauti fuisse persuasum, margaritas genis inhærere, quas expergefactus la-
nib. 12. chrymas colliquatas deprehendit. Ipsi quoque rerum naturalium indagato-
l. 28. c. 8. res tradunt uniones ex gutta roris, quæ refert lachrymam concrescere. Ideò
Plin. l. 9. S. Macarius lachrymas pretiosas uniones disertè affirmat. Sacer etiam
c. 35. Sponsus genas Sponsæ sic commendat. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.*
Cant. 1. Lectio Tigurina habet : *Pulchræ sunt genæ tuæ, propter margaritas;* hoc est
propter lachrymas, quæ molli lapsu per genas effluunt, densantur in glo-
bulos, & cœli calculo vertuntur in margaritas; quas ipsemet cœlestis Spon-
sus, in capite suo pro diademate gestare non dedignatur. Nam ut fatur S.
Epist. ad Hieron. in sanctarum nuptiarum dulci epitalamio, Sponsus ad sponsam
Paulin. properans, sic eam compellit : *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum*
Cant. 5. *plenum est rore.* S. Hieron. legit, *Capilli mei pleni lachrymis, & cincinni guttis o-*
culorum. S. Chrysost. nihil pulchrius existimat Regii Prophetæ oculis, mar-

garitas,id est lachrymas effundentibus. *Quidnam,dic oro,illis oculis Davidis formosius,perpetuo lachrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatis?* Et si,ut ratiocinatur Tertull.*pulchra anima,justitiâ decorata*, quàm venusta est anima baptismo sive aquæ,sive pœnitentiæ abluta? siquidem *de sancto sanctificata natura aquarum,& ipsa sanctificare concepit*, & quia gratia vitam largitur supernaturalem, aqua renatos & pœnitentes ab æterna morte liberat. Hom.30 in Gen. l.de an. 9 Tert.l.de bapt.4.

3. Sicut Deus homini vitæ flatum induxit,ita homo sibi mortis flatum attraxit. Primus homo per inobedientiam se suosque posteros, quos criminis effecit participes,morti mancipavit. *Adã princeps generis,& delicti,*sicut naturam,ita & nepotibus suis communicavit & culpã. Ab hac criminosa origine excipiuntur duntaxat Christus,& Deipara,cæteri verò scelerosi nascuntur. *Homo damnatur in mortem,ob unius arbusculæ delibationem,& pereunt jam omnes,qui paradisi nullum cespitem norunt.* Quia vero Baptismi Sacramentum in remedium originalis delicti institutum est,virtute hujus sacri lavacri renatus à peccati reatu,morte scilicet æterna peccato debita liberatur. *Deleta morte per ablutionem delictorum,exempto scilicet reatu,eximitur & pœna.* Uti autem virtute Baptismatis à reatu pœnæ originalis liberatur renatus, ita pœnitens virtute lachrymarum,à reatu pœnæ actualis delicti eximitur. Quod sic eloquenter declarat Chrysologus: *Si mens nostra jaculo fuerit confixa peccati, pœnitentiæ medicina succurrat,ferrum compunctionis accedat, opponatur adustio tunc doloris,adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tunc reatus ulcera lachrymis abluantur*: reatus ulcera diluunt lachrymæ ab æterna peccati pœna eximentes. Tert. l.2. adv. Marc.8. Tert.l.de exh. cast. 2. Tert.l.de Res. 48. Tert.l.de bapt.5. Ser.167.

Planè stygias paludes Poëta tradidit mortem diluentes, sed & Thetis filium planxit: quamquam si & Menander in stygem mergit, moriendũ erat nihilominus, ut ad stygẽ venias: apud inferos enim dicitur. Stygias, sive infernales paludes, à quibus cocitus,& phlegeton oriuntur,fabulati sunt gentiles, tanta virtute præditas,ut à morte eximerent immersos. Verùm licèt in illis immersus fuerit Achilles non est effectus immortalis,sed in Trojana expeditione Paridis sagittâ vulneratus occumbens, Thetidis matris obtinuit lachrymas. Quanta majori virtute præditæ sunt aquæ baptismi,& lachrymarum, quæ non fabulosè,sed verè, & de facto eximunt à morte? Aquarum baptismi virtutem prædicat Tertull.in renatorum persona,aiens: *Felix sacramentum aquæ nostræ,quâ abluti,& delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur!* Lachrymarum verò efficaciam commendat Chrysolog. *Jucunda sunt lachrymæ,quæ gaudiũ immortalitatis emerunt.* Bonũ comercium,quod brevi luctu æternũ sibi comparat gaudiũ: bona emptio,quæ beatam mercatur immortalitatem! Quàm lucrosæ lachrymæ, quæ non modò mortem declinant,sed adhuc immortalem acquirere vitam præsumunt. Tert.l.de an.50. l.de baptis.1. Ser.107.

O fletum rigatorem non tam à natura,quàm à gratia manantem! *O lachryma mentem purgans! Hæc est lachryma sancta compunctionis soror, herba cælestis illius fullonis, qua vestes servorum suorum deturpatas, sorde quotidie expurgat.* Tert. l. adv.Valet. 15 S.Aug.ser. ad Frat.11

 Hac

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hâc enim longè efficacius quàm ullo lixivio, aliâve herbâ, aut liquore, labes eluuntur, penitusque delentur. Hanc enixè à Deo expostulabat dubius Augustin. (Rogo te, ô bone Jesu, per illas pretiosissimas lachrymas tuas, da mihi gratiam lachrymarum, quā multum desiderat & appetit anima mea, quia sine dono tuo non possum habere eam, sed per Spiritum S. tuum, qui dura corda peccatorum emollit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lachrymarum, sicut dedisti Patribus nostris, ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte, ac die.) Hanc lachrymarum gratiam à Deo obtinuit Regius Vates, quæ ab ejus oculis tanta cum abundantia profluebant, ut proruperint *in juge profluvium*, quo detestandum suum expiaret peccatum. Nam ut ipsemet testatur Propheta, *Lavabo per singulas noctes lectū meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. In Hebræo legitur: *Natare faciam lectum meum*; quasi adeò copiosè exundârint lachrymæ, ut cum strato inter lachrymas David ipse nataret: *Audiant qui lectos habent argenteos, qualis erat lectus regis, non ex auro contextus, sed lachrymis ablutus.* Linteum aquâ frequenter aspersum sensim ad nivis instar dealbatur: haud aliter Regius Psaltes aquâ lachrymarum aspersus, imò immersus, super nivem dealbatus est. Quapropter S. Chrysost. illum sic loquentem inducit: *Lachrymæ meæ mihi fuerunt pro baptismate.*

L. medit. c. 36. — S. Ambr. ser. 17. in ps. 118. — ps. 6. — S. Chrys. ho. 30. in Gen. — Hom. 6. in Marc.

Illud Prophetæ exemplum imitari debent peccatores, imò & pœnitentes; nam *propter dolorem salubrem pœnitentiæ, in fletu Dominus posuit officium*: Qui in hac vita salubriter non lachrymantur, in altera lugebunt infeliciter; nam ut ait dubius August. *Impossibile est non flere peccatorem vel hîc, vel in futuro*. In præsenti utiles sunt lachrymæ, inutiles in futuro. Hîc lavant, illic urunt: hîc ungunt, illic pungunt: hîc gemmæ sunt, quæ diademati inseruntur, illic in liquidas & ardentes plumbi guttas resolvuntur, quæ excruciant genas. Quapropter S. Bernardus hîc lachrymari exoptat, ne in inferno lugeatur: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum*, & fundam pœnitentiæ lachrymas, quæ infernum exinguant?

S. Aug. ser. 9. de verb. Apost. — l. Medit. — Ser. 26. in Cant.

III. PARS

Dæmones *ebulliunt, calentes & ipsi occidere*, & tartareo igne devastare Christianos. Tres autem sunt ignes, quibus eos sufflammare nititur diabolus: Ignis scilicet concupiscentiæ, vitiorum, & gehennæ. *O quanta vis in lachrymis peccatorum, terram diluunt, extinguunt infernum*; dum enim genas, & terrenam carnem rigant, extinguunt 1. concupiscentiæ incendia, 2. ignita vitia, 3. gehennæ supplicia.

Tert. Scorp. 1. — Chrysol. ser. 93.

1. Viatores *toto tempore subornantur, nec alio quàm ardoris*. Ut autem docet S. August. *concupiscentia mala quasi ardor, est ignis*. Ut autem aliorsum ait Hipponensis Doctor, *duo sunt ignes, charitas scilicet, & cupiditas: unus de parte Dei, alter de parte diaboli: unus devorās omnia mala, alter consumens omnia bona.* De charitatis igne loquitur Tertull. aiens: *Ecclesia exuritur de figura rubi*, qui igne divino sufflammatus ardebat, nec comburebatur. De igne concupi-

Tert. Scorp. 1. — In ps. 57. — Ser. 4. de Bas. Paul. — Scorp. 1.

ſcentiæ loquitur adhuc Afer: *Concupiſcentia pretia rebus inflammavit, ut ſe* lib. 1. de
quoq; accenderet. Quæ idcircò dicitur fomes peccati, quia ad peccatum ac- cult. fœ.
cendit. *Habes ex iſto fomite æſtuantem* primam fœminam, & prohibitum po- 8.
mum illicitè concupiſcentem: *Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum ad* Tert. l. de
veſcendum; videt oculis, ſed ſaporem videt: videt quod oculis videri non pall. 4.
poterat, ſed quod concupierat, & ut ait Hugo Catenſis, videt *concupiſcen-* Gen. 3.
tiæ oculis. Sapor non eſt viſus objectum, ſed guſtûs; mulier tamen videt con-
cupiſcentiæ oculis, quod viſorio oculorum ſenſu percipi non poterat.

Et quod eſt ſtupendum magis, oculi concupiſcentiam ſufflammant, &
ob hanc cauſam damnatur *concupiſcentia oculorum*, qui ſunt in amore du- 1. Joan. 2
ces, & ad terrenas divitias, & venereas voluptates cor ſufflammant ardore
avaritiæ, vel libidinis flammâ. De quo conqueritur Jeremias: *Oculus meus* Cap. 9.
deprædatus eſt animam meam. Chriſtus quoque oculos ingerentes concupi-
ſcentias tanquàm gehennæ cognatos & affines eruendos declarat. (Quòd Matth. 5.
ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue, eum, & projice abs te: expedit e-
nim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum
mittatur in gehennam.) Chriſtiane, cupisne gehennæ vitare incendia? ex-
tingue concupiſcentiæ, quo æſtuas, incendium, impedi ne animæ ingerant
concupiſcentiam oculi: & ut te hortatur Paſchaſius, *luxum voluptatum pri-* In c. 1.
ſtinum, & concupiſcentias in lachrymas converte. Luge ingeſſiſſe in cor concu- Thren.
piſcentiam, puni oculos, ut ſatisfaciant ſuis fletibus pro delictis, quibus de-
pravatis ſuis affectibus miniſtraverunt; quomodo Magdalena oculos, qui-
bus peccaverat luctui, & lachrymis mancipat. *Oculis enim terrena concupie-* S. Greg.
rat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat, ſuisque fletibus concupiſcen- ho. 35. in
tiæ æſtus, & ignita extinguebat vitia. Evang.

2. *Calor eſt omnis affectus* inordinatus, Nullum eſt vitium, quod non pra- Tert. l. de
vo ſufflammetur igne. Noxium hunc ardorem in vana gloria agnoſcit Ter- pall. 4.
tull. etenim *quando in affectionem flabellatur, de incendio gloriæ ardor eſt.* S. quo-
que Auguſtinus in cæteris vitiis tartareum illum recognoſcit ignem. Super-
bia eſt ignis, *ignis ſuperbiæ, ignis fumoſus.* Ira eſt ignis, *ignis iracundiæ, quantus* In pſ. 57.
ignis! Luxuria eſt ignis, *ignis conſumit veſtem, libido adulterii nonne conſumit a-
nimam*? Invidia eſt ignis, ſed *ſuper quem ceciderit, non videbit Solem juſtitiæ
Chriſtum.* Cætera denique vitia ignes ſunt, *ſed iſtas pœnas pauci vident.* Pœ-
nitentium fletus cæcutientes illos illuſtrant oculos, criminum temperant
fervorem. Quare Baſilius Seleucus nos ad gemitus, & fletus ſtimulat, *ut vi-
tia lachrymis extinguamus*, ac ſi non tantùm peccata, ſed etiam vitia extin-
guantur oculorum fontibus.

Chriſtiane funde lachrymas, & quantumvis à dæmone ſufflammata ex-
tingues vitia: *O felices lachrymæ, per quas maculæ interiores purgantur; per quas* S. Bern.
peccatorum incendia extinguuntur! Peccati ignis iracundia eſt; peccati
ignis invidia eſt; peccati ignis luxuria eſt; peccati ignis gula eſt,
peccati ignis ſuperbia eſt. Hos ignes extinguit pœnitentiæ lachryma; nam

ut ait S.Chrysost. [*Rogum peccatorum extinguimus, non tam aquis multis, sed parvis cum lachrymis, multus enim peccati ignis, & lachryma modica illum extinguit; nam lachryma rogum extinguit peccatorum.* Hos peccati ignes suis lachrymis extinxit S.Hieron.ut ipsemet fatetur: *Mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum, jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant: itaq; omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lachrymis, memini me clamantem, diem crebrò junxisse cum nocte, donec rediret tranquillitas,* & velut nube depulsa serenitas. Oculi lumine vocitantur; hæc tamen lumina vitiorum excæcantur ignibus. Ut autem luce potiantur, & videant oculi, vult natura, gratia potiùs suppeditat lachrymarum flumina, quæ tartareos temperent ardores: *Hæc est lachryma sanctæ compunctionis soror, quæ motus illicitos extinguit,* & gehennæ adhuc extinguit incendia.

Epist. ad Eustoch.

S. Aug. ser. 1. ad Fratr.

3. *Timebit forsitan caro summam ignium pœnam,* quam patiuntur in inferno reprobi. Attamen, ut suprà dictum est cum Chrysologo, pœnitentiū lachrymæ *extinguunt infernum.* Rem prorsus admirandam refert Daniel de fornace Babylonica, de qua exundantes flammæ, subitò adstantes consumpserunt ministros, & in favillas cineresque redegerunt; regi verò propius accedenti, & pueros in camino prorsus illæsos, curiosius sciscitanti, nullum intulerunt damnum, quia scilicet rex sceleris sui pœnitens, madentibus oculis fornacem accessit, & ita ait S.Chrysost. *Non pertimescebat flammas comburentes, qui secum ferebat lachrymas ipsas extinguentes.* Fornax Babylonica tartaream figurat fornacem, ministri quos combussit flamma, denotant reprobos, rex qui à flammis evasit illæsus, repræsentat pœnitentem: reprobi continuò uruntur à tartareo igne, qui nullis eorum fletibus extinguitur, non rivi, non flumina, non ipsum mare Athlanticum, gehennales valet extinguere flammas: necdum attemperare scintillam; ad inferni tamen extinguendas flammas, hîc guttula sufficit; unica per oculos à contrito corde, dimanans pœnitentiæ lachryma gehennā extinguit. Ut enim ait S. Augusti. *Omnes aquæ non extinguunt unam scintillam in inferno, sed una lachryma, si de contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit.* O miram lachrymarū efficaciam, quæ inextinguibile valet gehennæ extinguere incendium! *Quænam est illa aqua, quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia.*

Tert. l. ad Mart. 4 Cap. 3.

Hom. de 3. pueris.

Serm. 19 ad Fratr.

In pœna sensus tria sunt consideranda, instrumentum divinæ justitiæ, quo præsciti cruciantur, minister divinæ vindictæ, qui eos torquet: carcer in quo colligati damnati detinentur. Instrumentum divinæ justitiæ est ignis: etenim *gehenna est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus;* minister divinæ vindictæ est diabolus, à quo ad cruciandos reprobos inferni *ignis inflabellatus est;* infernus est carcer, in quo damnati alligantur: Pœnitentium tamen lachrymæ, & ignem extinguunt, & dæmonum violentiam impediunt, & inferni vincula rumpunt. Scipio cognomento Africanus, Carthaginē in incendium redactam conspiciens, adeò collachrymatus est,

Tert. apol. 47. Tert. l. adv. Valent. 23 Petrar. l.1. dial.

ut fumantes adhuc cineres, extinguere lachrymis velle videretur. Longè felicius lugent pœnitentes, siquidem *tales lachrymæ, quales erant Davidis, ipsum gehennæ incendium norunt extinguere*, & torquentes torquere dæmones. 2. Alexandro Macedoni, adversus Olympiadem ejus matrem graves calumnias scripsit Antipater: Rex litteris perlectis, ait: Ignorat Antipater unicam matris lachrymulam, multas calumniarum deleturam epistolas. Multa crimina adversus peccatores objicit dæmon, ut divinam in eos sufflammet justitiam: una tamen pœnitentiæ lachryma dæmonem exarmat, fugat, & acerbius cruciat; etenim *Satan tolerabilius sustinet flammam suam, quàm lachrymam nostram, acriusque contriti cordis lachryma, quàm flamma infernalis incendij torquetur*. Dæmon gehennæ torquetur incendio, quod accendere videtur contritionis imber. Pœnitentium lachrymæ sunt velut alterum diaboli incendium. Modica aqua in rogum injecta, illud sufflammat; pœnitentiæ aqua gehennæ subministrat alimentum, quo dæmon acerbius crematur. Quanta vis lachrymarum, quæ acrius torquent diabolum, & inferni vincula rumpunt! 3. Commemorat S. Chrysost. de quibusdam fugitivis servis, qui pedes ferrea compede colligatos, aquis immergentes, ferrum adeò mollescerent, ut illud saxo concutientes confregerint, & de facto, aquæ fortes, ut vocant, reperiuntur, quæ ferrum exedunt, & frangunt: Omni tamen aquâ forti efficacior lachrymarum vis, quæ vincula rumpunt, queis ligantur peccatores. Nam ut ait suprà memoratus Petrus Cellensis, lachryma *portas refringit inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis*.

S. Chrys. hom. de Lazar. in c. 16. Luc. Plutarch Pet. Cel. l. de pan. 12. Hom. 9. ad pop.

Lachrymarum efficaciam probè sciens S. Macarius suos ad luctus hortabatur: *Ploremus, fratres & producant oculi nostri lachrymas, antequàm eamus hinc, ubi lachryma nostra corpora comburant*. His verbis denotat longè diversam esse virtutem lachrymarum, quas producunt pœnitentes in hoc sæculo, & quas fundunt reprobi in inferno: Lachrymæ quas pœnitentes per oculos purissimè eliquant gehennam extinguunt. Lachrymæ verò quas abundè fundunt in inferno damnati, inferni accendunt ignem, suntque gehennale incendium, aut pœnalissimum illius auctarium, quo miseri acrius ustulantur, comburuntur, & ardent.

In ejus vita.

Fundant peccatores lachrymas, quæ extinguant gehennam, ne aliquando fundant quæ eam accendant. (Descendant in infernum viventes:) attentè considerent ignis acerbitatem, quo cruciantur reprobi; lugeant, pœnitentiæ fundant lachrymas, queis gehennæ extinguant incendia: siquidem *peccatores pertransseuntes in inferno, flentes fletu, sicut fontem ponent illum*. Christiane, dic cum S. Bernardo: *Utinam nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis lachrymarum fontes! fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lachryma diluisset*. Et insuper virtute lachrymarum in cœlum ascendent pœnitentes, ad instar Vatis Regii, qui *ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum*.

Ps. 54. Geneb. ser. in illud c. 5. Job. Ps. 83.

CONCIO TERTIA.

Tert. l. de resf. 9. HOminem *religionis suæ Sacerdotem* vocitat Deus. Præcipuum autem Sacerdotis munus est offerre sacrificium: Deo sacrificarunt homines in lege sive naturali, sive Mosaica, sive Evangelica. Sacerdotes speciali ordinis charactere inaugurati, sacro sanctū Altaris offerunt mysterijs; cuncti Christiani in baptismate quodammodo sacerdotali officio donati: *Certè Sacerdotes sumus à Christo vocati*; quotidie etiam offerunt *sacrificia Deo grata*. Inter sacrificia quæ olim Deo litabant mortales, (ultra holocaustum, quod cedebat in divinæ majestatis honorem) tria adhuc numerabantur, scilicet propitiatorium, seu expiationis; Pacificum, seu impetrationis; Eucharisticū, seu gratiarū actionis: *Cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur*, & lachrymæ quæ à corde contribulato & pœnitente dimanant per oculos, trinam illam sacrificii complectuntur speciem, suntque sacrificium 1. Expiationis, 2. Impetrationis, 3. Gratiarum actionis.

Tert. l. de mon. 7. Tert. l. de Res. 8. Tert. l. adv. Jud. 5.

I PARS. *Ipse etiam effectus hostia per omnia, pro omnibus nobis.* Christus Dominus simul Sacerdos, & Agnus semetipsum obtulit in ara crucis hostiam pro peccato, & hoc sacrificio propitiatorio 1. peccati maculam delevit, 2. divinæ Justitiæ satisfecit, 3. Pacem, & concordiam inter Deum, & hominem inivit: *Lachryma est passionis Christi vicaria*, quæ à corde contrito & pœnitente per oculos erumpens vices Christi gerit, estque *hostia Domino placatoria per sacrificium*, 1. peccati maculam lavans, 2. divinam justitiam placans, 3. amicitiam inter Deum, & hominem concilians.

Tert. l. adv Jud 14. S Aug ser. 11. ad Fra. Tert. l de pæt. 13

1. *Christum esse verum disceptatorem, & elimatorem humanarum macularum*, Christianorum ambigit nemo: Lachrymæ tanquàm vicariæ passionis Christi lavant animam à peccatorum sordibus. *Lachrymarum mador animā omni labe purificat*, à peccatis eam emundans, *Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat*: quoties anima mortaliter peccat, toties contaminatur, & sordescit: *Venite scelerum expiatrices lachrymæ*, & quidquid est in anima mea pollutum, immundum, & coinquinatum, eluite, lavate: & ob hanc causam Sponsus Sponsæ sic oculos commendat: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon*. Quemadmodum enim in piscinis servabatur aqua ad mundandas, & lavandas victimas, ita oculi pœnitentis, velut piscina Hesebon, fundunt lachrymas animarum sordes abluentes, quas ideò Greg. Nazian. vocitat *Baptismum animarum*, quia ad instar Baptismatis animam contaminatam emaculant.

Tert. L 4. adv. Marc. 34. Pet. Dam opusc. 13 c. 12. Tert. l de Bapt. 5. Greg Naz. Cant. 7. Orat. in sanct. Bapt.

Tert. l. de Bapt. 5. Dæmon probè sciens efficaciam baptismi ad mundandas animas, *& ipse baptismum in suis exercet.* Inutile tamen & frustraneum est, *sic quoq; studium diaboli res Dei æmulantis*; cùm nulla sit similitudo inter institutum à Christo, & æmulatum à diabolo baptisma: *Quid simile immundus emundat, perditor*

Tert.

libe-

liberat, damnatus absolvit? suam videlicet operam destruet, diluens delicta, qua inspirat ipse? Gentiles à diabolo edocti, aquis lustralibus utebantur. *Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mythra: ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt: Cæterum villas, domos, templa, totasq; urbes, aspergine circumlata aqua expiant passim: certè ludis Apollinaribus, & Eleusiniis tinguuntur, idq; se in regenerationem & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt.* Verùm frustrà; nam quantamlibet aquæ insumpserint aquam, non sunt à suis criminibus mundati. Multò efficaciores lachrymarum aquæ, quas bellè ad propositum S. Chrysost. appellat *lavacrum & purgatoriū peccati*, quia scilicet animam lavant, à peccatis purificant, & divinam justitiam placant. Tert. ib. Hom. 5. de pœn.

2. *Placabilis, & propitiabilis Deo nostro est* Christus Dominus. Homo potuit quidem offendere Deum, sed insufficiens fuit ad placandam ejus justitiam: Christus perfectissimè Deo offenso satisfecit, & divinæ justitiæ sacrificium propitiatorium obtulit. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Sanguis, quem effudit in cruce Salvator, fuit hostia Domino placatoria: *Bona lachryma, in quibus est redemptio peccatorum.* Lachrymas S. Ambros. redemptrices appellat, quia quodammodo redemptionem à Christo factam æmulantur. Christus obtulit divinæ justitiæ sacrificium propitiatorium: *Cor contribulatum hostia Deo est.* Christus suo sanguine satis Deo fecit: Lachrymas *de sanguine cordis* educit pœnitens, Deoque offert pro peccatoribus tanquàm sacrificiū propitiatorium. Quare peccatores apud Prophetam Evangelicum hortatur Deus: *Lavamini, mundi estote,* seu ut expendit Lyran. *Lavamini à peccatorum maculis, lachrymis contritionis: & venite, & arguite me, dicit Dominus.* Addit glossa interlinearis paraphrastem Chaldæum sequens: *Venite, accusate me tanquam ingratum ante tribunal justitiæ meæ, si non respexero lachrymas vestras.* Lugete, amaras excutite lachrymas, & polliceor vobis, me, vestra scelera remissurum, & si non stem promissis, arguite me velut ingratum coram meæ justitiæ tribunali. Adeò acceptæ sunt Deo contriti cordis lachrymæ, ut ad remittenda lachrymata peccata sese velut obstrinxerit. *O lachryma humilis! tua est potentia, tuum regnum: tribunal judicis non vereris, inimicorum tuorum accusationibus silentium imponens: Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem*: divinam justitiam placas, & inter Deum, & hominem amicitiam concilias: utrumque in Magdalena pœnitente observat Chrysol. *Præcesserant intervenientes lachrymæ, ut oscula Salvatoris sequerentur, quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum, oscula sunt reconciliationis indicia.* Tert. l. de jejun. 15. S. Ambr. l. 6. in Lu. Tert. l. adv. Iud. 5. S. Aug. l. 5. Conf. 7. Esa. Per. Cel. l. de pan. 12. Serm. 93

3. *Sic & Apostolus etiam Dei, & hominum appellans sequestrem,* innuit initam fuisse per Christum concordiam inter Deum, & hominem: Peccatum à Deo divisit hominem, ut ipsemet queritur Deus: *Peccata vestra diviserunt inter vos, & Deum vestrum.* Dei Filius humanatus est, mediatoris suscepit officium, hominem Deo reconciliavit, & inter illos fœderavit amicitiam. Idem reconciliationis munus lachrymis concedit Petrus Damian. Tert. l. adv. prax. 27. Esa. 59

opusc.13 c.12. *Lachrymæ sunt in fœderanda, inter Deum, & homines, pace sequestres.* Hanc inierunt concordiam inter Deum, & Magdalenã, peccatricis hujus lachrymæ, ut ait Goffredus S. Priscæ Cardinalis: *Ecce quantus est fructus lachrymarum, pacem & concordiam firmant inter multum ream ancillam, & justissimum judicem Deum.* Eodem modo alios peccatores cum Deo fœderant lachrymæ contritionis, quia sunt sacrificium pro peccato & expiationis, quod divinã placat justitiam; & sacrificium pacificum, & impetrationis, quod divinam exorat misericordiam.

Serm. de Magd.

II. PARS. Pœnitentes *precem indigitant*, *hostiam instaurant*: nimirùm lachrymas tanquàm hostiam pacificam. Gentiles, qui misericordiam veluti supremum venerabantur numen, ei litabant lachrymas. *Lachrymis altaria sudant, parca superstitio.* Non superstitiosè, sed religiosè pœnitentes Christiani, aras rigant, offeruntque Deo lachrymas tanquàm sacrificium impetrationis, quo à divina misericordia postulata obtineant: Lachrymis namque exoratur Deus, cùm nulla sit 1. efficacior oratio, 2. potentior delegatio, 3. suavior coactio.

Tert. l. de jejun. 15. Statius in Thebaide.

Tert. l. de Pat. 13. Thren. 2. 1. Lachryma à corde contrito dimanans *precationes commendat*, *deprecationes affirmat*. Quapropter peccatorem ad luctum & lachrymas urget Propheta Evangelicus: *Neq; taceat pupilla oculi tui.* Vult non tacentem, sed loquentem oculi pupillam. At unde linguam habet pupilla oculi? scilicet dum lachrymas effundit, quæ, ut vult Hieron. sunt *voces oculorum*: Oculus est os animæ, labia hujus oris sunt palpebræ, horum labiorum lingua est pupilla, hujus verò linguæ vox est lachryma, *quia ipsa dum compungitur*, *magis quàm loquentis verbo, impetrandi effectum habet*, ut patet exemplo Eliæ in veteri Testamento, & Marthæ sororis Lazari in novo. Elias audiens mala, quæ illi comminabatur Achab, juxta Septuag. versionem, *ibat plorans*: statim tamen Deus Eliam ab imminentibus malis se liberaturum pollicetur. (Factus est sermo Domini ad Eliam: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Non inducam malum in diebus ejus.) At unde tam citò est exauditus Elias, cùm nulla ab eo prolata legantur verba? Quia *ibat plorans.* Pupilla Prophetæ effundens lachrymas valentiorem emittit clamorem, quàm os verba tonans. Quare S. Ambros. de Elia sic loquitur: *Non orationis pompa, non sermonis ornatus, non eloquii copia placuit Deo, sed multis precibus lachrymari: os tacuit, sed cor ingemuit: oculus flevit, sed conscientia planxit.* Martham quoque non loquentem, Christumque perorantem inducit Rupertus: *Lingua conticuit, cætera lachrymis uberius peregit.* Non postulat Martha verbis, sed lachrymis, quia ut ait modernus Auctor, (nulla efficacior, nulla potentior oratio, quàm lachryma.)

Pasch. l. 2. in Thr.

l. 2. Reg. 12.

l. de pœn c. 14.

Maldon.

De grad. Hu. grad 12. 1. Joan. 5. Quod asseverat etiam S. Bern. versans istud Joannis, distinguentis peccatum ad mortem, & non ad mortem; volentisque, ut fiat oratio pro eo qui peccavit non ad mortem, non autem pro eo qui commisit peccatum ad mortem. *Non dixit Apostolus: Non ploret quis, sed non oret, quia si ploras, obtinebis: efficacior est enim coram Deo lachryma, quàm lingua; plus fletibus, quàm orationibus flectitur.* Quod exemplo Petri confirmat, qui nihil dicens, amarè

flevit. *Audio Petrum flentem amare, non audio orantem: quia lachryma amara flectit omnipotentem.* Idipsum de Petro observat S. Ambros. *Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego: non invenio quid dixerit, sed quòd fleverit.* Rationem autem subministrat S. Maximus, cur tacuerit Petrus, & fleverit: *Rectè planè Petrus flevit, & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari: & quod defendi non potest, ablui potest.* Petrus pœnitentium idea, culpam suam animitus dolens, lachrymatur, & silet; nam lachrymæ excusationem ablegant, negant defensionem, ne quod confitetur fletus, neget excusatio aut defensio: quia quod deleri solet, non solet excusari. Lingua ut plurimum aut pudore culpæ, aut timore pœnæ scelus artificiosè excusare, defendere, colorare satagit: verùm facinus quod defendi non potest, ablui potest, quasi ablui, ac remitti non possit, quod palliatis sermonibus, & affectatis excusationibus defenditur. Addit S. Maximus loquelam oculorum multò acceptabiliorem Deo esse loquelâ oris fletusque multò efficaciores esse sermonibus ad obtinendum quod postulatur: Tum quia persæpè lingua à corde discordat: quot mentis divagationes orationis infirmant virtutem? Lachrymæ autem sunt mentis interpretes, precesque quas emittunt, nulla distractione depretiantur: Tum quia lingua pœnitentis dolore conturbari cuncta, quæ sunt in anima nec ordinatè, nec integrè propalat: lachrymæ verò muto silentio omnia cum ordine declarant, produntque secretiora cordis: Tum quia multoties pudor retinet linguam, verecundia autem non impedit quin oculi prorumpant in fletus: Tum quia licèt orationes voce prolatæ habeant aliquando vim impetrandi; lachrymæ sunt adhuc multò efficaciores ad impetrandum. Ideo *cofusis lachrymis postulemus, quæ pondera vocis habent, quæ impetrant quod supplicant*; quæ, ut prosequitur S. Maximus, *verecundiæ consulunt pariter & saluti, neq; erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt, veniam non postulant, & merentur, nisi quod utiliores lachrymarum preces sunt, quàm sermonis; quia sermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit.* Quid molestius quàm supplicare? quid jucundius, quàm impetrare? quid felicius, quàm absque supplicatione impetrare? Hæc est lachrymarum laus, quæ sine pudore rogandi, gaudent felicitate impetrandi. Nam *lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, & veniæ fletus consulunt, & verecundiæ: lachrymæ sine horrore culpam loquuntur, lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur: lachrymæ non postulant, & merentur.* Lachymæ feliciter erga divinam misericordiam negotiantur, nam sine oratione exorant, sine supplicatione impetrant, absque pudore rogandi, habent vigorem impetrandi. O bona fletuum oratio, quæ dum tacet vocalior est; dum negligit orare, noscit feliciter impetrare, silendo vociferantur, & tacendo impetrat, quæ deprecatur! Christiane, ora lachrymis, ut sine pudore roges, sine supplicatione impetres, sine anxietate obtineas, sine difficultate Deum exores: lachrymæ enim sunt artificium orandi, & ingenium impetrandi, quia habent orationis efficaciam, & adhuc legationis energiam.

In Luc.

Hom. 3. de pœn.

S. Ansel.

S. Amb. l. 10. in Luc.

Tert.l.de pat.13. 2. Admiranda profectò lachrymæ virtus: *Hac enim aures Christi Dei aperit.* Quod probè sciens Regius Vates, sic flebilis Deum orat: *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.*
Ps.78
Cæcæ sunt aures ad videndas lachrymas, ad eas videndas perspicaces sunt oculi, & tamen rogat Deum Propheta, non ut oculis, sed auribus percipiat suas lachrymas, quia scilicet vocalem & linguatum sonum habent, & edũt

Petr.Dã: opusc.15. c.12. lachrymæ. *Qui enim non oculis attendi, sed auribus percipi lachrymas postulat, voces inesse lachrymis manifestè designat. Lachryma nempe cùm in conspectu pii judicis supplicant, nihil hæsitant, sed in misericordiam, tanquam rem quamlibet proprii juris sibimet vindicant, & impetrare se quod petierant, confidenter exultant.* Sua lachrymis vox est adeò potens ad impetrandum, ut rem postulatam quodam quasi jure justitiæ sibi vindicent, de eaque adeò confidenter exultant, ac si eam jam possiderent, quia illam non tantùm precaria oratione, sed demandata legatione postulant.

Presbyteri Romani sic de Christianis in persecutione lapsis scribunt ad

Epist.7. S.Cyprianum: *Mittant legatos pro suis doloribus lachrymas: advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, & pudorem.* Qui res suas non valent perorare, eligunt patronos, qui ipsorum causas agant. Principes adhuc ad sua tractanda negotia insufficientes, mittunt legatos qui ea pertractent: Pœnitens de suis sceleribus dolens, lachrymarum advocatione dolorem cordis declarat, earumque legatione, reconciliationem cum Deo negotiatur. O bona fletuum advocatio! ingeniosa lachrymarum legatio! quam nobis proponit Magn. Gregorius apud S. Thomam explicans illud Lucæ. (Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt.)

Cap. 14. *Dum ergo adhuc longè est, mittamus ad eum legationem lachrymas nostras.* Quæ legati ad instar, agant causas nostras apud Deum. Legatus industriâ, & sagacitate pollens, diligenter, & civilissimè suum munus exequitur, nihilque omittit, ut rem, quam impetrare intendit, obtineat. *Ille admittat lacrymas*

Ennod. l.4.ep.24 *meas, ubi clausa ora famulantur, cui ad plenam legationem sufficit ex compunctione defluens imber oculorum.*

Deus Ezechiæ Regi graviter indignatus, eò quòd Babyloniæ legatis cun-

l.4. Reg. 20. cta sui regni manifestasset secreta, gravi eum infirmitate corripuit, ægrotantique Regi mortis nuntium Isaias detulit. Tunc Rex audito mortis nuntio, *flevit fletu magno*, & lachrymarum virtute desperatam salutem invenit: vix enim Propheta, palatii regii attigerat fores, cùm illum Deus ad se vocans, præcepit, ut iteratò ad Regem accederet, à fulminata mortis sententia absolveret, deperditamque sanitatem restitueret. (Et antequàm egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum dicens: Revertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Audivi orationem meam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanavi te; & addam diebus tuis quindecim annos.)

In c. 38. Isa. Subintrat huc Oleaster, & quærit à Deo: *Quare Domine non sinis Prophetam exire, domum suam intrare, & postmodum mittis eum, saltem ne vanus aut delu-*

dens

dens videaris? Mox verò Deum huic quæstioni respondentem introducit: *Plorat & ejulat, quomodo possum ab eo postulata differre?* quomodo lachrymas legatione fungentes non audire? Legatus fideliter, & diligenter negotia quæ agit sollicitat: *Quàm festinus & fidelis legatus est lachryma supplicantis!* Hunc legatum Ezechias flebilis mittit ad cœlum, & lachryma de lugentibus oculis subitò ad misericordiæ solium ascendit. Festinus, fidelis, & peritus orator, qui incunctanter regis vitam feliciter negotiatur. O quàm de facili, lachrymas velut fideles ac festinos legatos possunt ad Deum mittere peccatores! Nam ut fatur S. Ambros. *Lachrymæ funduntur, quæ solent legationem suscipere pro delictis.* Galfrid. in Alleg. apud Tilm. In ps. 37.

Lachrymarum undas patienter officiosas nuncupat Salvianus, affirmatque populum Hebræum illarum officiositate fuisse liberatum. *Officiosa undarum patientia liberatur.* Officiositas est studium placendi, & arbitrium promerendi: Officiosus legatus, omnium gratiam obsequiis captare nititur, omnibus annuit, arridet cunctis, se singulorum insinuat cordibus, & suis blanditiis & officiis cunctorum conciliat, & ad se trahit voluntates: sic lachrymæ legationem suam officiosâ patientiâ obeunt, blandaque vi, & suavi coactione quòd orant apud Deum exorant. lib. 1. de gubern. Dei.

3. Sic loquuntur Christiani apud Tertull. *Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus: hæc vis Deo grata est.* Adeò validæ erant primorum Christianorum orationes, ut quadam quasi vi à Deo impetrarent quod postulabant. Idem asserendum est de lachrymis, quæ suavi, & blanda coactione Deum exorant, *quia violentæ sunt in precibus.* Hujus vis, & dulcis coactionis modum bellè explicat S. Ambros. *Vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo; non provocando injuriis, sed lachrymis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordiâ condonatur! Beata, inquam, quæ vim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti! Mala res admittitur, & de injuria nemo causatur: vis admittitur, & religio propagatur: quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosus habetur à Christo.* De hac grata lachrymarum vi, & suavi velut coactione plura notatu dignissima dicit Mediolanensis Antistes, quæ quilibet nullo negotio poterit enucleare, illa libens prætermitto, ut concludam cum S. Hieron. *Oratio Deum lenit, sed lachryma cogit:* oratio supplicat, lachryma impetrat: piæ lachrymæ precatio, efficacissima exoratio est. Lachryma enim omni oratore facundior in cœlesti curia, de facili perorat. Hanc offeramus Deo velut hostiam pacificam, & sacrificium impetrationis, & adhuc tanquā sacrificiū Eucharisticū, & gratiarū actionis. Apol. 39 Hug. in c. 5 Matt. l. 5. in Luc. In c. 38. Esa.

Christiane *sacrifica Deo sacrificium laudis,* scilicet gratiarum actionis, ut recognoscas lachrymas, quas pro te fudit Christus Dominus, potissimùm quæ ab ejus oculis manârunt, 1. in præsepio, 2. coram Lazaro, 3. in Calvario. III. PARS Tert. l. adv Iud. 5.

1. Dei Filius *etiam passiones humanas, & lachrymas assumpsit*, velut Tert. l. adv prax. 16

humanæ naturæ appendices. Addit toties laudatus Petrus Cellensis: *Lachryma Filium Dei ad nos inclinat.* Sine lachrymis fingere deos suos profana nescivit antiquitas, Ideòque Clemens Alexand. Cererem plorantem inducit. *Cùm erraret Ceres ad quærendam filiam Proserpinam, circa Eleusinam defatigatur, & mœrore affecta sedet super puteum: hoc in hodiernum usq; diem prohibetur iis, qui initiantur, ne videantur ii, qui sunt initiati mysteriis, imitari eam quæ lugebat.* Non fabulosè, sed verè Dei Filius venit in mundum quærere peccatores: in suo decursu defatigatus, *apud puteum vires resumit.* Ab initio tamen sui itineris, nempe à nativitatis exordio luget, lachrymatur. Qui Cereris erant initiati mysteriis, prohibebantur plorare, ne lachrymantem imitarentur deam. Econversò qui baptismi charactere Christo sunt dicati, lugere debent, ut plorantem imitentur Deum hominem, eique offerre debent suas lachrymas in gratitudinis monumentum. Ad quod eos stimulant parvuli Christi vagientis in præsepio gemitus; nam ut eloquenter fatur Chrysolog. *Infantia totum semper obtinet, qua plus lachrymis, quàm virium ratione contendit. Neq; enim tantùm vultus, & sudor fortium, quantum possunt lachrymæ parvulorum, quia ibi corpora, hìc corda franguntur, ibi mentis judicia vix moventur, hìc tota pietas inclinata descendit.* Si aliorum parvulorum gemitus adeò sunt potentes ad movendos cordis affectus, quantò magis lachrymæ Christi vagientis in præsepio, ubi tota pietas inclinata requiescit? Hæc Christi pietas Christianorum expostulat pietatem, ut quemadmodum atrocissima quæque hominum crimina, pro quibus lachrymatur parvulus Christus ex adipe iniquitatis promanaverunt, juxta istud Davidicum: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*; sic ait Cardinalis Petrus Damian. *Pietatis adeps qui intùs latitat, foras per oculos emanat.* Piæ gratiarum actionis lachrymæ ex pinguiori probitate stillant, & eliquantur per oculos ad recognoscendas lachrymas, quæ pro pietate fudit Christus in præsepio, & adhuc ex charitate coram Lazaro.

Orat. ad hort. ad gent.

Tert. l. de bapt. 9.

Ser. 128.

Ps. 72.

Ser. 29.

2. Christus Dominus ex amore *lachrymatus est super Lazarum* Ut autem ex charitate flevit Christus Dominus super cunctos homines denotatos per Lazarum; ita singuli Christiani in gratitudinis monumentum debent super Christum fundere amoris lachrymas: ad instar Magdalenæ, quæ *lachrymas ad pedes Domini profluo amore perfundit.* Tale devotionis exemplum imitemur Christiani. Magdalena Christi pedes *lavat lachrymis charitatis*: mente, & spiritualiter procumbamus ad Domini pedes, ibique amoris, & gratitudinis fundamus lachrymas. *Ideò non lavit pedes suos Christus, ut eos lachrymis lavemus.* Magdalenæ pietatem S. Cyprian. sic commendat: *Usa est capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo Cor contritum crupit in lachrymas fides lavit, charitas unxit: ea, ut pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit, & tersit: nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit.* Magdalena nihil sibi retinet, sed oblato ingenio, devotione il lachrymante, cor, caput, capillos, oculos, fletus Christo impendit: sic nos offeramus

Tert. l. de car. Chr. 9.

Chrysol. serm. 95.

Chrysol. ibid.

S. Ambr. tr. de ablut. ped.

mus cor, à quo oriuntur lachrymæ, oculos per quos fluunt, ipsosque erumpentes ex amore fletus: *Bona lachryma, quæ non solùm nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium, ut gressus in nobis ejus exuberent*, & nos recognoscamus lachrymas, quas pro nobis fudit in Calvario Christus. S. Amb.

3. *Nunquam sine aqua Christus: Siquidem & ipse aqua tinguitur: prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias, aqua auspicatur: cùm sermonē facit, sitientes ad aquam suā invitat sempiternā: cùm de Agape docet, aquæ calicem pauperi oblatum inter opera dilectionis probat: apud puteum vires resumit: super aquam incedit, libenter transfretat, aquam discentibus ministrat, perseverat testimonium Baptismi, usq; ad passionem.* Ter in passione Christi à dominico corpore dimanavit aqua. 1. In horto Gethsemani, ubi (factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram:) Sanguinem enim ex oculis, facie, pectore, manibus, pedibusque sudans, illique lachrymas cum suspiriis & precibus intensis miscens, hunc sanguinem & seipsum cum sanguine in holocaustum & victimam pro peccatis nostris obtulit Deo Patri. Unde S. Bern. agens de oratione Christi in horto Gethsemani: *Ubi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, potius lachrymis corporis purgaretur.* Nimirùm toto corpore, omnibusque illius mēbris sanguineum emisit sudorem, quo velut lachrymis fideles ablueret, & à squalore peccati purius emacularet. 2. *Cùm deditur in crucem, aqua circumvenit.* Quando Christus *mea peccata in cruce lachrymatus est cum clamore valido, & in horto guttis sanguinis, luxerunt singuli artus ejus singulas culpas*, quasi parum foret illas lugere (oculis qui sunt naturales lachrymarum fontes) ne aliquid esset in illo quod non illachrymaret, omnes artus lugendo habiles fecit, ut pro lachrymis monstruosè funderent sanguinem, & singulas lugerent hominum culpas. 3. *Cùm vulneratur, aqua de latere prorumpit: scit lancea militis*; ideoque Christo probè competit illud Lucretii: *Uberibus flent omnia guttis*. Flevit nascens, flevit vivens, & flevit moriens. *Dedit undam, imò flumina, cùm gutta sufficeret*. Gravissimus auctor Petrus Calentinus asserere non dubitavit Christum in sua passione fudisse lachrymas ducentas supra sexaginta duo millia. tert. l. de bapt. 9 Luc. 22. Ser. 3. in Dom. Palm. Tert. l. de Bapt. 9. Euseb. Emiss. Tert: ibid: S. Bern: ser: 22 in Cant: Apud Engelg: to: 2 Luc: Ev.

Et quasi tot effusis lachrymis non sit contentus Salvator, in gratitudinis monumentum, nostras adhuc sitit lachrymas; *Christus sub Samaritide sitiit* etiam in cruce, unde exclamat: *sitio*. Quis non stupeat audiens *Christum fontē aquæ vivæ* sitientem? quid? ille qui olim in templo omnes ad se alta voce magnificè invitabat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, clamat, *sitio*! Ille, qui mulieri Samaritanæ aquam haurienti, cœlestem promisit aquam, quâ delibatâ non sitiret amplius, clamat, *Sitio*! Ille, qui olim in deserto aperuit rupes in fontes aquarum, clamat, *Sitio*! Quid hoc? *Fons puteorum, aquarum viventium* sitit. Mirum equidem est, & verè mirum, ait Bernardinus Senensis, *quòd fons sitit, imò omnium aquarum redundantia sitit.* At quid sitit Christus? respondet Ser. 3 post Pasch Tert l. de car. Chr. 9 Tert. l. adv Jud: 13 Joan. 7 Cant. 4

Ser. 93 spondet Chrysolog. *Sitit lachrymas peccatorum.* Horrenda fuit sanè sicariorum crudelitas, qui Christo morienti, & sitiendi denegârunt aquæ haustũ? vel tantillum vini velut ultimũ vitæ solamen, & spongiam aceto plenã obtulerunt ori ejus: sed non minus execranda peccatorum feritas, qui Christo denegant quas sitit pœnitentiæ lachrymas. Nam, ut ait nonnemo (spongiã aceto plenam olim ad supplicium obtulerunt hostes impii, & crudeles: spõgiam Jesu offerunt, qui ejus cruore, & suo dolore ac lachrymis, velut spirituali spongia, sua ipsorum crimina delere nolunt.) Criminosis, quantumvis sceleratis ad ultimum supplicium damnatis ex insita hominum commiseratione, aliquid generosioris vini solet offerri: Tantillum solatii subtraxerũt Redemptori satellites, quorum barbariem imitantes peccatores, ei denegant lachrymulam, quã sitim suam temperet. Christiani, ne tanti sceleris simus participes, *potemus Iesum pœnitentia lachrymis, ut dicat de nobis benè potantibus, Sitivi, & dedistis mihi potum*, in tesseram nostræ gratitudinis, quas abundè remunerabit munificus Dominus, dicens: Venite benedicti, percipite regnum quod vobis paravit Pater meus in cœlo.

Novar. Electa sacra l. 3. n. 139.

Orig. in c. 25. matth.

CONCIO QUARTA.

Tertul. adv. Valent. 15

Verus pœnitens *habuit & amaras, & dulces guttas.* Lachrymas scilicet amaritudine non secùs ac jucunditate permixtas. Paradoxum sanè videtur, quòd lachrymæ, quæ testantur tristitiam, ullam secum habeant jucunditatem annexam. Verùm, ut benè animadvertit S. August. *Gemitus habet tristitiam: sed est & gemitus qui habet gaudium. Ego puto Saram sterilem latam gemuisse, cùm pareret.* Quemadmodũ autem cum dolore parturiens Sara lætabatur, sic lachrymans pœnitens gaudet parturire suis fletibus spiritum salutis. Quapropter S. Chrysost. audacter asseverat, quòd *nihil est jucundius oculis qui sunt lachrymati:* Lachrymæ enim quæ ab illis fluunt, jucundant 1. regnantem Angelum, 2. Christum Deum, 3. lugentem Christianum.

Serm. 1 in psl 101.

Hom. 12. in c. 4. ep. ad Coloss.

I PARS.

Lætantur cœli, & qui illic Angeli, pœnitentia hominis. Quia verò, ut ait S. August. *sicut est testis pœnitentiæ dolor, ita lachrymæ testes doloris.* maximè lætantur Angeli de pœnitentium lachrymis quas ideò S. Bern. *vinum Angelorum* vocitat, quia sicut vinum lætificat cor hominis, ita pœnitentium lachrymæ cœlestes jucundant spiritus. Easdem adhuc nuncupat mellifluus Doctor, *delicias Angelorum*; quia magnum eis afferunt gaudium, juxta illud Lucæ: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Verùm quam ob causam de nostris lachrymis lætantur Angeli? Respondet S. Bern. *Propter Deum propter nos, propter seipsos*, scilicet ob 1. divinam voluntatem, 2. humanam felicitatem, 3. Angelicam charitatem.

Tert. l. de pœn. 8

I 5. Hom. ho. 50

Ser. 18 in Cant.

Cap. 15.

Ser. 1 de S. Michaele

De pœnitentium lachrymis propter Deum gaudent Angeli, verùm tanto

ro cum jubilo, ut præ stupore exclamet Tertul. *Qua illa exultatio Angelorum?* Trina autem potissimum de causa lætantur: 1. quia exultant de Dei honore & gloria, quam in Christi Nativitate prædicârunt, & quam in cœlo indesinenter decantant. *Illa Angelorum circumstantia non cessant dicere, Sanctus, Sanctus.* Per pœnitentium lachrymas honoratur Deus, quem laudandum desiderat Psaltes, *In sono tubæ, in psalterio, & cythara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cimbalis jubilationis.* Pœnitens autem contritionis fundens lachrymas, *ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniā, organi planctus dat clamorem; citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam, & dum pectus ipsam conscientiam arguens sæpè percutit, facit placitura Deo cimbala personare.* 2. Quò plures Deus habet servos, domesticos, amicos, filios quos sibi acquirit, conciliat & conjungit per gratiam, eò majus est gaudium Angelorum: At per pœnitentiæ & contritionis lachrymas peccatores in Dei redeunt amicitiam, gratiam acquirunt, in Dei filios adoptantur, ejus addicuntur servitio, illique arctissimè uniuntur. Ut enim sapienter ait Idiota Deum alloquens: *Nihil enim Domine conglutinat tantopere tibi, ut illa lachryma, quas peccati dolor, & amor virtutis effundit.* Tanta est lachymarum vis, tanta arcana fletuum virtus, ut peccatores flagitiosorum enormitat scelerosos, non tantū reconciliet Deo, sed Deo etiā conglutinet. Quod innuere videtur Propheta, juxta versionem Symmachi, aiens: *Posuisti lachrymas meas intra te.* Sic sunt acceptæ peccatorum lachrymæ apud Deum, ut quasi parum sit illas in conspectu suo ponere, adhuc illas intra se, quasi in sinu suo admittere, & velut conviscerare dicatur: quasi homo dum fluentibus lachrymis liquefit, flagitiis defœcatus, & depurata vitiorum labe, intra Deum ponatur, Deo conglutinetur, illique quodammodo misceatur. 3. Lætantur Angeli de adimpletione divinæ voluntatis; sunt enim ministri, qui faciunt voluntatem ejus. *Obsequii ratio in similitudinem animorum constituta est.* Angeli quod Deus vult volunt, illorum voluntas est cibus Dei, qui tantoperè exoptat salutem hominum, quæ mediis pœnitentiæ lachrymis comparatur: ut in illa summam voluntatis divinæ constituat Tertull. Voluntatem autem Dei postulamus adimpleri ab hominibus in terra, quemadmodum ab Angelis exequitur in cœlo, ut eam facientes in terris, pœnitentiæ & lachrymis vacando, possint aliquando exequi & in terris. *Sensus petitionis est ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri & in cœlis, quid autem Deus vult, quàm incedere nos secundùm suam disciplinam? Petimus ergo substantiā, & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, ut salvi simus & in cœlis & in terris, quia summa est voluntatis ejus salus eorū quos adoptavit.* Christianos adoptavit in baptismate Deus, ut conservantes gratiam, & incedentes secundùm suam disciplinam salute inchoata fruerentur in terris, & salutē consummatā filiis promissam consequerentur in cœlis. Suis sceleribus peccator, salutem inchoat nempe gratiam & sanctitatem amittit: & adhuc salutis consummatæ, nempe beatitudinis, juri cedit: in quo sese divinæ opponit vo-

l. de spectac. 30. Tert. l. de orat. 3. Ps. 150. Chrysol. De octo beatit. c. 4. Ps. 55. Tert. l. de pat. 4 Tert. l. de orat. 5.

luntati: Pœnitens autem fundens contritionis lachrymas, utramque salutẽ recuperat, inchoatam per gratiam, consummatam per beatitudinem. Nam ut ait Pet. Cellensis: *Lachryma aut paradisum invenit, aut paradisum facit*, & quia per pœnitentiæ lachrymas sibi comparans gratiam in præsenti, gloriã in futuro, divinam adimplet voluntatem in terris, & cœlis, magnam Angelis affert lætitiam, qui de ejus lachrymis lætantur: tum ob Deum, cujus adimpletam conspiciant voluntatem, tum ob homines pœnitentes, quorum diligunt salutem & beatitudinem.

l. de pænit. 12.

Tert. ib.

2. *Est & illa Dei voluntas, quam Dominus administravit, prædicando, operando, sustinendo.* Nam ut humanam operaretur salutem, juxta voluntatem Patris, humanam assumpsit naturam, natus est in præsepio, vixit in egestate, cœlestem annuntiavit terrenis hominibus doctrinam, mortalibus tribuit exempla virtutis, suam disciplinam prodigiis & miraculis confirmavit; tandem patibulatus est, & cruentam crucis subiit mortem. *Horum bonorum unus est titulus, Salus hominis*, in quo suam Deus erga hominem demonstravit misericordiam, peccatorem hominem, non Angelum rebellem, & apostatam sua passione & morte redimendo. Nam ut profundè ratiocinatur Tertull. *ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa, scilicet ad restituendum quod perierat: homo perierat, hominem restitui oportuerat: ut Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est; nam etsi Angelis perditio reputatur, in ignem præparaturum diabolo, & Angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio repromissa est; nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre: quod Pater neq; repromisit, neq; mandavit, Christus administrare non potuit.* Verùm licèt æternus Pater non ordinaverit remedium pro Angelis criminosis, licèt illorum salutem non sit operatus Christus; licet pro hominibus duntaxat passus, & mortuus sit Salvator, beati tamen Angeli, tantum abest, ut de hominum felicitate invidiã tabescant, quin imò de eorum redemptione lætantur: & ob hanc causam Agni pro humana salute occisi, magna voce encomia prædicant, ut in sua Apocalypsi dilectus refert discipulus: (Audivi vocem Angelorum multorũ in conspectu throni dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & gloriam.) Cujus perpulchram rationem subministrat Richard. Victorinus: *Vox Angelorum laudantium magna esse dicitur, ut exultatio, & congratulatio eorum, de salvatione generis humani, & laus ab ex impensa Salvatori, magna designetur.*

Tert. l. de pœn. 2.

l. de car. Chr. 12.

Cap. 5.

Non eodem affectu moventur beati Angeli erga Christianos, qui de justitia cadunt in iniquitatem, ac erga pœnitentes, & lugentes; qui de iniquitate redeunt ad gratiam. Illorum enim intuentur lapsum, istorum quoque conspiciunt resurrectionem: Peccantium vident lapsum, quare Tertull. sic pungit Christianum à veritate in errorem, à religione in idololatriam cadentem: *Dubitas enim illo momento, quo diabolus in Ecclesiam furit, omnes Angelos prospicere de cœlo, & singulos denotare, qui blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adversus Deum ministraverit.* De cœlo prospiciunt

l. de spectac. 27.

tur Angeli, & justos cadentes, & peccatores in gratiam redeuntes. Sed longè diverso animo: illos cum tristitia & ardore si cum beatitudine posset compati: istos cum delectatione & gaudio: Peccator pœnitentiæ vacans, contritionis lachrymas fundens, *recogita quid de te fiat in cœlo*, intuere gaudentes Angelos, quòd de peccato transeas ad justitiam, de gehenna ad cœlum, de immunditia & nequitia ad puritatem, & sanctitatem. Quod innuere videtur Joannes, asseverans se vidisse centum quadraginta quatuor millia habentes nomen Dei scriptum in frontibus, & in ore eorum non est inventũ mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei. Merito dubitat S. August. quomodo non est inventum in ore eorum mendacium, cùm à Regio Vate omnis homo mendax proclametur? & quomodo possunt esse sine macula? cùm dicat Joannes Evangelista: Si dixerimus quoniam peccatũ non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Huic tamen dubio acutè respondet S. August. *Dicitur non inventum fuisse in eis mendacium, sed sine macula vixisse, quia mendacium, vel quodlibet aliud peccatum si pœnitentiâ deletum est, jam non est, & sic non invenitur.* Idcircò in illa tantorum turba, etsi aliqui erant, qui aliquando gravi fuerant coinquinati peccato, attamen per pœnitentiæ lachrymas sic mundata est iniquitas eorum, ut dicantur sine mendacio, & sine macula, de quorum munditia gaudent Angeli, ob puritatem, & felicitatem quâ polleut, & adhuc ob angelicam charitatem.

Tert. ib. | Apoc. 14 | l. 3. de Sanct. merit. 7.

3. *Heus tu peccator bono animo sis, videbis ubi de tuo reditu gaudeatur:* in cœlo scilicet, ubi Angeli de tua pœnitentia & salute gaudent: Tum quia Dei quê summè amant, adimpletam vident voluntatem: Tum quia per homines sanctos, & justificatos, reparatur eorum ruina, & replentur sedes, à quibus Lucifer cum suis cecidit. *Gaudent & Angeli de pœnitentia hominis peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur justitia, confutatur dæmonum superbia, efficax efficitur Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira divina, & restauratur Ierusalem superna.* Tum, ait Euthymius, quia Angeli erga *homines benigni sunt*, & quia adhuc, ut vult S. August. charitate fragrant. *Confitendum est igitur cum debita laude Creatorem non ad solos sanctos homines pertinere, verùm etiam de SS. Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa est in eis, per Spiritum S. qui datus est eis* Quò ardentior est charitas consummatæ patriæ, eo majori dilectione homines diligunt Angeli.

Tert. l. de pœn. 8. | S. Bonav. | l. 12. Civ. 9.

Viatores, qui charitate sunt denudati, & odio, vel invidiâ laborant, *de aliena felicitate contristantur, de aliena infelicitate lætantur.* At econversò, qui ardent charitatis igne, de aliena infelicitate dolent, de aliena felicitate gaudent, de alieno peccato (quod est maxima infelicitas) dolent. Ut enim docet S. August. *Ecce abundat in te charitas, plus dolebis peccantem: quantò in te major charitas est, tantò amplius te torquebit, quem toleras, non torquebit tanquã irascentem illi, sed tanquàm dolentem pro illo: quantò major ergo charitas, majores plaga de peccatis alienis.* De aliena etiam felicitate gaudent: cùm enim ejusdem Spiritus gratiâ animentur, idemque Ecclesiæ componant corpus, eosdem habent animi motus, ac cætera hujus corporis mystici membra:

Tert. l. de spect. 16 | In Ps. 98

Tert. l. de *Cæterùm inter frates atq; conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, pas-*
pœn. 10 *sio (quia communis spiritus de communi domino & patre) quid tu hos aliud, quàm*
te opinaris? Ex his colligenda est magnitudo charitatis, quo Angeli diligunt
homines qui ad eundem Deum cui serviunt, pertinent, qui non secùs ac illi
divina sunt imagine insigniti, cum quibus unam debent in cœlis compone-
S. Aug. re rempublicam, *Hæc in SS. Angelis beata persistit, & suæ parti peregrinanti, sicut*
in Ench. *oportet, opitulatur: quia utraq; erit una consortio æternitatis, & nunc una est vin-*
c. 56. *culo charitatis, quæ tota est ad colendum unum Deum.* Ob hoc charitatis vinculū
quo uniti sunt cum hominibus Angeli, de eorum bono lætantur: Ut autem
animadvertit S. Bern. *Plurima sunt, quæ Angelis placent, & quæ in nobis inveni-*
Ser. de S. *re delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas cum lachrymis, & cordis contritione.*
Michael Mirum non est, si pœnitentium lachrymæ placent Angelis, cùm Deus quo-
que de illis lætetur.

II. PARS. Hoc est pœnitentiæ negotium, *animum mæroribus dejicere, ingemiscere, la-*
Tert. l. de *chrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum suum.* Pœnitentia quæ est
pœn. 9. hujusmodi, multum Deo placet, neque enim jucundiori convivio potest e-
pulari Deus, quàm pœnitentium lachrymis. Ideò *Pharisæi domum Christus in-*
Chrysol. *travit, non accepturus Iudaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus. Neq;*
ser. 93. *accubuit pocula saporata melle, floribus adornata sumpturus, sed pœnitentis lachry-*
mas ex ipsis oculorum fontibus potaturus: Deus delinquentium gemitus esurit, sitit
lachrymas peccatorum. Magdalena divinitùs inspirata, tota de cœlo erudi-
ta, quantum Deo placeant lachrymæ pœnitentium cognoscens, Pharisæi
Chrysol. intrat domum, *onusta luctibus, plena lachrymis, clamosa planctu, pœnitentia ponit*
ibid. *mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis tē-*
perat in mensura. Christus etiam Dominus multis similitudinibus demon-
strat gaudium, quod de peccatoris pœnitentia, & de contriti cordis lachry-
Tert. l. de mis percipit Deus. *Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis vo-*
pœn. 8. *lunt? quod mulier drachmam perdidit, & requirit, & reperit, & amicas ad gau-*
dium invitat? nonne restituti peccatoris exemplum est? Trina autem potissimum
de causâ Deus, peccatoris pœnitentia, & lachrymis delectatur. Quia 1. de
diabolo triumphat, 2. perditum filium recuperat, 3. miserentis patris affe-
ctum demonstrat.

Tert. l. de 1. Hominis nequitia, *sed læta jam malo*; nimirùm diabolo, qui maximè de
pall. 2. hominis lætatur peccato: Tum quia Deum diabolus aversatur, estque illi
Tert. l. de semper contrarius; nam *inter contraria sibi nulla amicitia est.* Homo autem
pœn. 3. peccans à Deo desciscit, diaboli partes suscipit, cum diabolo init amicitiā,
Tert. l. de Dei efficitur inimicus, quia *cùm universa delicta adversus Deum sapiant*; odium
idol. 1. Dei in quovis lethali peccato virtualiter saltem, & implicitè includitur:
Tert. Tum quia *diabolus Dei inimicus, & nostri propter Dei gratiam invidus*; scilicet
quod homo non Angelus sit redemptus Christi laboribus, passionibus, mor-
te, & supplicio; ut per boni pastoris parabolam innuitur, qui ut errantem in-
veniat

veniat, & cæteras non deserit. *Errat & una pastori ovicula, sed grex una carior non erat: una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur, & tandem invenitur, & humeris pastoris ipsius refertur: multum enim errando laboraverat.* Tert. l. de pœn. 8
Primus parens est illa ovis perdita, quæ peccando erravit, suique peccati, & erroris nepotes consortes fecit. Dei Filius, ut deperditam ovem ad ovile reduceret, sine remedio deserens rebelles Angelos humanatur, diligenter illã ovem quærit, inventam suis defert humeris, nimirum per crucem, quam suis humeris bajulavit, & in qua patibulatus est, humanam operatus est salutem: Dum autem homo mortaliter peccat, tot pastoris exantlatos labores irritos efficit; passionem & mortem Salvatoris sibi inutilem reddit, diabolum gaudio afficit, qui summoperè lætatur, quoties homo suis sceleribus sese redemptionis frustrat beneficio. Tum quia quando homo justus de justitia cadit in peccatum, diabolus illum Deo eripit, suæ tyrannidi subdit; Dei servum superans de Domino quodammodo triumphat, de suaque victoria tumidus gaudet, & adversus Deum exultat. *Cæterùm non leviter in Dominum peccat, qui cum diabolo ejus æmulo pœnitentia renuntiasset, & hoc nomine illum Domino subjecisset, rursum eundem regressu suo erigit, & exultationem ejus seipsum facit, ut denuò malus recuperatâ prædâ suâ, adversus Dominum gaudeat.* Tert. l. de pœn. 5.

Quemadmodum justus in peccatum cadens, est operarius victoriæ diaboli, quem adversus Deum erigit, dum à Dei recedens imperio, sese illius servituti substernit, cui denique sua nequitia magnam affert lætitiam: ita peccator per pœnitentiam, & veræ contritionis lachrymas peccati maculas delens, ad justitiam rediens, Dei imperio rursus se subjiciens, *est operarius victoriæ Dei*, qui per ipsum de diabolo triumphat. Quàm jucunda sit Deo reportata de diabolo victoria, constat ex conflictu, quem cum dæmone habuit Job, qui suâ patientiâ dæmonem debellavit, eique tristitiam, Deo econtrà gaudium attulit. *Quid? ridebat Deus: quid? dissecabatur malus.* Peccator, pœnitere, contritionis funde lachrymas, sic tartareæ tyrannidis vincula solves, diabolum superabis, ad tuum redibis Dominum, in te, & per te, de inimico gloriæ suæ triumphabit Deus, & exultantes Angeli cum gaudio decantabunt: *Quale in illo viro feretrum Deus diabolo exstruxit! quale vexillum de inimico gloria sua extulit!* Quantò gaudio exultat per lugentem pœnitentem de diabolo triumphans, & deperditum filium recuperans! Tert. l. de pat. 14 Tert. ib. Tert. ib.

2. *Illum etiam mitissimum patrem non tacebo qui prodigum filium revocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum; convivio gaudium suum exornat. Quidni? filium suum invenerat, quem amiserat.* Quot lætitiæ dedit monumenta Pater ad filii pœnitentis & lugentis reditum? 1. Ante filium *occurrit*, seu ut habet Syriaca lectio, *accurrit*, non expectavit paterna lætitia ut loqueretur, & veniam postularet filius: sed, ut animadvertit Euthym *præ nimio gaudio non expectavit, ut ille adesset, sed prior occurrit, neq; id utcumq;, sed accurrit, ut appareat amoris vehementia.* 2. Lætus pater cecidit super collum filii. *Non lapsu viscerum, sed compassionis* cecidit super collum ejus. Tert. l. de pœn. 8. Chryso. ser. 3.

Vt

ejus. *Vt erigeuet sic jacentem* cecidit super collum ejus, *ut amoris*
onereonus tolleret peccatorum : filius juratur istius patris onere, non
Chrysol *gravatur.* 3. Osculum filio præbet pater, & osculatus est eum.
ibid. *Si c pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella: de-*
licta non videt vi amoris, & ideò pater peccata filii redemit osculo, clausit ample-
Hom. 4. *xu.* Aliter expendit patris osculum S.Chrysost. & de gaudio, quod conce-
in Luc. pit de filii pœnitentia processisse existimat. *Osculatur os, per quod emissa de cor-*
Chrysol. *de confessio pœnitentis exierat, quam pater latus excipit.* 4. Primam stolam dari
filio præcipit pater: Citò proferte stolã primã *Pater hic, qui in secundis esse nõ*
Chrysol. *passus est peccatorem plus de venia, quàm de justitia gaudium vult habere.* 5. Dedit
ibid. illi annulum: Date annulum in manu ejus. *Paterna pietas contenta non est in-*
nocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem. 6. Opiparum
Chrysol. convivium præparat, vitulumque saginatum convivis subministrat: Et ad-
ducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur. *Com-*
munis vitulus non sufficit, nisi fuerit pinguis, nisi fuerit saginatus, vitulus pinguis te-
S.Ambr. *statur paterna pinguedinem charitatis.* 7. Ut nihil ad perfectam desit lætitiam,
convocat *chorum*, lectio Arabica habet, *Concentum vocum.* Syriaca legit: *Con-*
ventus multorum. Simphoniam adhuc *qua de peccatore servato, dulcem resultet*
lætitia suavitatem. Et quia, ut ait Chrysolog. *invidum fugat simphonia pietatis,*
choris charitatis excludit; veniens de agro filius natu major, appropinquans
domui, audiens simphoniam, & choros, noluit introire. At quid non tentat
S.Aug.l. pius pater, ne invidi filii livor, domus turbet lætitiam? Nam filii non re-
2. q. Ev. darguens livorem, *sed secum perseverantiam ejus approbans, ad perfectionem po-*
q. 33. *tioris ac jucundioris exultationis invitat.* Et quò faciliùs reluctantem & lividũ
S.Hier. moveret fratrem, cœpit rogare illum. *Quàm benignus, & clemens pater! rogat*
filium, ut lætitia domus particeps fiat. Tandem ne ullum haberet excusationis
patrocinium ratione illum convicit: Epulari, & gaudere oportebat, quia
Euthy. frater tuus hic mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est: *Quis enim*
Tit. Bost *cùm mortuum viderit resurrexisse, non lætetur?*

(Quid nobis parabola vult adumbrare? aliud nihil, quàm excellentem
Tert.l.de Dei clementiã, erga eos præsertim, qui vero pœnitudinis sensu conteruntur,
pœn. 8 & peccatis desertis ad sanam mentẽ redeunt.) *Quis ille nobis intelligendus pa-*
ter? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo: is ergo te filium suum, etsi ac-
ceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisq́ de re-
gressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætabitur: sed si pœniteas ex animo, si famem
Luc. 15. *tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum*
relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum. Quod declarat ipsemet Christus
parabolâ pastoris, qui de inventa ove perdita sic fatur: (Congratulamini
mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico autem vobis: Ita gaudi-
um erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agent, quàm supra nona-
Hom. 34 ginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.) Id est, ut explicat Magn.
in Evan. Greg. *Pœnitentiã ardenter agente, bonisq́ operibus insudante, quàm super nona-*

ginta

ginta novem justis,qui plura remanent ad exercenda bona opera , quod summus Pontifex duplici delarat similitudine; Nam (dux in prælio plus illum militem diligit,qui post fugam reversus,hostem fortiter premit, quàm illum , qui nunquam terga præbuit,& nunquam aliquid fortiter gessit : Sic agricola illam amplius terrã amat,quæ post spinas,uberes fruges profert, quàm eam,quæ nunquam spinas habuit,& nunquam fertilem messem produxit.) Absolutè & simpliciter loquendo magis gaudet homo de nonaginta novẽ ovibus,quàm de una : Deus etiam de nonaginta novem justis, quam de uno pœnitente : illud tamen gaudium de ove inventa propter oppositam de illa perdita tristitiam,magis sentitur,quàm illud quod est animo inhærens & fixum de cæteris simul omnibus , quod habitu & permanentiâ in se majus est : Solent enim homines de novis ac felicibus fortunis magis lætari ac exultare,quàm de veteribus etiam majoris momenti : *Res inventa magis delectat,quàm possessa.* Idcircò ex conversione & pœnitentia peccatoris , nova S.Aug l. 8.conf. quædam actualis & præsens exoritur lætitia,quæ actu non exoritur ex multis justis,quibus nihil novi accidit; novumque illud gaudium,quod actualiter supervenit ex peccatore converso,magis quid sensibile videtur , magisque reipsâ sentitur,quàm vetus illud continuum ac permanens de nonaginta novem.Quænam autem major causa gaudendi, quàm ut recipiatur filius qui erat perditus? *chariorem senserat,quem lucrifecerat.* Deusque de recupe- Tert. rato filio gaudet lætaturque, dum erga peccatorem pœnitentem paternæ misericordiæ demonstrat affectum.

3.Pœnitentiã *misericordiæ illicem* nuncupat Tertull.ut lugentis Magda- l. de pœlenæ comprobatur exemplo; quæ in domo pharisæi, ipso convivii tempore nit.9. Salvatorem quærens,*plena lachrymis nescio janitore,nullo conscio, domus aditus* Chrysol *percurrit omnes,transit totas ministeriorum catervas, ipsum convivii convolat ad* ser.93. *secretum,& facit domum lætitiæ,domum lamentationis & planctus :* Christo Domino gemitus & lachrymas, tanquàm lautos cibos , jucundumque potum subministrans *dumq; taliter apparat divinis oculis cibos,totas misericordiæ copias* Chrysol. *sic reportat.* Ecce mulier,quæ erat in civitate peccatrix. *Exaggerat Evangelista mulieris facinus,ut accumulet indulgentiam largitoris.* Sed nunquam divina pietas & misericordia magis elucet,quàm erga illustrem peccatorem, sub prodigi filii nomine denotatum, quem (pater vidit de longè , & misericordiâ motus est,*movetur misericordia, qui non potest dimoveri; accurrit non progressu* Chrysol. *corporis,sed pietatis affectu.* Deus sua immensitate cuncta occupans loca, ab ser.2. uno in alium non potest moveri,attamen motum quem præstare non potest immensitas , misericordiæ peragit affectu, & qui corpus nequit gressibus movere,pietatis gressibus movetur.) 1.Etsiâ filiatione degenerem vocitat filium. *O quid facit vis amoris! Videt filium degenerasse animo : videt paterni ge-* Chrysol. *neris nihil habere,& tamen nuncupat filium.* 2. Patitur ab indigno illo & de- ser.4. generi filio appellari patrem.Dicam ei : Pater,peccavi in cœlum, & coram te.*Quàm misericordem piumque noverat patrem,qui nec offensus à filio, patris de-* Luc.15.
 dignatur V.Beda.

dignatur audire vocabulum! 3. Pœnitens filius non intercessorem præmittit ad patrem, suam veniam efficacius negotiavit paternis oculis sese fidenter objiciens, quam si quemvis alium ad patrem direxisset mediatorē. Ideò exclamat, Surgam, & ibo ad patrem meum: *Qua spe? qua fiducia? qua confidentia? Qua spe? Illa qua pater est. Ego perdidi quod erat filii, ille quod patris est non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus, intùs est in patris pectore ipse, qui intervenit & exorat affectus. Vrgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus, sed pater viso filio cooperit mox reatum, dissimulat judicem, qui magis vult implere genitorem, & sententiam citò vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire.* Semel & iterum filium generat pater, & dum ei largitur naturam, & dum pœnitenti & lugenti concedit veniam: quare indulgentem appellat patrem: *Confessio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.* 4. Filio redeunte fundit lachrymas pater, *cœlestis Pater luxuriosum filiū, non quandiu abiit, sed quando recipit, tunc deplorat.* Plorare docuit cùm perdidit, & gaudere cùm accipit, & tamen non dicitur flevisse cùm amisit, & cùm redit plorat: quia ejusmodi lachrymæ non de tristitia, sed de lætitia procedunt, & quantum gaudeat pater de reditu filii, probè demonstrant de Deo humano more loquendo. *Fratres, habet hoc natura corporis humani, ut producat lachrymas vis gaudii, vis mœroris: quoties enim viscera, aut lætitia, aut tristitia nimio arctantur impulsu, oculi in lachrymas mox erumpunt.* Has lætitiæ lachrymas in morte Lazari fudit Christus; nam ut prosequitur Chrysologus: *Hinc est quòd Christus non dolores mortis, sed illius lætitia recordatione lachrymavit.* Si quæras modò; *Sed plorans quid proficit?* respondeo, beatos lætificat Angelos, cœlestem jucundat Patrem, sese gaudio & exultatione replet.

Chrysol. ser. 2.

Chrysol. ser. 69.

Chrysol. ibid.

Chrysol. ser. 65.

III. PARS

Tert. l. de pat 14.

Cap. 61.

In ps. 93

S. Chrys. h m. 12 in ep. ad Coloss.

In ps. 127

Pœnitere Christiane, produc contritionis lachrymas, ut *tantum gaudij*, quod sequitur luctum, & pœnitentiam, obtineas, juxta Prophetæ Evangelici vaticinium, qui se ad consolandos lugentes missū asseverat: Spiritus Domini super me, ut consolarer omnes lugentes misit me, & *darem eis oleum pro luctu.* Mittitur Propheta, seu potius Dei Filius Prophetarum Dominus, ut consoletur lugentes, & luctum refingat in gaudium, ut experimento didicit Regius Vates, (Secundùm multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam:) ac si diceret, ait Hieronymus, *hîc unam fudi lachrymam, unam merui consolationem, decem fudi lachrymas, decem merui consolationes, quantumq; fuit pondus lachrymarum, tantus fuit & consolationum numerus:* quod omnem sæculi longè superat jucunditatem: *Nihil est porro his lachrymis jucundius: quovis risu sunt hæ jucundiores: sciunt qui lugent, quantā hæc res habeat voluptatem;* quæ omnem lætitiam, quam ex spectaculis quibusque captare possunt oculi, multum antecellit: S. namque Augustino teste, *dulciores sunt lachrymæ orantium, quàm gaudium theatricorum.* Gaudium theatrorum est duntaxat oculorum non cordis lætitia, gaudium autē quod ex luctibus percipiunt pœnitentes, est cordis lætitia, ut experimento didicit Regius Vates, qui inordinatè prospiciens Bethsabeam, habuit lætitiā, non

cordis

cordis, sed oculorum: at pœnitentiæ fundens lachrymas, habuit lætitiam in corde: (Dedisti lætitiam in corde meo) *Non dixit simpliciter, Dedisti lætitiam, sed in corde meo: ostendens non esse in rebus externis lætitiam; quia hæc lætitia non est cordis, sed tantùm oculorum.* Ut cordis perfruamur lætitiâ, *Christiani, ploremus Deo, pro peccatis nostris.* Ut enim bellè ad propositum ait Tertull. *quid jucundius, quàm Dei Patris & Domini reconciliatio, quàm veritatis revelatio, quàm tantorum retrò criminum venia?* Pœnitentiæ autem & contritionis lachrymæ, 1. peccatori veniam præstant: 2. obtenebratam mentem illuminant: 3. filiationis divinæ honorem recuperant. Ps. 4 S. Chrysost. Chrysol ser. 65 l. de spectac: 29. Tert. ib.

1. *Quæ major voluptas, quàm quòd Deo vivis?* Quandiu homo est in peccato mortali, Deo non vivit, quia mortuus est gratiæ, estque in reatu mortis æternæ, quæ est mors secunda: per pœnitentiam autem & lachrymas obtinet delictorum veniam, & æternæ mortis delet reatum. Tanta videtur Vincentio Ferrerio lachrymarum vis, quòd *si anima unius damnati posset habere unam lachrymam veræ contritionis, Deus illam salvaret.* Damnati in inferno indesinenter lugent; nam ut testatur ipsemet Christus, *Ibi erit fletus, & stridor dentium:* Quia tamen hæ lachrymæ sunt rabiei, & desperationis, non pœnitentiæ & contritionis, quæ in hoc sæculo duntaxat fundi possunt, non in futuro: si tamen per impossibile damnati vel unam veræ contritionis emitterent lachrymulam, illos salvaret Deus. Quantâ igitur lætitiâ debet celebrare pœnitens & lugens, *resurrectionis tanta gaudia*, quâ de morte peccati ad vitam gratiæ suscitatus est? Et ut fatur Chrysologus, *Surrexit de profundo inferni, cœli alta contingens: apud cœlestem Patrem plus surgit de venia, quàm corruit de reatu*, & cœlesti insuper luce illustratur. Serm. 2 Dom. 2 post Pasch: Matth. 8 Chrysol. ser. 65.

2. *Dies moritur in noctem, & tenebris usquequaq; sepelitur: funestatur mundi honor: omnis substantia denigratur, sordent, silent, stupent cuncta, ubiq; justitium est.* Sicut advenientibus noctis tenebris *Lux amissa lugetur:* ita deperdito oculorum visu, tristatur animus *Quale gaudium erit mihi, qui lumen cœli non video?* dicebat olim excæcatus Tobias: Verùm ut animadvertit Chrysologus, *non sunt tales tenebræ noctis, quales illæ sunt, quæ de confusione veniunt peccatorũ.* Audi Prophetam dicentem: (Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre:) Et alibi: (Iniquitates meæ gravatæ sunt super me.) Et post, (Et lumen oculorum & ipsum non est mecum.) *Nox sepelit hesternum lumen, peccata sensum, animum, membra confundunt.* Ad fugandas mentis tenebras, & mentis recipiendum visum, duo sunt necessaria: Unum ex parte Dei, aliud ex parte peccatoris: Dei requiritur aspectus, quod exemplo prodigi probat Chrysologus. Nam *pater vidit illum, ut & ille patrem posset attendere; patris visus illustravit filij venientis aspectum, ut tota fugaretur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de reatu: Nisi cœlestis Pater redeuntis filii radiasset in vultu, & totam confusionis caliginem, respectus sui lumine sustulisset, nunquam divini vultus vidisset iste filius claritatem.* Deinde peccator à Deo conspectus, gratiâque illustratus, debet prævenienti Tert l. de Res. 12. Serm. 3. Ps. 0 Serm. 3

respondere illustrationi, fundere contritionis lachrymas, ut possit de perditum per peccatum mentis recuperare visum. Quod innuitur hoc Est er,
Cap. 10. ubi (parvus fons crevit in fluvium, & in lucem, Solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit.) Seu, ut Vatabl. legit: *Exiguus ille fons, qui evasit fluvius simul autem erat lux, sed & aqua plurima.* Pœnitentis lachryma est fons, qui fluvii ad instar, abluit peccatorum sordes; est etiam lux conscientiæ, & spiritualis vitæ Sol, ad omnem probitatem illuminans: De hoc fonte
Josue 18 illuminante fit adhuc mentio apud Josue, in sorte siquidem Benjamin erat *fons Solis* aquas largiter fundens. Arcanam illam lucis cum lachrymis mixtionem enixè expostulat pœnitens David: *Illumina faciem tuam super servũ*
Ps. 118 *tuum: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Verùm si Regius Vates aquas illas illuminatrices ardenter exoptat, dæmon non minus pertimescit cœlestis lucis cum lachrymarum aqua commercium, quod in baptismo Joannis denotatum suspicatur. Nam, ut ait Basilius Seleuc. (jam enim videns dia-
Orat. 18. bolus Joannem in fluento Jordanis, hominum scelera in aquis retundentẽ, & pœnitentiæ decreto mutantem in melius; ac deinde videns adoptionis radios per Christum in aqua insertos, veteri rursùs correptus invidiâ, & timoris plenus, ne potentissima sua in homines machina dissolveretur.) Timebat Jordanis aquas diabolus, ubi pœnitentiæ baptismum administrabat Joannes, quo denotabatur lachrymarum virtus, quæ hominem immutant in melius: metuebat adhuc ne potentissima sua machina adversus homines dissolveretur, *videns adoptionis radios, per Christum in aqua insertos.* Divinæ namque gratiæ lux homines elevans ad præclusilem filiorum Dei adoptionẽ, pœnitentiæ aquis inserta est. Inserere autem plus significat, quàm radios aquis miscere, siquidem insitio pullulantia quædam quasi vitaliter incrementa expectat, ac si lachrymæ, quibus lux inseritur, lucem augeant, & mira fœcunditate generosius incrementent nobili fulgorum auctario. Quemadmodum autem Sol oriens noctis fugans tenebras, mundumque illuminans, gaudium affert hominibus; nam lux quæ amissa luctum, & tristitiam attu-
Tert. l. de lerat orbi, *rursùs cum suo cultu, cum dote, cum Sole, eadem & integra, & tota u-*
Res. 12. *niverso orbi reviviscit interficiens mortem suam, noctem: rescindens sepulturam suam, tenebras.* Depulsa cum nocte & tenebris tristitia, lætificans homines: ita gratiæ lux in lachrymis inserta, fugat à pœnitente peccati tenebras, eũque gaudio replet. Nam *quæ jucundius, quàm errorum recogitatio*, quàm cœ-
Tert. l. de lestis lucis acquisitio, quæ per lachrymas, in quibus est inserta, comparatur,
spect. 29 quàm divinæ filiationis dignitas, quæ pœnitentia & luctu recuperatur?

Tert. l. de 3 *Quæ major voluptas, quàm vera libertas? quàm conscientia integra?* Homo
spect. 29 per peccatum multa eaque gravissima incurrit damna; nam de libertate cadit in servitutem, de honore in infamiã, de pace conscientiæ in amaritudi-
Serm. 1. nem. 1. De libertate cadit in servitutem, & ut fatur Chrysol. *Liberum muta-*
Ser. 65. *vit in servum.* & ob hanc causam suscitare volens Salvator Lazarum sciscitatus Chrysol. *quare Christus vincula inferni disrupit, mortis ligamenta dissolvit,*

nisi

nisi ut nobis monstraret inferni tremendā servitutem? 2. De honore in ignominiam, *quia moritur virtutibus, qui vivit vitiis, sepelitur fama, perit gloria, crescit infamia.* 3 De pace conscientiæ in amaritudinem; tiam culpa *tortor apponitur, ut ibi ultrix pœna seviat, ubi pœnalis reatus exasperat.* Verùm contritionis lachrymæ supra memorata reparant damna, & immutant servitutem in libertatem, ignominiam in honorem, amaritudinem animi in pacem conscientiæ: *Tres enim filios genuit pœnitentia: testimonium conscientiæ nostræ adeptionem gloriæ, prælibationem jucunditatis æternæ.* Quod ex toties laudato prodigo demonstrat Tertull. qui *recordatur Patris Dei satisfactor redit, vestem pristinam recipit, statum scilicet eum, quem Adam transgressus amiserat: annulum quoq; accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atq; ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistiæ scilicet.* Per annulum prodigo id est peccatori, datum, Chrysolog. intelligit *annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritus signaculum fidei.* Ex S. autem August *annulus in manu, pignus est Spiritus S. propter gratiæ participationem, quæ digito benè significatur.* At ubi est Spiritus Domini, ibi est libertas: gratiæ participatio honorem denotat, scilicet consortium divinæ naturæ; gratiæ autem participatio, & Spiritus Domini præsentia secum habet annexam pacem conscientiæ, & cordis lætitiam: & ita pœnitentes & lugentes etiam de præteritis peccatis captant oblectamentum: nam ut ait Ennodius, *dulcem tribuit culpa mercedem.* Qualis peccatorum iniquitas! *qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quid tam scelerosè iniquum, quàm in Dei offensis, quas ex imis præcordiis plangere debuissent multum lætari? Lugens autem pœnitentia piè æmulatur illorum impudentiam, qui exultant in rebus pessimis; nam benè pœnitenti *sæpè contigit de offensionis merito, invenisse quòd gaudeat;* nimirùm de venia peccatorum, de Dei filiatione, gratiæ participatione, conscientiæ tranquillitate, & dulci prælibatione jucunditatis æternæ.

[Margin: Chrysol. ser. 1. — Hugo Vict. in c. 1. Matth. — l. de pud. 9. — Serm. 5. — l. 2. qu. Evang. q. 33. — l. 1. ep. 19 — Prov. 2 — Ennod. ibid.]

CONCIO QUINTA.

HAbes dignationem venerari aquarum. Tria sunt aquarum genera veneratione digna: 1. Aqua quam ab initio mundi producit Deus; tum quia *gratior cæteris tunc scilicet elementis*: tum quia universo orbi quamplurimam gratiam & utilitatem attulit. *Quanta vis aquæ, aut gratia, quot insignia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat,* ut ab enumeratione demonstrat Tertull. qui plura aquæ elementaris præmisit elogia; ut 2. baptismi commendaret aquam. *Vereor ne laudes aquæ potius, quàm baptismi rationes videar congregasse, licèt eò plenius docerem non esse dubitandum si materiam, quam in omnibus rebus, & operibus suis Deus disposuit etiam in Sacramentis propriis parere fecit.* Quanto digniores sunt effectus Baptismi, quos in parvo mundo, nempe

[Margin: Tert. l. de Bapt. 3]

pe homine producit aqua baptismalis, quàm quos in universo mundo producit aqua naturalis; tanto dignior est aqua baptismalis *quæ jam tunc prænotabatur ab baptismi figuram*: ex figuræ autem dignitate, rectè colligit Tertul. rei figuratæ, nimirùm baptismi dignitatem. *Quanta aquæ gratia penes Deum & Christum ejus ad baptismi confirmationem!* 3. Aqua lachrymarum non est minus veneranda aqua naturali, & aqua baptismalis; quas mirum in modū nobilitavit Dominus flens super Lazarum: *Christus non dolores mortis, sed illius lætitiæ recordatione lachrymavit.* Lachrymarum etiam honorem canit Ovid. *Est honor & lachrymis.* Verùm ne prophana misceantur sacris, lachrymarum comēndatio desumenda est ex 1. cœlesti origine, à qua procedunt, 2. nobili societate, quam cum Spiritu S. contrahunt, 3. sublimi dignitate, ad quam evehunt.

Tert. ib. l. de baptis. 3; Chrysol. ser. 64. l. 10 Metam.

I. PARS. *Cœlestes imbres pipiavit Achamoth.* Pœnitentium lachrymæ sunt cœlestes, si attendantur causæ, à quibus procedunt. Non loquor de causis naturalibus, indubitatum est enim dimanare radicaliter à corde fluereque per oculos ad flendum à natura destinatos, & hoc vel ex compassione alienæ miseriæ, vel ex tristitia & dolore propriæ jacturæ, vel ex alicujus amore, & teneritudine, vel tandem ex animi gaudio & jucunditate. Quod innuit Regius Vates, *dum provocatos ad gaudia, mox evocat ad ploratus.* In præsenti autem est sermo de causis, à quibus lachrymæ supernaturaliter dimanant, suntque tres, exque cœlestes; efficiens, formalis, & finalis; nam procedunt 1. à gratia efficienter, 2. à charitate formaliter, 3. tendunt ad Deum finaliter.

Tert. l. adv. Valent. 15. Chrysol. ser. 66.

1. *Nihil sine origine, nisi Deus solus.* Lachrymæ originem habent; has à paradiso oriri vult Rupert quas ideò nuncupat *paradisi fontes.* Illas adhuc paradisi fontibus præponit S. Chrysost. *Quemnam fontem vis comparare cum lachrymis? eumne qui est in paradiso, & irrigat universam terram? sed nihil dicis æquale.* S verò Augustinus à Dei solio oriri existimat lachrymas; quapropter interdùm gratiæ Dei tribuit criminum suorum pœnitudinem. *Gratiæ tuæ depu'o & misericordiæ tuæ, quòd peccata mea tanquam g ac em solvisti.* Interdum donum lachrymarum enixè à divina misericordia expostulat: *Da mihi lachrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possunt solvere maculas: tribue mihi gratiam lachrymarum, ex multa dulcedine amoris tui, & cōmemoratione tuarum misericordiarum.* Hanc lachrymarum gratiam dedit Christus Petro injiciendo in ipsum amoris oculos, misericordiæ conspectū; Nam ut fatur Chrysolog. *Solet Petrus flere, cùm in eum Christus intendit.* Bellè mare nuncupatur à S Ambros. *fons imbrium*; quia imbres à mari sumunt originem. Ut enim subjungit Mediolan. Antistes, *ex mari pluvia in terras transfunditur: siquidem de mari aqua radiis Solis hauritur, & quod subtile ejus est, rapitur.* Sicut Sol mediis suis radiis sursum attrahit vapores maris, in pluvias resolvit, & effundit in terras; ita Christus Sol justitiæ, media illustratione gratiæ suæ, *fulgura in pluviam facit.* Oculi peccantium, qui fulgura vibrabant vel impudentiæ & amoris lascivi, vel insolentiæ, & temeritatis, vel ira-

Tert. l. 5 adv. Marc. 1. Hom. 12 in ep. ad Coloss. l. 2. confess. 7 l. Med. c. 36; Ser. 107 l. 3. Hex. c. 5. Ps. 134

iracundiæ & furoris, in pluviam convertit, qui adeò copiosè effundunt lachrymas, ut in fletus resolvi videantur. *Habet enim hoc vis summi doloris, ut cum lachrymis oculi quodammodo videantur descendere: eò quòd tanta vis lachrymarum sit, ut putentur oculi in fletus resolvi, & in lachrymas effundi.* Illa lachrymarum abundantia procedit à Dei gratia, ejusque illustratione efficienter, & à charitate formaliter. S. Amb. ser. 17 in ps 118.

2. *Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum, eadem efficacia idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur.* Viduas nuncupat aquas, quas gentiles suis idolis subministrabant, quia non ex pietate & amore Dei procedebant, sed ex superstitione, & impietate. Lachrymæ, quæ non desponsantur Spiritui S. viduæ sunt, fructu infœcundæ, pietate steriles, orbatæ vigore gratiæ. Quod fatetur Regius Vates sic Deum alloquens: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, Seu ut legit S. Hieronymus, *Anima mea sicut terra sitiens ad te.* Sicut terra sitiens expectat, & quærit à Deo imbrem, ut valeat producere fructus: sic anima sitit ad divinum Spiritum ut fœcundetur. Terra cum imbre maritata fertilis est: *Tunc se decoctis tellus pinguissima glebis, in fœtus movit varios, quos imbre marito producit.* Anima criminosa bonorum operum sterilis, quasi terra sine aqua sitit lachrymarũ imbrem, quas producere nequit nisi maritetur Spiritui S. qui ei largitur fœcunditatem. Quod probè sciens S. Augustinus, Deum enixè deprecatur: *Da mihi Domine amorem tuum sanctum, & castum, qui me repleat, teneat, totumque possideat: & da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem jugiter manantem, & ipsæ quoq; lachrymæ tuum in me testentur amorem; ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine tua nequit se à lachrymis continere.* Duplicem amorem lachrymæ testantur; scilicet amorem divini Spiritus, qui animæ desponsatur, ut eam fœcundet, & charitatem pœnitentis, à qua lachrymæ procedunt tanquam à causa formali, animam informante. Unde S. Augustinus: *Ipsa lachryma piæ contribulatorum, mustum sunt amantium.* Tert. l. de bapt. 5. Ps. 141 Mar. Victor. l. 2. in Gen. l. Med. c. 36 In ps. 83

Quod Magdalenæ comprobatur exemplo, quæ *ubi audivit venisse Christum ad domũ pharisæi, irrupta contradictionũ foribus, contempto ipso chori pharisaici principatu, ardens, anhelans, æstuans, ad totum convivii penetrale pervenit, & ibi à desideriis plus quàm conscientia lachrymas ad pedes Domini profluo amore perfundit, lavatque lachrymis charitatis*; totoque vitæ decursu charitatis fudit lachrymas. Quod denotat Evangelista dicens, non quòd rigavit lachrymis Dñi pedes, sed (cœpit rigare pedes:) quia ut docet S. Augustinus, *non solùm in domo Simonis, sed etiam post adventum S. Spiritus, hoc quidem ardenter perfecit.* Christus summus Pontifex, generalem peccatorum absolutionem, ac plenariam ei remissionẽ impertierat, (Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum;) attamen post criminum veniam adhuc *habuit amaras, &* Chrysol. ser. 5. Ser. 2. ad frat. Luc. 22. Tert. l. adv. Valent. 15.

& calidas guttas: amaras, quas peccatorum dolor, & pœnitentia eruebat ab ejus oculis; *semper enim dolebat, semper in vita sua flebat, quod non ferat.* Amaras guttas fundebat dolor, calidas amor; cujus ardorem quærendo in sepulchro quem amabat evidenter demonstrabat, ut piè meditatur S. Aug. (Venit quoque in mentem alterius mulieris mira devotio, quæ te in sepulchro jacentem amore pio quærebat, quæ recedentibus discipulis à sepulchro non recedebat, quæ sedebat tristis, & mœrens, & diu multumque flebat, & surgens cum multis lachrymis iterum atque iterum antra deserti sepulchri vigilantibus oculis explorabat, si fortè alicubi te videre posset, quem ferventi desiderio quærebat: Jam certè semel & iterum ingressa sepulchrū viderat, sed nimium amanti satis non erat, virtus enim boni operis perseverantia est. *Et quia præ cæteris dilexit, & diligendo flevit, & flendo quæsivit, & quærendo perseveravit, ideò prima omniū invenire te, & videre, tecumq; loqui meruit.*

S. Aug. ser. 2. ad fratr.

I. Medit. c. 36.

Lugentis continuò Magdalenæ imitandum nobis proponit exemplum. Lachrymas doloris peccatoribus objicit Magnus Greg. *Ad vos ergo oculos mentis reducite, & pœnitentem peccatricem mulierem, in exemplum vobis imitationis anteferte: quæcumq; vos in adolescentia, quæcumq; in juventute deliquisse meministis, deflete, morum, operumque maculas lachrymis tergite.* Amoris verò lachrymas imitandas desiderat S. August. *Si igitur ita flevit, & in fletu perseveravit mulier, quæ viventem cum mortuis quærebat, quæ te manu fidei tangebat: quomodo plangere & in planctu persistere debet talis anima, quæ te toto corde diligit?* Christiane, lugentem imitare Magdalenam, pœnitentiæ & doloris lachrymis, *dele quod fecisti.* Funde adhuc amoris lachrymas ad Deum ut ad causam finalem terminatas.

Hom. 33 de Evāg.

I. Medit. c. 36.

S. Aug. tr. 12. in Joan.

℣. *Vera & stabilis aqua fides, quæ tingitur in salutem.* Loquitur de aqua baptismi Tertull. neque minus efficax aqua, quæ ex Dei amore fluit per oculos: siquidem *lachryma est naufragium vitiorum, partusque naufragatorum*; modò ad Deum ut ad causam finalem dirigatur. Aquæ usque ad sui originis altitudinem ascendunt, lachrymarum origo Deus est, ad Deum ascendant oportet, juxta illud Jobi: *Ad Deum stillant oculi mei.* In terram cadere videntur lachrymæ, non descendunt tamen, sed ascendunt ad Deum. Quemadmodum Sol terræ vapores suo calore tepefactos, sursum evehit; ita piorum hominum ferventes à charitate lachrymas, excitat, & elevat ad se Deus. *Nonne lachryma viduæ ad maxillam descendunt, à maxilla autem ascendunt usq; ad cœlū?* Contrarius est motus imbris & fletus; pluvia ascendit sursum versus cœlū, & descendit deorsum in terram; lachryma ab oculis fluens descendit in terram, & rursus in cœlum ad Deum ascendit. *En mutatur ordo rerum, pluviam terra cœlum dat semper: ecce nunc rigat terra cœlum; imò super cœlos, & usq; ad ipsum Dominum, imber humanarum prosilit lachrymarum, ut juxta Psalmistam, & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* Laus quam Deo afferre possunt mortales, in holocausto potissimum consi-

Tert. l. de Bapt. 10

Pet. Blef. l. de 12. panib. Cap. 16

Eccl. 35

Chrysol. ser. 93.

consistit: ut autem asseverat S. Antiochus: *Rorulenta aspergines lachrymarum ut suave fragrans thymiama sunt Deo.* Ideò S. Augustinus ut ejusmodi holocaustum offerret Deo, ab ipso lachrymas expostulabat: *Da mihi irriguum superius, & irriguum inferius, ut sint mihi lachrymæ panes die ac nocte, efficiarque in conspectu tuo per ignem compunctionis, holocaustum pingue & medullatum: macter totus in ara cordis mei, & tanquam pingue holocaustum assumar tibi in odorem suavitatis: da mihi fontem irriguum & perspicuum, in quo lavetur assiduè illud inquinatum holocaustum.* Ser. 10 in Cant. l. medit. c. 36.

Axa Calibi filia Othonieli in præmium strenui facinoris in conjugium data, suasa à viro suo ut peteret agrum, sedens super asinum, suspirans venit ad patrem, cui Caleb: quid habes? illa verò respondens: (Terram australē & arentem dedisti mihi, junge & irriguam:) dedit itaque ei Caleb irriguū superius, & inferius, quæ verba sic moraliter intelligit Magn. Gregorius: *Dat itaq; ei pater irriguum superius, cùm se in lachrymis cælestis regni desiderio afficit; irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit.* Dum quis timore inferni compunctionis fundit lachrymas, habet irriguum inferius; dum verò ex charitate propter Deum per peccatum offensum lachymatur, habet irriguum superius. *O quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt extinguunt gehennam*: per illas denique pœnitentes & lugentes cum Spiritu S. societatem trahunt. Jos. 15 l. 3. dial. c. 34 Chrysol. ser. 93.

II. PARS.

Inter præcipua aquæ elogia, istud non est minoris momenti, *quod divini Spiritus sedes.* Uti autem ab exordio mundi Spiritus S. ferebatur super aquas; ita super renatos per baptisma descendit: *Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata, & benedicta corpora, libens à Patre descendit super baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens requiescit, columba figura delapsus in Dominum.* In columbæ autem specie apparuit super Dominum, ad littus Jordanis, ubi Joannes pœnitentiæ prædicabat baptismum. *Hic quoq; figurâ præcessit, sic enim Ioannes superventuro Spiritui S. vias dirigit, ablutione delictorum,* quæ lachrymis pœnitentiæ delentur: Pœnitentia autem pœnitentem cum Spiritu S. sociat, qui illum 1. ad fletum stimulat, 2. cum Deo reconciliat, 3. in lugente tandem inhabitat. Tert. l. de Bapt. 3 Tert. l. de Bapt. 7

1. Pœnitentes *animare* solet S. Spiritus, & ad luctus & lachrymas stimulare; quomodo S. Augustinus expendit Apostolum dicentem, (Spiritus S. interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: *Non S. Spiritus in semetipso apud semetipsum in illa Trinitate, in illa æternitate substantia gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Nec parva res est, quòd nos docet Spiritus S. gemere; insinuat nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare, & ipso desiderio geminus.* Magnum agnoscit S. Augustinus discrimen inter mundanos in sæculo infeliciter felices, & inter justos feliciter infelices: illi habent vocem corvinam clamosam, isti verò columbinam, gemebundam: *Cui benè est in hoc sæculo, imò qui putat quòd ei benè sit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia* Tert. l de bapt. 8 tract. 6. in Joan.

temporalium, & vana felicitate exultat, habet vocem corvi, vox enim corvi clamosa est, non gemebunda: qui autem novit in pressura se esse mortalitatis hujus, & peregrinari se à Domino, nondũ tenere illam perpetuam, quæ nobis promissa est beatitudinem, sed habere illam in spe, quam habiturus est in re, cùm Dominus venerit in manifestatione præclarus, qui prius in humilitate venit occultus: qui hoc novit, gemit: & quãdiu propter hoc gemit: spiritus docuit illum gemere, à columba didicit gemere. Non gemunt etiam gemitu columbæ, qui afflictionibus gravati, illas impatienter, & non pro Dei amore tolerant. (Multi enim gemunt in infelicitate terrena, vel quassati damnis, vel ægritudine corporis prægravati, vel carceribus inclusi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris jactati, vel aliquibus inimicorum insidiis circumsepti: *Gemunt enim isti, sed non columbæ gemitu, quia non amore Dei, non spiritu gemunt: ideò tales cùm ab ipsis pressuris fuerint liberati, exultant in grandibus vocibus; ubi apparet, quia corvi sunt, non columbæ.* Christiane, noli habere vocem corvinam, sed columbinam; non sis clamosus ob terrenam prosperitatem, sed luge desiderans æternam felicitatem; plora non jacturam bonorum temporalium, sed quæ commisisti peccata; funde lachrymas doloris & amoris, & Spiritus S. amor personalis, qui docet te gemere Deo reconciliabit.

Tert. l. de Bapt. 8. 2. *Quemadmodum post aquas diluvij, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris annuntiavit dimissa ex arca, & cum olea reversa: quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est carni nostræ, emergenti de lavacro, post vetera delicta, columba Spiritus sancti advolat, pacem Dei afferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata.* Miram refert Tertullian' consonantiam inter Cataclysmum, & primum Ecclesiæ sacramentum. 1. Cataclysmum nuncupat Baptismum mundi, primum Ecclesiæ sacramentum appellatur Baptisma. 2. Cataclysmus est diluvium mundi, quo purgata est iniquitas, quæ corruperat terram: Baptismus est diluvium, quo purgantur peccata, quæ inficiunt animam. 3. Purgata per diluvium terra, Deus pacem illi reddidit: purgatâ per Baptismum anima, Deus init cum homine pacem. 4. Oliva fuit signum pacis, quam dedit Deus orbi post aquæ diluvium; oliva quoque est signum reconciliationis Dei, post baptismũ factæ. 5. Columba ex arca à Noe dimissa in signum fœderis detulit ramum olivæ virentis: Spiritus S. à Patre & Filio missus de arca, scilicet de cœlo advolat, pacemque homini baptizato annuntiat. Quia verò lachrymæ contritionis sunt, ut ait Gregorius Nazianz. *mundi diluvium*; &, ut fatur Hugo Cardinalis, *humanæ mentis baptisterium*; omnia quæ advenerunt in diluvio orbis, præfigurantur ea quæ fiunt per lachrymarum baptisma, in quo vetera purgantur delicta, pœnitens Deo reconciliatur: siquidem *lachrymæ sunt in*

Pet. Dã. opusc. 13 c. 12. *fœderanda inter Deum, & hominem pace, sequestres.* Hanc pacem annuntiat Spiritus S. advolans ad pœnitentem, gemere, & orare illum docentem: Oratio autem cum gemitu facta, iratum Deum placat, ejusque misericordiam

exo-

exorat Quare audacter asseverat S. Chrysostomus: *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulaverit, accepit.* Quam efficaciter postulat pœnitens pro quo Spiritus S. interpellat gemitibus inenarrabilibus! id est, quē docet Spiritus S. orare cum gemitibus & lachrymis. *Vox turturis audita est in terra nostra*; id est, ut explicat Hugo Carensis, *in cœlo*. Turtur gemitum habet pro cantu, cæteræ volucres canunt & modulantur; turtur pro cantu planctum habet: homines sæculo addicti, scelerosè viventes canunt, exultant, lætantur de secunda fortuna, multoties etiam de criminibus, eorum cantus non auditur in cœlo, nisi ad sufflāmandā divinam justitiā, verus verò pœnitens ut turtur sua scelera plangit, gemit irritasse Deum, gemens ejus vox auditur in cœlo: Spiritus S. mittitur, pacem annuntians, in eoque inhabitans. Hom. 13 ad pop. Cant. 2

3. Fundit contritionis lachrymas verus pœnitens, *advocans & invitans Spiritum S.* ut in illo inhabitet. Ut enim fatur Tertull. *nostra columbæ domus simplex, & ad lucem.* Simplicitas, innocentia, & amor pertinent ad Spiritum S. qui idcircò sub specie columbæ multoties apparuit: *Vt natura Spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis, & innocentiæ, quòd etiam corporaliter ipso felle careat columba.* Ut autem sit proportio inter Spiritum S. inhabitantem, & domum in qua inhabitat, oportet, ut ejus domus sit simplicitate, innocentiā, amore & luce decorata. Fons quidam reperitur in Epiro, in quem fax accensa injecta extinguitur; extincta verò statim reaccenditur. Lachrymæ de corde contrito dimanantes conficiunt fontem, in quo pœnitens amorem extinguit prophanum, & divinum accendit: & quia columbæ domus ad lucem, pœnitentia est *fons lucis fluvios lucis emittens*; nam fons ex lachrymis conflatus, pœnitentis mentem illuminat, ejusque cor veluti igne sufflammat. Quod obumbratur per illum fontem, de quo Plinius loquitur, *cujus aqua lucernæ ardent*. Subjungit Tertull. *Amat figura Spiritus S. orientem Christi figuram:* Christus apud Zachariam *oriens* nuncupatur, quia in diebus ejus orta est justitia: per contritionis lachrymas oritur justitia in corde pœnitentis: orientem illam figuram amat Spiritus sanctus: Sol oriens fugat noctis tenebras, adducitque deperditum diem. Peccatum est nox tenebris obvolvens criminosum: gratia sanctificans est lux, noctis dissipans tenebras, diei afferens lucem: orientem figuram diligit Spiritus sanctus. Sol oriens est Christi figura, qui est Sol justitiæ. Homo de peccato ad sanctitatem immutatus, est Sol oriens, & quia *Sol ignis* nimirùm charitas, quæ est ignis cœlestis, est idem realiter habitus cum gratia sanctificante quæ est sol, Spiritus sanctus amat orientem Christi figuram, & inhabitat tanquàm in domo innocua, lucida, & ignita, in anima pœnitentis & lugentis, gratiā sanctificati, & charitate sufflammati, illumque ad deperditam evehit dignita Tert. l. de Bapt. 8 l. adv. Valēt. 3. Tert. l. de Bapt. 8 S. Aug. l. 21. Civ. c. 5. S. Chrys. l. 31. c. 1 Tert. l. dé an. 9. III. PARS.

Homines mortales ad dignitates sublimant. *Deo autem non licebit sublimitatem modulari spiritalem.* Absit ut Deo denegemus jus, quod terreni principes sibi arrogant: Ut autem *dispositio mundi modulatricibus* Tert. l. de Bapt. 8 Tert. l. de Bapt. 5.

 quo-

quodammodo aquis Deo constitit; ita deperdita hominis dignitas modulatricibus lachrymis reparatur, ut Davidis, Petri, & Magdalenæ declaratur exemplo. Nam lachrymarum virtute, 1. David amissam Dei amicitiam recuperavit, 2. Petrus pastoris officium solidavit, 3. Magdalena, virginum honorē & meritum sibi comparavit.

Tert. l. de bapt. 7 S. Amb. l. 10 in Luc. c. 12 Psal. 50

1. Lachrymarum *spiritalis effectus, quòd delictis liberamur*: ut Davidis constat exemplo, qui tanto dolore suum flevit peccatum, ut lachrymæ, quæ ab ejus dimanârunt oculis, *in rivos, & juge profluvium* proruperint, crimina commissa deleverint, candorem nivis contulerint, & deperditam Dei amicitiā restituerint. Quapropter ut cunctos illos pœnitentiæ & contritionis obtineat effectus, sic Deum deprecatur: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Iterum iterumque ingeminat: amplius lava me, significans, ut expendit S. Augustinus, se cupere ex omni parte & undique lavari. *Usquequaq; Domine lava me ab iniquitate mea*; lava animam meam quæ contaminata est peccati maculis; lava intellectum, & densam erroris nubem deterge; lava voluntatem, quæ adulterio, & homicidio præbuit consensū; lava carnem, quæ cum Bethsabea fornicata est; lava oculos, qui fuerunt impudici amoris duces; lava cunctas animæ facultates, & corporis sensus & membra, ut quæ servierunt iniquitati, emundata serviant justitiæ in sanctificationem. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor.* Sæpè sæpiùs dealbetur conscientia peccato denigrata, anima amplius & amplius abluatur, itaut supra nivem dealbetur, seu ut interpretatur Hugo Carensis, *incomparabiliter alba fiat, sine ulla macula nigredinis peccati.* Aliter præfata verba elucidat S. Chrysostom. sicque Davidem pœnitentem, Deumque deprecantem inducit: *Non quæro solùm peccata dimitti, sed candorem pristinum meum quæro*: deperditam Dei amicitiam desidero, quam per pœnitentiam & lachrymas ita recuperavit, ut secundùm cor Dei fuerit inventus. Tanta est lachrymarum vis, quæ Davidi restituerunt Dei amicitiam, & pastorale Petri firmaverunt officium; nam Deus,

l. q. vet. & nov. test. q. 11

Tert. l. de bapt. 3

2. *Ut firmamentum cæleste suspenderet in medietate, distinctis aquis fecit.* S. Hieronymus vult firmamentum linguâ Hebraicâ significare expansionem; expandere autem idem est ac distendere, & distendendo firmare ac solidare rem aliquam, quæ prius fluida erat, idcircò cœli firmamentum, quod à re fluida, putà aquis, conditum, spissatum, & firmamentum est, Petri adumbrare videtur firmamentum, ex lachrymis condensatum & solidatum. Nam ut eleganter fatur S. Ambrosius: *Petrus fidelior factus est, postquam fidem se perdidisse deflevit, atq; ideò majorem gratiam reperit, quàm amisit: tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui ipse in interrogationis tentatione nutaverat, cæteros fidei stabilitate fundaret.* Bonæ lachrymæ, quibus Petrus undequaque madens, qui sibi nuper infirmus fuit, fit omnibus firmamentum. Lachrymarum defectus, fuit fidei titubatio, & infidelitatis pignus, at titubans ille, & infidelis Apostolus

Ser. 47. de Pet. lachr.

stolus

stolus sic à fletu firmus ac flecti nescius exurgit, ut cæteros fidei stabilitate firmaret. Alachrymis sese stabilivit Petrus, firmitatem sibi mutuat, sicque supra reliquos altè sublimat, ut sublimitate, quam lachrymis obtinuit, fidelium omnium firmamentum esse ac dici mereatur. S. Max. *Videte quantum fletus profuit Petro: antequam fleret lapsus est, postquàm flevit erectus est: & qui ante lachrymas prævaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est.* hom. de latr. Sic est lucrosum lachrymarum commercium, ut patet adhuc Magdalenæ exemplo, quæ suis fletibus virginum attigit meritum & honorem.

3. *Ordinato per elementa mundo, cùm incola darentur, primis aquis præceptum est animas proferre: primus liquor quòd viveret edidit.* Tert. l. de bapt. 8. Aquæ vitam animantib⁹ præbuêre naturalem, Magdalenæ fletus vitam comparârunt supernaturalẽ, ardentiori charitate cor ejus sufflammârunt, & virginum honorem adæquârunt. S. Ambrosius de Samaritana sic fatur: *Novo admirationis genere, mulier, quæ ad puteum Samaria meretrix advenerat, à Christo fonte, casta regreditur.* l. de Salom. c. 5. Deinde ad Magdalenam conversus, *post meretricem, fit virgo;* scilicet virginis attingit meritum. Plus audet S. Chrysostomus virginibus illam præferens: *Illa in Evangelio meretrix, virgines quoq; ipsas honestate superavit, incredibilis in Christum amoris igne succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimo lachrymarum fonte purgata.* In ps. 50. Addit Modestus Archiepisc. Hierosolymitanus apud Photium: Magdalenam ob puritatem & amorẽ quo pœnitens Christum complexa est, *Mariam de nomine Deiparæ nuncupatam.* Bibliot. PP. p. 526. Tantam Magdalenæ dignitatem stupens Cardinalis Damianus, exclamat: *Veniat nunc omnis innocentium chorus, & tota virginea puritas adunetur, qui ad istam gloriam aspirare, nedum transcendere audeat.* Ser. de S. Magd. Quàm multi sunt, qui illibatum virginitatis amiserunt florem: quos seqq. verbis animare nititur S. Ambrosius: *Hæc virtus Christi est, ut quantumvis peccator, qui ejus unda se laverit, denuò in virginẽ reparatus, non meminerit antè quid fleverit, & recidiva nativitate, infantiæ innocentiam præferat, juventutis scelera non agnoscat, fitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Apol. David. c. 8. Pœnitentiæ lachrymis recidiva nativitate David Dei amicitiam recuperavit, Petrus pastorale officiũ firmavit, Magdalena virginum meritum coæquavit.

Etiam lapsus Sanctorum utilis: dum ex illo dejiciuntur, periculum pertimescunt, occasionemque cadendi fugiunt, præcavent, prudentioresque evadunt, exinde pœnitentiæ student, & contritionis lachrymas fundunt, ardentiori charitate Deum diligunt; diligenter ad Christum animarum medicum accurrunt. *Cæterũ peccatrix fit bona, fit sancta, fit innocens, cùm tetigerit gratiæ largitorem.* Chrysost. ser. 94. Idcircò S. Ambrosius peccatores pœnitentes, virtuti sedulò vacantes sic cum Deo loquentes inducit: *Plus acquisivimus qui plus peccavimus, quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra innocentia; tantam enim gratiæ abundantiam profusa lachryma comparant, ut excedant aliquando flentes peccata sua eos, qui nunquam peccaverunt, & gratiam amiserunt:* In ps. 37. ut pœnitentis, & lugentis Deumque ardenter amantis Magdalenæ constat exemplo: Quapropter

Chrysol. ser.94. propter, *Fratres, si nos esse peccatores novimus, & esse nolumus peccatores pedibus Christi demus lachrymas; imitemur hanc mulierem, quam conspicimus non solùm caruisse peccatis, sed ad totam sanctitatis virtutem pervenisse* meruisseque suis lachrymis sublimem felicitatis gradum.

CONCIO SEXTA.

Tert.l.de cor.mil. 13. Hom.15 in Matt. In ps.85. CHristus Dominus *felices ait lugentes:* hoc tamen non solùm difficile, sed etiam impossibile videtur. Illud paradoxon nonnisi cum stupore miratur S.Chrysostomus, dicens: *Flere, & simul beatus esse quis queat? Neq; putes hoc ænigma esse* intellectui intelligibile, & sermone ineffabile. Nam ut ratiocinatur S.August. *Non est res tam vicina miseriæ, quàm lachryma: & nulla longior à miseria, quàm beatitudo, & tamen dicitur, beati qui lugent;* & dicitur non ab homine mendaci, sed à veraci Christo, sed ab ipsa humanata veritate, nõ semel, sed multoties; *Beati qui lugent,* & iterùm; *Beati qui nunc fletis.* Et verè beati; nam Lachrymæ, quæ ex contritione, & Dei amore fundunt, 1, elevant in cœlum, 2. merentur cœlum: 3. prægustant & prælibant cœlum.

I. PARS. Tert.l.d cor.mil. 13 S.Aug. Tert.ib. Judic.15 Eccl.35 1. *Sed tu peregrinus mundi hujus, civis supernæ Ierusalem.* Christiane, oportet ut fleas, sed recordando Sion: (multi enim flent fletu Babylonico: quia & gaudent gaudio Babylonis: quia gaudent lucris, & flent damnis: utrumque de Babylonia est; flere debes sed recordando Sion. Si recordando Sion fles, & quando tibi secundùm Babyloniam benè est, oportet ut fleas.) Hujus rationem subministrat Apostolus: *Noster, inquit, municipatus in cælu est.* Divinitùs olim ortus *fons de maxilla* in altum scuturire cœpit, præfigurans lachrymas, quæ ut fatur Syracides, *à maxilla viduæ ascendunt usq; ad cœlum.* Verùm cùm lachrymæ viduæ ad maxillam descendant, & innato aquarum pondere decidant in terram, unde illis vis & impetus ut in cœlum usque salire videantur? Hoc tamen benè percipi poterit ex aquæ fontis consideratione: etenim qui fontium originem investigârit, facilè agnoscet tanto eos altius in valle scaturire, quantò è vicinis montibus per subterraneas venas profundius aqua descenderit; ita ex corde humili & contrito, excelsos in cœlum lachrymarum fontes, divina virtute prosilire comperiet, ut expertus est Vates Regius, qui *ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.*

Ps.83. Gen. 7. Greg. Naz.or.3 Aquis diluvii de terra elevata est arca in sublime, anima quoque in limo profundi, & luto peccatorum defixa, lachrymarum exundantiâ attollitur. *O felix diluvium! ô felices lachrymas quæ animum dolentem levant, & peccatorẽ imo tartaro infixum, sublevant in sublime.*

Gen. 7. Multum sublimatæ fuerunt aquæ tempore diluvii; nam ut ait sacer Textus: *Aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi, quinq; cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* Longè altius elevatæ sunt aquæ, quas supra fundamentum posuit Deus, vel ad temperandos siderum ardores, vel ad occultandos empyrei fulgores, vel ut vult V.Beda,

ut

ut earum ingenti copia, laxatis cœli cataractis, generale orbi diluvium, quod præviderat, induceret. Quavis autem ratione id factum sit, supra firmamentum collocatas aquas asseverat Scriptura: *Fiat firmamentum in medio aquarũ, & dividat aquas ab aquis*: de quibus Psaltes adhuc loquitur: *Aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Per aquas quæ super cœlos sunt, Thomas Anglicus Cardinalis intelligit lachrymas, quæ propter causas cœlestes & æternas fusæ, laudant Dominum, nec quemquam ad Deum pervenire, nisi has aquas penetrando, viam sibi lachrymis straverit, quæ altius ascendũt, quàm aquæ diluvii; nam *rigant cœlum*, magis adhuc sublimantur, quàm aquæ quæ sunt supra firmamentum; nam *super cœlos, & usq; ad ipsum Dominum, imber humanarum prosilit lachrymarum*, quæ fœcundantes animam virtutibus, merentur cœlum. Gen. 1. Ps. 148. In Ps. 1. Chrysol. ẽr. 93. Chrysol.

De terra materia convenit, non tamen habilis, nisi humecta & succida, quàm scilicet ante quartum diem, segregata aqua in stationem suam, superstite humore, limo temperarant. Quemadmodum autem sine aqua est *terra imparata*, sterilis, infœcunda, & ad producendum inepta, sic ô Deus! *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Uti autem terra imbre rigata florescit, & ut fatur nonnemo de rosa loquens, quæ ardore Solis deflorescens fit *irrigata vivacior*: rigare autẽ propriè significat humectare, quod innuit Ecclesiasticus, dicens: *Rigabo hortum meum plantationum*: Apostolus quoque ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Ut autem imber de cœlo cadens rigat, & fœcundat terram: ita saluberrimus lachrymarum ros, de oculis decidens, rigat animam, eam gratia meritisque fœcundat, pulchros virtutum germinat flores, copiosos bonorum operum producit fructus *Non sic semina dilapsus imber germinare, & crescere facit, ut pietatis semen excitat, & vernare fait ex lachrymis ruens imber.* Animã sterilem cum hyeme glaciali, fœcunditatem verò cum verno pluviæ irriguo bellè comparat, quamvis longiusculè Petrus Damianus: *Lachrymarum mador ad proferenda virtutum germina, nostri cordis arva fœcundat: sæpè namq; miserabilis anima tanquàm sub pruinali glacie, comas, & foliorum ornamenta deponit, & recedente gratia ipsa sibi derelicta tota remanet arida, & quasi decidentiũ florum videtur decore denudata: sed mox ut lachryma ex munere intimi inspectoris eruperint, protinus hac eadem anima reviresscit, corporis ignavi frigore solvitur, & tanquàm arbor verna, austri fomite recalescens, redivivo virtutum suarum flore vestitur.* Itaque lachrymarum mador, viror animi est, fertilitatis fomes, flos virtutum, & fœcundus earum proventus, sterilescit anima, quæ hoc cœlesti oculorum rore non madet, qui genas hoc imbre rigat, cœlestes in terra producit fructus. III. PARS Tert. l. de bapt. 3 Tert. Cap. 24. 1. Cor. 3 S. Chrysost. Opusc. 13 12

Quod lepidè, & eleganter vitis comparatione declarat S. Zeno Veronensis. (Vinea mensurâ servatâ amputatur surculum, palmes in scrobem dimittitur, ut animitùs ibidem genitalis hum or manente semper secum substantia nutriatur: auxiliare illi necessario adjungitur lignum cujus tutela sese sustollat; at ubi adoleverit in vitem perfectam, ejus omnes crines

luxu-

luxurioſi tunduntur: tum ſolemniter plorans, clementer imbre ſuo rorans conceptaque muſti felicibus lachrymis fluenta denuntiat: ſtatim oculis apertis folia radiata procedunt; quibus ſubjecti, ac ſe commendantes ſequaces fructus arrident.) Materiatam vineam cum myſtica componit Zeno: nimirum cum Eccleſia. Per ſurculos, Chriſtianos ad Chriſti fidem electos intelligit, per ſcrobem baptiſmatis accipit fontem, in quo renati à morte peccati, ad vitam gratiæ reviviſcunt. Lignum auxiliare quo portatur, eſt crux dominica, ſine qua nec vivere, nec immortalitatem conſequi valet Chriſtianus; luxurioſi crines falce tunduntur, id eſt omnia omnino peccata, baptiſmate, Spiritusque S. vigore amputantur, nota quæ ſubjicit: *Plorat feliciter vitiis purgata materia: de homine loto felicium manant doctrinæ cœleſtis divina fluenta: ruptis oculis, id eſt, ſpiritualiter pa efactis, præcedentibus foliis fructus ſequela ſeſe commendat.* O quàm ſuavis & gratus eſt fructus, qui ex lachymarum ſequitur imbre! Pœnitens rorans piis fletibus humani cordis agrum abundè rigat, & ad omnium virtutum felices proventus fœcundat:

In Octa. Ex Minutio Felice, *Indus flumen, & ſerere orientem dicitur, & rigare.* Multò felicius contritionis lachrymæ non tantùm rigant & fœcundant, ſed etiam pietatis & virtutum ſemina ferunt.

Duplex eſt aqua; Pluvialis una, fontalis altera. Illa ex terræ exhalationibus, & maris vaporibus à ſe attractis & reſolutis, conflatur; iſta de petra ſeu rupe dimanat; illa ſordeſcit, & cum luto miſcetur, iſta *de ſuo pura* in rivos diffluit: illa deſcendit in terram, iſta ſurſum verſus ſuam ſcaturiginem aſcendit; illa fœcundat tellurem, & terrenos duntaxat producit fructus, iſta hominem refrigerat, ejusque ſitim extinguit. Duplex illa aqua binam lachrymarum denotat undam; quarum una eſt pluvialis ex maris vaporibus conflata, altera fontalis, & viva, de rupe dimanans. *Hæc eſt aqua, quæ de comite petra populo defluebat; Si enim petra Chriſtus,* ſine dubio aqua lachymarum à Chriſto vivo fonte dimanat. Illa non eſt ad potum humanum apta, cùm ſit venenoſa, & interdum bubones aliaque inſecta venenata pluat; hæc eſt ad reſtinguendam ſitim peridonea. Etenim *aqua de amaritudinis vitio in uſū commodum ſuavitatis Moyſis ligno remediatur: Lignum illud erat Chriſtus, venenatæ & amaræ retro naturæ venas in ſaluberrimas aquas ex ſeſe remedians.* Illa ad cœlum ſterilis eſt, terram duntaxat rigans, & fœcundans, terrenosque ſolummodo producens fructus: hæc animam gratiā fœcundans pietatis, & ſanctitatis producit effectus, & hujusmodi virtutem mutuatur ab unione cum ſanguine, qui exivit ex latere Chriſti. Quod ſignificatum vult S. Ambroſius in mixtione aquæ in Euchariſtiæ conſecratione. *Quid ſibi vult iſta mixtio? Accipe rationem: Unus de militibus lancea tetigit latus Chriſti, & de latere ejus aqua fluxit & ſanguis: aqua ut mundaret, ſanguis ut redimeret.* Illa eſt inanis & evanida, quia nec à diaboli tyrannide liberat, nec amiſſam gratiā recuperat, nec gloriam & felicitatem nobis comparat: hæc trinum illum præſtat effectum; nam à diaboli tyrannide liberat; quod præfiguratur; *primò quidem cùm populus de Ægypto expeditus vim regis Ægypti per aquā transgreſſus*

Marginal notes: tert. l. de bapt. 3 — tert. l. de Bapt. 9 — tert. ib. — l. 5. de Sacra. c. 1. — tert. l. de bapt 9

*evadit, ipsum regem cum totis copiis aqua extinxit, quæ figura manifestior in Bapti-
smi Sacramento; liberantur de sæculo nationes, per aquam scilicet, & diabolum do-
minatorem pristinum, in aqua oppressum derelinquunt.* Deinde pœnitentiæ aqua
ejecto de corde diabolo gratiam recipit, & amissam per peccatum Spiritus
sancti præsentiam recuperat. *Ita restituitur homo Deo per similitudinem ejus, qui* Tert l.de
retro ad imaginem Dei fuerat: recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de af Bapt.5
flatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum. Tandem pœnitentiæ & con-
tritionis aqua *vitam æternam gubernat, & in cœlesti procurat;* & adhuc in hac
vita prælibat, & prægustat.

3. Christiane, *nihil tibi cum gaudiis sæculi, imò contrarium debes: sæculum e-* Tert.l.de
nim gaudebit, vos verò lugebitis. Christianorum luctus mundanorum risui & Bapt.3
gaudio opponitur. Hominibus omni gaudio de mundana prosperitate dif Tert l.de
fluentibus arridet seculum; Christus verò væ dicit; at econversò Christia- cor. mil.
nos piè lugentes prædicat felices. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* 13
Non solùm pro futuro, sed etiam pro præsenti. Pro futuro consolabuntur; Matth. 5
tum quia Deus lachrymas eorum delebit, tum quia luctum in risum com-
mutabit, tum quia pro mœrore spiritum ovantem præbebit: Lachrymas
Deus delebit: *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Syrus ver- Apoc.21
tit: *Deficiet omnis lachryma.* Tertull verò legit, delebit: *Proinde & Ioanni*
angelus, Et delebit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et rursus: Deus enim l.de Ref.
delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors hactenus. Non creatura ali 57.
qua absterget lachrymas ab oculis Sanctorum, non Legatus, non Angelus,
sed Deus ipse officium lachrymas abstergendi sibi reservat; alia aliis credi-
dit negotia; Mariæ Joannem, Joanni Matrem, Petro Ecclesiam, paternis
manibus spiritum dedit: ipsemet delendi lachrymas assumpsit officium, i-
mò proprium est manus divinæ negotium. *Felices lachrymæ, quas benigna* S. Bern.
manus conditoris absterget: & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt. in declā.
Tertullianus lutum quo figulatum est hominis corpus de contactu divinæ
manus commendat. *Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum* l. de ref.
tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Lachryma quoque to- 6
ties honoratur, quoties manu Dei tangitur, dum siccatur, dum abstergitur,
dum deletur, dum in risum commutatur. *Beati,* inquit, *flentes atque lugentes?* Tert.l.de
Itaque talibus advocatio, & risus promittitur: Peccatoribus ridentibus in hoc pat.11.
sæculo, luctus minatur in futuro; nam extrema gaudii luctus occupat. pœni-
tentibus verò in terra lachrymantibus risus promittitur in futuro. Bina
commutatio eaque diversa, gaudii scilicet in luctum, & vice versa luctus in
risum. *Vicibus disposita res est; nunc illi lætantur, nos conflictamur: Sæculum,* in- Tert.l de
quit, *gaudebit, vos tristes eritis:* sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quod spect 28
testatur Propheta Evangelicus se missum asseverans, ut ponat *lugentibus o-* Cap.61.
leum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Paraphrastes Chal-
dæus pro spiritu mœroris, vertit, *spiritum ovantem:* quia flebilis spiritus
mœroris in spiritum ovantem, & triumphum agentem est transmutandus.

Et quasi parum sit quòd spiritus mœroris sit in futuro triumphaturus, *Matth. 5* *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, etiam de præsenti, spiritus mœ- *Tert. l. de* roris est spiritus ovans ob gaudium cœleste quod prægustat: quare Christus *cor. mil.* Dominus *felices ait lugentes.* Ut autem animadvertit S. Augustinus, *lugentes* *13.* *& beatos dicit; videlicet beatos in se, lugentes in re.* Qui luget, à se exit, à se pere- *In ps. 85* grinatur, & sui profugus aut exul in re quâ angitur, luget: in se autem jucundè beatur, felicitatis gaudia prælibans, ut experimento didicit S. Hierony- *ep. 9. ad* mus: *Mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos,* *Eustoch.* *nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum*, tanta est lachrymarum suavitas, ut eam omni mundanæ dulcedini præferat, & Paulinæ exstasi *To. I. or.* adæquet S. Ephrem: *Certè scitote fratres, non fore in terra quid dulcius gratiâ* *de extr.* *lachrymarum: si quis vestrûm expertus lachrymarum dulcedinem, mediante ora-* *judic.* *tione desideraverit elevari è terris; totus hic extra corpus in cœlum fertur: & quid dico extra corpus? imò extra seculum universum totus est, nec amplius conversatio ejus invenitur in terris.* Augusta profectò Pauli prærogativa, quòd sive in corpore, sive extra corpus nesciens mirissima extasi raptus sit in cœlum: homo lugens arcana lachrymarum virtute, Pauli æmulans gloriam, non solùm è terris elevatur, sed etiam totus extra corpus in cœlum fertur. Et quasi parum sit lachrymas æquasse Paulinæ exstasi, plus audet S. Chrysostomus, & Paulum lugentem præfert Paulo spiritu in cœlo commoranti, felicioremque prædicat Apostolum quòd fleverit, quàm quòd in cœlum raptus sit. *Vi-* *Hom. 12* *derant paradisum isti oculi, viderant tertium cœlum: sed eos non tam censeo bea-* *in ep. ad* *tos propter hoc spectaculum, quàm propter lachrymas, per quas viderunt Christum.* *Coloss.* Apostolus raptus in tertium cœlum intelligitur supremis Angelorum cho- *S. Ansel.* ris interfuisse, id est inter agmina Seraphim seu Cherubim, secreta Dei vidis- *in 2 Cor.* se:) non tamen ob hanc visionem felix propagatur, *sed est beatus, quod fleve-* *12* *rit.* Inde binam infert Tertull. conclusionem in Christianorum persona lo- *S. Chry-* quens: 1. Non ambiamus criminosam mundanorum lætitiam, *ne pariter* *sost.* *nunc gaudentes, tunc lugeamus*, scilicet in inferno, ubi nihil lachrymæ prode- *l. de spe-* runt: 2. *Lugeamus cùm ethnici gaudent, ut cùm lugere cœperint, gaudeamus* in *ctac. 28.* cœlo, ubi pœnitentiæ & contritionis luctus ineffabili & æterno gaudio munerantur.

LEX JUSTITIÆ.

SCHOLIUM.

Sextuplex in præsenti consideranda est Lex Iustitiæ, 1. Viri in uxorem: 2. Vxoris in virũ: 3. Parentis in filium: 4. Filij in parentem: 5. Domini in servum: 6. Servi in dominum.

CONCIO PRIMA.

VIduam per mariti necem à conjugio exemptam, felicem prædicat Tertull. *Desiisti esse debitor. O te felicem, non habere cui debitum solveres, & à quo exolveres!* Quamdiu conjuges vivunt, sibi mutuò sunt debitores, neque ab ejusmodi debito liberantur, nisi per alterius mortem. Nam ut ratiocinatur Guilielmus Parisiensis Antistes: *Matrimonium est sancta, & perfecta societas maris, & fœminæ in genere humano: sive vinculum, sive necessitudo, quæ eos hujusmodi societatis facit invicem sui in alterutrum debitores.* In sequentibus debitum uxoris in virum elucidabitur; in præsentiarum trinum debitum viri in mulierem est expendendum. Vir siquidem tenetur uxorem, 1. in sociam habere: 2. tenetur diligere: 3. ad bonum instruere.

Tert. l. de exh. cast. 10.

De matr. c. 1

I. PARS.

Societates Ecclesiarum defendo. Societates sunt in triplici differentia: Aliæ Ecclesiasticæ; aliæ Politicæ; aliæ Domesticæ: Ecclesiasticæ, quibus Christiani eandem profitentes fidem in eadem disciplina confœderantur: politicæ, quibus vel cuncti cives in eadem urbe sociantur, vel regnicolæ ejusdem regis subduntur imperio: domesticæ, quibus conjuges uniuntur ad invicem. *Necesse est adunationem maris & fœminæ socialem esse, hoc vinculo societatis adstrictam.* Quapropter matrimoniũ dicitur conjugiũ, essentialiterque importat mariti & uxoris conjunctionem factam *ad ineundam sarctam, & sinceram societatem.* Quemadmodum plures homines adunantur, vel ad unam militi-

Tert. l. de spect. 29

Guil. Par. de matr. c. 2

S. August. l. de bon. conjug. c. 9

militiam ex qua dicuntur commilitones; vel ad unam negotiationem exercendam, ex qua dicuntur socii negotiationis: sic vir & mulier adunantur & conjunguntur ad unam vitam domesticam: & ut fatur Guilielmus
l. de bõ. conjug. c. 1 Parisiensis, ad *vinculum sanctæ societatis*. Illam viri & uxoris societatem primam existimat S. Augustinus: (Quoniam unusquisque homo humani generis pars est, & sociale quiddam est humana natura, magnumque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ, ob hoc ex uno voluit Deus omnes homines condere, ut in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiã cognationis vinculo tenerentur.) Sociales Deus homines effecit, & ut firmior esset inter illos societas, eos cognationis vinculo fœderavit: *Prima itaq; naturalis humanæ societatis copula, vir & uxor est: quos nec ipsos singulos condidit Deus, & tanquam alienigenas conjũxit, sed alteram creavit ex altero: significans etiam vim conjunctionis in latere, unde illa detracta, formata est: lateribus enim sibi conjunguntur, qui pariter ambulant, & pariter quo ambulant, intuentur.* Quanta sit societas inter virum & fœminam, duplici ratione ostentat S. Augustinus: Tum quia fœmina ex viro formata est, tum quia formata ex latere viri, ut quædam inter illos velut paritas denotetur. Tertiam subjun-
l. de vel. virg. 5. git Tertullianus rationem ex nexu Matrimonii desumptam; *Ubi enim duo in unam carnem efficiuntur per matrimonii nexum.* Quò major est viri, & mulieris conjunctio, eò major debet inter illos esse societas, in 1. fortuna: 2. disciplina: 3. vita individua.

Tert. l. 2. ad ux. 8. 1. Conjuges *pariter in angustiis, in refrigeriis* esse debent. Oportet eos in eadem fortuna, & bonorum communione sociari: Si antiquitùs inter fideles erat bonorum communio, ut ipsimet fatentur apud Tertull. *Omnia indiscreta*
Apol. 39 *ta sunt apud nos, præter uxores*: quantò magis omnia debent esse communia
Tert. l. 2. ad ux. 8. inter conjuges, inter quos *nulla spiritus carnisve discretio*? *Atquin verò duo in carne una, ubi caro una, unus & spiritus.*

Ideòque cùm sint unus spiritus, & una caro, nihil proprium possident, sed omnia sunt illis communia: & ob hanc causam se mutuò munerare conju-
Plutarc. ges interdictũ est; ne quid non sit commune: (Romanorum legum lator munera vicissim dare, & capere conjuges vetuit, ut omnia communia esse
Petr. Dã. ser. 1. in ded. Eccl. existimarent.) *Quid enim magis unum quàm illi, quibus est una caro, una mensa, unus thorus, hereditas una*? Duplex persona ad Matrimoniũ accedit, virtute autem conjugii ex duabus eadem caro, idem spiritus, eadem velut natura
Cl. Alex. l. 4. strõ. & persona coalescit: *Non aliam ergo habet naturam mulier quod attinet ad humanitatem, aliam verò videtur vir habere, sed eandem.* Ex communione carnis,
Chrysol. ser. 99. spiritus, & humanitatis rectè colligitur bonorum communio, scil. inter cõjuges, *quos Deus conjunxit, natura sociat* ut sit illis indiscreta fortuna.

S. Aug. l. 22 cont. Faust. 47 Persæpè tamen vir *ipsam humanam violat societatem*; vel quando uxori denegat necessaria ad victũ, vestitũ, & domus regimen, vel quando familiã depauperat, aleæ gulæque fortunæ bona consumens; vel quando suã ignaviã, & negligentiã facultates non conservat, aut incrementat. Nec minus fortunæ

tunæ societatem violat uxor quæ familiæ curam negligit, aut facultates ludo & luxui vestium insumit. Nam ut ratiocinatur S. August: (Si faciendis eleemosynis, & in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere, & magno tam evidentia præcepta sunt Domini, cum viro tuo fideli, consilium communicare deberes, ejusdemque non spernere voluntatem, quantò magis de habitu atque vestitu nihil tibi præter ejus arbitrium mutandum vel usurpandum fuit?) Si secùs feceris, non eris immunis à culpa, violans societatem fortunæ agensque contra voluntatem viri, qui te habet in sociam non solùm in fortunâ sed etiam in disciplina. Ep. 199. ad Ecdiciam.

2. *Quale jugum fidelium duorum, unius spei unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis simul orant, simul volutantur, simul jejunia transigunt: in Ecclesia Dei pariter utriq; pariter in convivio Dei: sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuò provocant quis melius Deo suo cantet* Fusè dinumerat Tertull. officia pietatis quæ simul præstant conjuges, qui in disciplina Christiana & Catholica sociantur: Uxoratos nullatenus in religione dissentire vult Plutarchus: (Cùm sit primus & maximus Deus, quem vir censet esse colendum, solum cum uxore cognoscere decet: curiosæque religiones, & peregrinæ superstitiones à vestibulo domus arcendæ sunt:) Imò ipsemet Deus fidelis cum infideli prohibet conjugium, ut constat ex Deuteronomio, ubi vetat Hebræorum filios cum gentilibus Matrimonio conjungi, ne relicto veri Dei cultu serviant idolis, quia mulier gentilis *seducet filium tuum, ne sequatur me, ut magis serviat diis alienis*. Eandem prohibitionem intimat adhuc Judæis, cujus hanc subministrat rationem loquens de ethnicis uxoribus. *Certissimè avertent corda vestra, ut sequamini deos alienos.* Apostolus quoque Corinthios ad fidem conversos à Matrimonio cum infidelibus quinque validissimis rationibus divertere nititur. *Nolite jugum ducere cum infidelibus:* scilicet impar & dispar. Conjugium impar ingens est jugum & onus, perinde ac si bos, equus, aut asinus idem currûs subeant jugum, ingens uterque jugum & laborem subit ob disparem & incongruum socium, quod prohibetur in Deuteronomio: *Non arabis in bove, & in asino*, ubi inhibetur ait S. Hieronymus, ne fidelis cum infideli Matrimonio conjungatur; 2. *Quæ societas lucis ad tenebras?* Quasi dicat; Sicut lux & tenebræ nequeunt simul in eodem loco aut subjecto convenire, ita fidelis luce fidei illustratus, nequit conjugio copulari cum infideli infidelitatis tenebris obscurata 3. *Quæ conventio Christi ad Belial?* Fidelis pertinet ad Christum, infidelis ad diabolum: idcircò nequeunt conjugio copulari. 4. *Quæ pars fideli cum infidel?* Quantum distat cœlum ab inferno tantum fides ab infidelitate distat: unde cùm fidelis ab infideli toto genere diffideat, nullam cum illa potest habere communicationem. 5 *Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Templum Dei templo dæmonum non potest associari: fidelis autem est templum Dei, infidelis autem templum diaboli: quocircà hujusmodi cultus disparitas impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum; in conjunctione etenim fidelis cum infideli

Tert. l. 2. ad ux. 8.

In præcept cõnub.

Cap. 7.

l. 3. Reg. 11.

2. Cor. 6

Cap. 22.

fideli nullum matrimonium bonum perfectè, & completè reperitur. Non 1. bonum fidei, quæ non servatur ad Deum, etsi interdum ad hominem. Nō 2. bonum prolis, quam parens fidelis ad cultum Dei, infidelis verò ad cultū idolorum educare nititur. Non 3. bonum sacramenti, quia non significat actualiter conjunctionem Christi cum Ecclesia: Jure merito fidelis cum infideli matrimonium prohibitum comparatione declarat Tertul. *Nonne etiam penes nationes severissimi quiq; domini, & disciplinæ tenacissimi, servis suis foras nubere interdicunt: scilicet ne in lasciviam excedant, officia deserant, dominica extraneis promant? Nonne insuper censuerunt servituti vindicandos, qui cum alienis servis post dominorum denuntiationem in consuetudine perseveraverunt? Severiores habebuntur terrenæ disciplinæ cœlestibus præscriptis, ut gentiles quidem extraneis juncta, libertatem suam amittant, nostra verò diaboli servos sibi conjungant, & in statu suo perseverent.*

Tert. l. 2 ad Ux. 7.

Et quamvis cultûs disparitas, quæ est inter Catholicum, & hæreticam, baptismi charactere insignitam non impediat verum matrimonium, nec dirimat contractum: graviter tamen peccat fidelis contrahens Matrimoniū cum hæretica: *Habes causam, qua non dubites, nullum hujusmodi matrimonium prosperè decurri, dum à malo conciliatur, à Domino verò damnatur;* nam domus pax turbatur, Catholica disciplina infirmatur, fides periclitatur, proles christianè non educatur, mores depravantur, officia pietatis & misericordiæ impediuntur, ut aliorsum demonstratum est; quapropter *omnino cavendum est, ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* experientiâ namque comprobatur quàm periculosa, imò exitiosa sint inter Catholicos, & hæreticos connubia. *Cave Christiane, alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, uxorem ne accersas tibi: Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris: si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides?* Subjungit Ambrosius: *Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & religione fecit discedere, & ideò tu vel amori consule, vel errorem cave;* inde sapienter concludit: *Primò ergo in matrimonio religio quæratur,* & ut ait Chrysolog. *Vir conjugem deducat ad fidem, ne quod unum est in carne, spiritu sit divisum.* Nam ut benè fatur ad propositum Philo Judæus: *solus Dei cultus, est amoris & benevolentiæ vinculum insolubile.* Quale est vinculum matrimonii, quo vir, & uxor conjunguntur, ut habent individuam & indissolubilem vitæ societatem?

Tert. l. 2 ad Ux. 7
Tert. Præd to. 2 tr. de Cast. conc. 3
S. Aug. l. 1 ad Pollent c. 21
S. Ambr. l. 1. de Abrah. c. 7
Serm 1
L. de monarc.

3. Ob individuam vitæ societatem, quæ inter conjuges intervenit: *Relinquet homo patrem, & matrem, & conglutinabitur mulieri suæ, & erunt duo in carne una.* Ut autem aliorsum ratiocinatur Tertull. *cùm quid extraneum extraneo adglutinatur, concarnatur, & convisceratur cum eo, cui adglutinatur.* Homo per conjugium mulieri adglutinatur, & ita cum ea concarnatur, ut ex duobus fiat una caro, indissolubili conjuncta vinculo. *Tantum valet sociale vinculum conjugum, ut cum causa procreandi colligetur; nec ipsa causa procreandi solvatur: Non enim potest dimittere sterilem uxorem;* manet enim vinculum

Tert. l. de vel. virg. 5
L. decar. Chr. 10
S Aug l. de bon. conjug. c. 7

nuptiarum, etiamsi proles cujus causâ initum est, manifesta sterilitate non subsequatur. Ultra bonum prolis datur bonum sacramenti, quod in conjugibus sterilibus reperitur: imò absque bono prolis & bono fidei conservatur conjugium, neque prolis generatio, neque conjugum fidelitas ad essentiam Matrimonii pertinet, sed duntaxat sacramenti bonum, quod conjunctionem indissolubilem & inseparabilem importat. Plures sunt conjuges steriles, multæ adhuc infideles, & tamen non obstante earum sterilitate, aut infidelitate indissolubile remanet conjugium, nec ullatenus dissolvitur. *Erunt duo in carnē unā, sacramentum hoc magnum est; dico autem in Christum & Ecclesiam, habet interpretationem, non separationem sacramenti.* Matrimonium significat unionem, vel Verbi cum humana natura, vel Christi cum Ecclesia: Verbū inseparabiliter est unitū cū anima & corpore Christi, Christus quoque indissolubiliter est unitus per gloriā cum ecclesia triumphante: Mediā adhuc gratiā, vel fide Ecclesiæ militanti, ad significandam binam hanc indissolubilitatem, non pro aliquo, sed pro toto vitæ spatio, (necesse est ut conjuges ad invicem pactione conjugali se obligent, sanctæque societatis vinculo se adstringant; ita ut non sit alteri liberum arbitrium alterum relinquere: ut quemadmodum associat eos natura ad opus generationis, sic & eos associet conjugale vinculum, ad vitæ communionem.

Tert. l. 5. adv. Marc. 18.

Guil. Parif. de Matrim. c. 3.

Indissolubile illud conjugii vinculum declarat Salvator: Pharisæis namque interrogantibus: (Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque de causa?) respondet, (Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrē, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.) Quæ verbā sic expendit Rupert. (Etenim mox ut pro adjutorio hujusmodi, quilibet vir, quamlibet mulierem assumpserit, mediante fide, & testimonio ejus, qui hanc mulierem ad virum adduxit, costa ejus est, os ex ossibus ejus, & caro de carne ejus est: igitur si illam ultrò reliquerit pro qualicumque causa jā apud Deum vir non erit, nec pro integro corpore reputabitur, quia videlicet una est costa mutilatum: costa, inquam, non qualicumque, sed benè ædificata diminutum est corpus: item & mulier si virum reliquerit, jam apud Deum in numero non erit, quia non corpus integrum, vel tota caro, sed pars esse convincitur ex lege conditionis, quia de viro sumpta probatur.) Mulier à suo marito separata, non est integra, quia capite scilicet caret; *Caput mulieris vir est.* Vir quoque ab uxore sejunctus, est mutilus, quia pars ei deficit, mulier scilicet, virago nuncupata *quia de viro sumpta est.*

Matt. 19

lib. 2. in Gen. c. 34.

Tert. l. de vel. virg. 7

Acutè quidem Rupertus, sed vivacius S. Augustinus insolubile matrimonii exprimit nexū sub metaphora carnis & spiritus, ex quorū unione coalescit homo. (In eo enim quod sequitur: neq; ex volūtate carnis, neq; ex voluntate viri, carnē pro fœmina posuit, quia de costa cùm facta esset, Adā dixit: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea.) Inde concludit: *Ponitur ergo caro pro uxore, quomodo aliquando spiritus pro marito.*

Tert. l. de vel. virg. 5.

Tract. 2. in Joan.

Ex unione carnis,& spiritus componitur homo, & quandiu subsistit homo, existit animæ,& corporis nexus neque nisi per hominis mortem dissolvitur Matrimonium,neque vinculum conjugale nisi per alicujus mortem dissolvi potest. *Semel factum connubium in civitate Dei nostri, nullo modo potest nisi morte alicujus eorum dissolvi.* Nulla est humana potentia aut creata authoritas, quæ valeat separare, quos Deus valido & legitimo Matrimonio conjunxit. *Quod Deus conjunxit, homo non separabit: ne contra Dominum faciat: solus enim separabit qui & conjunxit: separabit autem non per duritiam repudii, quod exprobrat & compescit, sed per debitum mortis.*

S.Aug. l. de bon. conjug c.15

Tert.l.de mon.9

Multi tamen contra Dominum faciunt. 1.Hæretici, qui conjugii insolubilitatem tollere nituntur. *Viderint qui inter cætera perversitatum suarum disjungere docent carnem in duobus unam, negantes eum, qui fœminam de masculo mutuatus, duo corpora ex eiusdem materiæ consortio juncta, rursus in se matrimonii computatione compegit.* 2.Qui novo Veneris ardore succensi, vel avaritiâ, & habendi cupidine sufflaminati, falso prætextu vel consanguinitatis, vel infirmitatis repudiant conjuges. Quod tam frequenter hac ætate evenit, ut potiori jure quàm olim Romani querantur fideles; *Ubi est illa felicitas matrimoniorum, de moribus utique prosperata, quos per annos ferè sexcentos ab urbe condita, nullum repudium domus scripsit? Repudium verò jam & votum est, quasi matrimonii fructus.* 3. Qui levi de causa divortium faciunt, separanturque à conjugibus (etiam post numerosam prolem) thoro, domo, conversatione, in familiæ, prolis, famæ, honoris, & pudicitiæ damnum, nec considerant, quòd *convictus & individuus usus* conveniens est societati conjugali, & dilectioni, quam vir uxori præstare tenetur.

Tert.l.1. ad ux.3.

Tert. ap. 6

Tert. l.2 ad ux. 3.

Sic loquitur Adamus de sopore seu extasi evigilans: *Hoc*, inquit, *os ex ossibus meis, & caro de carne mea, vocabitur mulier: Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem*; his verbis denotans, quanto amore vir uxorem suam diligere debet: Tum quia cùm amor sit virtus unitiva, ex unionis magnitudine, dilectionis colligenda est magnitudo: quænam autem major potest esse conjunctio, quàm ea, quæ ex duobus corporibus velut idem constituit corpus, & ex viro & muliere, unam civilem adunat personam? Tum quia maritus propter uxorem relinquit patrem, & matrem, non quidem sanguinis necessitudine, sed domo & habitatione; neque etiam amore & dilectione quam parentibus (præ cæteris) præstare tenetur; sed, ut fatur Hugo Victorinus, *privilegio dilectionis, quod ad uxorem transferre debet.* Acutè autem animadvertit Tertull. Adami propheticum dictum, non spectare Evam, sed dirigi duntaxat *in illas fœminas futuras, quas in matrice generis fœminini nominarit: alioquin non Adam relicturus erat patrem & matrem quos habebat, propter Evam: ergo non ad Evam pertinet, quia nec ad Adam, quod prophetice dictum est: de maritorum enim conditione prædictum, qui ob mulierem parentes suos erant relicturi, quod in Evam cadere non potuit, quia nec in Adam.* Et tamen est maritorum conditio, ut vero suas uxores prosequantur amore, easque diligant,

Tert.l.de vel.virg. 5

In c. 2. Gen.

l.de vel. virg. 5.

2.P.

1.ocu-

1. oculatè, & sapienter: 2. amicè, & patienter: 3. benignè, & suaviter.

1. *Voluntates bonæ mentis* commendat Tertull. ad quas duo desiderantur, cœlestis lux, & sacer ignis. Cœlestis lux est sapientia, a qua illustrantur. Sacer ignis est charitas, à qua bonitatem mutuantur. Sapientia eis demonstrat objecti amabilis excellentiam, charitas eas sufflammat, ut objectum demonstratum, juxta ejus dignitatem diligant: *Facientes voluntatem cogitationum*; seu ut expendit S. Ambrosius, *voluntatem consiliorum*. Novam doctrinā invehere videtur Apostolus, hactenus in Aristotelis schola inauditam; insolens est in Philosophiæ gymnasio, voluntas cogitationis, seu amor intellectus. Planè cogitatio non amat, sed voluntas, sicut nec voluntas cognoscit, sed intellectus: Verùm quia voluntas est potentia caliginosa ne cæcè feratur in objectum, voluptatis illecebris fascinetur, noxia appetat, mente & cogitatione amandum est; lux intellectus præcedat voluntatis ignem: oriatur amor non à cæcitate voluntatis, sed ab intellectus Sole, à cogitationū consilio, à consultissima ratione, à perspicacia mentis, à sapientia cœlesti. Tantò purior & augustior est dilectio, quantò à sapientiori rerum æstimatione procedit, diligat uxorem vir, non cæcè, sed oculatè, & *de luminis consilio* amet sapienter, diligat quæ dilectione digna sunt, eliciat amorem qui virtutem sapiat, & Christianum non dedeceat. Dilectio illa Christianum dedecet, quo ob uxoris amorem Deum odit, fidem, & religionem deserit, peccata committit, & pietatis opera omittit, à quibus sese excusat, dicens: (Uxorem duxi, non possum venire.) Missa est audienda, ægroti visitandi, largiendæ eleemosynæ, justitia exercenda, restitutio facienda; uxorem duxi, non possum venire. Et, ut bellè ait ad propositum S. Chrysostomus, *quoties dicimus, cur non rectè vivis? Quî possum*, inquit, *alligatus uxori, liberis, negotijs? Id Religiosorum est.* Quasi verò conjugium repugnet virtuti, vitio patrocinetur, à pietate avocet uxor, ad impietatem conducat, *Cæterùm sic amet anima carnē, ut non ipsa in carnem transiisse putetur; dicaturque ei à Domino: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est: Diligat homo carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam servet: amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat, quàm divinæ: deniq; ut ipsi quidem expedit sic amari.*

l. de exh. cast. 11. — Ephes. 2. — Tert. l. de pall. 1. — Luc. 14. — Hom. 21 in Gen. — S. Bern. ser. 10. in ps. qui habitat.

Dilectio viri in uxorem sit oculata, non cæca; rationalis non bestialis; spiritualis, non carnalis, sapiens, non stulta: amet personam, non nequitiā, virtutes existimet, non depravatos mores approbet. *Nam etsi Adam prophetavit magnum illud sacramentum in Christum, & Ecclesiam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adglutinabit se uxori suæ, & erunt duo in carnem unam.* Hæc omnia evidenter demonstrant uxorem à viro diligendam: ejusmodi autem dilectio debet magis à gratia, quàm à natura procedere, cœlestemque sapientiam, & charitatis speciem præ se ferre: *Nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.* Amasius voluptatem in meretrice quærit, maritus in uxore virtutem requirat. *Difficile est humanā animā aliquid non amare, & necesse est, ut in quoscumq; mens nostra*

Tert. l. de an. 11. — S. Hier. l. 1 adv. Jov. 30. — S. Hier. ep. 22. ad Eustoc.

nostra trahatur affectus: carnis amore spiritus amore superatur, non carnalis, sed spiritalis fit viri amor, ut sit proportio inter signum, & rem significatam, inter Christum diligentem Ecclesiam, & virum suam amantem uxorem. Hujusmodi sanctæ dilectionis exemplar viris imitandum proponit Apostolus:

Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam; sed ut sit sancta, & immaculata.* Comparat Apostolus virum Christo, uxorem Ecclesiæ, desideratque ut vir præstet uxori ea, quæ Christus præstitit Ecclesiæ. Quatuor potissimùm Ecclesiæ præstitit Christus: 1. Eam dilexit: 2. pro ipsa sanguinem fudit: 3. à maculis emundavit: 4. sanctitate & pulchritudine decoravit. Hæc quatuor uxoribus viri præstare tenentur: 1. Amorem, unio enim cordium est primum vinculum quod conjuges nectit. Ad mutuum illum denotandum amorem olim apud Chaldæos, in ipso nuptiarum loco ignis accendebatur à Sacerdote: Idcircò Plutarchus felices illas prædicat

Apud Stobæũ. nuptias, *à quibus Charites non exulant*, & ut christianè loquamur, à quibus nõ exulat charitas. 2. Vir pro uxore debet etiam sanguinem fundere, quapro-

Bonaci*. pter apud Elamitas vir & uxor ipso nuptiarum die, è digito cordis sanguinem sibi invicem elicere solebant, ut innuerent usque ad sanguinis effusionem, amorem sibi mutuò debere. 3. Sua sancta conversatione debent mariti uxores instruere, easque ab omni levitate, dicacitate, superbia, aliisque

l. 2. offic. eccles. fœminarum vitiis emundare. 4. Totis viribus contendere, ut uxor pietatem sectetur, virtuti studeat, & ob hanc causam S. Isidoro teste, conjuges antiquitùs vittis rubris & albis inter se nectebantur; ut rubedine utriusque amorẽ, albedine verò mutuum animi demonstrarent candorem. His notis dignoscitur dilectio quâ vir uxorem suam amat oculatè, & sapienter, & adhuc amicè, & patienter.

Tert. l. de pat. 12 1. Cor. 13 2. *Dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, utiq; quia patiens.* Ejusmodi effatũ mutuavit ab Apostolo Tertull. Animadvertit autem Anselmus, quòd supra dictum fuerat ab Apostolo, quia patiens, nunc dicitur quod omnia suffert: qui omnia discit, nihil excipit; nihil non sustinet amor, sed pacatè, placidè, imò & dulciter omnia suffert: quasi idem sit amare, & sufferre ut amicorũ comprobatur exemplo. Nam ut ratiocinatur dubius Augustinus: (Non e-

l. de Amic. c. 5. nim validior vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens; omni commodo occurrat cõgratulans: ut junctis suis humeris, onera sua invicem tolerent, & quòd unusquisque propriam levius, quàm amici portet injuriam: non aquâ, non Sole, non igne, pluribus locis utimur, quàm amico: in omni victu, in omni studio, in certis, in dubiis, in quolibet eventu, in fortuna qualibet, in secreto, in publico, domi forisque, ubique amicitia grata, amicus necessarius, utilis gratia reperitur: quocircà amici & absentes adsunt sibi, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius est dictu, mortui vivunt.) Plures amicitiæ effectus prodit, quos paucis complectitur Syracides amicũ fi-

Eccles. 6 delem commendans: *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponde-*

ratio auri & argenti contra bonitatem fidei illius: Amicus fidelis medicamentum vitæ. Rationem autem subministrat S. Ambrosius, cur amicus fidelis sit ærumnarum remedium, vitæ solatium, jucundum fortunæ consortium. *Quid est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas, atq; applices, & ita adjungas, ut unum velis fieri ex duobus*: ob illam amicorum conjunctionem bona & mala sunt illis communia!

Quòd si amor in natura fundatus cuncta reddit communia inter amicos, quantò magis conjugum amor in gratia solidatus, & à charitate procedēs? Philip. 2. *Eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* transigunt mortalē hanc vitam. Tria indiscriminatim habentes communia: 1. eandem charitatem; id enim est conjugum proprium, ut uno velut animo ac spiritu vivāt, ac spirent, idemque omnino velint ac apperant: charitas ab Spiritu S. procedens illos vivificat, ad invicem ita sociat, ut 2. sint unanimes, id est, ut expendit S. Chrysostomus (uni animo omnium corpora accommodantes, nō quidem substantia ipsa, quia id fieri non potest, sed electione & sententia, quasi ex una anima omnia proficiscantur.) Tandem 3. idipsum sentiunt, (ut S. Ansel. mala cujusque, omnes sua esse putent, & bona similiter.) Nam ut fatur Ma- Hom. 5. gnus Gregorius, *voluntas bona est aliena damna, nostra credere: aliena verò lu-* in Evāg. *cra, nostra reputare.* Inde colligit auctor Operis imperfecti: *Si extraneorum* Hom. 12 *vitia supportare debemus (dicente Apostolo: Alter alterius onera portate) quantò* in Matt. *magis uxorum?* Viri qui desiderant ut uxores tolerent defectus suos, tenentur uxorum tolerare imperfectiones? Nec durum videbitur habentibus charitatem, quia *charitas omnia suffert*: seu, ut legit S. Cyprianus, *charitas omnia* 2. Cor. 13 *diligit.* Ideò omnia suffert, quia diligit. Maritus ex charitate uxorem diligēs, Tract. de patienter ab uxore suffert: sic Christus tulit onera & peccata Ecclesiæ spon- simpl. sæ suæ, eamque suo sanguine expiavit: Varro de mariti officio scribit, (vi- prælat. tium uxoris aut tollendum, aut ferendum est: qui tollit uxorem commodi- In Satyra orem præstat; qui fert sese meliorem facit;) nam patientiam discit, patien- Menipp. tia autem opus perfectum est.

Habebat Socrates uxorem rixosam Xantippam nomine, quæ semper ex- Aul. Gell. citabat jurgia, ut illo studente mensam everteret: aliquando post diuturna l. 1. c. 17 jurgia fuit commota, quòd illo tacente, ejus capiti aquæ superfudit poculū. Ejusmodi opprobrium patienter tulit Socrates, dicens: (Haud ignorabam post tonitrua, pluviam secuturā.) Tale convitium tolerare non valens præsens tunc Alcibiades, Socratemque ad vindictā stimulans: (Quomodo perfers hanc riosam uxorem, nec domo ejicis?) Cui respondit pacatè Socrates: (Qui ovis vesci vult, glocitantiū gallinarū strepitu offendi non debet: equidē sic domi patientiā disco, ut foris melius exercere queā.) Vir qui uxorē elegit, & rixosā experitur, mulierē cogitet, Xantippā cogitet, ipse sit Socrates, imò sit Christus, seriò recogitet se domesticū habere patientiæ exercitiū, ut discat alia quævis facilius perferre: Multi cruces foris quærunt, maritus habet domi. Quod probè sciens nonnemo audiens istud dominicū, (qui vult venire mecum, tollat crucem suam,) uxorem suam detulit. Verùm si

uxor est crux marito, vicissim maritus crux est uxori. Viri qui desiderant patienter tolerari ab uxoribus, patienter quoque ferant uxores: *Veruntamen & vos singuli, unusquisq; uxorem suam sicut seipsum diligat*, amicè & patienter, & adhuc benignè & dulciter.

Philip. 2

tert. l. de pat. 12. Prov. 5.

3. *Dilectio benefica est*: maximè amor viri in uxorem, quem sic hortatur Sapiens: *Sit tibi uxor sicut cerva charissima*. Bellè amor conjugum comparatur amori cervi: tum quia cervus cervam singulariter amat: tum quia castè nec nisi secretò congrediuntur: tum quia velocissimi sunt ad invicem opitulandum: tum maximè, quia felle carent. Quapropter Junoni nuptiarum præsidi cervam immolabant gentiles, ut hoc ritu innuerent, (bilem iramque prorsus à conjugali sequestrandam jucunditate.) Huc spectabat usitata apud Romanos superstitio, quâ deam, nomine *Viriplacam* colebant, sic dictâ quòd virum placaret, iras crucesque arceret à conjugio. Verùm omissis gentilium superstitionibus, viros ad placidam uxorum dilectionem stimulat Apostol⁹: *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas*; sed illas suaviter, & benignè amate, quas non de capite vestro plasmavit Deus, ne vobis dominarentur, neque de pedibus, ne velut mancipia aspernarentur, sed de latere, ubi est cor, ut placidè diligerentur: *Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed socia, nec de capite, nec de pedibus, sed de latere erat producenda, ut juxta se ponendam cognosceret, quam de juxta se sumptam didicisset*. Ejusdē argumentū premit aliorsum S. Augustinus, *quod fœmina Ada ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quàm chara mariti, & uxoris debeat esse conjunctio*. Alia adhuc utitur Apostolus ratione, ut maritos ad suavem & teneram uxorum dilectionem inducat: *Carnem suā diligit, qui uxorem suā diligit: nemo carnem suā odio habet, sed & nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam*. In his verbis tres rationes conglobat Paulus, quasi dicat: Viri caro uxor est, quivis autem carnem suam diligit, itaque vir uxorem tanquam suam carnē diligit: deinde, nemo carnē suam odit: uxor autem est viri caro: ergo maritus non odit uxorem. Tandem utrumq; confirmat ex Christo, qui Ecclesiam sponsam suam, non odit, sed nutrit & fovet suâ doctrinâ, gratiâ, Sacramentis, præsertim Eucharistiæ mysterio; non absimiliter vir amet, foveat, & instruat uxorem suam.

Cœl. Rodig. l. 28 antiq. c. 21 Val. Max l. 2. c. 2. Coloss. 3 S. Aug. l. 1. de Sacrā. c. 35 l. 2. c 8. Tert. l. 5 adv. marc. 18

III. PARS. tert. l. 2. ad ux. 8.

Conjuges christianè viventes, mutua sibi charitatis præstant officia, ideòque *neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est*: Alter alterius onera portat: Et quasi parum sit, amicè & patienter simul conversari, sese adhuc ad pietatis officia stimulant *alterutro docentes, alterutro hortantes*: quia tamen munus docendi familiam potissimùm ad viros spectat, mulieres *domi maritos suos consulant*: viri verò uxores bonum doceant, 1. sanctis sermonibus: 2. piis operationibus: 3. castis conversationibus.

tert. l. de bapt. 17 tert. l. 1. ad ux. 8.

1. Marite, in domo tua cum uxore conversans, *convictus atq; colloquia Deo digna sectare, memor illius versiculi, sanctificati per Apostolum, bonos corrumpunt mores congressus mali*. Suis sermonibus duo præstare tenetur vir. Unum

collo-

colloquia Deo digna sectari, nimirum loqui verba pietatis Deo digna, quæque Christianum deceant: aliud, malos vitare sermones, quæ pietatem dedecent, & audientem fœminam vel scandalizant, vel ad malum subornant. Nam si *corrumpunt mores confabulationes malæ, quantò magis & convictus, & individuus usus?* Viri scilicet cum uxore, quacum in eadem domo manet. A pravis ejusmodi colloquiis viros adhuc dimovere nititur S. Augustinus: *Nostros qui conjuges habent, quantum possumus admonemur, ut libidinu sermonibus non acquiescant.* Sint equidem mariti castè & piè cum conjugibus conversantes, confabulationes malas fugientes, colloquia Deo digna, & Christianam Religionem sapientâ sectantes; reste namque S. Augustino, *multi magni viri, & imitatione dignissimi sapientiæ studio cum conjugibus dediti fuerunt:* sed longè multò plures sunt, qui colloquia digna Deo non sectantur, neque Christianam religionem suis demonstrant sermonibus. Nam in eorum domibus *quæ Dei mentio? quæ Christi invocatio?* Neque duntaxat pietatis omittunt sermones, sed quod pejus est, verba blasphemiæ, impietatis, & salacitatis promunt, coram uxore, quæ velit nolit oportet, *audiat sanè, audiat de scena, de taberna, de ganea*; aliaque ejusmodi, quæ aures pias & castas maculant, uxoremque scandalizant, quam vir debet instruere sanctis sermonibus, & ædificare piis operationibus.

Tert. l. 2 ad ux. 3.

l. de bon connub. c. 25.

l. 6. conf. 11

Tert. l. 2. ad ux. 6.

Tert. ib.

2. Christianos *lucere in mundo oportebat ut filios lucis.* Christiani sunt filii lucis, tum quia à Deo Patre luminum adoptati: tum quia à Christo Sole justitiæ regenerati, & eruditi; tū quia luce fidei & gratiâ illustrati. Christiani autem tanquam filii lucis lucent, & lucidam docendo & prædicando disciplinam, vel bonis vacando operibus: Illud negotium duntaxat ad Pastores, Doctores, & Concionatores pertinet: istud omnibus generatim Christianis competit, ut enim ipsi fatentur apud Tertull. *hæc sunt quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra.* Cuncti fideles bonis debent lucere operib', juxta illud Dominicū: *Luceant opera vestra.* At cōjuges S. vacare operationib' specialiter in suis domibus tenētur; nā vel uxorati sunt ambo fideles & justi, vel ambo fideles, unus autē justitiā sectans, alter malitiā & iniquitatē demonstrans; vel unus fidelis & Catholicus, alter infidelis & hæreticus. Si ambo sunt fideles & pietatem sectentur, bonis debent prælucere operibus, ut vel sese in pietatis proposito confirment, vel ad perfectionis incrementū mutuò se stimulent, vel ut non minus pietate, quàm corpore & animo conjuncti sint, ad instar Zachariæ & Elizabeth, qui erant *ambo justi; quia ambobus erat una justitia.* Si autem ambo fideles & Catholici, alter vero vitam religioni contrariam ducat: virtutis sectator sanctis debet lucere operationibus: tum ne conjugis iniquitate pervertatur: tum ut suo exemplo illius malitiam condemnet, & ad viam virtutis deducat: *Probum vestrum coram hominibus appareat: ad quid, nisi ut malitia accessum ad vos omnino non habeat, vel ut malis exemplo & testimonio sit?* Si verò unus est fidelis & Catholicus, alter verò infidelis & hæreticus, bonorum operum tenetur exemplum præ-

Tert. l. adv. Prax. 13

Tert. l. 2. de cult. fœm. 13.

Tert. ib.

Chrysol. ser. 91

Tert. l. 2. de cult. fœm. 13

Tert.l.2. bere: tum ob Dei honorem; Nam *fidelis Deum observet necesse est*: tum ut cō-
ad ux. 3. fessionem suam sanctis actionibus probet; Nam *fidem consecutus* illam de-
Tert. l.2 monstrat, ducens vitam fidei veritatibus conformem: tum ut sancta sua cō-
ad ux. 2. versatione infidelem vel hæreticum conjugem ad christianam & Catholicā
Tert. ib. disciplinam ducat: indubitatum etenim est *posse infidelem à fideli per usum matrimonii lucrifieri*: tum ut ei non solùm fidei, sed etiam virtutis largiatur affectum. Maritus namque conspiciens uxorem pietatis studiosam, & virtu-
Tert.l.2. tum exempla præbentem, *sensit magnalia, vidit experimenta, scit meliorem fa-*
ad ux. 7. *ctam; sed & ipse Dei candidatus est timore.* Sic Ermenigildus Indegundis; Clo-
1.Cor.7 væus Clotildis virtutibus ducti sunt ad fidem. Nam ut fatur Apostolus. *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.* Uxoris sanctitas, sanctitatem reverberat in virum, & e-conversò viri sanctitas, in uxorem reverberat sanctitatem, *quasi sanctitas a-*
lib. 2. de *spergine*, ait S. Anselmus. Inde concludit S. Augustinus: *Præceptum est de con-*
ser. Dom. *jugatu, ut bona sua conversatione ac moribus lucrifaciat uxorem vir fidelis, vel ma-*
in Mont. *ritum mulier fidelis: quapropter non sibi debent occultare bona opera sua, quibus i-*
c. 4. *mitandi sunt ad invicem, ut alter alterum possit ad Christianæ fidei communionem invitare.*

Inniti debent uxores bonis exemplis maritos hæreticos vel scelerosos ad fidem & virtutem adducere, ad instar Gorgoniæ Gregor. Nazianz. sororis, quæ viro nupta infideli, se Christianam dimidiatam existimabat, quamdiu
Greg. Na. maritus ejus Christianissimum non profitebatur: *Porrò cum hoc unum Gorgo-*
orat. in *nia reliquis omnibus antecedere cuperet, ut maritus quoq; lustrali aqua tingeretur,*
laud. *ut sic toto corpore Deo consecraretur, ut non dimidia tantùm ex parte tincta, perfe-*
Gorgon. *ctaque discederet; ipsiusq; aliquid imperfectum relinqueretur: hoc quoq; à Deo precibus impetravit*, quasi mariti sanctitas portio esset sanctitatis Gorgoniæ, quæ ferè dimidiata & imperfecta fuit, donec à mariti sanctitate, integram & perfectam acceperit sanctitatē. Multum quidem potens est mulieris exemplaris sanctitas, ad alliciendum virum ad sanctitatem, sed multò efficacior
Plutar. est virtus viri; tum quia est exemplar, ad quod uxor plurimùm conforma-
in præ- tur; (ut speculum auro gemmisque ornatum, utilitatem nullam affert, nisi
cept. similem speciem referat; sic opulentæ uxoris nullus fructus est, ni vitam
connub. moresque præstet cum vita & moribus viri congruentes & consentaneos.)
Ser. 28. Tum quia mulieris caput est vir, quem sic urget S. Augustinus: *Si caput es,*
ex add. *duc, & illa sequatur, sed vide quo ducas: noli ire quo non vis ut sequatur: nec in*
per Fir. *præcipitium ruas; vide ut recto tramite gradiaris,*

Plures tamen viri, neque exemplaris, neque capitis probè agunt negotium. Non exemplaris, quia depravato suo exemplo uxores scandalizant: neque capitis, quia tantùm abest, ut pietatem in uxores influant; quin imò,
Tert. l. 2. illas à piis operibus avocant: *Ut si statio facienda est, maritus de die conducat ad*
ad ux. 4. *balneas, si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio eveniat.* Quàm infausta mulier,

quæ

quæ à pietatis operibus impeditur per maritum hæreticum, criminosum,& scandalosum! *Domino certè non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem domini sui, ad impedienda fidelium studia, & officia.* Tert. ib.
Quàm felix uxor, quam ad pietatem & sanctitatem urget maritus bonis pietatis exemplis! tunc enim *liberè æger visitatur; indigens sustentatur; eleemosyna sine tormento; sacrificia sine scrupulo; quotidiana diligentia sine impedimento.* Tert. ib.
Ad ejusmodi pietatis officia vir uxorem stimulat piis sermonibus, sanctis actionibus,& castis conservationibus.

3. *Salus nec fœminarum modo, sed etiam virorum in exhibitione præcipuè pudicitia est.* Tert. l. 2 de cult. fœ. 1. Circa hanc materiam tres obversantur errores. Primus eorum, qui existimant castitatem ad Ecclesiasticos duntaxat pertinere, non verò ad uxoratos: quos redarguit S. Augustinus: *Vos qui conjuges habetis, moneo, ut castè habeatis.* Ser. 6 de Nat Dom. Trina siquidem est castitas: virginalis, vidualis, & matrimonialis, de qua aliorsum fusè tractatum est. Tert. Præd to. 2. tr. de cast. Secundus error est eorum, qui castitatem conjugalem à fœminis, non à viris censent servandam. *Utriq; enim sexui loquimur, etsi ad alterum sermo est, quia una disciplina præest;* Tert. l. de mon. 9. nam præceptum Dei vetans impudicitiam,& præcipiens castitatem, ex æquo obligat viros, & mulieres: Deinde sicut uxor non habet potestatem sui corporis ad fornicandum, ita nec vir. Posteà vir & uxor, in solemni matrimonii ritu, sibi fidem mutuò promiserunt; postremò *omnis maritus castitatis exactor est;* Tert. l. 2 de cult. fœ 4. proinde exigens ab uxore castitatem & ipse præstare debet. Quem ideò sic pungit S. Augustinus: (Dicitur tibi: Non mœchaberis, id est, non ibis ad aliquam aliam præter uxorem tuam; tu autem exigis hoc ab uxore,& non vis reddere hoc uxori: & cùm debeas in virtute præcedere uxorem, quomodo castitatis virtus est: tu sub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem esse, tu victus jacens, & tu cùm caput sis uxoris tuæ, præcedet te ad Deum cujus caput es: vis domum tuam capite deorsum pendere, caput enim mulieris est vir: ubi autem melius vivit mulier, quàm vir, capite deorsum pendet domus.) lib. de 10 chord. c. 3 Neque dicas: (Ideò uxor castior me est, quia facilius castitatem servare potest, eò quòd multa illi custodia est, legis præceptum diligentia maritalis, terror etiam legum publicarum; est etiam verecundiæ & pudoris illius magnum munimentum; multæ custodiæ faciunt fœminam castiorem: ergo virum castum faciat ipsa virilitas; nam ideò mulieri major custodia, quia major infirmitas: illa erubescit viro, tu non erubescis Christo: tu liberior, quia fortior; quia facilè vivis, ideò tibi commissus est; super illam & diligentia viri,& terror legum,& consuetudo morum, & verecundia major,& super te tantùm Deus.) Ibid. c. 9 cui obsequi debes, & promissam teneris præstare castitatem. Tertius error est eorum, qui omnia, quantumvis fœda, in conjugio sibi licita arbitrantur, Tert. l. 2 ad ux. 3 cum uxoribus namque impudicos habent sermones, *blanditias turpiores*, neque ullum servant modum in usu matrimonii, nec attendunt quòd honorem thori *lædunt qui abutuntur.* Tert. l. de mon. 1 Hos ad usum moderatum & castum hortatur S. Augustinus: *Diligite uxores vestras* Ser. 63. de divers. c. 15

vestras, sed castè diligite: meretricius amor etiam in conjugibus damnatur; S. Hier. in c. 5. ep. Eph. *voluptates quæ de meretricũ amplexibus capiuntur, etiam in uxore damnata sunt.* Quapropter monenti Tertulliano præbeant conjuges assensum, *ut penes sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tanquam sub oculis Dei, modestè & moderatè transigantur.* l. 2. ad ux. 3. Debita quæ cum hoc moderamine redduntur, non culpantur, neque damnantur, sed laudem & gloriam merentur.

CONCIO SECUNDA.

tert. l. 2. ad ux. 4. SEd *viderit, qualiter viro officia pendat*. Loquitur de uxore, quæ suo marito debita justitiæ præstare debet. Homo uxoratus potest considerari, 1. ut materia de qua formata est mulier: 2. ut caput mulieri superpositum: 3. ut paterfamilias domus. Idcirco mulier virum respicit ut originem, de qua producta est, ut caput cui illa subjicitur; ut patremfamiliam domus, in qua ipsa inhabitat: Ob trinum illum respectum tria viro præstare tenetur. 1. Illum diligere: 2. se ei subjicere: 3. domus & familiæ curam gerere.

I. PARS. *Matrimonium est, cùm Deus unit duos in unam carnem.* tert. l. de mon. 9. Fœmina duplici ratione est eadem caro cum viro: tum quia ex viro facta est: tum quia per conjugium rursus effecta est una & eadem caro. Illa carnis unitas quam habent conjuges ad invicem, eos ad mutuum amorem stimulat: Ut enim ratiocinatur S. Augustinus: l. 12. civ. 26 *Quod fœmina Adæ ex ejus latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quàm chara mariti, & uxoris debeat esse conjunctio.* Nam si unitas, seu unio est motivum, vel saltem effectus amoris, ut docet S. Augustinus; l. 2. de ordine 18 *quid amor; omnis? Nonne unum vult fieri cum eo quod amat? & si ei contingat, unum efficit.* Conjugum amor ex eorum unitate colligendus est, tantòque vehementior debet esse, quò intimior eorum est unio, ut non minus sint unum corde, quàm corpore. In superioribus debitum amoris viri in uxorem demonstratum est, nunc uxor stimulanda est ad amorem viri, quem debet diligere, 1. verè: 2. castè: 3. christianè.

l. 5. adv. marc. 14 1. Dilectio *principale præceptum* nuncupatur à Tertulliano: tum quia in ea cuncta instaurantur legis præcepta: tum quia ad omnem hominem sese extendit. tert. l. de pat. 12 Hoc præcepto mulier urgetur ad verum mariti amorem, quia *dilectio non protervum sapit*, sed planè obsequitur. l. de amicit. c. 18 Ex dubio autem Augustino: (Amor procedit ex natura, aut ex officio; vel ratione sola, vel solo affectu: nõnunquam ex utroque simul. Ex natura, sicut mater diligit filium: ex officio, quando ex ratione dati & accepti, quodam speciali affectu conjunguntur: ex sola ratione, sicut inimicos, non ex spontanea mentis inclinatione, sed ex præcepti necessitate diligimus: ex solo affectu, quando aliquis ob ea sola quæ corporis sunt, v. gr. pulchritudinem, facundiam, sibi quodammodo inclinat affectum: ex ratione simul & affectu, quando is quidem ob virtutis meri-

meritum ratio suadet amandum, morum suavitate, & vitæ laudandæ dulcedine, in alterius influit animum, & sic ratio conjungitur affectui, ut amor ex ratione castus sit, dulcis ex affectu.) His omnibus motivis uxor maritum suum diligere debet. Ex natura; Tum quia mulier naturaliter diligit suam originem: *At caro ex carne, & os ex ossibus, vocatur secundùm originem mulier ejus, ex cujus substantia incipit censeri facta uxor.* Tum quia amor est quadam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur: ut autem uxor viro conjungeretur per amorem eodem spiraculo vitæ, quo homo animata est; Nam ut acutè animadvertit S. Augustinus explanans istud Genes. (Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animã viventem.) *Scriptum non est quòd similiter sufflaverit Deus in faciem formata mulieris, & facta fuerit in animam viventem:*) ut notificaretur mulieri eodem ferè spiraculo cũ viro animandã fore, ne aliud spiraculum, ne diversa respiratio sit viri, & fœminæ, & qui una caro sunt, eodem spiritu animentur. Tum quia uxor naturaliter diligit semetipsam, amans autem virum suum, seipsam diligit; nam eadem persona cum viro censetur, ut eloquenter fatur Chrysologus: *Quos Deus conjunxit, natura sociat, & facit Deus ut sit homo unus, duo: unus, alter ipse homo: ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio.* 2. Uxor ex officio virum tenetur diligere, ratione dati & accepti; nam dum contraxit cum illo conjugiũ, mutua facta est utriusque datio & acceptio, non solùm corporis, sed etiam cordis: quod uxor ipsa fatetur aiens cum sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Symmach. legit in genitivo: *& ego ejus.* Quasi dicat: Maritus totum se mihi tradidit, & vicissim ego me illi totam tradidi, sponsus totus est meus, & ego quoque tota sum sponsi: vir me unicè diligit, & ego virum unicè amo, non solùm ex officio, sed ex ratione, ut imperanti Deo obsequar, qui inimicos etiam diligere præcipit. Quapropter uxor etiam *repudiata, qua per discordiam, & iram, & odium, & causas eorum, injuriam vel contumeliam, vel quamlibet querelam, ex anima & corpore separata est, tenetur inimico, ne dicam marito.* Id est, maritum etsi inimicum, contumeliosum, aversantem tenetur diligere. Uti autem ex præcepto odientem amat virũ, ita 3. Ex affectu amantem debet diligere virum. Ad quod illam hortatur S. Ambrosius, *Redde studiò vicem, redde amori gratiam*, scilicet amorem amore compensa; & dilectionem, quã te vir tenere diligit, tuo affectu recognosce: ad instar Sponsæ, quæ tota sacri Sponsi amore accensa, custodes interrogat: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Tanto affectu sponsum sponsa diligit, ut multa dicat, quæ inepta videri poterant non amantibus Non enim ait, quis sit ille quem diligit: Verùm ut animadvertit S. Bernardus, *in epithalamio hoc, non verba pensanda sunt, sed affectus*; quo ita agitur sponsa, ut nihil aliud cogitet, nihil aliud velit, nihil aliud ore promat, præter sponsum, quem verè, & castè diligit.

2. *Et ad virum conversio tua*, quem unicum puro corde respicere debes. De casto

Tert. l. de vel. virg. 5.
S. Aug. l. de trin. c. 10.
Cap. 2. lib. 1. de Gen. ad litt. 10
Ser. 99.
Tert. l. de mon. 9
l. 5. Hexam. 7
Cant. 3
Tert. l. 1 de cult. fœm. 1

Tert. Præd to test. de castu conc. 2
castο amore quem uxor viro præstare tenetur, plura sunt alibi dicta, quæ hic repetenda non sunt. Castus autem uxoris amor excludit 1. adulterium opere consummatum; nam *adulterium in matrimonio crimen est*: 2. Adulterium mente conceptum: etsi non opere consummatum; nam ut subjungit Tertull. *Cogitatum sine carnis congressu, adulterium perficit ex concupiscentia.* Cujus hanc rationem subministrat S. Augustinus: *Nam & conjux quæ adulterinum animum gerit, etiamsi timore viri non adulterium perpetrat, tamen quod deest operi, inest voluntati.* Quod declarat S. Doctor ex discrimine quod intercedit inter uxorem adulterinũ animum gerentem, & conjugem virum castè diligentem. Utraque virum timet, sed longè diversa ratione. *Casta verò aliter timet; nam & ipsa timet virum, sed castè: deniq; timet illa, ne vir infestus adveniat: ista ne offensus abscedat: non amanti enim præsentia viri molesta est; amanti autē absentia.* 3 Illæ uxores castè non amant, quæ plus mariti bona, quàm ejus personam diligunt; Nam ut docet S. Augustinus: *Si uxor maritum amat, quia dives est, non est casta: non enim maritum amat, sed aurum mariti: si autem maritum amat, & nudum amat, & pauperem amat.* Hac tamen ætate plus bona fortunæ, quàm virorum personæ amantur: *Nam quantò dives est aliqua matrona nomine inflata, tantò capaciores domus oneribus suis requirit, ut campum, in quo ambitio decurrat.* 4. Illarum non est castus amor, quæ ineunt matrimoniũ non tam ex intentione vivendi in societate, aut filios procreandi, quàm lasciviendi. *Pleraq; & genere nobiles, & re beatæ passim ignobilibus & mediocribus conjunguntur ad luxuriam inventu.* Tandem, ut fatur S. Augustinus, *sunt amores flagitiosi & detestabiles amores adulterorum*, amores terreni, amores carnales amores mali *Malos amores detestantur omnes leges humanæ, & divinæ*, uxor verè & castè diligens, *remove amores illicitos, quære licitos*, & maritum christianè ama.

Tert. l: de mon. 9
Ep. 120 ad Hon. c. 21
Ser. 49 de verb. Dom.
Tert l. 2. ad ux. 8.
Tert. ib.
l. 50. hõ. hom. 38
S. Aug. ibid.
Tert. l. de pat. 12

3. *Dilectio christiani nominis thesaurus*, tum quia procedit à charitate, quæ est omnium virtutum pretiosissima: tum quia terminatur ad Deum, qui est infinitus bonorum thesaurus: tum quia gratiæ & gloriæ meretur gazas. Uxor virum christianè diligit, si ejus dilectio à charitate ut à principio procedit: si ad Deum ut ad finem ultimum tendit: si ei gratiã & gloriam percupit. Amor est vel rectus, vel perversus: Rect⁹, quo quis rectè se amat, & aliũ sicut se amat, *qui rectè se amat, & alterum rectè amat.* Perversus, quo quis perversè se amat, & alterum sicut se amat, *quia ipse perversè amat alium, qui & se perversè amat.* Uxor perversè se amans, perversè etiam diligit maritum, quia se & illum diligit amore terreno, mundano, carnali, sceleroso: uxor econversò rectè se diligens, rectè etiam amat virum, quia se & illum diligit amore casto, spirituali, supernaturali, Christiano, qui respicit non terram, sed cœlum, non carnis voluptatem, sed animi virtutem, non fortunam, sed salutem. Quapropter Petrus Damianus reginam Franciæ stimulat, ut Regē ad virtutem deducere satagat: *Sic deniq; eum verè diligis, si servare quæ Dei sunt, piis exhortationibus facis*

S. Aug. l. 50 hom. Hom. 38.
L. 7. ep. 5

Hujus

Hujus Christiani amoris tria indicia subministrat S. Augustinus: 1. Si damnum temporale sustineat pro mariti amore; siquidem *dilectio nec sua requirit si offert sua, dum alteri prosit*. Inde ad hypothesim descendit S. Augustinus uxorem urgens. (Aurum tuum vendit maritus tuus pro necessitate sua, ferto fœmina, noli litigare, noli contradicere, contemptus auri tui, est dilectio viri tui: si villã tuã pro necessitate sua vendat, quæ est & tua, non enim potest esse ejus, quæ non sit tua: si est charitas in te, quæ debet esse in uxore, ferto patienter, & si dubitat, tu offer, contemne cuncta propter amorem viri tui.) 2. Si doleat quando peccantem, Deumque offendentem conspicit virum. *Illa enim sancta, casta, & verè Christiana, dolet fornicantem virum; & non dolet propter carnem, sed propter charitatem*. Quia scilicet vir luxurians Deum offendit, animæque suæ jacturam facit. 3. Si diligit *in honore & sanctificatione tanquam cohærentem gratiæ*: ita ut non natura sit amoris illius vinculum, sed *gratia sit copula*. Quia verò gratia est semen gloriæ, uxor virum adhuc diligit tanquam cohærentem gloriæ. Dilectio *merito nunquam excidet; nam cætera evacuabuntur, consummabuntur*: Charitas verò in æternum permanebit, ideòque uxor christianè diligens, gratiam in tempore respicit, & ad æternitatem gloriæ tendit. Subjungit S. Augustinus: *Et tamen illa subjecta est viro sicut decet, & tantò subjectior, quantò castior*; tantò castior, quantò dilectione ferventior: siquidem uxor casta & charitate sufflammata sese viro subdit.

tert. l. de pat. 12. l. 50 hō. ho: 49 l. de 10. chordis, c. 9 Ser. 63. de div. c. 13 tert. l. de pat. 21. Ser. 63 de div. c. 13

II. PARS.

Bellè Tertull. velamen quod supra caput defert uxor, nuncupat *humilitatis suæ sarcinam*: quia scilicet denotat obsequium, quod viro præstare tenetur. Idcircò a velamine mulieres dicuntur nubere, id est caput velare; cùm in viri transeunt potestatem: sicut enim caput nudũ & liberum quod habet vir, signum est dominii & potestatis; sic velamen mulieris est signum subjectionis, seu ut ait S. Chrysost. *Insigne subjectionis*. Illud adhuc appellat Concilii Gangrensis, *memoriam subjectionis*: Tertullianus verò jugum mulierũ: *ipsæ enim sunt, quas subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet: velamen jugum illarum est*. Quia tamen pleræque mulieres subjectionis insigne dediscentes, humilitatisque sarcinã deponentes, dominiũ in viros sibi arroganter arrogant, multi etiam viri, non tã justum imperium, quàm injustã tyrannidem in uxores exercent: 1. abusivum uxorum in viros damnatur imperiũ: 2. legitimum virorum in uxores vindicatur dominium: 3. debitum viro ab uxore declaratur obsequium.

l. de cor. mil. 14 Can. 17. l. de vel. virg. 16.

1. *Necessitas humilitatis cum muliere censetur*: tum quia ab illa sumpsit exordiũ originalis culpa: quam ideò sic pungit Tertull. *Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legũ prima desertrix, tu es quæ illum persuasisti, quem diabolus aggredi non valuit*. Tum quia multis infirmitatibus obnoxia est; nam *in doloribus & anxietatibus paries mulier*. Tum quia, ut refert ex Apostolo Tertullianus: *non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris nedum Sacerdotis officij sortem sibi vindicare*. Tum maximè ad propositum, quia

tert. l. de vel. virg. 9 l. 1. de cult. fœm. 1 tert. ib. l. de vel. virg. 9.

tert.l.de vel.virg. 10 quia virorum subduntur imperio *Fœmina per omnia viris subdita sint.*

Trina autem potissimũ ratione uxor subjicitur viro. Prima sumitur ex natura: 2. ex divina sententia: 3. ex conjugali unione, & copula. 1. Natura uxorem subditã viro desiderat, *propter sexus authoritatem.* Quod ex imperio, quòd mens naturaliter in appetitum sibi vindicat, ostendit S. Augustinus (Quemadmodum in anima hominis aliud est quod consulendo dominatur, aliud quod subditur, ut obtemperet: sic viro facta est etiam corporaliter fœmina, quæ habet quidem in mente rationalis intelligentiæ parem naturam, sexu tamen corporis, ita masculino sexui subjicitur, quemadmodum appetitus rationis ad concupiscendã de ratione mentis solertiam.) Eadẽ aliorsũ comparatione utitur. (Mulieres etiam significant partem, eo ipso quod mulieres sunt, quæ concupiscentialis dici potest, cui mens dominatur, etiam ipsa subdita Deo suo, quando rectissimè, & ordinatissimè vivitur. Quod ergo est in uno homine mens & concupiscentia, illa regit, hæc regitur: illa dominatur, hæc subditur: hoc in duobus hominibus, viro, & muliere, secundũ sexum corporis figuratur.) 2. Divina sententia uxorem viro subjicit: *Ad virum tuũ conversio tua, & ille dominabitur tui: & Evam te esse nescis: vivit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo, vivat & reatus necesse est.* Deus, qui erga protoparentes suam ostentârat bonitatem, in criminosos suam demõstrat justitiam. *Statim mulier viro servire damnatur, sed quæ in adjutorium masculo, non in servitutem fuerat destinata.* Animadvertit autem S. Augustinus mulierem fuisse subditam viro ante peccatũ, & post peccatum, sed longè diversa ratione. *Mulier fuit subjecta viro ante peccatum sed ex virtute, quæ per dilectionem operatur, & foras mittit timorem: Posteà verò conditionaliter servit, ut timore, qui disciplinam operatur.* Ante peccatum ex natura, post peccatum ex justitia: ante peccatum propter sexus auctoritatem, post peccatum propter divinæ scientiæ æquitatem. Æquissimũ namque fuit, ut mulier quæ independentiam à Deo ambierat, dependens ab homine efficeretur: quæ Deo inobsequens fuerat, homini obsequeretur, & quæ sua persuasione, homini abstulerat dominium in creaturas, dominio hominis subderetur. *Neq; enim & ante peccatum aliter factam fuisse licet credere mulierem nisi ut vir ei dominaretur, & ad eum ipsa serviendo converteretur: Sed rectè accipi potest hanc servitutẽ significatam, quæ cujusdã conditionis potius, quàm dilectionis, ut etiam ipsa talis servitus, quâ homines hominibus posteà esse servi cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta.* Deus superbientem punire volens mulierem, nulla graviori potuit illam mulctare pœna, quàm subjectioni & servituti damnando: Subjectio ad virum, adeò gravat superbæ mulieris ingeniũ, ut nullũ dignius invenerit divina sapientia suppliciũ, ad puniendũ insolens independentiæ desiderium. Et licèt in statu innocentiæ mulier fuerit subdita viro; Deus ex mente S. Augustini ad pristinã subjectionem addit servitutem, & quò talis subjectio & servitus firmior, nullaque tergiversatione possit excuti, Deus in pœnam primævi delicti infligit, & latã sententiã confirmat. 3. Ratione conjugii mulier

Margin notes: tert.l.de vel.virg. 10 — l. 13 cõfess. 12. — l. de op monach. 32 — tert.l.1. de cult. fœm. 1 — tert.l.2. adv. marc. 11 — Dial. ad Orosiũ. — S. Aug. l. in Gen. ad lit. c. 37

Mulier subjecta est viro; nam ut acutè animadvertit S. Ambrosius, conjugiũ à jugo nuncupatum est. *Bona vincula nuptiarum, sed tamen vincula: bonũ conjugium, sed tamen à jugo tractum*, quod subjectionem & servitutem denotat, sed gravem, & fœminis molestissimam; quam intolerabiliorem mancipiorũ servitute existimat S. Augustinus: *Quid ergo famulatus graves, & addicta viris servitia replicem fœminarum, quam antè jussu Deus servire, quàm servos?* Ad præstandum illud servitutis officium mulieres hortatur Apostolus: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino.* Ly autem sicut Domino duplicem potest habere sensum: 1. Mulier subdita sit viro suo sicut Christo Domino, cujus vir tenet locum personamque repræsentat: 2. Mulier subdita sit viro suo tanquàm domino, cui præstare debet servitutem, quomodo Sara Abraham suũ dominum vocitat: (Dominus meus vetulus est.) Quomodo Apostolum intelligit S. Augustinus: *Quis enim nescit uxorem marito tamquam domino, debere servire?* Neque solùm in generationis officio, sed adhuc *in cæteris actibus ad humanam pacem pertinentibus, mulier viro debet servitutem.* Et ob hanc causam nubendo mariti nomine vocatur: *Virgines apud parentes deputantur: nam nuptæ maritorum nuncupantur.* Mulieri ita subjectio propria est, ut in quovis statu servire teneatur, nam ante connubium virgo in paterna domo manet, paternum defert nomen, parentibus servit; at postquàm nupta est, in domo mariti habitat, ejus assumit nomen, eique præstat servitutem. Unde conjuges sic hortatur S. Augustinus: *In omnibus ancillæ state virorum vestrorum, subditæ ad obsequium; nulla sit in vobis protervitas, nulla superbia, non contumeliosa cervix, non aliqua inobedientia; prorsus tanquam ancillæ servite.* Sunt equidem multæ mulieres viris subditæ, humiles, obsequentes, non in superbia elatæ, sed multò plures vanitate tumentes, cervicem extollentes, subjectionem viris debitam dedignantes, & imperiũ in ipsos arroganter usurpantes. Reviviscit hac ætate primæ *petulantia mulieris, quæ usurpavit* auctoritatem in virũ, perversoque suo exemplo Adamum diabolo subjecit. Videns namq; quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu ejus, & comedit, deditque viro suo, qui comedit: *Non ergo satis fuit mulieri, quòd comedit ipsa, sed insuper & viro suo dedit: quomodo autem dedit nisi jam abusivo imperio, vel importunitate muliebri?* Illecebrosa mulieris blanditiis, & blanda ejus importunitas, abusivo imperio, imperatuso viro perversè dominata est; virique grata mollities, quâ de dominante effectus est obsequens, divinã sustinuit justitiam. Ut enim refert Scriptura: (Adæ verò dixit Deus: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta est terra in opere tuo) in censu prævaricationis Adæ quod primò refertur est quod uxoris suæ voci obedierit: *Nõ enim Eva persuasit Adæ, ut in eo sibi crederet, in quo crediderat ipsa serpenti: Vir namq; (inquit Apostolus) non est seductus sed mulier: Ergo agendo potius, quàm seducendo; imperando magis, quàm aliquid fingendo, hoc effecit, ut obediret vir sua voci plus, quàm Dei; unde & à Domino Deo dicitur ille: Quia audisti*

l. 3. de virg.

lib. 1. de virg.

Ephes. 5.

Gen. 18.

l. 22. cõtr. Faust. 31

Tert. l. de vel. virg. 7

l. 50 hõ. hom. 49

Tert. l. de Bapt. 17

Rupert.

Gen. 3.

Rup. lib. 1. Tim. 2.

audisti vocem uxoris tuæ. Pœna mulctatur Adam, quòd Evæ audierit vocem, & abusivo uxoris sit obsecutus imperio. Bellè dicitur abusivũ imperiũ, quoniã *mulierem dominari in virum non permittit Apostolus; hoc viro potius sententia Dei detulit, & maritum habere dominium meruit, mulieris non natura, sed culpa; quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura, & augebitur culpa.* Abusivo uxoris imperio depravatur natura, cujus ordo confunditur, incrementatur culpa, quia contra latam Dei sententiam agitur.

S. Aug. l. 11. de Gen. ad lit. 17

Hæc naturæ depravatio, ordinisque confusio viguit olim apud Romanos, Græcos, & Ægyptios; Conqueritur Cato quòd fœminæ dominentur Romanis orbis debellatoribus. *Omnes homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores.* Idipsũ fatetur Themist. inter Græcos illustris: quapropter Diaphanus ejus filius se Græciæ imperare hac ratione suadebat: Græcia meo obsequitur parenti, pater obedit matri, mater mihi obtemperat, ergo meæ dominationi tota subjicitur Græcia. Idem de Ægyptiis asseverat Diodor. apud Fevardentiũ: *Inter Ægyptios plus honoris ac honestatis impendi solet reginæ, quàm regi: & in privatis, mulierem viro dominari, profitentibus in connubiali contractu viris omnibus, esse uxori parendum.* Et quod est deflendum magis, inter Christianos uxores persæpè dominantur viris, & hoc trina potissimũ de causa. Vel 1. quia divites sunt; ex Philosopho namque *dominantur uxores, propter amplitudinem matrimonij.* Vel 2. quia magna pollent pulchritudine, ut constat ex Hercule, qui venereo Omphales æstuans amore, *totam epitheti sui sortem, cum muliebri cultu compensavit.* Vel 3. quia filios pepererunt, & matres sunt effectæ. *Quæ autem superbæ sunt mulieres, & dominantur viris, nunquid post partum carent hoc vitio, ut viri earum dominentur? imò quasi dignitatem sibi additam credunt, quòd matres fiant, & plerumque superbiores existunt.*

Tit. Liv. dec. 4. l. 4

Rhodig. l. 14. c. 14

l. 8. eth. 16

Tert. l. de pall. 4.

S. Aug. l. 2. de Gē. ad lit. 19

Esther. 2

Ad retundendum abusivum e usmodi uxorum imperiũ apud Persas de 7. Sapientum consilio publicatum fuit edictum regium, ne uxores viris principibus principari præsumant. *Et misit rex epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire, & legere poterat, diversis linguis & literis.* Hebræus textus sic habet: *Misit epistolas ad unamquamque provinciam, juxta scripturam ejus, & ad unumquemque populum juxta linguam ejus.* Persarum Rex ab Æthiopia usque ad Indiam latè centum viginti septem provinciis imperans, edictum singulis non Persico idiomate, ne non intelligeretur; sed juxta cujusque provinciæ linguam & sermonis proprietatem, usitato charactere scribi de more jubet. Subdit autem sacer Textus quid contineat, scilicet *esse viros principes ac maiores in domibus suis;* id est dominos, quibus jure tum divino, tum humano, in uxores competit dominium.

l. de vel. virg. 7

2. Quadruplici ratione probat ex Apostolo Tertull. dominium viri in uxorem, 1. *Caput mulieris vir est.* In corpore naturali caput influit in cætera membra, eisque dominatur, & præcipiendo exercet imperium. Idem dominiũ

minium habet in familia vir, qui est mulieris caput; sed *caput viri Christus est.* tert. l. de
Sicut enim Christus tanquam viri caput dominatur in virum, ita vir tanquã cor. mil.
caput mulieris dominium habet in uxorem. Quod ab omnibus sciri, deside- 14
rat Apostolus: (Volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est, 1 Cor. 11
caput autem mulieris vir.) 2. *Vir gloria & imago Dei est, gloria viri est mulier.* l. de vel.
Mulier est imago Dei æquè ac homo, utpotè intellectu, memoria, voluntate, virg. c. 7
& libertate prædita, non secùs ac vir sapientiæ, gratiæ, ac gloriæ capax, i- 8.
deòque non dicitur propriè viri imago, sed impropriè duntaxat, & analogi-
cè; quia scilicet tanquam posterior & inferior facta est ex viro, eique similis
creata: & ob hanc causam Apostolus dixit quidem virum esse imaginem &
gloriã Dei, non autẽ mulierẽ esse viri imaginẽ, sed tantùm gloriã: quia est in-
signe viri ornamentũ: utpote quæ viro data est, tum in adjutorium ad pro-
pagandos liberos, & familiam gubernandam: tum in materiam & quasi di-
tionem, in quam exerceat jurisdictionem & dominium; dominium enim
viri non tantùm se extendit ad inanimata, & animalia bruta, sed etiam ad
rationalia; putà filios & uxorem: Quod innuit Sapiens dicens: *Mulier co-* Cap. 18.
rona est viro suo. Corona namque caput ornat, propugnat, personæque aucto-
ritatem denotat. 3. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*; à quo de- tert. l. de
pendere debet tanquam pars à toto, & effectus à causa seu principio. 4. *Mu-* vel. virg.
lier ex viro, & propter virum, scilicet ut ei subjiciatur: sicut enim homo est 7.
principium ex quo facta est mulier, ita finis propter quem producta est, ut
esset viro in adjutorium ad prolis generationem, vitæ societatem, volunta-
tis subjectionem.

At ne vir tumore infletur, & mulier nimis deprimatur, addit Apostolus: *Veruntamen neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro.* In conjugio etenim mulier nequit esse sine viro, & vicissim vir nequit esse sine muliere, quam debet considerare non tam ut ancillam quam ut sociam & adjutricem. Nam ut fatur Tertull. *hoc genus secundi hominis factum est in adjutorium hominis*, potiùs l. de vel. quàm in mancipium: Quare S. Hieronymus expendens istud Geneseos; virg. 5 (Ad virum tuum conversio tua, & ipse tui dominabitur;) Scripturæ sacræ admiratur prudentiam: *In quo S. Scripturæ considerarda prudentia est; quia* In c. 2. e- *non viro hoc Dominus sit locutus, & dixerit: Dominaberis uxori tuæ: sed ipsi mu-* pist. ad *lieri, ut illi præmium relinqueret obsequela dum in potestate ejus est si Dei velit o-* Tit. *bed re præceptis, servire viro & marito esse subjecta, ut quodammodo esset libera servitus, & dilectione plena. Adeò serviens est viro dum eum nescivit offendere.* Dominatrix illa potestas divino ore intimatur uxori, ut subjectionem ultrò habeat, liberam serviat servitutem, præstans viro spontaneum, & dilectione plenum obsequium; non autem viro, ne imperiosa auctoritate tumescat, & injustè jure dominii in uxorẽ utatur, maritali abutẽs potẽtia, & authoritate.

Quæ ut docet Philosophus, triplex est; domini scilicet in servum, filii in l. 5. E- parentem, viri in uxorẽ. Major est autem potestas domini in servum, quàm thic. 7. parentis in filium, & major adhuc authoritas parentis in filium, quàm viri

in uxorem. Poteſtas reſpicit ſubjectionem quæ trina adhuc eſt; nempe ſubjectio ſervi ad dominum, filii ad parentem, uxoris ad virum. Subjectio autẽ ſervi ad dominum eſt omniũ maxima, poſt hanc ſequitur ſubjectio filii ad parentem, major ſubjectione uxoris ad virum, quæ eſt omnium minima. Ut autem jus illud œconomicum, & dominiũ poteſtativum rectè, juſtè, & abſque tyrannide exerceatur, conſulenda eſt, non paſſio, ſed ratio; non propria voluntas, ſed lex tum humana tum divina. Ad illam juſtitiæ legem erga uxores ſervandam viros hortatur Apoſtolorum princeps: *Viri cohabitate ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo impertientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ, ut non impediantur orationes veſtræ.* Verùm illi non cohabitant ſecundùm ſcientiã neq; conſulunt rationem & legem divinam, ſed paſſionem, & effrænem voluntatem, qui erga uxores ſuas tyrannicum exercẽt imperium, qui eas uti vilia mancipia conſiderant, qui in eas convitia & maledicta crebra jaculant, easque crudeliter percutiunt. Quare S. Chryſoſtom. in virorum perſona loquens, ſic fatur: *Nullum ſit tam magnum peccatum, quod nos ad verberandum compellat.* Plures ſunt tamen mariti ita rationis, virtutis & æquitatis inopes; ita ad iram & furorem proni, præſertim cùm vino ſunt inebriati, vel in alea jacturam ſunt paſſi, vel aliquo damno gravati, ut uxores abſque ulla conſideratione percutiant etiã cum proprii honoris detrimento; nam ut ſubjungit S. Chryſoſtomus *Neq; verberandam uxorem dico, abſit: ultima namque ignominia eſt non ejus, quæ verberatur, ſed qui verberat.*

1. Ep. 3.

Multi ſunt inſanientes & furioſi viri, qui abſq; ulla ratione, uxores injurioſis verbis, & adhuc colaphis, pugnis, & fuſtibus percutiunt. Sunt quoque mulieres iracundæ & rixoſæ, quæ viros injuriis laceſſunt, & arrogantiæ ſermonibus exaſperant, & ad iram & furorem concitant. Quantum verò diſtent à S. Monica, teſtatur S. Auguſtinus, de qua ſic fatur: (Educata pudicè & ſobriè, potiusque à te ſubdita parentibus, quàm à parentibus tibi, ô Domine: ubi plenis annis nubilis facta eſt, tradita viro ſervivit velut domino, & ſategit eum lucrari tibi, loquens de te illi, moribus ſuis, quibus eam pulchram faciebas, & reverenter amabilem, atque admirabilem viro ſuo.) Patricius Monicæ vir erat idololatres, agreſtis, barbarus, ferociens; Monica tamen ſua pietate, urbanitate, humilitate, mariti cicuravit ferocitatem, mitigavit barbariem, agreſtem vitam ad urbanitatem temperavit; tandem de idololatria ad chriſtianam & Catholicam diſciplinam adduxit; quia, ut ſubjungit S. Auguſtinus: (noverat Monica non reſiſtere irato viro, non tantùm facto, ſed ne verbo quidem: jam verò refracto & quieto, cùm opportunum videret, rationem facti ſui reddebat, ſi fortè ille inconſideratius commotus fuerat: Denique cùm matronæ multæ, quarum viri manſuetiores erant, plagarum veſtigia, etiam dehoneſtata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitã, hæc earum linguam, veluti per jocum, graviter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur, recitari audiſſent, tanquam inſtrumenta, quibus ancillæ factæ eſſent, deputare debuiſ-

L. 9. cõf.

ſent,

ſent, proinde memores conditionis, ſuperbire adverſus dominos non oportere.) Livia Auguſti Cæſaris conjux interrogata, quibus rationibus ſibi ſubjeciſſet Auguſtum orbis Imperatorem? reſpondit: *Multâ modeſtiâ* ejus conciliavi animum. Prudens etiam conſilium uxori dedit ille Sapiens: *Si vis imperare viro, pareas: bona enim mulier parendo imperat*, maritumque ſibi devincit, debitum præſtando obſequium. Dio. in Tiber.

3. Uxores, *caput maritis ſubjicite*, illisque obſequium præſtate ultra amorem, de quo in ſuperioribus. Quatuor viro debet uxor, 1. honorem: 2. timorem: 3. imitationem: 4. obeditionem. 1. Honorem: tum vocando illum dominum ſuum. Sic Phocionis uxor maritum nuncupabat, (ſuas opes, mundum ſuũ, theſaurum ſuũ.) *Bona conjux, non ſolùm vocat dominum ſuum, ſed hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales, inſtrumenta emptionis ſua reputat.* Tum reverentiam ei exhibendo, ut ſuo exemplo cunctos domeſticos ad ſimilem incitet honorem. *Tota à te diſcat domus, quantum illi honorem debeat: tu dominum illum obſequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonſtra.* Servi, ancillæ, filii, filiæ, patremfamilias honorant, conſpicientes illum ab uxore honorari, quam tanto majori honore dignam prædicat S. Hieronymus, quantò majorem viro præſtat reverentiam; *Tantò ipſa honoratior futura, quantò illum amplius honoraveris.* 2. Honor quem viro reddit uxor, timori ſociatur, non ſervili, ſed reverentiali & amore pleno: Marcionitæ Deum honorandum quidem, ſed non timendum, volebant, quorum mentem refert Tertull. *In vobis eſt, ſi velitis, illi obſequium ſubſignare, ut honorem Deo habuiſſe videamini: Timorem enim non vult: atq; adeò præ ſe ferunt Marcionitæ, quòd deum ſuum omnino non timeant: Malus, inquiunt, timebitur, bonus autem diligetur.* Hunc errorem confutat Tertull. authorem ejus ſic pungens: *Stulte, quem Dominum appellas, negas timendum; cùm hoc nomen poteſtatis ſit etiam timenda. At quomodo diliges, niſi timeas non diligere? Planè nec pater tuus eſt, in quem competat & amor propter pietatem, & timor propter poteſtatem? nec legitimus Dominus, ut diligas propter humanitatem: & timeas propter diſciplinã? Sic deniq; plagiarii diliguntur, non etiam timentur: non enim timebitur niſi juſta & ordinata dominatio, diligi autem poteſt etiam adultera: ſollicitatione enim conſtat, non auctoritate: & adulatione, non poteſtate.* Hoc argumento urgetur chriſtiana uxor ad timendum virum, quem dominum agnoſcit, & cujus ordinatam à Deo dominationem recognoſcit. 3. Viri mores in ſe repræſentare niti debet: Uxor libera nata, ingenua, ſui arbitrii domina, ex quo nupſit viro, ſui juris non eſt, ſed ſubdita mariti voluntati, & nutui. (Oportet ut Geometræ dicunt, lineas & ſuperficies non per ſe, ſed ſtudia, curas, riſum, communia habere cum viro.) Ut enim ait Philoſophus: (Exiſtimare debet mulier benè compoſita, mores viri eſſe legem vitæ ſuæ, impoſitam ſibi à Deo, per conjunctionem Matrimonii. Qui hæc ergo negligit, deos ipſos videtur negligere, quibus præſentibus ſacra fecit, & matrimonium) 4. Obſequi viro tenetur uxor, quam ſic hortatur Tertull. *Incede ſecundùm ſponſi tui volun-*

Tert. l. 2. de cult. fœm. 13
Plutar.
S. Ambr. in c. 3. Prov.
S. Hier. epiſt. ad Celant.
l. 1. adv. Marc. 27
Plutar. in præcept. cõnub.
l. 1. œcõ. 2
l. de vel. virg. 16

voluntatem. Hanc voluntatis submissionem Catone teste, suis uxoribus vete-
Tit. Liv. l. 34 res exigebant Romani (Majores nostri, nullam ne privatam quidem rem
agere fœminas, sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.) Idipsum
l. 1. Oecon. 4 docet Philosophus: (Mulier suum arbitrium omnino exuere debet, ut ma-
rito obtemperet: sitque ei maritus pro corde, oculis, & lingua: arrideat ri-
denti, compatiatur tristi: non adulatoris modo, vel chamæleonis, sed ut so-
cia, & dimidiatum corpus ejus, & unus cum eo spiritus.) Illam in uxoribus
Coloss. 4 obedientiam Apostolus quoque requirit: *Mulieres subditæ estote viris, sicut o-
portet, in Domino.* Vult Paulus mulieres obtemperare viris, sed in Domino:
id est secundùm Christi Domini voluntatem, disciplinam, legem, præceptũ.
Si enim præcipiant illicita, turpia, impia, contraria Christi voluntati, Chri-
stianæ Religioni, divino cultui; tunc non est eis obediendum, quia non in
Domino, sed contra Dominũ, & in diabolo præcipiunt: quando verò præ-
cipiunt ea, quæ Christianismum, Religionem, virtutem & pietatem decent,
tunc eis obsequendum est. Sic bonæ uxores subditæ sunt viris in Domino: &
adhuc familiam & domum probè regunt.

III. PARS. Conjuges sibi mutuò necessarii sunt. Uxor ipsa etiam ultrò fatetur *virum*
Tert. l. 1 ad ux. 4 *necessarium sexui, ut auctoritatis & solatij causam, vel ut à malis rumoribus tuta*
sit. Uxor quoque viro *consors onerum domesticorum necessaria est.* Vir à viribus
Tert. l. de exh. cast. 11 seu fortitudine nuncupatur; mulier verò à corporis mollitie & debilitate
nominatur: Deus rerum omnium conditor virum fortem & generosum
produxit, mulierem verò infirmam ac debilem condidit: ad negotiationẽ,
agriculturam, militiam, aliaque negotia dura, laboriosa, extra domum a-
genda quæ nonnisi viribus corporis fortitudine & labore tractari possunt,
destinatur viri robur ad illa tractanda necessarium: mulier verò in operibus
domesticis intra domum exercendis ordinata, tantis non indiget viribus.
In œcõ. Ut enim sapienter ratiocinatur Xenophon, (Videtur mihi naturam mulie-
ris, ad curam intra domum suscipiendã Deum protulisse, ideòque molliori
corpore, ut intra parietes officium suum obiret: at viri corpus, animumque
frigora, æstus, itinera, expeditionesque tolerare constituisse, quapropter illi
foris res agendas delegasse.) Nec minus lepidè philosophatur Philo Judæ-
us, duo civitatum distinguens genera: magnarum scilicet, & parvarum.
Magnæ civitates sunt urbes, parvę civitates sunt domus, ad urbium regimen
ordinantur viri, leges statuentes, magistratus eligentes, negotia tractantes,
politiam regulantes: domorum gubernaculum commissum est mulieribus.
Tert. l. de exh. cast. 11 *Necessitates adminiculorum, domum administrandam, familiam regendam, locu-*
los claves custodiendas, lanificium dispensandum, victum procurandum, curas com-
municandas, Uxorum est proprium. Viri sua probè debent tractare negotia,
neque usurpare ea, quæ sunt commissa mulieribus. Irridendi essent viri, qui
vel negotiationis, vel agriculturæ, vel magistratus officium negligerent, ut
lanificio vacarent; nec minus ridiculæ essent mulieres, domus curam despi-
l. 2. Oecon. 2 cientes, & civitatem regere volentes. Quibus binum subministro monitum:
Unum ex Philosopho desumptum; *Mulieres Reipublicæ negotiis non se immi-*

ſcant: aliud à principe Apoſtolorum mutuatum; qui deſiderat *mulieres domus curam habentes*. Ad [illegible] negotium neceſſaria eſt earum diligentia, vigilantia, præſentia: 1 [illegible]gentia, ut ſtrenuè operibus domeſticis laborent: 2. vigilantia, ut filiorum educat[illegible], filiarumque cuſtodiæ ſedulò vacent: 3. præſentia, ut quantum fieri poteſt, in domo habitent. 1. epiſt. 3

3. Mulieres *manus lanis occupate*; & laudem merebimini ab hominibus ad inſtar Lucretiæ, quæ principum Romanorum judicio prælata eſt cæteris fœminis, ex ſtirpe regia oriundis, quod cæteræ, vel ſpeculum conſulebant, vel ludis vacabant, vel choreis operā dabant, vel vanis converſationibus aut cōviviis tempus inſumebant; Lucretia verò ad nihil horum vacabat, ſed lanificia, aliaque ejusmodi domeſtica negotia curabat: quapropter cæteris meritò fuit prælata, & communi encomio prædicata. Poſtquam Sapiens mulierem fortem commendavit, tum de raritate & ſingularitate, tum de valore & pretioſitate *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretiū ejus*; ſignum quo dignoſcatur ſubminiſtrat: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum*. Inter præcepta, quæ Philoſophus præbet uxori, iſtud non eſt minoris momenti; (Mulier nunquam ſit otioſa ab opere, nec digiti à colo, aut penſo, telave ſint: neve otioſam patiatur ancillarum filiarumque cohortem: id enim ad augendam rem familiarem pertinet, & animum ab adulteriis, & venereis retrahit; quæ ſeſe otioſis inſinuant facilè.) Mulier operaria, in lanificio aliisque domeſticis negotiis occupata, trinum lucratur bonum: honeſtum, jucundum, & utile. 1. Honeſtum; nam conſervat innocentiam & pudicitiam, & præſervat ab adulterio, in quod ut plurimum cadunt mulieres otioſæ: 2. Jucundum quod affert viro ſuo; nam *gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit*. 3 Utile; nam *ſapiens mulier ædificat domum*, cujus bona comparat, conſervat, incrementat: & ut fatur Sapiens: *conſideravit agrum, & emit illum, de fructu manuum ſuarum plantavit vineam*.

Tert. l. 2. de cult. fœm. 13

Prov. 13. l. 2. Oec.

Eccl. 26
Prov. 14
Prov. 31.

Verùm ſi mulieres occupatæ & manibus operantes, merentur laudem, ſuisque operibus honorem ſibi comparant, viros jucundant, domos opulenter ditant; mulieres deſidioſæ ſuâ negligentiâ domos depauperant, maritos affligunt, ſemetipſas devenuſtant. Conquerebatur olim Tertull. *Circa fœminas quidē etiā illa majorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur*. Quantò magis conquerendum eſt hac tempeſtate, in qua pleræque mulieres vitam ducunt deſidioſam, teruntque tempus, vel in luxu veſtium, vel in cartis luſoriis, vel in lautis conviviis, vel in laſciviosis converſationibus. Filiæ, quæ ad ejusmodi vitia pronæ ſunt, cooptant matrimonio conjungi, *dominari in aliena familia, in alienis operibus incubare*; non ut valeant maritos *conſilio & ſolatio juvare*; ſed ut facilius poſſint voluptates, quibus obnoxiæ ſunt, captare. Has damnat non ſolùm Thabita, quæ Evangelio teſte plena erat operibus bonis, ſed adhuc quòd *divites Chriſto mulieres adhærebant, quæ & de facultatibus ſuis miniſtrabant ei, inter quas & uxor regis procuratoris, de prophetia eſt*; *has enim*

Apoc. 6.

Tert l. 1. ad ux 4.
Tert. l. de vel virg. 9.
Tert l. 4. adv. marc. 19.

nim vocabat per Esaiam: Mulieres exsurgite, & audite vocem meam; ut discipulas primò, dehinc ut operarias & ministras ostenderet: Filia in spe audite sermones meos: dies anni mementote cum labore in spe: cum labore enim quo sequebantur, & ob spem qua ministrabant. Hæc verba uxoribus Christianis probè competunt, quæ sunt Christi discipulæ, cùm ejus profiteantur doctrinam; deinde operariæ, si vitam velint ducere Christianæ Religioni conformem. Spes eas ad opus stimulare debet: tum quia bona opera, quæ faciunt dum vivunt, sequũtur illas post mortem: tum quia operando familiæ bona temporalia accumulant: tum quia suâ diligentiâ domesticos & filios ab ignavia revocant, & suâ vigilantiâ probè educant, dum eorum custodiæ sedulò vacant.

Tert. l. de vel. virg. 5. — 2. Mulier uxorata, *ex nupta mater effecta*, prolem quam parturivit, benè educare debet: quapropter uxores post partum nuncupat Tertull. *matres, & quidem educatrices filiorum.* Educatio prolis ambobus parentibus competit, ut eam suâ curâ & vigilantiâ retrahant à vitiis, ad quæ *pertrahit adolescentia miseranda libertas.* (Ibid.) Quapropter eloquenter Chrysol. in natorum persona sic fatur: (Chrysol. serm. 1.) *Sepiat nos paterna reverentia, matris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus: inter propinquorum lumina non valent delicta versari: propinquorum quot oculi, tot lucernæ: dies est aspectus matris, Sol patris rutilat in vultu: unde viventi inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* Quamvis filiorum educatio ad utrumq; parentem pertineat, filiarũ tamen custodia præsertim matrum curæ & vigilantiæ demandatur; nam *in matris gremio* immunes à delictis conservantur. (Chrysol.) Quemadmodum autem filia à vigilantissima & oculata matre in domo paterna custodita, innocentiam servat & castimoniam; ita filia quam cæcutiente, somnolenta & desidiosa mater, extra domũ cursitare sinit, innocentiæ & pudicitiæ sæpè sæpiùs patitur naufragium; ut Dinæ comprobatur exemplo, quæ egressa ut videret, à Sichen deflorata est. (Gen. 34.) *Egressa est Dina filia Liæ, ut videret.* Benè filia Liæ; nam *Lia lippis erat oculis:* (Gen. 29) cæcitas matris fuit quodammodo causa lapsus filiæ; si enim mater fuisset perspicax, & oculata, non permisisset filiæ egredi de paterna domo, sed eam sub umbra alarum habuisset, & ita non corruisset Dina.

Esa. 60. — Utinam matres ad Prophetæ Evangelici attenderent monitum: *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Quasi dicat: Quantumvis filios tuos, à te, ad quemvis remotissimũ locum dimiseris, cave ne filias tuas à latere tuo procul submoveas: filii etenim poterunt foras egredi, alienasque circũlustrare regiones; filiabus intereà domi remanentibus. At cur filiis è domo egredi, ireque quo voluerint, permittitur; non verò filiabus? Quia scilicet non filii, sed filiæ de domo egredientes, periclitantur. (Oleast.) *Admonentur hîc fœminæ matres, ne sinant filias suas à suo latere discedere, ne malum aliquod incurrant. Vadant filij, & de longè veniant; filiæ tamen ad latus sedeant, & ibi nutriantur,* ne honoris patiantur jacturã, aut cadant in aliquod perdendæ castitatis periculum. Prophetæ consonans Philosophus, ait: (l. 2. Oecon. 3) *Mulier filios filiasque instituat, nec vagari permittat, longiusque à suo latere discedere;* sed intra parietes domus deti-

detineat, in qua ipsa quoque quantum fieri potest, remaneat.

3. Mulieres, *domi pedes figite*: præsentia enim vestra necessaria est, 1. ut domus pretiosissimo suo ornamento fulgeat: *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bona species in ornamentum domus suæ.* Non dicit Sapiens mulierem ornamentū esse compitorum, & platearum, sed domus suæ, ut cujus pulchritudo & species foris visenda non sit, sed suæ duntaxat domi: neque enim externis, sed suo tantùm viro placere debet: *Solis maritis vestris placere debetis: in tantum placebitis eis, in quantum aliis placere non curaveritis.* Aurum quod non absconditur, suum deperdit splendorem; facies frequenter exposita Soli, nigrescit; furto tollitur monile, quod è gaza seu thesauro crebrò extrahitur; pulchræ picturæ velo cooperiuntur, ne colorum elegantia ex aeris acrimonia evanescat; sic mulier quæ vagè cursitat, nec in domo remanet, suum amittit decorem: *Esther quæ tam pulchra describitur, interpretatur abscondita*: Sara quæ carbunculū sonat, in tabernaculo occultabatur, quapropter Angelus Dei majestatem repræsentans, interrogat Abrahamū: (ubi est Sara uxor tua?) Cui respondens Patriarcha: (Ecce in tabernaculo est.) Ubi S. Ambrosius: *Non ignorabat Dominus ubi Sara esset: sed docere nos vult, quantus pudor esse debeat fœminarū: Abraham auribus suis ingerit, in tabernaculo Saram degere, ut discas, quid ab uxore exigas.* Nimirùm, ut domum suā præsentiā illustret, pulchritudine decoret, nec vagè levi prætextu contra decentiam cursitet. Ægrotante Lazaro Maria & Magdalena sorores ejus non sunt de domo egressæ adeundi Christi causa, sed miserunt ad eum, dicentes: Ecce quem amas, infirmatur, *quia mulieres erant, quæ non debent de facili domos exire.* Scriptura sacra residentiam mulieris in domo sua, bellè hac comparatione demonstrat: *Columnæ aureæ super bases argenteas, sic pedes mulieris sanctæ*; uti bases quibus innituntur columnæ, sunt immobiles; si enim moverentur, corruerent columnæ, sic familiæ regimen præsentiæ mulieris innititur, quæ dum crebrò absens fit à domo, filiæ inhonestos audiunt sermones, filii inobsequentes sunt, servi, & ancillæ suum probè non obeunt munus, & cuncta in domo inordinata sunt.

Tert. l. 2. de cult. fœm. 13
Eccl. 26.
Tert. l. 2. de cult. fœm. 4
Rich. à S. Laur. l. 5. de laud. B. Virg.
Gen. 18
l. 1. de Abraham. 5.
Joan. 11
Eccl. 26

Antiquitùs Romani, ante fores sponsi comburebant currum vel lecticā, in qua delata fuerat uxor die desponsationis: innuentes sublatam ei esse omnem cursitandi, & egrediendi è domo facultatem. Quàm contraria est hujusce ætatis consuetudo! nam filia vel nobilitate, vel opulentia, vel pulchritudine illustris, non desponsatur, nisi prius ei detur currus ad divagandū quocunque voluerit, & ut fatur Tertull. *nisi petant maritum idoneum exhibenda sella & mulabus, & cinerariis peregrina proceritatis.* Phydias Sculptor famosissimus, Veneris statuam formaturus, sub dexterum hujus statuæ pedem, testitudinem ingeniosè supposuit, ut erudiret mulieres testudinis præ se ferre proprietates. Testudo 1. caput habet serpentis, quo denotatur sapientia: 2. muta omnino est, nec ullam edit vocem: 3. lentissimè graditur: 4. nunquā suam domum deserit, sed intra illam occultatur, quoties aliquod imminet peri-

l. 2. ad ux. 8

tert.l.1. periculum 5. Testudinis non imitantur proprietates multæ mulieres, *lo-*
ad ux. 8. *quaces, curiosæ contubernales*, imprudentes, utplurimum extra domum suam
vagantes.

At quanam de causa tantoperè cursitant? Trina potissimùm de causa:
tert.l.2. interdùm gloriæ causa quæ ex luxu vestium captatur: aliquando negotian-
de cult. dæ libidinis gratiâ. *Propter mutuum videre, ac videri, omnes pompa in publicum*
fœm.11. *proferuntur. Aut ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat*; quapropter sapi-
De leg. enter animadvertit Plutarchus: (Pleræque fœminæ si auratos calceos, &
cõmun. armillas, & femoralia adimas, purpuramque & margaritam, domi mane-
bunt.) Pavo amissa pennarum pulchritudine, ab hominum se subducit ocu-
lis; Luna lumine amisso, non sinit se videri; pictura, quæ nondum ultimis est
illustrata coloribus, publico hominum non exponitur aspectui, sed intra of-
ficinam asservatur. Mulier superbis denudata vestibus, pretiosisque exuta
monilibus, non prodibit in publicum, sed à conversatione sese excusabit, di-
cens: Non sum induta. Aliquando prætextu pietatis exeunt, ad patranda fa-
Apol. 35 cilius facinora; & ut fatur Tertull. *malorum morum licentia pietas erit, occasio*
luxuria religio deputabitur. Et ut mulieribus talis tolleretur occasio, Deus,
qui præceperat, ut ter in anno masculi templum adirent Hierosolymitanũ:
Exod. c. *Tribus temporibus anni apparebit omnis masculus tuus, in conspectu omnipotentis*
34 *Dei; simile non fecit fœminis præceptum; quia amat hoc genus exire, amat hinc in-*
Oleast. *de discurrere: & quia à viris suis sæpius arcentur, causam religionis aut pietatis*
mentiuntur: ut ergo licentiosum genus teneret officio, occasiones vagandi præclusit.
Mulieres probæ & pudicæ, non captant tales malè agendi occasiones, sed
remanent in suis domibus. etsi illis interdùm incumbat exeundi negotium;
tert.l.2. aut *necessitas amicitiarum officiorumque, aut imbecillus aliquis ex fratribus visita-*
de cult. *tur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quodvis horum gravita-*
fœm. 11 *tis & sanctitatis negotium est.* Unde ut concludit Tertullianus, sanctas allo-
quens mulieres: *Vobis autem nulla non procedendi causa non tetrica*; id est,
non gravis, non seria, non sancta, non Christianæ pietatis digna, non gloriæ
meritoria.

CON-

CONCIO SECUNDA.

PArens *redditione reddet* proli debitum quod ultrò à te natura expostulat. Etenim si Christianus erga extraneos tenetur servare justitiã, ne illis noceat, sed prosit, & in necessitate succurrat; quantò magis filiis quas generavit parens, debet justitiæ solvere debitum? *Ita creator, & secundùm natura ordinem, primùm in proximos docuit benignitatem*, qui autem magis proximi quã filii quos parentes de sua substantia generaverunt, accepta fœcunditate à Patre luminum, *ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra, nominatur*? Ubi S. Hieronymus: (Paternitas in cœlis, est generatio filii: paternitas in terra est generatio hominum, & animalium, quæ omnis à Dei paternitate manat; omnes enim ab eo vim habent generandi, ut sint, & nominentur patres.) *Quamquam frequentißimè Dominus Patrem nobis pronuntiavit Deum: imò & præcepit, ne quem in terris patrem vocemus: nisi quem habemus in cœlis.* Et hoc ut mihi videtur, trina potissimum de causa. 1. Ut erudiamur, à solo Deo cœlestem posse habere hæreditatem: 2. quia Deus solus nos suâ gratiâ supernaturaliter generat, & adoptat in filios: 3. quia magis Deus quàm homines quos vocitamus patres, concurrit etiam ad naturalem generationem: tum quia ab eo homines mutuantur potentiam generativam: tum quia Deus, & non parentes, creat animam, quæ est nobilior pars hominis: tum quia organizat corpus. Inde concludit Tertull. *Quis ille nobis intelligendus est pater? Deus scilicet: Tam pater nemo, tam pius nemo.* Ideòque ut homines probè parentũ obeant munus, debent cœlestis Patris æmulari pietatem, quia tria hominibus præstat; nimirùm alimenta necessaria ad vitæ subsistentiam, eruditionẽ ad discendam disciplinam, gratiam ad salutem consequendam. Terrenus parens, cœlestis Patris æmulans pietatem, præbeat filiis 1. vitæ subsidium: 2. educationis studium: 3. salutis auxilium.

Tert. l. 4. adv. Marc. 17
Tert. l. 4. adv. Marc. 16
Ephes. 3.
Tert. l. de orat. 2.
l. de pœnit. 8.

I PARS.

De amore paterno tanquam de *lege pietatis* loquitur Tertull. *nam quidquid generavit, ei quod generatur, alimentum præbere, consentaneum est:* ad quod homines stimulantur 1. Patris cœlestis exemplo: 2. animalium irrationalium studio: 3. naturæ suffragio.

1. Deus cunctarum pater creaturarum, sub hoc titulo specialiter ab homine cognoscendus est, *cùm patrem habeam eundem, qu. m & omnia*: quod profitentur Christiani, quoties dominicam promunt orationem. *Dicendo autem patrem, Deum quoq́; cognominamus.* Et quia ut subjungit Tertullianus, *appellatio ista & pietatis, & potestatis est.* Quando habendus est sermo *de Patris cura atq́; prospecta* dirigenda est mens ad curam quâ cunctis animantibus alimenta necessaria ad vitæ conservationem subministrat Pater Deus; *cujus & corvi non serunt, neq́; metunt, nec in apothecas condunt, & tamen aluntur ab ipso.* Quòd si irrationalibus bestiis vitæ subsidium alun-

Tert. l. de an. 1
Clem. Al. l. 1. pæd. 6.
Tert. l. adv. Marc. 17
Tert. l. de orat. 2
Tert. l. adv Valent. 11.
Tert. l. 4. adv. Marc. 29

dè præstat conditor earum Deus, quantò magis præbet hominibus ra-
Tert.l.de tione præditis? *Quoniam Dominus prospector humanarum necessitatum* divina
orat.9. Patris cœlestis cura, necessaria hominibus abundè subministrans terrenum
urget parentem ut filiis victum & vestitum præbeat; ut imago respondeat
exemplari, & probè vices Patris cœlestis gerat. Etenim hominem parentem
Tert. *Dei vicem dicam*, qui paternam adhibet in alendis filiis curam verus est pa-
apol.34. ter, quia suo benè fungitur officio, divinam æmulans providentiam; qui ve-
rò proli subsidium vitæ non suppeditat, à paterna pietate degenerat, Dei
In c. 23. non agit vices, cujus providentiam non imitatur: & ut ait S. Hilarius, *abu-
Matth. sivè vocatur pater*; quia nec Dei cujus est vicarius æmulatur exemplum, nec
animalium irrationalium imitatur in alendis fœtibus studium.

Tert.l.de 2. *Quando & vitalia, pro cujusque generis dispositione omnibus propria animali-
an.10. bus temperaverit artifex Deus* singulis animantibus potentias & industriã lar-
gitus est: tum ut ab hostibus sese defendere, vel eximere possint: tum ut vi-
ctus necessarios ad vitæ conservationem sibi comparare valeant: tum ut
proli suæ alimenta procurent. Quis non miretur sollicitudinem quã aves su-
os alunt pullos, laborem quem patiuntur, imò & discrimen quod incurrunt
Thren. 4 feræ ut catulis suis præbeant escam? *Lamia nudaverunt mammam, lactave-
runt catulos suos.* Hebræa versio legit: *Dracones, canes silvestres*; nulla est bel-
Chrysol. lua adeò ferociens, quæ prolem suam nutrire non curet. O homo *quid esset
ser.55. generantis affectio, in feris, & in pecudibus, & avibus? hoc Deus voluit te videre: quæ
cùm de terra produxerit sola jussione, posteà laborem compulit sentire, generandi
mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus locorum difficultatibus com-
munire, gemitibus edere, maximis laboribus enutrire, ac se morti, si capi natos suos
viderint, non negare: unde si ferarum comparatione, pecudum similitudine, exem-
Job.9. plis avium disce, quanta sit in paterna charitate sinceritas.* Struthio duntaxat *de-
relinquit ova sua in terra, obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conte-
rat; duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Pater qui filios suos parvulos non
curat, nec eis alimenta ad vitæ subsidium suppeditat; mater quæ prolem suã
Thren.4 negligit, Struthionis imitatur duritiem: *Filia populi mei crudelis, quasi Stru-
thio.* Parvuli subsidio destituti meritò conqueruntur, adversus parentes cla-
Michc.1. mitant, eosque de crudelitate accusant, *faciam planctum, quasi struthionum*:
seu ut habet Hebræa lectio, *quasi filiorum struthionum.* Parentes filiis curam & ali-
Tert. menta denegantes, Saturni imitantur immanitatem. *Propriis filiis Saturnus
apol.8. non pepercit*, neque ipsi suæ parcunt proli quam absque alimento deserunt:
2 Ipsis belluis crudeliores, quæ suos catulos sollicitè nutriunt; 3. E perversò
Deum æmulantur, qui est *parvulorum dilector.* 4. Matrimonii fructum asper-
Tert. l.4 nantur: *Adjiciunt quidem sibi homines causas nuptiarum de sollicitudine posteri-
adv. tatis, & liberorum amarissima voluptate.* 5. Causarum influxum impediunt;
Marc. 23 nam qui dat esse, dat consequentia ad esse. 6. Contra naturam agunt quæ
Tert.l.1 parentes stimulat ad amorem & curam filiorum.
ad ux.5.

3. *Sed*

3. *Sed & gratius nomen est pietatis, quàm potestatis: etiam familiæ magis patres, quàm domini vocantur*, quò major denotatur amor in filios: patris namque nomen amoris est vocabulum: quare Deus voluit, ut homo generaret filios, ut sciret ex semetipso, quanta esset parentis affectio; ut bellè animadvertit Chrysolog. hominem alloquens: *Ideòque te Deus patrem fecit: ideo à te voluit hominem procreari, qui utiq; quòd te de terra fecerat, poterat fecisse quamplurimos; sed egit, ut generando scires, quanta esset generantis affectio.* Et ob hanc causam Deus, qui in Decalogo filiis præcipit, ut suos diligant parentes, nullum parentibus dedit mandatum de dilectione filiorum: quia, ut ait D. Chrysost. ad hoc sufficienter erudiuntur à natura; nam ut subjungit Chrysol. *Si pater est, non potest non amare:* Paternum illum erga filios amorem commendat Philosophus, rationem præbens, cur parentes magis filios diligant, quàm filii parentes: (Consanguinea amicitia esse multiformis videtur, & tota ex paterna dependere: parentes enim amant liberos quasi ex se quiddam sint: liberi autem parentes, quasi ex illis quippiam sint: magisque sciunt parentes qui ex se orti sint liberi, quàm nati ex illis se esse genitos: majorem autem id à quo aliquid est, cum genito habet necessitudinis connexionem, quàm quod factum est cum eo qui fecit: proprium enim ei à quo oritur quippiá, est id quod ex ipso oritur. Parentes igitur filios ut seipsos amant, qui enim ex ipsis oriũtur, sunt quasi ipsi, dum separati sunt: filii autem parentes ut ab illis producti.) Itaq; parens est cum filio quasi idẽ alter, quod est incentivum amoris. Unde ad propositum Pacatus: *Instituente natura plus ferè filios, quàm nosmetipsos diligimus*: Nihil est homini carius oculis, anima, & visceribus: parens autem filium diligit tanquam suos oculos, suam animam, sua viscera: siquidem filius vocatur ab Euripide: *vita oculus*; a Philostrato parentis anima, *omnibus profectò hominibus, filii sunt anima.* Viscera nuncupantur ab Apostolo, qui sic de Onesimo scribit ad Philemonem: (Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, tu autem ipsum ut mea viscera suscipe.) Græca versio significantiùs legit: *ipsum mea viscera suscipe.* Filium suum sua nuncupat viscera, filius namq; est velut pars viscerum parentis, & licèt philos Græcè idem sonet ac amor, vox *viscera* majorem denotat affectum, quàm vox *filius*.

Tert. Apol. 34.
Serm. 55
Hom. 5. in Ep.
L. 8. moralium ad Nicomach c. 14.
In panegyr. Theodor Imp.
Lib. 2. c. 1. vit. Apollonii.

Quod non ignorabat ille, qui asseruit, quòd beatissima Virgo filium suum æterno Patri offerens, sive in templo, die Purificationis, sive in Calvario, die Dominicæ Passionis, fuit *immolatrix viscerum suorum.* Cujus perpulchram accipe à Salviano rationem: Quia *in supplicio filii pietas paterna torquetur:* & ob eandem rationem inter Martyres collocat Abrahamũ D. Cyprian.: *Quis Abraham Patriarcham ausit eximere ex Martyrum numero?* Hujus subjungit rationem: *Quæ tormenta graviùs torserunt corpus, quàm Patriarcha mentem torquebant naturæ affectus?* Idipsum asseverat Chrysologus, Abrahamumq; corpus suum in filio immolantem producit. *Nam quid aliud Abraham quàm corpus suum immolabat in filio?* Semel & iterum semetipsum obtulit Christus in ara

Lib. 3. de gubern. Dei.
De dup. Mart.
Serm. 108.

crucis,&in altari,&ubiq; est simul Sacerdos& Agnus.Inde exclamat Chrysologus: *O inauditum Christiani pontificatus officium! quando homo sibi ipse est & hostia & sacerdos: quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus, inquirit: quãdo homo secum,& in se,& quod pro se est,Deo sacrificaturus apportat: quando eadem manet hostia,idem permanet & Sacerdos.* Mira,quę in dominico reperiuntur sacrificio,præfigurata video in Abrahami holocausto, ubi fidelis ille Patriarcha fuit simul Sacerdos & hostia, semetipsum offerre volens in immolatione filii. Quod eloquenter declarat Chrysologus, sic de Abrahamo

Serm.10 loquens: *Qui se immolabat in filio, ut esset idem victima & pontifex, sacerdos & sacrificium: patris erat passio ibi tota, ubi filius immolabatur: ubi tota victima, in patris dilectione constabat.* Plura de amore paterno condensat Chrysologus, quæ cùm nullo negotio expendi possint, libens omitto.

Ut demonstrem plures parentes ab innato illo degenerare amore,nonnullos ex ignavia & otiositate,quosdam ex superfluo sumptu & prodigalitate:tertios ex avaritia & tenacitate: tandem alios ex sævitia & crudelitate.1.Ex sævitia & crudelitate,vel dum mater infantes in utero perimit: *auferens vitam illis etiam decem mensium in utero*: vel dum post partum enecantur filii: *apud conscientias pulsem,qui natos sibi liberos enecent*: vel dum post nativitatem filios deserunt, & absque aliqua parentum notione in triviis, vel ante Ecclesiarum fores nocturnis temporibus deponunt:Quod olim Romanis exprobrabat Tertullianus. *Filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte extranea misericordia,vel adoptandos melioribus parentibus mancipatis.* 2. Ex avaritia & tenacitate; *quæ cùm mores hominum perdit, perdit & naturam*; ut patet in avaro parente,qui naturæ renuntians affectibus denegat filiis necessaria,sive ad victum,sive ad vestitum:quapropter coguntur filię in aliena servire domo,in qua persæpè honoris patiuntur jacturam: Filii etiam vel militiæ mancipantur,ubi discunt impietatem;vel latrociniis operam dant,quibus sibi suspendia & patibula parant:nec attendunt quod tenetur, *pater servare substantiam filiis, non negare*; præsertim cùm indigentia & necessitate premuntur. 3.Ex superfluo sumptu & prodigalitate, insumentes hæreditatem & facultates in luxu vestium,lautis conviviis,aleis chartis lusoriis. Sic *quæ composita fuerant,patre moderante,prodigente filio dissipantur.* 4.Ex ignavia & otiositate. *Otium sui natura non patitur.* Præsertim in parentibus,qui strenuè laborare debent,ut filiis præbeant vitæ subsidia: *nam quæ ad patrem labor respicit, fructus redundat in filios*: plures tamen ignaviâ fœtent, quasi Epicureorum sectentur errores: qui *quietem summa atq; unica voluptatis nomine consecrarêre.* Infœlices filii,qui parentes habent vel desidiosos,vel prodigos,vel avaros,vel inhumanos:at è converso *beati filii, quorum tota est in patris charitate substantia*; qui à parentibus vitæ subsidia recipiunt,& bonam adhuc mutuantur educationem.

Redarguit Marcionem Tertullianus asseverantem,Deum tum conjugii, tum parvulorum osorem. *Iam nunc Deus Marcionis, qui connubium aversatur, quomodo*

Tert.l.4. adv. Marc.23 Tert.Apol.4. Ibid. Chrysol. ser.29. Chrysol. ser.1. Chrysol. ibid. Tert.l.1. adv. Marc.22 Chrysol. ibid. Tert.lib. de Pall.5 Chrysol. ibid. II. Pars. Lib. 4. adv. Marc.23

quomodo videri potest parvulorum dilector, quorum tota causa connubium est? Qui semen odit, fructum quoq; execretur necesse est, ne ille savior habendus Ægyptio rege: nam Pharao educari non sinebat infantes: iste nec nasci. Trina ratione Marcioni demonstrat Tertullianus, Deum non aversari matrimonium 1. Quia non odit parvulos, si autem aversaretur conjugium, odio haberet parvulos: nam qui semen odit, fructum quoq; execretur necesse est. 2. Si Deus connubium & infantes aversaretur, esset de sævitia culpandus, neq; videretur minùs inhumanus quàm Pharao; nam Pharao educari non sinebat infantes, Deus non nasci. 3. Tantùm abest, ut Deus conjugium & pueros odio habeat, quin imò *adeò diligit parvulos, ut apud Ægyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebræos, periclitantes edicto Pharaonis.* Vindicato autem Deo ab immani illa parvulorum aversione, infantium dilectionem Deo adscribit. *At enim quantò credibilius, ut ejus deputetur affectus in parvulos, qui benedicendo connubium in propagationem generis humani, ipsum fructum connubii benedicendo promisit, qui de infantia primus est?* Quia tamē per parētes generātur filii, à parentibus sunt quoq; educādi. Idcirco D. Augustin[9] conjugem matrē sic alloquitur: *Tibi sunt filij, nec ideò laudanda es, quia eos habes: sed quia piè nutrire & educare studes. Vt enim tibi nascerentur, fœcunditatis: ut vivant, fœlicitatis est: ut autem sic instituantur, voluntatis & potestatis.* Quo modo intelligend[9] est Apostolus dicens: (Mulier in silentio discat; salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate.) Ubi D. Chrysost. *Deus ecce mulieribus aliam occasionem salutis confert, filiorum scilicet educationem.* Sub generatione educationem complectitur Apostolus: educatio enim est quasi completa generatio, & formatio filiorum. Et quia filiorum educatio non minùs ad patrem pertinet, quàm ad matrem, postquam Apostolus mulieri filium in fide probis moribus educanti promisit salutem, ad virum convertit sermonem, eumq; infideli deteriorem prædicat nisi filiorum curet educationem. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit. & est infideli deterior.* Hic est ordo amoris, ut domesticis præ cæteris prospiciamus: *Quid autem tam cuique domesticum, quàm parentes filiis, aut filii parentibus?* Infideles naturali pietate & instinctu suorum curam habent filiorum, eorum invigilant educationi. Aristoteles, licèt gentilis quatuor tradit leges à parentib[9] servandas erga filios: prima est in generatione: secunda in educatione: tertia in eruditione: quarta in exemplo vitæ. Ne parens Christianus sit infideli deterior, filios educare tenetur. Ad ejusmodi debitum trina præsertim urgetur ratione desumpta ex natura, politica, disciplina Christiana: debetque hanc curam 1. dilectioni paternæ: 2. societati humanæ: 3. providentiæ divinæ.

Lib. de Bon. Viduit. c. 14.

2. Timoth. 2.

Hom. 9.

1. Timoth. 5.

Tract. 119. in Joan.

L. 8. polit.

1. *Sed & cura accedet voluntati.* Hæc cura, quam probus parens filiis debet, tria complectitur, nimirum nutritionem, defensionem, & educationem. Nam & illis tenetur alimenta ad victum necessaria præbere, eos in periculis defendere, eorumque educationi præsertim in infantia & pueri-

Tert. l. 1 adv. Marc. 25

tia invigilare. Hanc autem educationem nequeunt filiis denegare parentes, nisi naturam dediscant, & rationi renūtient. Nam 1. eadem natura, quæ dat esse, sollicita est dare consequentia ad esse, ut patet in igne, cui natura ad sui conservationem dedit calorem & levitatem; calorem, quo cōtrariis resistat; levitatem, quâ ad suam tendat sphæram, ubi naturaliter conservatur. Parentes autem per generationem dāt esse filiis: quapropter illorū conservationē & educationem curare debent. 2. Superiora, quæ inferioribus præsident, eis præbent influxū eaq; regulant, ut constat ex corporibus cœlestibus, quæ influunt in sublunaria. Mund⁹ namq; inferior supernis regitur lationibus, parentes autem sūt naturaliter superiores filiorū, eisq; præsident, proinde educationis illorū debent curā gerere. 3. Amor naturaliter sollicitat amantem, ut curet rem amatam, ut etiam belluarum exemplo suprà demonstratum est, parentes autem naturaliter amant filios etiā magis quàm filii parētes: quia amor parentum procedit in filios tanquā à causa in effectū ut à superiori ad inferius, amor autem filiorum ad parentes procedit tanquam ab effectu ad causam, & ut ab inferiori ad superius: amor autem magis descendit, quàm ascendit, magisq; parentes de filiis, quàm filii de parentib⁹ sunt solliciti, ut experientiâ comprobatur. Videm⁹ enim patres circuire mare & aridam, nulli labori nec vitæ parcere, ut bona fortunæ comparent filiis: filii verò pro parentib⁹ tantum nō sustinent laborem, & ob eandem rationem datur filiis præceptum de cura parentum, non è converso; quia natura quantumvis post peccatum corrupta inclinat & quodammodò cogit parentes ad filiorum cu-

Isa. 49. ram: *Nunquid potest mulier oblivisci infantem uteri sui ut non misereatur ejus?* Quomodo potest parens negligere filium, qui ejus est substantia, in quo vivit, in quo perpetuatur, & aliquam acquirit immortalitatis speciem?

L. de Orat. 3. De æterno Patre sic fatur Tertullianus: *Nomen Dei Patris nemini proditum fuerat: etiam qui de ipso interrogaverat Moyses; aliud quidem nomen audierat: nobis revelatum est in Filio: jam enim Filius novum Patris nomen est.* Quasi dicat: Cùm sciamus jam esse Dei filiū, perinde est ac sciamus esse ejus patrem: tum quia correlativa sunt simul natura & cognitione, pater autem & filius mutuò

Tert. lib. adv. Prax. 24. Joan. 14. Ser. 1. de gener. Verb.

ad invicem referūtur: tum quia Filius est *repræsentator Patris*, in quo tanquā in perfecta sui imagine relucet Pater. Quod declarat ipsemet Salvator in concione illa, quam in Passionis vestibulo habuit ad discipulos: *Si cognovissetis me, & Patrem meum utiq; cognovissetis.* Profundè quidem Tertullianus, sed non min⁹ acutè S. Zeno Veronensis: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum; hic pater, qui, suo manente integro statu, totum se reciprocavit in filium, ne quid derogaret:* quia totam suam essentialem perfectionem communicat Filio. Si modò à divinis & descendamus ad humana, parens quoq; reciprocatur in filio; cum hoc tamen discrimine: quòd 1. in divinis eadem est individualiter Patris & Filii natura, in humanis eadem duntaxat specificè: 2. In divinis Pater nō est antiquior Filio: ambo enim sunt coæterni: in humanis pater tempore filium præcedit: 3. In divinis Pater & Filius non sunt obnoxii morti,

sunt

sunt enim essentialiter immortales, in humanis autem pater & filius sunt morti mancipati: 4. In divinis neq; Pater sine Filio, neq; Filius sine Patre potest existere: in humanis mortuo patre existit filius. *Mortuus est pater ejus & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.* Siriaca lectio legit: *Mortuus est pater ejus, & idem est ac si non esset mortuus.* Quasi dicat: Homo innato naturæ instinctu æternitatem appetit & immortalitatem; semper esse & vivere desiderat. Et quia id in se obtinere non potest, cùm sit morti obnoxius, id exoptat in filio, qui est alter ipse in quo nomen ac sui memoriam propagat, superstesq; vivit: Quapropter generatio filiorum est quoddam quasi mortalitatis remedium, imago resurrectionis, & quædam velut æternitatis species. Namut expendit Rabanus. *Successio filiorum, qui post patres suos ex hac vita decedentes bonorum eorum studium in bona conversatione imitantur, mortuos parentes quasi redivivos exhibent:* quasi aliquo generationis arcano pater in filio superstite suam frustretur mortem, & resurrectionis imaginem repræsentet. Quod innuere videtur Moralis Philosophus de Socratis parente loquens: *Sophroniscum Socrates expirare non patitur;* quasi nunquam expiret pater, qui talem de se ac post se reliquit filium, qui adhuc filium legitimò matrimonio natum post se reliquit. Quomodo de Benjamin Josepho ait Judas: *Et ipsum solum habet mater sua;* Quondam sibi mortua est Rachel, sed adhuc vivit in prole, diu defuncta, dicitur in filio superstes: & sic de cæteris nepotibus sibi invicem longa serie succedentibus, & familiis quandam velut immortalitatem largientibus. (Et matrimonium quidem in remedium subsidiumq; totius humani generis concessum est, ac veluti fons quidam, atque affluentia, & continuatio communis generis à Deo rerum omnium conditore excogitatum, pro salute, conservatione, ac propagatione vitæ hominum, aliis in aliorum locum subeuntibus, naturamque identidem intercudentem restaurantibus.) Probè declarat Basilius Magnus, quomodo humana natura propagatione continua restauretur.

Eccl. 30.

Sen. lib. 3. de benef. 31.

S. Basil.

At parens, qui benè non educat filios, non vivit in illis, imò prole velut orbatus habetur. Quod acutè animadvertit Lyranus expendens causam cur Boozi propinquus, cui de jure competebat cum Rutha inire conjugium, recusat illam ducere in uxorem: *Cedo juri propinquitatis: neq; enim posteritatem familiæ meæ delere debeo.* Verùm hæc ratio frivola videtur, nam tantum abest ut uxorem ducens pulchram & juvenem, familiæ suę fuisset deleturus posteritatem, quin imò illam incrementasset, ut Boozo fœliciter accidit: ejusmodi etiam abdicatione ipse in Scripturis habetur anonymus, nomine adhuc fraudatur posteritatis suæ, ac si decessisset improles, indeq; suã extinxit familiam; unde amplificandam putavit: Non est explicatu facilis allata propinqui illius ratio; (neq; enim posteritatem familię meę delere debeo) Lyranus impugnatâ Hebræorũ interpretatione nodum difficultatis sic solvit. (Exponitur videlicet de prole, quam jam habebat de alia uxore: quia si accepisset Ruth, oportuisset eum intendere educationi & provisioni prolis na-

Ruth. c. 14.

scituræ de ipsa: & per consequens minùs posset intendere provisioni & educationi prolis jam habitę de alia; & istud vocat deletionem secundùm communem modum loquendi.) Filios malè educatos familiæ suę vocat deletionem, illiberem se putans, si pluribus etiam filiis auctus illos educaverit negligenter. Improles est, suæ familiæ delet posteritatem, nullosque filios habere dicitur, qui illos non benè educaverit. Educationem filiorum debent parentes dilectioni paternæ, adhucque societati humanæ.

tert. lib. de exh. cast. 11. 2. Conjugia *& republicæ prospectu aguntur, ne civitates desiciant, si soboles non exerceantur; ne leges, ne jura, ne commercia dilabantur, ne templa derelinquantur.* Longè diversâ ratione produxit Deus Angelos & homines, cunctos namq; simul creavit Angelos, homines verò non simul, sed primò Adamum plasmavit; de Adamo formavit Evam, ab Adamo & Eva, totum humanum genus successiva propagatione, suam ducit originem: Quod Tobias Saram uxorem ducens ultrò fatetur, Deum sic alloquens: *Tu fecisti Adam, & dedisti ei adjutricem Evam firmamentum uxorem ejus; ex his natum est hominum semen*, quod immetatâ sobolis propagatione terram replevit. Angeli facti sunt spiritales & immortales, unde producti sunt non per generationem sed per creationem, non successivè, sed simul: quia verò homines sunt mortales, partimq; corporei, Adami nepotes successiva propagatione generantur, ut species humana conservetur quorundam individuorum morte, per aliorum nativitatem reparata. Post resurrectionem homines non erunt ampliùs morti obnoxii, sed erunt sicut Angeli; *si non nubendo quia nec moriendo, utiq; nec ulli simili necessitati succidendo corporalis conditionis.* Toto autem tempore, quod generalem præcedit resurrectionem homines successivè per generationem producentur. *Et nunc superstruimus officia ista membrorum necessitatibus vitæ hujus eò usquè consistere, donec & ipsa vita transferatur à temporalitate in æternitatem: sicut animale corpus in spiritale, dum mortale istud induat immortalitatem.* Quamdiu mortalem & temporalem vitam ducent homines, alimento & victu indigebunt ad conservationem individuorum, & generatio erit necessaria speciei ad sui conservationem, & parentes filiis præbebunt educationem, ut trinæ subveniant humanæ societati; domesticæ seu œconomicæ, civili seu politicæ, Christianæ seu Ecclesiasticæ. Filiorum educatio necessaria est societati domesticæ, ad familiæ pulchrum; politicæ, ad Reipublicæ bonum; Ecclesiasticæ, ad divinum cultum.

tert. lib. de res. 62.

tert. lib. de res. 60.

Parens familiam suam fulcire desiderans bona filio congregat, quem caput domus relinquere exoptat: *& jure, paternæ appellationis heredem.* Diversimodè parens diligit servum & filium. Servum amore concupiscentiæ, quia est illi utilis, sibique affert bonum; filium verò amore benevolentiæ, ideò illi procurat & thesaurizat bonum, quo nomen suum conservet, familiam, domumq; sustineat: Unde D. Hieronymus attendens ad verba Saræ ad maritum dicentis: (Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios:) sic scribit: *Diligenter nota, quòd procreatio filiorum in Hebræo ædificatio scripta*

tert. lib. adv. Valent. 39.

Gen. 16.

scripta est: legitur enim ibi: Ingredere ad ancillam meam, si quomodo ædificer ex ea. Parens filium ædificat, & vicissim ædificatur à filio: Pater filium ædificat, quia illum generat & probè educat, & ita duplici ratione conditor est filii, tum quia generator; tum quia educator: Pater quoque ædificatur à filio, qui paternam refert imaginem, ædificatam à patre sustentat domum, & accepta à patre educatione præstat familiæ fulcrum, & reipublicæ præsidium.

Et quia bonum reipublicæ familiæ bono est præponendum, tanquam commune particulari; contrahuntur conjugia, ut inter extraneos ineatur amicitia & nascantur filii, qui reipublicæ conservent aut incrementent bonū. Idcircò conjugium ab Apostolo vocitatur radix, quia sicut à radice tota arboris dimanat pulchritudo & fertilitas, ita matrimonii status (est velut radix & truncus arboris, sine quo reliqui status non consisterent.) Ab hac radice pullulant cives, qui urbes inhabitant, mercatores, qui negotiationi vacant, milites, qui militiæ operā dant; artifices, qui mechanicè vel liberaliter laborant; senatores, qui justitiā admin. strāt, magistratus, qui politiā gubernant. Tot munera, quæ commune reip. respiciunt bonum, probè nequeunt obiri, nisi præviā educatione filiis præstitā à parentibus. Parentes, qui in educatione filiorū intendunt duntaxat privatū & non commune bonum, meritò redarguit D. Augustinus: *Parentes nostri, quando nos in scholas mittebant, nonne hoc nobis dicebant: Discite literas, ut habeatis unde legere possitis codices dominicos; discite literas, ut sitis utiles Ecclesiæ, utiles reipublicæ, nec ipsi Christiani hoc dicunt? Sed quid dicunt? Disce literas, mi fili, ut sis homo: quid enim? modò pecus sum? non quidem hoc dico, sed ut sis homo, hoc est eminens inter homines illustris & conspicuus.* Parentes hujusmodi, qui in filiorum educatione ad honores duntaxat vanos, vel terrenas divitias spectant, *patres luti* appellat Gregorius Nazianzenus. Quos confutat Clemens Alexandrinus ex cura, quam habebant Persarum Reges in suis educandis filiis, quos, ut regiis decorarent virtutibus, quatuor magistris educandos tradebant. Primus erat Curius seu Fabricius, id est, homo sobrius & continens, qui tum verbo, tum exemplo, gulæ & libidini frænum injiciendum ostenderet. Secundus Achilles aliquis, & belli fulmen, qui ad arma manus animumq; formaret. Tertius quidam Aristides, hoc est, vir justus & æquitatis sectator, qui justitiæ & æquitatis doceret leges. Quartus Archipresbyter qui eos instrueret in iis, quæ ad religionem, Deiq; pertinent cultum. Hæc disciplina non minùs humanam decet societatem, quàm domestica, aut politica.

Rom. 11. Osor tō. 5 conc. 1 Dom. 2. post Epiph.

L. de Discip. Christ. c. 11.

Orat. ad Picobul. L. de pædag.

Philo Judæus expendens istud Exodi: (*Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël:*) hoc datum vult à Deo præceptum, *ut appareat gratam esse fœcunditatem, vel præsentem, vel quæ speratur in futurum: id quod cedit in laudem conjugij, sacrari primum ejus fructum, simulque conjuges admonet curæ domesticæ*, quâ prolem suam in eis, quæ sunt divini cultus, instruere tenentur: Nam ut bellè ad propositum ait Clemens Alexandrinus, *matrimonii flores liberi, quos quidem carnalium pratorum divinus colligit agricola.* Quanta sollicitudine tracta-

L. de Præm. & honor sacerd. Exod. 13

L. 2. pæd. 8.

tur floriarium, quàm expensè excolitur, quàm attentè attrectatur, ne flores marcescant, fallantq; spem amissa placendi gratia, matrimonii flores liberi summâ curâ educandi sunt. Ex his floribus tota floriarii dependet venustas, ne marcescãt, à tenella ætate ad Dei erudiantur cultũ. Sic erudita fuit Susanna: (Parentes illius cùm essent justi erudierunt filiam suam secundùm legem Moysis.) Nec minus religiosè Abraham Patriarcha filios suos cultũ Dei docuit; quamobrem *divina voce laudatur: Scio, inquit, quia Abraham præcepturus sit filiis suis, ut timeant nomen meũ: prædicatur quòd posteros suos eruditurus esset in Domino, qui jam ad fidei virtutem pervenerat, ut filium posset immolare pro Domino.* Inde ad parentes convertens suum sermonem Eusebius sic eos hortatur: *Has itaq; primas filiis vestris providete opes, has eis immortales providete divitias, has eis post vos, hæreditatem relinquite, quæ offerri potest, relinqui non potest.* Tandem præfatur: Pater matris illius, quam sacer textus mirabilem prædicat, proponit exemplum, quę post educatos in religione septem filios, cunctos ad martyriũ pro fide tolerandum constanter excitat (Sigillatim itaq; à senioribus ad juniores fratres passionum ordo disponitur, unumquemq; per decurrentes ætatum gradus crescentia tormenta percurrunt: singuli magnitudine supplicii omnes speciali acerbitate torquentur; inter videntes pariter & sustinentes, qui dolores sunt, propria sunt communia; ac sic ille qui posterior vicit, cum omnibus triumphavit: satagit inter hæc fœlix orbitatibus suis mater, sollicitior de perimendis, securior de peremptis: respiciens quot funera, tot trophæa; & filiorum merita exultando sua faciens, novo genere gaudia doloris metit, ac septem martyria unius pectoris virtute consummat; & numerosam prolem cœlo læta parturiens, ad regnum Dei secura, quia secutura præmittit.) Admiranda matris constantia, invincibilis filiorum pietas. At unde illis tanta generositas, talis animi fortitudo? A religiosa educatione quam simul cum lacte hauserant à matre. *Quæ alia causa, nisi divina gratia & doctrina domestica? quæ causa alia, nisi quia statim post transacta cunabula inter annos infantiæ religionis affectum de institutione & conversatione pia parentum acceperant, & de tam sancta matris pectore Deum traxerant? Exempli enim fœmina in pignoribus suis animas magis cupiens nutrire quàm corpora: fidem primam teneris sensibus vice lactis infuderat, ut rudes eorum mentes, & mali nesciæ, in ipso vitæ limine vitam ebiberent: eosq; primitùs agnitio divini timoris impleret, ut in nova viscera sacris studiis occupata locum vana sæculi non haberent.* Eloquenter Emissenus, quamvis longiuscule, piam Machabæorum refert educationem, de qua eorum mater meritò omni habetur laude dignissima: *Quæ cùm ita sint, discant boni parentes tanta matris exemplo erudire filios suos, ut quos se in hanc vitam gaudent munere acquisisse naturæ, præparent æternitati sedulitate doctrinæ: insinuent fidem, doceant religionem, præcipiant castitatem: Majorem ad pignora vestra non potestis adhibere pietatem, quàm si per vos cognoscant animarum parentem, quàm si per vos in boni patris transeant adoptionem, quàm si per vos efficiantur cœli hæredes.* Opta-

Dan.
Euseb. Emiss. Hom. 4. de Epiph
L. 2. Machab. 7.

Optabat olim Crates in editam civitatis conscendere speculam, altaque exclamare voce: (Quo ferimini mortales qui ad possidendas opes magno studio incumbitis, filiorum veró quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis? Nam toti addicti estis, vel in excolendis prædiis & hortis, vel in mercimoniis, vel in litibus, vel in publicis negotiis, nec estis solliciti, quid filii, quid filiæ agant, quid discant, quibuscum conversentur, qua hora domo exeant, quave revertantur. *Similes iis qui cùm male materiatam & ruinosam videant domum, ipsam quidem instaurare negligunt, amplos autem ei in circuitu hortos disponunt: aut illis qui quàmvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta, aureas sibi vestes congerunt.* Alii prudentiores in sæculo existimati, toti sunt ut filiis lauta patrimonia, latos fundos, amplam hæreditatem relinquant, parum intenti, ut animus erudiatur, ut filii bonis imbuantur moribus: in quos acriter insurgit Salvianus. *Quid æstuas paterna pietas, ad conquirenda terrena & peritura, cùm nihil majus filiis præstare possis, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant? Non ergo necésse est, ut filio tuo terrenos thesauros abscondas, nulla re eum facies ditiorem, quàm si filium tuum thesaurum Dei feceris.* Idem argumentum solita sua eloquentia urget adhuc D. Chrysostomus. (Ingenti filios servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur nobis astutus auferat: nulla nobis possessio, nullus fundus æque nobis gratus & charus esse debet: quippe hæc omnia filiis quæruntur: Si igitur major possessionum nobis est cura, quàm eorum, quorum illæ gratia comparantur, id profecto absurdissimum & stolidissimum est: Exerceamus ergo ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus: Nam si illi probi non fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: si autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere divitem? bonum illum & benignum esse doce: ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit.) Prosequitur aureum eloquentiæ flumen, (Filiis non rite institutis præstat pauperes esse quàm divites, paupertas enim vel invitos coercet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudice temperanterque vivere sinunt; verum exorbitare faciunt, atque pervertunt.) Parentes qui neglecta filiorum educatione, terrenas eis anxie comparant facultates parricidis immaniores alioisum prædicat aureus Doctor. *Nulla alia ratione perversi ut sint filii contingit, nisi quòd eorum parentes circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, & fere dixerim, insaniunt: cum enim ista solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent; & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres parricidis immaniores dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti & corpus & animam, æternis ignibus tradunt*, divinæ dedignantes ordinem providentiæ, quæ parentibus commisit filiorum curam & educationem.

D.Chry. sost.hom. 60.in Matth.

Hom. 9 in 1.Ep.ad Timoth.

L. 3. adv. Vituperat. Vit. Monast.

3. *Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curet?* Tum quia cura est amori commensuranda; parens autem plus filium, quàm semetipsum diligit:

Tert. l. 2. adv. Marc. 15.

Tert. ib. ligit: Tum quia *ut vel posteritatibus suis prospicientes, legi divinæ obedirent*, quæ parentibus filiorum imperat curam: Tum quia gratia Sacramenti urget parentes Christianos ad curandam filiorum salutem. In matrimonii sacramento tria consideranda sunt: Unum morale, aliud civile, tertium sacramentale. Naturale respicit filiorum generationem ad speciei conservationem: politicum respicit successionem bonorũ, quam suis hæredibus relinquunt parentes, ad bonum Reipublicæ: Christianum respicit filiorum sanctificationem per baptismum & sanctam educationem. *Hæc est & esse debet piorum conjugum intentio, ut regenerationi generatio præparetur.* In esse naturali homines non sunt præferendi belluis, quæ per catulorum generationem conservant speciem: esse civile est commune fidelibus & infidelibus, quia infideles non secus ac fideles, filios bonorum suorum constituunt hæredes: esse sacramentale est Christianorum proprium; qui in matrimonio suscipiunt gratiam sanctificantem, nisi ponant obicem, & adhuc gratias statui conjugali congruas. Quemadmodum Sacerdotes in sui inauguratione ultra gratiam sanctificantem recipiunt gratias ordini sacerdotali conformes, ut digne suo fungantur officio & divinis ministrent, & quemadmodũ Regulares emittendo Religionis vota, recipiunt gratias sibi convenientes ad servanda evãgelica consilia, ita conjugati recipiunt gratias statui conjugali proprias; tum ut propriam, tum ut filiorum curent salutem: ad propriam salutem, nam ut supra dictum est ex Apostolo, mulier quæ educationi & saluti prolis invigilat, salutem meretur: ad filiorum etiam salutem: *hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu, Sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quã ex institutionis disciplina.* Per seminis prærogativam, intelligenda non est naturalis generatio, quæ filios non sanctificat, sed potius contaminat & efficit criminosos; sed regeneratio facta per baptismum, in qua gratia, quæ est semen divinum, renatos sanctificat, quos parentes in sanctitate conservare tenentur ex institutionis disciplina, & hoc trina potissimum ratione, 1. ut procurent vitam & salutem filiorum, quos in generatione morti & damnationi manciparunt: 2. ut eos defendant à tyrannide diaboli, qui filiis lapsus & damnum inferre nititur: 3. ut servent ordinem divinæ providentiæ quæ commisit illis filiorum curam.

D. Aug. l. 4 cont. Julian. c. 1

Tert. l. de An. 49.

Tert. apolog. 8 *Infantes penes Africam Saturno immolabantur.* Crudele illud sacrificium non ab aliis quàm à propriis parentibus offerebatur, qui proprios immolabant filios. *Quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes respondebant, & infantibus blandiebantur, ne lachrymantes immolarentur*, quo nihil inhumanius & irreligiosius potest excogitari. Verum ut obplorat Tertullianus; *sed nunc perseverat hoc sacrum facinus*; inter Christianos scilicet: Nam ut fatur D. Cyprianus, *parentes novimus parricidas*: & hoc semel & iterum: semel in generatione, iterum post nativitatem & rationis usum: in generatione parentes sunt parricidæ; nam dum filiis largiuntur vitam, communicant eis mortem, dum uniunt corpus animæ, animam peccato originali inquinant, & diabo-

lo

lo immolant; *sed etsi benedictio patrum, semini quoque eorum destinabatur, sine ullo adhuc merito ejus; cur non & reatus patrum in filios quoque redundaret? sicut gratia ita & offensa; ut per totum genus & gratiæ decurreret, & offensa salvo eo quod postea decerni habeat.* Loquitur de primis parentibus, in quibus tanquam in radice & fonte generis humani cuncti continebantur homines, participes futuri, vel justitiæ originalis, si eam servassent protoparentes, vel primævi delicti. Quod de facto in generatione contrahunt infantes, quibus parentes inferunt mortem: *Quoniam de infanticidio nihil interest, sacro an arbitrio perpetretur, licèt de parricidio intersit.* Quantum patricidium ab homicidio discriminatur, tanto majus damnum filiis inferunt parentes: homicidæ corpus duntaxat occidunt, parentes filiorum enecāt animas, corpora quoque morti mancipant, *non parentes, sed peremptores*: quia filiis inferunt necem non solùm in generatione, sed adhuc post nativitatem & usum rationis, dum prava sua educatione, vitam animæ supernaturalem quam in baptismate susceperant, adimunt, & per peccata actualia morti iterum mancipant. Nā ut subjungit D. Augustinus. *filios se diligere dicunt quos jugulare procurant: dicunt eos amare quibus suspendia parant*; nam dum depravatis suis moribus & scelerosis actibus docent eos vel blasphemiam & impietatem, vel lasciviā & salacitatem, vel avaritiam & iniquitatem; vel vindictā & crudelitatē; vel superbiā & vanitatē; vel alia crimina quæ animæ inferunt mortē, dæmoniis immolant. Tert. l. 2 adv. Marc. 15 Tert. Apol. 8 D. Aug.

Tot infantia trucidata; vel in materno utero, vel post partum, damni quod incurrerunt, aliquam satisfactionem efflagitant. Homicida hominis occisi uxori, vel filiis satisfacere tenetur; *& tamen multum ab homicidio parricidium differt.* Idcirco parentes interemptis filiis satisfacient: 1. si eis baptismū procurent quo renascantur & animæ eorum à morte peccati ad vitā gratiæ resurgant: parens qui parvulo periclitanti, cunctatur procurare originalis culpę remedium, non est immunis à delicto, *quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod libere potuit.* Et quoniam accepto baptismate, post usum rationis *parvuli possunt, & proventu mala indolis falli*, pravam indolem tenentur parentes bona educatione corrigere, sic satisfacient neci quam filiis in generatione intulerunt, salutemque consequentur: Nam ut fatur D. Hieronymus: *salus infantium, lucrum est parentum*: lucrantur autem sibi parentes, & infantibus salutem procurant, dum eos à diaboli tyrannide liberant. Tert. l. 2. ad Nat. 4 Tert. Apol. 8 Tert. l. de Bapt. 17 Tert. l. de Bapt. 18

Nam *idem qui in primordio invidit, nunc quoque obumbrat atque depravat, quo minus aut ultro prospiciantur, aut qua oportet, administrentur.* Diabolus qui invidit protoparentibus, eosque ad legis divinæ transgressionem adduxit, nunc etiam parentum obumbrat mentem, voluntatemque depravat, ne de filiis sint solliciti, eos bene & christiane educent. Qui bonam educationem filiis denegant, dæmonis ministri dicuntur, suntque quodammodo causæ damnationis filiorum; nam ut ait Petrus Dam. *Diaboli minister est, qui criminosus, ruina puerorum est.* Ex D. Thoma res duplici modo potest esse causa alicujus effectus: 1. dum in illum influit, Tert. l. de An. 39

fluit, sic sol diem per ignis calorem producit, animal generat filium in similitudinem naturæ: 2. dum habens potestatem impediendi productionem effectus, non impedit, 1. modo parentes non sunt causa ruinæ filiorum; sed 2. tum quia ait Dominus, *Nolite pueros prohibere venire ad me.* Illi autem non bona sua educatione prohibent filios ire ad Christum: tum quia filios educant non cœlo, sed terræ; non virtuti, sed vitiis. De quibus conqueritur Propheta: *Filii colligunt ligna, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent.* Quasi diceret Propheta: Ex filiis velut inculta & silvescente arbuscula pullulant rami noxiarum cupiditatum, quos non amputant parentes, sed potius colligunt, imo & ardentes illis faces supponunt, quas fovent stultæ matres adipe suarum blanditiarum, ut sacrificent reginæ cœli, hoc est vanitati, quæ sub sole regnat, & libent diis alienis, Baccho, Veneri, Plutoni, Marti, Mercurio, nimirum latrocinio & rapacitati, vindictæ & crudelitati, avaritiæ & iniquitati, luxuriæ & impuræ voluptati, gulæ & ebrietati.

Tert. l. de Bapt. 18

Jerem. 7

Quantum hujusmodi parentes distant à Blancha regina Franciæ, quæ omnimoda cura filium suum educavit, persæpe insinuans ejus cordi odium peccati, dicensque se malle filium mortuum, quàm peccatum mortale patrantem. Patres & matres sollicite filios vestros educate, ne illos *fur vobis astutus auferat*, ab infantia inspirate illis diaboli odium: Dicite illis, *Odisse debetis, quod patres perdidit*; nolite vos excusare, qui filii sunt adhuc parvuli, & in ætate tenera, in qua omnia eis licent: *Sed ecce Christus diligit parvulos, tales esse docens debere, qui semper majores velint esse*: odium enim peccati quod à pueritia discent, impediet ne in provecta ætate peccatum committant: (Matres item filiarum vobis curam assumite, est ea cura vobis perfacilis: curate sollicite ut domi jugiter sint; ante omnia pias religiosasque esse docete, aspernari pecunias, exteriorisque ornatus contemptrices esse; atque ita demũ nuptiis tradite; eas si institueritis, non ipsas modo servabitis; verum & viros qui illas ducturi sunt; neque viros tantum, sed etiã filios atque nepotes: quippe ex radice optima, surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumq; merces vobis reddenda est.) Hucusque Chrysostomus, qui optima illa documenta hac insigni concludit sententia, (nempè paterna domo decet progredi virginem, ac matrimonio jungi, quemadmodũ ex palæstra luctatorem, ut omnem diligentissimæ rei familiaris peritiam habeat, sitque veluti fermẽtum, quod massam omnẽ in suam transfert pulchritudinẽ. Patres & matres qui filios & filias probis imbuunt moribus, servant ordinem divinæ providentiæ, quæ eis filiorum filiarumque demandavit curam.

D. Chrysost. hom. 9. in 1. Timoth.
Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 13
Tert. l. 4 adv. Marc. 23
D. Chrysost. ibid.

Omnem autem hominis paraturam, aliqua utique potestas, divina voluntatis ministra, modulatur. Deus cujus providentia cuncta gubernat & Angelos ad hominum custodiam deputavit, *nos officia divina Angelos credimus.* Quemadmodum autem Angeli sunt ministri divinæ voluntatis, quibus hominum demandavit custodiam, ita parentes sunt ministri divinæ providentiæ, qui-

Tert. l. de An. 37
Tert. ibid.

bus

bus commisit filiorum curam. Quapropter sic fantur apud Chrysostomum, *Magnum habemus pretiosumque depositum, scilicet filios, ingenti illos servemus cura.* Magnum sane est discrimen inter donum, mutuum & depositum. Donum pertinet ad illum cui donatum est; mutuum è manibus creditoris exiens, in manibus debitoris recipitur: at depositum semper pertinet non ad eum cui creditum est, sed ad eum qui illud deposuit & credidit. Filii sunt depositum parentibus creditum, pertinentq; ad Deum qui illos credidit, quare Philo Judæus merito redarguit Evam dicentem post Caini ortum (Possedi hominem per Deum; quia *hic sermo falsus est*, at *quamobrem falsus?* quia Deus est omnium rerum causa, & non instrumentum: verius dixisset: Deus cunctorum conditor, curæ meæ commisit hominem tanquam magnum depositum, scilicet imaginem suam, filium suum. Ut enim in superioribus dictum est, tria considerantur in homine, anima, corpus, unio animæ & corporis, Deus solus creat animam, Deus solus organizat corpus, Deus solus unit animam corpori; proindeque filius qui est magnum depositũ parentibus creditum proprie ad Deum pertinet, ut belle animadvertit Tielmanus elucidans istud Davidicum: *Ecce hæreditas Domini, filii: merces, fructus ventris:* (Eritque fructus casus nominativi, & idem sibi volent ambæ illæ partes: hæreditas Domini sunt filii, & merces Domini fructus ventris: hæc enim erit hæreditas in qua inhabitabit & gloriabitur Deus; non fertiles campi, non densæ silvæ, non prata virentia, non montes aurei, sed filii gratiæ & gloriæ, quos habebit sibi in hæreditatem præclaram & pretiosam.) Quanto majus & pretiosius est illud depositum; tanto majori sollicitudine curãdum & conservandum est. Si rex quempiam ex vobis constituisset filii sui tutorem & custodem, quanta illum cura custodire deberet? quod si depositum sibi regni hæredem infensissimo regis inimico traderet, quali supplicio dignus esset ille proditor? Patres & matres, Deus in manibus vestris deposuit filium suum custodiendum, curandum & conservandum, & prava vestra educatione illum proditis, & traditis diabolo perpetuo Dei inimico? *Eripientes Deo hominem, patri filium, educatori alumnum, domino famulum.* Utinam ad hæc attenderent patres & matres, & pietaté Annæ matris Samuelis imitarentur. Ablactatum infantulum Samuelem Anna adduxit in domum Domini in Silo: & obtulit eum Heli sacerdoti dicens; Ego sum illa mulier quæ steti coram te hic orans Dominum, pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam: *Idcirco & ego eum commodavi Domino omnibus diebus, quibus commodatus fuerit Domino.* Deus Annæ filiũ cõmodavit, & Anna illũ Deo reddit, non absimiliter boni parentes depositos sibi filios Deo reddunt, per sanctæ educationis studium, eisque salutis auxilium subministrant.

Hom. 9. in 1. Ep. Tim.

Ps. 126

Tert. l. 1. adv. Marc. 23

L. 1 Reg. 1

III. PARS

Sacularibus satis agentes sumus: imo de sæculo nimium solliciti, ut constat ex multis parentibus, qui parum aut nihil de filiorum educatione solliciti, tantum ditare eos, & ad mundi honores provehere satagunt, nec attendunt quòd bona educatio est maximus thesaurus quem illis possint relinquere, &

Tert. l. 1. ad Ux. 1

Ibid. honor nobilior ad quem illos valeant sublimare. Superfluam illam de terrenis sollicitudinem merito damnat Tertullianus: *Cur non magis de divinis ac cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus, & legatum quodammodo prælegare, admonitionem & demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus, & hæreditate cœlorum deputantur.* Et quia tota vita hominis præsens & futura, salus inchoata, & beatitudo consummata dependet à bona filiorum educatione, omni cura bene educandi sunt, ut æternam consequantur salutē. *Non parum refert illo vel illo modo à teneris assuescere, sed quamplurimum, imo totum in eo consistit,* ut experientia ipsa comprobatur; nam videmus filios sedulos, observantes, mansuetos, morigeros, pios; alios verò ignavos, inobedientes, turbulentos, scelerosos, impios, prout diversimode fuerint à parentibus educati: Quapropter *qui veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua, tanquā filiis ad colendum Deum consulunt;* scilicet instructione, correctione, & exempli ædificatione: tunc enim filii bene educabuntur, *si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit.* Si natura præstruxerit, per boni exempli ædificationem, si doctrina persuaserit, per disciplinæ eruditionem: si censura compresserit, per severam correctionem: *Siquidem omne animal bonum, aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur.* Itaque parentes ad bonum debent inducere filios; eisque salutis auxilia præbere, per 1. disciplinæ Christianæ instructionem: 2. boni exempli ædificationem: 3: rigidam correctionem.

Arist l. 2 Ethic. c. 1

D. Aug. l. 19. Civ. 16.

Tert. l. de Pud. 1

Tert. ib.

1. Pueruli à parentibus virtutem, fidem, religionem, pietatem, divinum cultum edocti; *ita discunt Patrem æternum* : sic adimpletur voluntas Christi volentis parvulos ad se venire : nam tunc *veniunt dum discunt, dum quo veniant docentur* : non enim possunt ad Deum venire nisi discant Deum, neque Deum discere, nisi doceantur: hac autem puerorum eruditione nihil utilius, nihil excellentius existimat D. Chrysostomus. *Consideremus nullam artem hoc artificio sublimiorem inveniri: quid enim majus quàm animis moderari? quàm adolescentulorum mores fingere?* Pictor optime se operam collocasse arbitratur, qui in mortua tabula pulchram effinxit imaginem. Verum, ut subjungit D. Chrysostomus: *Omni certe pictore ac statuario, cæterisque ejusmodi, excellentiorem eum dico, qui juvenum mores fingere non ignoret:* qui Dei imaginem virtutum coloribus venustet; quod munus, ad parentes potissimum pertinet. Nam ut fatur D. Ambrosius, *prærogativa parentum, disciplina est filiorum.* Filiorum pia eruditione magis gloriosi efficiuntur parentes, quam cunctis opibus, pretiosis vestibus, dignitatibus quantumvis sublimibus. Campana illustris matrona Romana, in domo Gracchorum hospita, Corneliæque Gracchorum matri, indumenta sua hujus ævi pulcherrima & pretiosissima ostendens, Cornelia traxit sermonem, quousque rediret liberi; *Et hæc, inquit, ornamenta mea sunt:* Si Cornelia Gracchos sola virtute morali præditos, & vera pietate destitutos sua vocitat ornamenta: quanto magis decorantur parentes Christiani pietate, religione, & virtute, quam ab ipsis didicerunt filii? Teste siquidem Sapiente, *filius sapiens est doctrina patris.*

Tert. lib. adv. Valent. 11 Tert l. de Bapt. 18 Hom. 60 in Matth.

L. de Benedic. patr. c. 8

Valer. Max l. 4. c. 4

Prov. 13

Quod

Quod trinam patitur interpretationem: 1. Filius sapiens est doctrina patris, quia pater per eruditionem, instructionem & disciplinam docuit illum sapientiam, doctrinam & virtutem: 2. Filius sapiens est doctrina patris, quia ut expendit Symmachus, audit patris doctrinam, eique obsequitur. 3. Hebræa lectio vertit: *Filius sapiens est doctrina, disciplina, institutio, eruditio patris*, quia non tantum eam suscipit, sed & refert, ac repræsentat tanquam exemplar, cujus perfectio in perfectionis imagine relucet: Inde colligenda est non solum necessitas quam habent filii recipere parentum doctrinam, sed etiam obligatio qua tenentur parentes erudire filios, præsertim in tenera ætate, in qua, ait Basilius Magnus, *animus adhuc tener est, instar ceræ, quæ impressas in se formas quascumque facile recipit.* Reg. Sup. Discip. Interrog. 15

Multi tamen parentes filios ad pietatem erudire negligunt aut despiciunt; quos D. Ambrosius ursæ confutat exemplo: *Ursa fertur informes partus edere: sed natos lingua fingere, ad sui similitudinem: tu filios instituere, tui similes, non potes.* Feræ quantumvis immanes, domantur, cicurantur, & tu non potes puerorũ frænare impetus? Docetur canis erectus considere, pede porrecto venerationis signa exhibere, non prius cibum sumere, quàm anteriores pedes junxerit, & in cœlum sustulerit; & puer non erudietur galeru submovere, manus jungere, in cœlum oculos attollere, genua flectere, signo se crucis munire, aliaque religionis, diviniq; cultus signa edere? *In homines quodammodo mutantur aves, docenturq; psittaci, & picæ humanas voces*: & non poterunt matres, balbutientes nondum infantulos, has edocere voces, Deus meus, & omnia; Ave Maria, aliaque ejusmodi? Quàm laudabilis Gersonis mater, quæ filium Christianam disciplinam docens, cùm tempus jentaculi incumberet, infantem in genua procumbere jubebat, atque à Deo omnium parente, nuces, castaneas, & poma postulare docebat. L.6.Hexam.4 D Chrysost tom. 3 de Vit. & Virt.

Omitto plura ejusmodi piæ disciplinæ monumenta, ut ignavis illis parẽtibus allatum jam ursæ proponam exemplum; quæ 1. lambẽdo catulum format, & ad perfectum deducit: parens quoque erudiens puerulum *perfectum atque profectum, de doctrina disciplinaq; deducit*: 2. Ursa bis catulum producit, semel & iterum est ejus mater, & dum illum informem generat, & dum lãbendo format, & perficit: parens etiam probe erudiens infantem, secundo eum generat, & bis ejus est mater, corpus formavit, dum eum in lucem edidit, animum verò format dum in pietate erudit, magisque erudiendo quàm generando ejus est mater, ut acute animadvertit Procopius, declarans quisnam sit filius stultus, (qui genitus est in malitia, & in ignorantia mortuus est.) *Hujus verò mater non est, etiamsi ipsum genuerit: si enim mater est, etiam est genitrix: non omnino autem si genitrix, & mater; eo quod non omne quod genitum est participat Spiritũ adoptionis.* Licet physice loquendo genitrix sit mater, moraliter tamen loquendo omnis genitrix non est mater. Generatio genitricem denominat, eruditio autem, & optima morum institutio, genitricem refingit in matrem. Mulier quæ genitum filiũ non bene erudit, est duntaxat Tert. l. de An. 2 Prov. 17

ejus

ejus genitrix & non mater, at quæ probis eum moribus instruit est simul genitrix & mater, seu semel & iterum mater: semel per generationem, iterum per instructionem; imo & tertio per boni exempli imitationem. Ut enim docet D. Augustinus, *tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur: Uno, secundùm naturam, quomodo Isaac filius Abrahæ, vel cæteri Judæi, qui ex eadem origine veniunt: Alio modo secundùm doctrinam, ut filius ejus in ea re, quisque appelletur, à quo aliquid discit, sicut filios appellat Apostolus eos qui ab eo didicerunt Evangelium: Tertiò, secundùm imitationem, sicut filios Abrahæ nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur.* Tribus his modis infantes in pietate & religione eruditi, sunt suorum parentum filii, 1. per naturam, quam ab eis acceperunt: 2. per doctrinam, quam ab eis didicerunt: 3. per imitationem, sequentes bona virtutis exempla quæ eis proposuerunt.

Lib. cont. Adimant. c. 5

Tert. l. de An. 1

2. Commendatur de bonitate præceptor, *nec adolescentiam vitians, sed omni bono pudoris informans.* Parentes quibus incumbit filiorum eruditio, eos pietatem & virtutem debent docere, non solùm verbo, sed etiam exemplo, à quo potissimum desumitur *auctoritas moris.* Gregorius Nazianzenus de humana Christi generatione sic fatur: *Filius autem hominis propter Adamum ac virginem, ex quibus natus est: illo quidem ut generis auctore; hac autem ut matre ac lege.* Quasi parum sit quod beatissima Virgo sit unigeniti Dei mater, ejus quoque nuncupatur lex: Christus Dominus supremus legislator nulli obnoxius legi, Mariam tanquam suam legem recognoscit, eique subjicitur: Vel potius Dominus omnis perfectionis meta, cunctarumque virtutum exemplar, nullo indigens imitamento, habere voluit Mariam tanquam suæ conversationis legem quam imitaretur: Sic parentum mores imitamento transeunt in filios, ut parentes sint velut filiorum leges: nam ut fatur Petrus Damianus: *verisimile quippe est, ut quidquid virtutis in Sanctorum filiis cernitur, totum ab ipsis parentibus traditum fuisse credatur.* Non quidem generatione, qua originalem contraxerunt culpam, sed eruditione & exemplari virtutis operatione. Quapropter Paulinus Nolanus antistes desiderat ut piis parentibus respondeant filii, *sanctitate ingenita, quasi quadam justitia hereditate:* hæreditariam illam justitiam, in pia matre agnoscit Gregorius Nazianzenus: *Mater autem jam olim & ab ipsis proavis Deo consecrata, pietatem instar cujusdam hereditatis, non ad seipsam tantummodo, sed ad liberos etiam deducens*, quos suis exemplis incitabat ad pietatem.

Tert. l. de cor. mil. 2.

Orat. 35

Serm. 17

Ep. 10

Orat. in laud. Cæsarii fratris.

Uti autem pii parentes suis exemplis filios ad imitandam pietatem stimulant, ita improbi parentes depravatis suis moribus filios ad similem inducunt iniquitatem: (Sumuntur à conversantibus mores, & ut quædam in contactos, corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini trahit: impudicorum cœtus, fortem & siliceum virum emollit: avaritia in proximos, virus suum transtulit.) Quod si verum est de quovis malo exemplo, quantum à fortiori de depravato parentum exemplo, qui cum filiis in eadem domo manent, & diu conversantur.

Sen. l. 3. de Ira.

tur. Apud Platonem educatur puer, & Philosophiæ moribus egregie institutus, cum ad parentes relatus, ita tum videret patrem, familiam tumultuosa vociferatione inquietantem; *Nunquam*, inquit, *hoc apud Platonem vidi*: Pergit Seneca: *Non dubito quin citius patrem, quàm Platonem imitatus fit*: facilius namque filii depravatos parentum mores, quàm extraneorum virtutes imitantur: & ob hanc causam parentes dicuntur *fabri liberorum*, quos suis exēplis formant, præsertim dum adhuc sunt in infantia. Nam ut docet Philosophus (innatum quippe à natura pueris est, imitari; eoque differunt à cæteris animantibus: tum quod aptissimi ad imitationem sunt: tum quod primas disciplinas imitando acquirunt, & unusquisque juxta imitationem gaudet.) Puerorum indoles ac animus, crudæ argillæ aut mollis ceræ instar omnem formam recipit; ex eadem cera pro libito, nunc Angelus nunc diabolus effingitur, ita parentum mores puerum vel Angelum & innocuum, vel diabolum & scelerosum efficiunt. Quapropter Theodoricus rex sic fatur apud Cassiodorum: *Providentia nostra ratio est in tenera ætate merita futura tractare, & ex parentum virtutibus, prolis indicare successus*, parentum virtus est fœlix auspicium, quod in prole similem præsagit virtutem, at parentum vitium infausté filiorum velut ominatur vitium.

L. 1. de Ira c. 22. — Plaut. in Mostellar. — L. 1. Polit. 2. — L. 2. Ep. 15

Seditiosus Core Aaronis ambiens sacerdotium, seditionis suæ cum suis partiariis luit pœnas: siquidem (disrupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum.) Filii tamen Core ipso pereunte non perierunt, quod tanquam magnum miraculum refert Scriptura, *& factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent*: Prodigiū sane, quod ingens terræ hiatus criminosum Core sorbuerit, in hoc tamen portentosum & mirissimum factum miraculum non consistit, sed in eo maxime situm est quod patre pereunte, filii ejus non perierint, sed penduli in vago aere hæserint, quia scilicet patris rebellioni minime consenserunt, nec ejus imitati sunt temeritatem: adeo feruntur filii ad imitandos pravos parentum mores, ut magnum miraculū sit filios, scelerosum non fuisse imitatos parentem. *Sicut justorum filii, & ipsi justi, nobilitant & in se genus justitiæ, dum & patrum, & sua justitia sublimantur: ita nequissimorum, & ipsi filii nequissimi, incrementum faciunt malitiæ, quia & malorum filii sunt, & nequitiam illorum exemplarunt ad perditionem multorum.* Infaustum illud futuræ iniquitatis vaticinium, in Cham patris Chanaan agnoscit D. Ambrosius: (Quæso nunc cur non simpliciter dixerit, Vidit Cham nudationem patris: sed vidit Cham pater Chanaan, utique Chanaan natus non erat: cur ergo nomē additur filii, nisi ut vitio auctoris deformaretur hæreditas, & auctori filii nequitia gravaretur: & pater igitur in filio, & in patre filius redarguitur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoque commune consortium: *Nec poterat fieri ut bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & natura & eruditionis degener extitisset.* Tanta est vis paternæ iniquitatis ut pravo exemplo filiis nequitiam, velut hæreditario jure trāsfundat: ma-

Num. 16 — Num. 26 — D. Aug. L. qu. Vet. & Nov. Test. quæst. 14 — L. de Noe & Arc. c. 30

xima porro liberorum corruptela, sunt parentum exempla; facilius quippe depravati mores, quam naturæ morbi, quasi per traducem à parentibus derivantur in filios: quos ideo hortatur Apostolus, *Et vos patres educate filios vestros in disciplina & correctione Domini.*

Ephes. 6

3. Parens filios erudit, bono exemplo ad virtutem inducit, delinquentes corrigit, *exhibens & patrem, & dominum: patrem clementia, dominum disciplina: patrem potestate blanda, dominum severa: patrem diligendum pie, dominum timendum necessarie.* Parens arcam testamenti referat, quæ virgam simul & manna continebat: & ut fatur Gregorius Magnus, *in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis* Quod declarat sanctus Pontifex ex modo quo Samaritanus fuit à suis sanatus vulneribus: scilicet per infusionem vini & olei (ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda: miscenda est ergo lenitas cum severitate faciendum quoddam temperamentum ex utraque: ut nec multa severitate exulcerentur, nec nimia benignitate solvantur.) Quod adhuc exẽplo cytharædi declarat sanctus Pontifex, qui cytharæ chordas temperat ad concentum, ne vel remissiores sint, vel nimis tendantur; nam si nimis sint remissæ, sonum non reddunt, si verò nimis tendantur, frãguntur: (Chorda in cythara si minus tenditur, non sonat, si multum, raucum sonat, aut etiam disrumpitur. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens: ut dum se in arce regiminis, justitia, clementiaque permiscent, is qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen torroris reverentiam, demulcendo constringat.)

Tert. l. 2 adv. Marc 13

L. 2. Pastor. 11

Luc 10

in Job. c. 30

Multi tamen parentes illud non servant temperamentum in correctione filiorũ. Nonnulli nimis tendendo chordas cytharæ, eas disrumpunt, infundunt vinum absque ulla olei mixtione & vulnera exasperant; virgam adhibent, & manna nõ præbent; sese non patres, sed potius tyrãnos demonstrãt; nam filiis semper vultum severũ demonstrant, verbis asperrimis insequũtur, in illos maledicta continuo vibrant, pro levi culpa graviter percutiunt, & tanquam carnifices torquent, & multoties vulnera infligunt, in sanitatis, imo & vitæ jacturam. Quos redarguit Apostolus: *Et vos patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant:* id est, ne demittãt animũ si videant parentes in se jugiter litigiosos, duros, asperos, crudeles. Et quasi non sufficiat parẽtes ad moderatam stimulasse correctionem, rursus in servando severitatis modo, eos hortatur Paulus: *Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Quasi dicat, Patres nolite vestra duritie, asperitate, minis, laboribus, verberibus, filios vestros onerare, gravare, ad iram concitare, exasperare, ad furorem provocare, in desperationem projicere; sed educate illos in disciplina, corrigentes quidem, sed castigationis tenentes modum.

Coloss. 3.

Ephes. 6

Multi parentes nimia severitate agunt, nec ullum in puniendis filiis servant modum; sed multo plures filiis præbent mannæ dulcedinem, absque vir-

virgæ æquitate; oleum, non vinum vulneribus adhibent, cytharæ chordas nullatenus tendunt, neque atrocissimas etiam culpas corrigunt: & ut obplorat Tertullianus, *bona jam nec nasci licet, ita corrupta sunt semina; nec erudiri, ita deserta sunt studia; nec cogi, ita exarmata sunt jura.* Quidam filiis blandiuntur, dum male agunt, verbaq; vel æquivoca, vel turpia, vel impia proferunt, & ut olim lamentabatur Quintilianus inter Romanos sapientissimus, & inter Oratores famosissimus: (Gaudemus si quid licentius dixerint: verba nec Alexandrinis quidem præmittenda deliciis, risu & joco excipimus.) Alii sua indulgentia & mollitie filiorum crimina fovent, eosq; non diligunt sed aversantur: nam ut fatur sapiens, *qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Hæc propositio duas continet partes: unam de amore, aliam de odio parentum. Parens qui diligit filium, illum erudit, id est, castigat. Quocirca castigatio est verum paternæ benevolentiæ signum, quod Patris cœlestis exemplo declarat Apostolus: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*, id est, quem in filium admittit, quē in suam disciplinam & paternam curam suscipit, quem suæ familiæ adscribit, cui optime vult & hæreditatem decernit. Hanc paternam benevolentiā agnoscit Cajetanus in Jacob, non solum dum Josephum & Benjamin benedicit, sed etiam dum Simeon & Levi redarguit. Moyse namque teste postquam Jacob duodecim filios, totidem tribuum principes constituit, *benedixit singulis benedictionibus propriis*: ubi Cajetanus (Ne intelligeres Jacob aliter benedixisse filiis quàm scriptum est, explicuit Moyses, quòd quilibet filius est benedictus, sicut exigebat singulorum benedictio: ut hinc intelligamus, quod etiam illa quæ mala sunt (puta, Simeon & Levi vasa iniquitatis) & alia similia mala pœnæ & culpæ sint dicta benedicendo. Notanda sunt verba quæ subjungit Cardinalis: *Nam & arguere, & punire, & præmonere, aliena non sunt à paternis benedictionibus*: Cùm parens paterno & benevolo affectu filios de scelere arguit, severius reprehendit, acerbiusque punit, tunc charius amat & fœlicius benedicit: præmonitio enim & reprehēsio cautela disciplinæ est, & velut emendationis causa, & velut salutis & fœlicitatis medium; licet enim pueris insipientibus & licentiosis horrida & aspera videatur, in fine tamen paternam agnoscent benevolentiam, fructumque severæ correctionis colligent & gustabunt suavissimum. *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

L. de Pud. 1.

Prov. 13

Hebr. 12

Gen. 49

Hebr. 12

Verum sicut increpatio, exprobratio & correctio est amoris signum, & arcana patris benedictio; ita & criminum dissimulatio parum à maledicto differt; nam correptionem sistit, eamque fructu suo, nimirum emendatione, & fœlicitate prohibet. Quapropter pater velut flagitiorum filiorum nescius, aut disciplinæ negligens, correptionem omittens, factus scelerum leno, filiis quasi maledicit, illosque crudeliter aversatur, ut Sapiens altera parte propositionis declarat: *Qui parcit virgæ, odit filium suum.* Non solum qui liberos suos ex indulgentia nunquam punit; sed etiam ille,

quis in eis castigandis parcus, parumque assiduus est, filios immiti odio prosequitur. Segnis namque amor, qui liberorum culpas impunitas relinquit, odii instar habetur: quemadmodū enim verus parentum amor filios à perditione avocare nititur, eorumque salutem & fœlicitatem procurare; ita qui eos à salute revocant, & damnationi & justitiæ divinæ mancipant, odiū

D. Aug. in Ps. 50

demonstrant; quapropter *valde perniciose sentiet filius patris lenitatem, ut juste postea sentiat Dei severitatem.* Divinæ hujus severitatis exempla sunt passim obvia, quæ libens prætereo, ut dicam cum Tertulliano: *Quia ergo justus Deus, non pueris pepercit, exigens majori ætati honorem & utique magis à minore*, quos ursorum ministerio punivit: nam *immisit & pueris ursos, sed irreverentibus in Prophetam.* Loquitur de Elisæo Propheta, qui cùm appropinquaret portas Bethleem, filii Bethleemitæ convitiis eum lacesserunt, ejusque calvitiem irriserunt: *Creator autem ursos pueris immisit, ulciscens Elisæum prophetam, convitia ab eis passum.* Duo namque ursi è saltu proruentes, quadraginta duos ex eis dilaceraverunt. At cur pueros decennes ita sæviter castigavit Deus? Respondet D. Augustinus: *Ut mors filiorum fieret disciplina parentum.* Non immisit leones, quorum illa regio fertilissima est, sed ursos, quia, ut supra dictū est, ursa mystice filiorum exprimit educationem. Respondet 2. Justinus Martyr: Convitia quæ pueri jaculabant in Prophetam à suis parentibus didicerant; idcirco Deus, filiorum nece castigavit parentes, de quibus merito conqueruntur filii. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio;* cum in tempore, nam persæpe ab humana justitia damnantur, & ultimo afficiuntur supplicio: tum in æternitate passuri inferni tormenta: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas.*

L. 4 adv. Marc. 23 — L. 2. adv. Marc. 14 — L. 4. Reg. 2. — Tert. l. 4 adv. marc. 23 — Serm. 214 de Temp — Eccles. 41. — D Cypr. de lapsis.

Neque solum filii criminosi suorum scelerum luunt pœnas, sed etiā parentes, sunt & criminis participes, & pœnæ consortes: *Omnia quæ deliquerint filii, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos: hi enim filiorum animos igni inextinguibili in interitum tradunt, & semetipsos in furorem judicii demergunt. Hujus evidens exemplum in Heli ostenditur.* Ophni & Phinees filii ejus, gulæ & impudicitiæ dediti, vitam criminosam & scandalosam ducebant: quos 1. reprehendit pater: (Quare facitis res hujusmodi quas audio, filii mei? non enim est bona fama quam audio.) 2. Eos à sua vita scelerosa ex intuitu divinæ justitiæ avocare conatus est: (Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?) 3. Quid amplius facere poterat Heli, num verberare viros juvenes & robustos, vir fere nonagenarius, viribus impar, ita infirmus podagra, ita laborans, ut vix pedibus posset ambulare? (Cujus caligaverant oculi, & videre non poterat.) 4: Prostrato à Philistæis exercitu Israel, cæsisque duobus filiis, cladis publicæ & domesticæ damnum submisso fert animo dicens: (Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.) Et tamen Heli, morte temporali, & æterna mulctatus est. Temporali quidem: (Ipse verò è sella retrorsum fractis cervicibus corruit.) Æterna quoque; nam ut ait Cæsarius Arelatensis,

Orig. l. 1 in Job. — L. 1. Reg. 2 — L. 1. Reg. 4 — L. 1. Reg. 2 — L. 1. Reg. 2

tensis, *nomen ejus de libro vitæ deletum est.* Tantam sustinuit Heli pœnam, non propter commissa ab eo scelera, nam integerrimæ fuit vitæ; non libidinosus, non potator, non raptor, non contumeliosus, non aliquo vitio contaminatus. Addit Cæsarius: *Cujus cùm vita esset irreprehensibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem, non cum severitate corripuit, cum ipsis etiam pure punitus est, & grave subiit supplicium.* Heli mulctatus non est pro commissis ab eo sceleribus; neque etiam quòd filios habuerit criminosos, multi enim parentes probitate commendati, perversos habuere filios, ut Jacob, Samuel, David, nec tamen pro filiis luerunt pœnas. Neque etiam punitus est Heli, quòd filios non admonuerit, verbis corripuerit, sed quòd in illos nimia indulgentia usus sit: *Neque enim ideo quòd malos haberet filios puniebatur, sed quia ultra debitũ increpationi pepercerat, & ut cum Dei leges violarentur, severius in illis ultus non est.* Filios Heli, sacris arceri, velut excommunicari, & dignitate sacerdotali, privari censuit Theodoretus, (Filiorum iniquitates non egebant lenibus medicamentis, sed acerrimis & asperrimis: oportebat ergo, eum post primam & secundam admonitionem, si perseverassent in nequitia, eos è templi ambitu expellere.) Addit Procopius (à sacerdotum dignitate amovendos fore.) Et quia filios pater debita pœna non mulctavit, sed leniter & muliebriter verbis duntaxat admonuit: *propter filios periit: illos quippe cùm acrius coercere debuisset, verbis tantum lenibus monuit: quocirca dum illis molestus esse severa increpatione recusat, & illos, & seipsum una perdidit.* Filiorum reprehensio fuit pacata nimis: debuit enim non blanda patris benevolentia, sed auctoritate pontificis, & judicis severitate acrius reprehendere & acerbius castigare. Et ut ait Petrus Damianus: *Porro quos inimicos Dei vidit, in perniciem suam filios recognovit, & quos hostili ferire gladio debuit, paterna blanditiæ lenitate palpavit,* in tanta scelerosum insolentia, judicem potius quàm patrem agere debuit. Si tam severe punitus est Heli quòd non acerrime castigaverit filios, quòd non è templo expulerit, quòd non excommunicaverit; quòd nõ dignitate sacerdotali privaverit; quam pœnam merentur parentes illi molles, qui non corrigunt filios, aut si interdum admonent, sermonibus tantum byssinis id faciunt? *Timeo & nimium expavesco Heli sacerdotis exemplum, qui pro eo quod audiens filios suos adulteria committere, dissimulavit eos aut cadere, aut à communione suspendere; sed tantùm leniter admonuit, & non cum grandi severitate distrinxit.* Nonne timere debet pater qui non corripit filium præcepta Dei & Ecclesiæ violantem? Mater, quæ non avocat filiam à venereo amoris negotio; parens, qui filios & filias sinit vitam ducere scelestam, libidinosam, impiam? Nam ut docet Angelicus Thomas: *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, præcipue si ex officio incumbat, sicut peccata filiorum imputantur Heli.* Patres & matres, cavete, ne vestra negligentia & nimia indulgentia, qua filiorum toleratis peccata peccetis mortaliter, & mortem animæ tum temporalem, tum æternam patiamini: si vultis divinam vitare severitatem, criminosos redarguite

Hom. 15

D. Chrysost. hom. 3 de Prov.

Quæst 10. in I. Reg.

D. Chrysost. hom. 9. in 1. Timoth.

Cæsar. lib.

Lib. 8. sup. cap. Ep. ad Rom.

guite & castigate filios, diligenter avocate ab illis incentiva vitiorum, contendite quantum in vobis est subministrare illis auxilia salutis, erudite illos in via virtutis, ut christiane & pie viventes immortalem sibi comparent fœlicitatem.

CONCIO QUARTA.

Tert. l. 2. ad Nat. 9

Pius Æneas, *ob unicum puerum, & decrepitum Senem.* Æneas duplici de pietate commendatur, & de pietate quam exhibuit filio adhuc puerulo, & de pietate quam præstitit Anchisi patri senio laboranti; quã utrumque à Trojano liberavit excidio, infantem manu ducens, & senescentem parentẽ humeris deferens. Binam ejusmodi pietatem, in utroque Tobia merito miratur D. Augustinus: Nam *filius patri porrigebat manum, ut ambularet in terra: & pater filio, ut ambularet in cœlo.* Quibus probe hæc Tertulliani verba competunt: *Tam pius pater, quàm pius filius.* Binam illam pietatem exercere debent Christiani, si divinis velint obtemperare mandatis. *Lex loquitur: Honora patrẽ & matrem: & , parentes enutrite filios vestros in disciplina & correptione Domini. Audistis & veteribus dictum, Narrabitis hæc in auribus filiorum vestrorum, & filii vestri æque in auribus filiorum suorum.* Ad duplicem illam pietatem natura inclinat, lex divina stimulat; & quasi non sufficiat exaratam esse à natura in hominum cordibus, divina lege fuisse promulgatam, exoptat Deus, ut parentes illam doceant filios suos, filii quoque successive de illa suos erudiant nepotes, ut nulla sit generatio quæ pietatem parentum in filios, & viceversa filiorum in parentes ignoret, & ad praxim non redigat. In superioribus actum est de pietate parentum in filios: nunc pietas filiorum in parentes illustranda est, quæ ex mente Philosophi complectitur honorem, obsequium, subsidium. Itaque parentes filii debent, 1. honorare: 2. eis obtemperare: 3. subsidium & auxilium subministrare.

Serm. 18 de Verb. Dom. L. 2. ad Nat. 1; Tert. l. 5 adv. Marc. 18

L. 8. Ethic.

I. PARS. Tert. l. de cor. mil. 11 Exod. 20 Matth. 15.

Filiis parentum honorem vetus & novum præcipit Testamentum. *Patrẽ & matrem & lex honorari præcipit.* In veteri namq; Testamento sic ait per os Moysis Deus: *Honora patrem & matrem.* In novo autem Testamento sic ipsemet loquitur Christus *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Nulla est natio tam barbara & agrestis quæ honorandos à filiis parentes non censuerit: idcirco Stobæus ex Socrate, Platone, aliisq; Philosophorum proceribus sic scribit ad propositum: (Ut igitur in promptu habeamus, quibus officiis erga parentes adstringamur, summariam hanc sententiam semper animo versare oportet, quod parentes Dei nobis imagines sunt, & dii lares seu domestici, beneficiorũ auctores, cognati, creditores, domini, & amici conjunctissimi: sunt enim Dei imagines certissimæ, & similitudinem ejus nobis referunt, melius quàm ullius artis facultas exprimere possit; cùm tanquam Deus domus, patroni & nobis familiares sint.) Sex conglomerat hic auctor ratio-

Serm. 79

tiones, quibus filios urget ad parentum honorem: 1. Quia divinam referũt majestatem, cujus sunt certissimæ imagines: 2. quia multa eis largiti sunt beneficia: 3. Quia sunt domini, & in filios habent auctoritatẽ: 4. Quia sunt creditores, quibus filii reverentiã debent: 5. Quia sunt amici conjunctissimi, naturaliter honorandi: 6. quia sunt patroni, qui filios educarunt, quibus de jure debetur veneratio. Omissis his rationibus tres tantum affero, quibus parentũ honor innititur: ut 1. divinam in parentibus imaginem colant: 2. parentum excellentiam recognoscant: 3. cœlestem benedictionem acquirant.

1. *Dicendo patrem, Deum quoque cognominamus*, non solùm quia Deus est hominum pater, qui in natura eos creat, & media gratia in filios adoptat; sed etiam quia humanus pater est viva quædam Dei in terris imago: & ob hanc causam Philo Judæus nuncupat parentes *Deos visibiles*, quia divinam filiis repræsentant majestatem, quam venerantur dum parentes honorant. Nam ut belle fatur ad propositum Tertullianus; *Dei honor in patre*. Tanta est connexio inter Dei cultum, & parentum honorem, ut uterque sub uno & eodem pietatis nomine comprehendatur. Præcepta etiam quæ Dei & parentum venerationem præcipiunt, adeo unita sunt, ut secunda Decalogi tabula incipiat ab honore parentum, quia veneratio parentum Dei cultum immediate sequitur. Quapropter illam appellat Tertullianus *imperatam in parentes, secundam à Deo religionem*. Quod non latuit Pithagoræ notitiam, qui in suis aureis carminibus sic fatur, *Imprimis venerare Deos, deinde parentes*. Imo ipse Philosophorum princeps humanos parentes docet cœlesti parenti perfecte similes. Tert. l. de Orat. 2 L. de Orat. 9 L. de Pud. 5 L. 8. Ethic.

Deus hominis est pater: Tum quia ab illo ut à prima causa recipit esse; *nam pater omnium qui conditor universitatis*: Tum quia à Deo nutritur, eique alimenta vitæ præbet necessaria, idcirco propter hominem vegetabilia & animantia produxit, estq; quodammodo finis cunctorum quæ in mundo continentur. *Universa negotiatio mundialis perveniens ad humani generis utilitatem: ipsum cœlum sub quo omnia terra, super quam omnia: & quidquid illorum inter se, ad commoda humana conspirat.* Tum quia homo à Deo recipit disciplinam & eruditionem; creat enim humanam animam, cui indidit naturalem cognitionem primorum principiorum, in quibus fundatur omnis scientia, disciplina, ars & eruditio. *Insita sunt nobis omnium artium semina magisterque ex occulto Deus producit ingenia, ex seminibus scilicet insitis, & occultis per infantiam, quæ sunt & intellectus, ex his enim producuntur ingenia.* In his tribus cœlesti patri assimilatur terrenus & humanus pater: Nam ab illo ut à causa secunda filius recipit esse; deinde alimenta ad victum necessaria; tandem disciplinam & eruditionem. Deus ut hominum pater ab illis colitur, ob trinam qua pollet super illos præeminentiam, scilicet potentiæ, qua produxit; bonitatis, qua nutrit; sapientiæ, qua erudit. Et quia humani parentes sunt participes trinæ illius divinæ præeminentiæ, qua filios potentia generativa producunt, bonitate nutriunt, sapientia erudiunt, filii eos velut divinæ au- Tert. l 4. adv. Marc. 17. Tert. l 2. ad Nat. 5. Tert. l. de An. 19 Alens. 3. p. qu 33. memb. 4 art. 2

auctoritatis imagines venerari tenentur. Et ut sapienter ait ex mente Philosophorum Stobæus: *existimare debent se in domo patria veluti fano quodam editos, & sacerdotes ab ipsa natura consecratos, ut parentum cultui operam darent.* (Serm.79)

Itaque filius qui à natura inauguratus est parentum sacerdos, & velut divinos illis non exhibet honores, impii sacrilegii reus est, quem merito *Deo impium, patri irreligiosum* vocitat Tertullianus: Tum quia despiciendo patrem, Deum quoque despicit. *Qui contemnit patrem, contemnit Deum qui is patre est:* tanta est cognatio inter Dei venerationem, & parentum reverentiam. Tum quia *ille Deum abjurabit facile, qui parentem suum negat:* impius in parentes, ut plurimum est impius in Deum. Tum quia, ut vult Cassiodorus, filius impius in parentes omnium scelerum putatur reus. *Quis possit accusare jam reliqua si pietatis nomina putantur esse crudelia? Negligitur levis reatus, cum tragœdia criminis magna tonuerit.* Quænam major tragœdia criminis, quàm illa, qua impius filius Dei majestatem in patre non colit, nec sua veneratione parentum excellentiam recognoscit? (L. adv. Marc 23; D. Aug. Ser. de Obed.; Greg. Naz. in sent.; L.2.Ep.4.)

2. *Quos & Evangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoque honoravit.* Omnis enim verus honor in alicujus perfectionis excellentia fundatur. Idcirco principes, sapientes, & seniores naturaliter honoramus; parentes autem & ætate, & cognitione, & regimine, & beneficentia, sunt excellentiores filiis; ideoque parentibus filii reverentiam præstare tenentur. Honorem quem parentibus debent filii, honori regio comparat Philosophus, sicut autem regi ut excellentiori honor debetur à subditis, ita & parentibus à filiis. Interrogavit olim suos satrapas Cyrus, quisnam illis major & excellentior videretur; ipsemet, an Cambyses ejus pater? Satrapæ unanimi consensu responderunt absque injustitia non posse comparari Cambysis pusillanimitatem cum Cyri magnanimitate. Nonne Cyrus Chaldæam subjugavit, Assyriam debellavit; Scythiam terruit; Mediam illustrem reddidit, Persarum fundavit imperium? Tam egregia facinora Cyrum Cambyse longe digniorem demonstrant: Cambyse, inquam, qui gladium nunquam evaginavit, nullum certamen iniwit, nullam provinciam imperio suo subdidit, nihilque magni egit. Cyrus procerum mentem cum risu audiens, serio dixit, Fateor me egisse cuncta quæ locuti estis, his tamen non obstantibus Cambyses est Cyro excellentior: per cunctas namque generationes Cyrus prædicabitur Persarum rex, at Cambyses laudabitur tanquam Cyri pater & educator. Alphonsus Arragoniæ rex patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit, ac pedibus comitabatur. Monenti autem patri, aliorum procerum more equo conscenso ut adequitaret, respondit: (Aliis liberum sit agere quod voluerint; ego nunquam adducar, quin patrem, quin regem, & eum ægrotum, pedibus sequar.) Taceo reverentiam, quam Alexander Severus Imperator reddebat Mammeæ matri, Constantinus Magnus Helenæ, sanctus Ludovicus Galliarum rex, Blanchæ. Quis non miretur honorem quem detulit Salomon Bersabeæ, & Joseph Ægypti prorex Jacobo patri? Salomon (Tert. l. de cor. mil. 11; L.8. Ethic.; Panorm.)

rex

rex conspiciens de longe Bersabeam ad se venientem, assurgens de throno regio in quo sedebat obviam matri processit, antequam se demisse incurvavit, jussitque ad dexteram suam apponi Bersabeæ solium: *Venit Bersabee ad regem Salomonem & surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, positusq; est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Tria præstitit rex matri, 1. obviam illi fuit: 2. eam incurvatus adoravit: 3. in solio ad suam dexteram collocavit. Neque minori admiratione digna est reverentia, quam Jacobo patri reddidit Joseph. Joseph non tam obscuro somnio, quàm divino cœlitus oraculo didicerat sese à sole, luna, & undecim stellis summo honore colendum; familiam suo quasi imperio subjiciendam, nihilominus se ad ima, & omnia parentum submisit mandata. *Joseph cùm somniasset, quòd sol, & luna, & stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri.* Nam patris jussu missus ad fratres, qui pascebant oves, nihil hic tergiversatus, non longitudinem itineris, non fratrum invidiam, non locum incognitum, non alia ejusmodi prætexit, sed ad nutum paternæ voluntatis sese composuit. Verum hæc sunt velut præludia venerationis, quam postea præstitit patri; nam etsi esset Ægypti prorex, secundus à Pharaone, præpositusque universæ terræ Ægypti, patrem tamen suum plebeium *adoravit pronus in terram.* His exemplis erudiuntur filii, nulla se status aut dignitatis amplitudine eximi, quo minus parentibus observantiam exhibeant, ne unquam filios exuant, sed semper parentum recognoscant excellentiam.

L. 3. Reg. 2

Gen. 37

D. Ambr. l. 1. Offic. 17

Gen. 48

Justinianus in Institutis varios docet modos quibus filius à paterna potestate potest emancipari, sed omnes simul jurisconsulti nunquam filios eximere potuerunt ab honore quem tenentur præstare parētibus: qui consistit in mente, corde, ore, & opere: Mēte per existimationem; corde per dilectionem; ore per sermonis venerationem; opere, per humilem corporis compositionem, aut tollendo galerum, aut genu flectendo, aut caput demittendo, aut sese incurvando, aut illis humiliter serviendo. Ut enim ait Sapiens: *qui timet Dominum, honorat parentem, & quasi dominis serviet iis qui se genuerunt, & in opere & in sermone, & in omni patientia.* At proh dolor! hac tempestate filius *totum quod est pietatis, excludit*; parentes non honorans, nec mente, nec corde nec ore, nec opere. Non 1. mente quia illos non existimat, sed contemnit ad instar cujusdam Alberti matri suæ minus deferentis, quem Petrus Damianus sic pungit: *Divinæ legis mandata procul dubio despicit, qui deferre parentibus parvi pendit.* De ejusmodi despectu conqueritur parens: *Filios educavi, & exaltavi, ipsi autem spreverūt me.* Pro ly *educavi*, quod habet vulgata lectio, Septuaginta vertunt *genui:* Theodotion verò legit, *enutrivi.* Quatuor accepit à parente filius: generationem, educationem, nutritionem, & exaltationem. Quantumvis sit fortunæ bonis opulenter ditatus, ad honores alte sublimatus; virtutibus & gratia decoratus, gloria adhuc & beatitudine donatus, de cunctis illis bonis fortunæ, naturæ, gratiæ & gloriæ, debitor est parentibus à quibus accepit esse, quod est cunctorum bonorum fundamentum. Nam ut belle ad

Eccles. 3

Chrysol. serm. 55

L. 8. Ep. 4

Hom. 20 ad Pop. propositum fatur D. Chrysostomus, *qui radicem præbuit, utique & fructuum auctor est.* In quovis honore constitutus sit filius, parenti non debet denegare honorem, quia *honor geniti, genitoris honor est*: illum enim debet parenti, à quo

Chrysol. serm. 6 mutuatus est existentiam quæ est basis honoris: & quia *parentum partes sunt liberi*, filius sibi comparans gloriam, honorē debet præstare parentibus quasi

Philo l. de Joseph. *in patris gloriam fructificasset.* Filius tamē hac tempestate superbia inflatus, de

Tert. lib. adv. Valent. 8 bonis fortunæ tumidus, *pietatis refuga, affectionis desertor*, parentem non honorat mente, & corde, sed mente despicit, & corde odit. 2. Quærit Aristoteles, *cur nam pater magis filium amat, quàm filius patrem? utrum quod pater erga*

Chrysol. serm. 1 *filium beneficus sit, quodque filius de patre benemeritus, & ejus factio sit.* Filius mi-

L. 2. Mor. 14 nus amat patrem, unde credi poterat magis ad ejus amorem inflammari: ideo non tam amat filius patrem, quàm pater filium; quia filius est factura patris; quia pater in filium large beneficus est; quia pater filium quantū potuit, exaltavit, bonisque cumulavit: O ingratitudo! ô perversitas! ideo filius minus amat patrem, quo magis expertus est illum munificum & liberalem.

D. Aug. l. 2. de Ser. Dom. in Mont. 8 *Nihil charius debet esse filiis quàm pater*: at ingratus filius de patre bene meritus, beneficum & amantem parentem non amat. Parentem filium ardenter diligentem redarguit Paulinus. *Arguam te de charitate in charitatem peccare:*

Epist. 2 quia persæpe ex nimio filii amore, peccat in charitatem, quam Deo sibique debet: nam, ut filium ditet & sublimet, Deum offendit, suamque damnationem incurrit: At filius minus patrem amans peccat de defectu charitatis in charitatem, quia amorem paternum suo amore non recognoscit: sed quod est horribile dictu, suum potius parentem odit, longum vitæ ejus spatium

Chrysol. Ser. 1 ægre & impatienter tolerat. *Quantum pius pater, tantum hæres impatiens, qui patris fatigatur ad vitam*, ejusque necem desiderat. Ut enim refert Propheta

Cap. 49 Evangelicus: *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ, Angustus est locus, & fac mihi spatium ut habitem.* Hos Petrus Damianus cōparat igni, qui destruit

Ibid. & consummat lignum, à quo exortus est, nutritur, & sustentatur: Ex D. Hi-

In cap. 3 Matth. lario *viperarum natio nuncupantur*: nam viperarum instar dilacerant viscera quæ eos genuerunt. Horruit impium Neronem antiquitas, qui Agrippinæ mortem intulit, à qua acceperat vitam: Non inveniuntur apud Christianos

D. Aug. Ep. 167 ejusmodi monstra naturæ, sunt tamen *mali filii etiamsi nullas violenter inferant manus, parentum pietatem gravius persequuntur*; quam si eos percuterent: nam adversus eos minas ejaculant, attollunt manus, pede percutiunt terram, stri-

Tert. l. 2 ad Nat. 14 dent dentibus, aliaque dant signa contemptus & animadversionis, *quæ patri causa mortis fuit.* Nam persæpe præ dolore & tristitia animam efflat, fer-

Tert. l. 1. ad Nat. 2 re non valens opprobrium quod ei suis sermonibus filius exprobrat. 3. *Contenti estote detrahere laudi parentum*, illos ut vestros parentes dedignantes, nolite illos arrogantibus lacessere verbis, sed illis reverenter loquimini. Hanc sermonis venerationem non præstant parentibus, qui illos injuriis, conviciis & maledictionibus insequuntur, qui eis suos exprobrant defectus, & quasi scelerosos accusant, ut constat Liæ & Rachelis exemplo, quæ audien-

dientes Jacobum de socero conquerentem, non solum mariti querelas approbaverunt, sed patris adhuc crimen incrementarunt. *Nonne quasi alienas reputavit nos & vendidit, comeditq; pretium nostrum?* Filiæ Laban apud querulum virum, non excusant & defendunt patrem, verum tanquam infestissimæ inimicæ illum accusant, novasque & occultas adhuc subjungentes Labani culpas, ejus scelus aggravare moliuntur. *Filiæ quæ debuerant patrem excusare apud virum, accusant, & majora mala, quam audierant, detegunt; & adversus patrem causa viri, veluti suam tuentur: Hinc est quòd filiæ conjugatæ, quasi alienæ reputantur*, quæ parentem tanquam extraneum accusant. Et 4. opere adhuc inhonorant: Tum quia *filius patris nititur auferre substantiam*: Tum quia venereo sufflammatus amore, inconsulto patre contrahit matrimonium: Tum quia parentum detegit & propalat ignominiam: ad instar Cham patris Chanaan qui verenda patris nudata prospiciens, duobus fratribus suis nuntiavit foras. Verum sicut detestanda est Chami impudentia, sic & admiranda est Sem & Japhet pietas, qui patris improperium non solum nō videre student, sed adhuc celare contendunt. (At verò Sem & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verēda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.) Chami impudentia ad impietatem contendit, Sem verò & Japhet ad rem pietatis, aversa facie, & cæco vestigio progressi sunt: & ut fatur Magnus Gregorius, *Operimentum aversi deferunt, quia dijudicantes factum, & venerantes parentem, nolunt videre quod tegunt.* Boni filii improperium patris aversi veniendo operiunt, quia illis displicet, & ab aliis notum ingenio pietatis occultant. Quod autem boni filii aversa facie tegunt, improbi malitiæ impudentia perquirunt, inveniunt, produnt, & sæpe sæpius innocuis parentibus fœda crimina imponunt; nam ut creditores decipiant debitores partes, fraudatores, & debito solvendo impares litigando injuste contendunt. Quos merito pungit Tertullianus, *Ejerare patrem & matrem, quos & lex honorari, & post Deum diligi præcipit.* At Cham patris detegens improperium, maledictionem invenit: Sem verò & Japhet patris tegentes opprobrium, condigna pietatis usura, ampla benedictione munerantur.

Gen. 31

Oleast.

Chrysol. ser 2

Gen. 9

Apud Glossam.

L. de Cor. Mil. 11

3. *Fœlices qui patrem agnoscunt*, paternamq; ejus venerantur dignitatem, in præmium dignitatis suæ divinam recipiunt benedictionem: *Quantam quoq; discimus parentibus reverentiam, cum legimus* Gen. 27. *quoniam qui benedicebatur à Patre, benedictus erat; ideo parentibus hanc Deus donat gratiam, ut filiorum pietas provocetur.* Et ob hanc causam tā avide & instanter Esau patris expostulat benedictionem; homines enim ætatis illius longo usu didicerant, patris benedictionem multum valere, sæpe esse efficacem in filiis, uti etiam nunc non raro evenit. Hæc efficacia pater in benedictione, quam Noe dedit Sem & Japhet; Jacob Ephraim & Manasse; Moyses duodecim tribubus Israel: Tobias filio suo; Mathathias Machabæis filiis. In Anglia alias hic servabatur mos, ut domi filii flexis genibus, corā perentibus, ut sibi bene precari vellet,

Tertul. l. de Orat 2

D. Ambr. l de Benedict. patr. c. 1

Gen. 9
Gen 48
Deuter 33
Tob. 5
L. 1 Machab. 2

obſecrarent:Inoletum hunc jam morem reſtituere volens Thomas Morus
etſi magnus regni Cancellarius,quod alii domi inter privatos parietes facie-
bant,in celeberrima Weſtmonaſterienſi aula,in media deducentium atque
exſpectantium turba,publice præſtitit:viſo namque parente,coram ipſo ge-
nu flectens omnium cum admiratione,paternam benedictionem expoſtu-
lavit,ipſe ſciens quàm lucroſi ſit parentum benedictio:Inde filium hortatur
D.Ambroſius:*Honora ergo patrem,ut benedicat te Deus.*
Cap.3 Siracides uno Eccleſiaſtici capitulo novem bona pollicetur filiis qui ho-
norant parentes.1.Opes tum temporales,tum ſpirituales; *Sicut qui theſauri-
zat,ita qui honorificat matrem*: 2.Gaudium à filiis capiandum; *Qui honorat
patrem,jucundabitur in filiis*;eadem enim quæ parentibus præſtabit,recipiet à
filiis:3.Exorationem precum ſuarum;*In die orationis ſua exaudietur*:4.Vitam
longiorem:*Qui honorat patrem, vita vivet longiore*: 5.Familiam & poſterita-
tem firmè ſolidatam: *Benedictio patris firmat domos filiorum*: 6.Gloriam &
honorem;*Ex honore patris gloria filii*;ſiquidem filius patrem honorans,com-
parat ſibi gloriam apud omnes: 7.Liberationem ab afflictionibus:*Eleemo-
ſyna patris non erit in oblivione,& in die tribulationis memor erit tui.* 8.Pecca-
torum remiſſionem:*Sicut in ſereno glacies,ita ſolventur peccata tua.* 9.Omnium
abundantiam bonorum,quam Deus illi largietur : *Honora patrem tuum,ut
ſuperveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in noviſſimo maneat.* Nemo
Opuſc 4 eſt,ait Angelicus Doctor,qui ardenter non percupiat, 1.vitam diuturnam:
2.filios obſequentes & probe morigeratos:3.bonam famam & æſtimatio-
nem apud homines: 4.divitiarum copiam,qua ab inopia & egeſtate exima-
tur:5.gratiam,qua Dei adoptetur in filium: 6. immortalem poſt mortem
fœlicitatem.Cuncta illa bona pollicetur Deus filiis parentes honorantibus.
1.Tim.4 *Pietas ad omnia utilis eſt,promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt & futuræ.*
Uti Deus parentum benedictiones, ita quoque maledictiones vibratas
in filios confirmabat. Sic Cham à Noe maledictus, talis in omni ſua Cha-
Gen 49 nanæorum poſteritate evaſit;ſic Ruben ob inceſtum à Jacobo maledictus,
talis extitit:idem contigit Levi & Simeoni, à patre maledictis. Exemplum
L.11.Civ. 8. memorabile refert Divus Auguſtinus de ſeptem filiis , & tribus filiabus in
civitate Cæſareæ à matre maledictis , qui mox horribili membrorum tre-
more percuſſi ſunt , quique ferre non valentes concivium conſpectum,to-
tum fere perluſtrarunt Romanum imperium ; duo Hipponam venientes
tempore quo D.Auguſtinus erat Epiſcopus,ſancto Doctore coram ad reli-
quias ſancti Stephani,curati ſunt. Hoc exemplo hujus oraculi comproba-
Eccleſ.3 tur veritas : *Maledictus à Deo qui exaſperat matrem.* Quot boni filii conſe-
quuntur à Deo benedictiones,tot mali filii patiuntur maledictiones. Nam
Pſ.72 1. temporali privantur vita:*Subito defecerunt , perierunt propter iniquitatem
Eccleſ 41 ſuam.*2.Si morte non mulctantur,penuria & egeſtate premuntur: *Filiorum
peccatorum peribit hæreditas.* 3. Filios habent male educatos,iniquos,qui eos
Sap 4 triſtitia & opprobrio afficiunt. *Ex iniquis enim omnes filii qui naſcuntur,triſtes
ſunt:*

sunt: nequitia adversus parentes in interrogatione sua. 4. Criminosi & peccatores efficiuntur: idcirco Apostolus denotat homines *plenos iniquitate, parentibus non obedientes.* 5. Malam famam: *O quam malæ famæ, qui dereliquit patrem!* 6. Damnationem & infernum: nam si Deus projiciet in ignem æternum qui opera misericordiæ pauperibus denegarunt, quid faciet de inhonorantibus parentes? *Si Deus ita severus erit in die judicii his, qui extraneis pietatis emolumenta non fecerunt, quanto magis, qui erga parentes impii extiterunt?* Nonne tot maledictiones terrere debent filios qui parentes inhonorant? Nonne tot benedictiones sufficiunt ad ingerendam filiorum cordibus parentum reverentiam? Hoc agnoscit D. Ambrosius discrimen inter filium pium & ingratum; quod *honorat pius patrem propter gratiam, ingratus propter timorem.* Duo sunt incentiva quæ filios ad honorem parentum stimulant: unum ex gratia quæ paternam benedictionem consequitur; aliud ex damno quod paternam maledictionem comitatur. Christiane, desiderasne cœlestem vitare maledictionem, & divinam obtinere benedictionem? Tuos honora parentes, eisque humiliter obtempera.

Rom. 1 — Eccles. 3. — S. Bern. Sen. — Ibid.

III PARS

Obaudiant & parentibus filii, hoc est enim primum in promissione præceptum. Hæc verba mutuavit ab Apostolo Tertullianus, qui filium alloquitur: *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est primum mandatum in promissione.* Quæ Pauli verba difficultate non carent; quia hujusmodi præceptum, nec est absolute primum, cum ad secundam duntaxat tabulam pertineat; præcepta enim primæ tabulæ quæ Dei respiciunt cultum præcedunt præcepta secundæ tabulæ, quæ spectant justitiam, vel pietatem hominibus reddendã. Neque etiam est primum in promissione; nam ut animadvertit D. Hieronymus, primum etiam primæ tabulæ præceptum adjunctam habet promissionem, ut in sacro textu legitur, ubi Deus sic ait: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis & zelotes, faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Verum hæc difficultas nullo negotio solvitur: nam primo præcepto primæ tabulæ non additur promissio specialis, sed tantum communis qua Deus se misericordem fore in genere promittit omnibus qui cuncta ejus servant mandata: Primo autem secundæ tabulæ præcepto, quod respicit honorem parentum, propria & specialis additur promissio lõgævitatis: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Hanc promissionem justam & cõgruam censet Angelicus Doctor: Æquum enim & congruũ est, ut filii qui honorando parentes grati sunt de accepta ab eis vita, vitæ ab eis acceptæ longam obtineant conservationem: hoc enim meretur redditus à filiis honor, & exhibita gratitudo. Quod hac ratiocinatione declarat S. Thomas: Filii obtinent vitam à parẽtibus, quomodo milites obtinent à rege feudum: quamdiu milites regi præstant homagium, tamdiu feudi merentur conservationem: quo juste spoliãtur dum efficiuntur rebelles. Non absimiliter filii merentur vitæ conservationem quandiu parentes honorant: deperditionem verò, quando fiunt cõtuma-

Tert. l. 5. adv. Marc. 18 — Ephes. — Exod. 20 — Opusc. 4

cumaces. Apostolus autem utrumque complectitur, & præceptum honorandi parentes, & promissionem longævitatis filiis honorantibus factam. De promissione in superioribus tractatum est, agendo de variis benedictionibus quas consequuntur filii honorem parentibus deferentes, qui illis ex divino præcepto obtemperare tenentur. Ejusmodi obsequium expostulat, 1. Dei imperantis auctoritas: 2. præcepti divini justitia & æquitas: 3. obsequentis Christi exemplum & humilitas.

Tert. l. de Pœn. 4

1. *Ad exhibitionem obsequii prior est potestas divinæ majestatis, prior est auctoritas imperantis.* Quo sublimior est divina majestas, quo major est potestas qua pollet Deus condendi præcepta: quo magis legitima est ejus in homines auctoritas, eo magis tenemur ejus obedire mandatis: quis enim præcipit obtemperare parentibus? Non Solon, qui legem Atheniensibus dedit, non Licurgus, qui Spartiatas suis legibus ad virtutem erudire molitus est; non Numa Pompilius qui barbaros & agrestes Romanos ad urbanitatem temperavit; non Moyses qui Decalogi tabulas in monte Sinai promulgavit; non aliquis Angelus qui vice Dei loquutus sit, sed ipsemet Deus adorandæ majestatis; infinitæ potestatis, supremæ auctoritatis, qui obedientiam à filiis expostulat.

Tertull. Scorp. 4. — D. Aug. Tract. 83 in Joan. — Chrysol. serm. 55

Cuncta sua præcepta observari Deus desiderat: nam *qui imponit præceptum, extorquet obsequium.* Verum mandatum de præstando parentibus obsequio, præ cæteris commendavit Deus: Tum quia non semel & iterum, sed multoties de illo tum in veteri tum in novo testamento loquitur. *Hæc autem ejusdem mandati repetitio, præcepti commendatio est.* Tum quia de pietate in parentes, quæ est inseparabilis à pietate in Deum. *Sed quia Deus imperat, totum pietati committit.* Tum quia obsequentes filios abunde remunerat, inobsequentes severe punit. Tum quia filiorum obedientiam Deo gratam & acceptam Paulus declarat: *Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est Domino.* Nam ly *per omnia*; quia in cunctis quæ non sunt contra Deum, ejusque voluntatem, parentibus debent obtemperare filii. *In ea re sola filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius: neque enim debet irasci pater, quando ei præponitur Deus: ubi autem hoc jubet pater quod contra Deum non sit, sic audiendus est quomodo Deus: quia obedire Patri jussit Deus.* Tum quia ejusmodi obsequium exposcit à filiis divini mandati justitia & æquitas.

Coloss. 3. — D. Aug. ser. 1. in Ps. 70

Lib. adv. marc. 5 — Tert. l. de Orat. 2

2. Belle docet ad propositum Tertullianus, *patri etiam domini nomen accedere, ob potestatem* quam habet in filium. Inferiores namque superioribus obedire tenentur, ut discipuli magistro, servi domino, milites duci, cives principi, filii parentibus: quia *appellatio ista & pietatis, & potestatis est.* Magis enim dependent filii, & subduntur parentibus, quam discipuli magistro, servi domino, milites duci, & cives principi: Filiorum subjectio non solum in politica, sed etiam in natura, & justitia fundatur: In natura quidem, nam ut ait Laurentius Justinianus, *clamat innata ratio, ut quisquis se illi subjiciat, à quo habet ut sit.* In justitia etiam, unde Apostolus: *Filii obedite parentibus vestris in Domino*

Ephes. 6

mino, hoc enim justum est. Ly *in Domino* tripliciter intelligi potest. 1. Obedite parentibus tanquam Domino, cujus parentes imaginem repræsentant, & præ se ferunt auctoritatem. 2. Obedite parentibus in Domino, scilicet ex reverentia Domini, cujus majestati & potestati subditi estis. 3. Obedite parentibus in Domino, quando eorum præcepta sunt divinis conformia mādatis. Cùm enim parentes aliquid contra Dei legem & voluntatem præcipiunt, eis non est obtemperandum. *Terrenus pater, cœlesti postponendus est patri,* quemadmodum Dei dilectio præponenda est amori parentum. *Pater & mater diligentur, cum Deo non comparabuntur;* ita obsequium Deo præstandum, præponendum est obedientiæ parentibus exhibendæ: idcirco quando Deus mandat aliquid, & parentes præcipiunt contrarium, eorum imperium non est executioni mandandum. *Vult Deus ut consanguinitatibus terrenis præponamus Deum. Defer patri, quia pater est; defer Deo, quia Deus est. Generavit te pater accommodando carnem suam, creavit te Deus adhibendo potentiam suam. Ne irascatur pater cùm Deus illi præponitur; imo gaudeat sibi tantum deferri, ut ille inventus esset, qui ei deberet præponi.* Chrysol. ser. 19 Tertull. Scorp. 13 D. Aug. in ps. 127

Inde colligitur injustitia parentum, qui vi, vel fraude, vel metu, filios & filias à religione avocant; quos damnat Tridentinum *anathemati subjiciens eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, velum accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa, impediunt.* Ejusmodi parētes de gravi peccato passim accusant Doctores: illos acriter insequuntur Patres: Nam, ut ait D. Hieronymus, *retrahere à religione nihil aliud est quàm Christum in pectore alterius occidere. Christo se opponere, spargere & dissipare, quæ Christus diligit, donativum amicitiæ Christi suffurari.* De latrocinio & sacrilegio non increpat D. Hieronymus; de homicidio & parricidio redarguit D. Bernardus. *O durum patrem! ô sævam matrem! ô parentes crudeles & impios! imo non parentes, sed peremptores, qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Mira abusio! domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi, & hoc ab iis qui in incendio positi sunt, & obstinatissima dementia, & dementissima obstinatione, fugere periculum nolunt.* D. Augustinus eosdem ad resipiscentiam vocat, si nolunt damnari, vultq; *hunc affectum in matre occidendum, ne ipsa in æternum pereat.* Divinam ultionem sumptam refert D. Hieronymus de matre, quæ filiam Christo sponso eripere tentavit. (Prætextata nobilissima quondam fœmina, jubente viro Symetrio qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit, & neglectum crimen mundano more texuit: vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tunc ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris: sin autem perseveraveris in scelere, & marito simul orbaberis & filiis: omnia per ordinem impleta sunt, & se- Sess. 2. c. 8. Epist. ad Heliodor. Epist. 111. Epist. 18 Epist. 7. ad Lætam.

ram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.

Caveant parentes filios & filias arcere à religionis proposito, nisi velint agere contra justitiam, lethaliter peccare, Ecclesiæ anathemata incurrere, Deum ad vindictam provocare, salutis jacturam facere, & inferni tormenta tolerare. Discant filii & filiæ non debere obsequium parentibus, dum religionis ingressum impedire conantur, in qua *homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius incedit cautius, orat frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copiosius.* Dei cultus, & perfectionis acquirendæ status præponendus est jussionibus, orationibus, lachrymis & fletibus parentum. *Sola causa qua non licet obedire parentibus, Deus est: ipse enim dicit: Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus.* Plus audet D. Hieronymus, & uti olim crudelis Tullia calcans patris corpus ad thronum ascendit, ita per patrem calcatum vult filium ad regularis perfectionis ascendere fastigium. *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat mater, ostentet; licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola; solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Imo ipsemet Christus *docuit negandos parentes pro Dei opere:* Alioquin eis obtemperandum obsequentis Christi demonstravit humilitas.

D. Bern. — D. Bern. Ep. 111 — Epist. ad Heliod. — Tert. l. de Car. Chr. 7.

3. Christianum sic alloquitur Tertullianus: *In quantum servus Christi, ex forma dominica agere debebis.* Quænam verò sit imitanda Domini forma, statim declarat. *Ille Dominus in humilitate incessit.* In humilitate incessit Christus obediens à primo instanti vitæ suæ usque ad mortem: *Dominus Jesus ab utero matris, usque ad supplicium crucis, obedientiam elegit & docuit.* Statim namque ac in lucem editus est, voluntati paternæ obtemperavit. *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus; volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Toto vitæ decursu adimpletione divinæ voluntatis tanquam delicato cibo laute epulabatur. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* In cruce quoque inclinato capite emittens spiritum; *Christus perdidit vitam, ne perderet obedientiam.*

L. de Idol. 18 — S. Leo Ep. ad Dioscor. — Ps. 39 — Joan 4 — D. Bern.

Neque solum æterno patri obsecutus est Christus, sed ut ait beatus Thomas à Villa nova, *deferebat homini, deferebat ancillæ*; nimirum Mariæ & Josepho. Evangelio namque teste, & erat subditus illis. *Quis? Quibus? Deus, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ; nec Mariæ tantum, sed etiam Joseph propter Mariam,* in pueritia, in vitæ decursu, & instante adhuc & imminente morte. Obedientiam ejus in pueritia refert Magnus Basilius. (Cum prima sua ætate parentum suorum imperio subjectus esset, & labores corporis omnes, æquo una cum ipsis animo, illis obediens toleravit: verisimile est enim cum homines illi essent, & justitiæ & pietatis cultores, tenues tamen, neque necessariis ad vivendum copiis satis instructi, solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ra-

Serm. de Annunt. — Luc. 2 — D. Bern. Hom. 1. sup Miss. — Tract. Constit. Monasti. c. 5

ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porro Dominus Jesus cum his (ut divinæ litteræ prædicant) esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam unà cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam.) Nunc equam deferens, nunc mensæ ministrans, nunc operi fabrili instans, in cunctis tandem nutui Josephi & Mariæ obtemperans. Cui in virilitate obsecutus est, ad ejus voluntatem primum in Cana Galileæ operás miraculum; imminente adhuc morte loco sui substituit Joannem ut Matri obtemperaret. (Exemplo suo instruit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus; Tanquam lignum ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri morientis. Hujus itaque saluberrimi præcepti, ipse magister Sanctorum, de seipso constituebat exemplum : quando non ut Deus, quam creaverat & regebat, sed ut matri homo, de qua creatus fuerat, & quá relinquebat, alterum pro se, quodammodo filium providebat.) Obsequentis Christi exemplum cunctis filiis imitandum proponit D. Bernardus: *Formam obediendi puer Jesus, pueris sanctis credidit; sequi illos in Nazareth non despexit, magister discipulos, Deus homines, Verbum sapientia, fabrum & fœminam.* Qui humilem illam obedientiæ non imitantur formam, tanquam superbi increpantur à D. Bernardo: *Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare; de Authore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis: Erubesce superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis authori*, & Christi dedignas sequi exemplum, non esse ejus discipulum aperte demonstras, imo te Christianum negas? Etenim ex sancto Ignatio martyre debitum parentibus obsequium est nota, qua Christiani à non Christianis discriminantur. Et ut te afficiam pudore & confusione, volo tuam inobedientiam ethnici obedientiâ damnare. Decius imperator Decio filio imperium resignare desiderans, recusavit filius, dicens, (Vereor ne si purpuram induam, filium exuam, & imperator existens obedire dediscam : quare malo non esse imperator, sed obsequens filius, quam imperator, & filius indevotus : imperet pater, meum est parere imperanti.) Quàm pauci sunt hac ætate filii inter Christianos, qui oblatum respuant imperium, qui non malint dominari quàm obedire, qui parentibus suis debitum exhibeant honorem, submissum præstent obsequium, eisque auxilium & vitæ subsidium subministrent!

D. Aug. Tract. 119 in Joan.

Serm 19 in Cant.

Hom. 1 Sup. Miss.

Tam pius pater quàm pius filius. Melius exoptasset Tertullianus, Utinam tá pius filius, quàm pius pater, quia non tam pii sunt filii, quàm sint pii parentes, longe major est pietas parentum in filios, quàm filiorum in parentes. Quod pulchra similitudine declarat D. Chrysostomus: (Quod est in herbis & arborib⁹ humor, hoc est in hominibus amor: sicut enim herbæ ex humore nascuntur & crescunt, sic homines per amorẽ incipiunt & augentur. Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non revertitur ad radices, sed rursum transmittitur in semen: sic & amor de parentibus ascendit ad filios, de filiis autem non revertitur ad parentes: ideo parentes

III. PARS

L. 1. ad Nat. 13

Hom. 19 in Matth.

quidem diligunt,ſed non ſic diliguntur à filiis; quia ſicut herba non deorſum,ſed rurſum ad ſemen tranſmittit humorem,ſic & homo non ad parentes,ſed ad procreandos filios tranſmittit affectum.) Amor teſſera parentum eſt,quem toto vitæ decurſu filiis demonſtrant,ſubminiſtrando eis alimenta, auxilia & ſubſidia ad vitæ conſervationem neceſſaria. Uti video in parente
Tert. l 4. adv. marc. 10 filii amorem,*haberem & in filio patris affectum*, quo ejus reſponderet affectui & pietati; nam *in patrem competit amor propter pietatem.* Neque ſolum ex
Tert. l. 1. adv. marc. 27 pietate,ſed etiam ex gratitudine, & ex æquitate filii tenentur parentibus,1. ſervire in morbo & infirmitate: 2.ſubvenire in inopia & neceſſitate: 3.eos ſuſtentare & nutrire in ſenecta & decrepita ætate.

Tert.lib.4 adv.Valent.8 1. Pietatis debitum non ſolvit filius *otioſus plane de patris cura*; præſertim ægrotantis & infirmitate tum animi,tum corporis laborantis. Pluribus rationibus filii parentibus in infirmitatibus ſervire debent: 1. Ex humanitate, qua unuſquiſque alienæ tenetur opitulari miſeriæ: 2.Ex diſciplina Chriſtiana,quæ docet fideles erga infirmos opera miſericordiæ impendenda. 3.Ex gratitudine,ut recognoſcant auxilium quod ſibi parentes in morbo præſtiterunt;
Eccleſ.7 *Retribue illis quomodo & illi tibi* 4 Ex pietate, quia parentes divinam præ ſe ferunt majeſtatem: 5.Ex obſequio quod præſtare tenetur divinis mādatis: 6.Ex timore,ne luant pœnas impietati ſuæ debitas. Tot cōglomeratæ
Tert. l. de Pud. 13 L 1 adv. Marc. 23 rationes non urgent filium *impium patris hæredem*, ut ægrotanti ſubveniat parenti;quem merito nuncupat Tertullianus,*Deo impium,patri irreligioſum, educatori ingratum, domino nequam*;quia agit contra naturam, contra humanitatem,contra miſericordiam,contra juſtitiam,contra gratitudinem,contra pietatem.
Chryſoſ. ſer.123 *Qui tunc utique reſpondiſſet generi,ſi pius,ſi miſericors ſi fuiſſet humanus*: ſed quia eſt inhumanus,immiſericors, impius,parentibus in morbo & infirmitate non ſervit,neque eos nutrit in inopia & neceſſitate.

Tert. l. de Mon.7 2.Homo *ſi filios habuerit,à filio potius alatur quàm à patre; quo & ſi ius præceptum Dei exequatur,honora patrem & matrem.* Æquiſſimum eſt,ut filii nu-
Tert. l. 5. adv. marc. 5. triant parentes,ex bonis quæ à parentibus acceperunt:*quod & filius per patrē capiat*,& ſubveniant parentum neceſſitati & egeſtati quā patiuntur propter illos:Nam depauperati ſunt parentes,vel ob ſumptus quos in nutritione & educatione filiorum inſumpſerunt, vel quia illis ſublimia emerunt officia, vel illos opulenter dotarunt,ut filias nobiles aut divites poſſent ſibi aſſumere
Eccleſ. 33 in uxores.Idcirco parentem hortatur Sapiens: *Filio non des poteſtatem ſuper te in vita tua: & ne dederis alii poſſeſſionem tuam,ne forte te pœniteat. Melius eſt enim ut filii tui te rogent,quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum.* Et quāvis à parentibus nullas terrenas facultates acceperint, debent illis auxilium
Tert.lib. adv.Valent.8 præbere ex bonis quæ ſua induſtria compararunt, *geſtientes & ipſi tale quid patri de ſuo offerre.* Ad inſtar Joſephi qui abunde locupletatus, patrem ſuum
Gen.47 imo & fratres opulenter ditavit, (Joſeph verò patri & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in Ægypto in optimo terræ loco Ramaſſes , & alebat eos,omnemq; domum patris ſui,præbens cibaria ſingulis.) Admiranda prorſus Joſephi pietas,qui patrem ejuſque familiam nutrivit tempore maximæ ege-

ſtatis:

ſtatis: (In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram maximè Ægypti & Chanaam.) Sed *magis pia, illa fame patris in carcere defecti, uberibus ſuis educatrix*. Piæ hujus filiæ hiſtoria paſſim eſt obvia varieque à multis commendatur, quam ex ipſo fonte referre lubet. (Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera, ſupplicii cauſa carceri incluſam matrem cum impetraſſet aditum à janitore, ſemper excuſſa ne quid inferret cibi, deprehenſa eſt uberibus ſuis alens: quo miraculo matri donata ſalus filiæ pietati eſt, ambæq; perpetuis alimentis; & locus ille deæ pietatis conſecratus eſt, templo pietati exſtructo in illius carceris ſede, ubi nunc Marcelli theatrum eſt.) Nec minori laude digniſſima filia Cimonis ducis: (Hæc enim Cimonem conſimili fortuna affectum, parique cuſtodiæ traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem pectori ſuo admotum aluit.) Illuſtre prorſus eſt quod narrat Fulgoſius de homine Toletano, cujus pater faber aurarius à Petro primo Caſtiliæ rege, ob falſas ſuſpiciones, ad mortem damnatus, ejus filius amore in patrem ſingulari, lachrymis precibuſque agere non deſtitit, ut ſervato patre, ipſe pro eo occideretur: quod aſſecutus, vitamque amittens, vitam dedit patri, à quo vitam acceperat.

Tert. l. 2. ad Nat. 9 — Plin. l. 7. c. 36 — Valer. Max. l. 5 — L. 5. c. 4

Ejuſmodi pietatis exempla Chriſtianorum damnant impietatem, quos *oblitos patris denotamus*, qui parentes in egeſtate vel neceſſitate deſerunt, *poſt imperatam in parentes ſecundam religionem*. Ut enim docet Angelicus Doctor: *In honoratione parentum intelligitur omnis ſubventio, qua debet parentibus exhiberi*. Hæc ſubventio eſt tantæ obligationis, ut filius etiam poſt emiſſum ſolemne votum poſſit, imo debeat egredi de religione, ut ſuos ſuſtentet parentes inopia & neceſſitate oppreſſos; & homo fruſtum duntaxat panis poſſidens, habenſque ex una parte filium, ex altera parentem fame pereuntem, ita ut ſi panem dederit parenti, moriatur filius, ſi verò filio, moriatur parens, præferre debet vitam parentis vitæ filii, illamque per exhibitionem panis conſervare etiam cum jactura & interitu filii. Ad quod non attendunt qui laute epulantur, quando parentes pane duntaxat & leguminibus veſcuntur, coguntur que ob neceſſitatem, oſtiatim mendicare panem: *Paſce fili parentem, illi debes quod habes, à quo habes ut ſis*: Idcirco illum ſuſtentare & nutrire debes dum egeſtate opprimitur & ſenectute gravatur.

Tert. l. de Orat. 2 — Tert. l. de Pud. 5 — 2. 2. q. 101 a. 2 — D. Ambr.

3. *Pater filium de quo queri deſierat, exhæredavit*. Injuſte quidem, quia abſque ullo fundamento, at quando adeſt juſta cauſa *malos filios, ne de eis erubeſcant, etiam parentes abdicare ſolent*, & hoc in pœnâ criminis. Inde concludit Philoſophus, poſſe patrẽ abnegare & deſerere filiũ adultũ, nec illi providere, ſed à ſe fugare ſi filius ſit malus & depravatus, quoniã retẽtus ac enutritus à patre, fortaſſe fiet peior. Expedit etiam ut quandoque pater otioſum & deſidioſum filium adultum emittat, ut induſtrior & diligentior fiat: at nunquam licet filio parentem abnegare, id eſt, deſerere, non ei benefaciendo, nec ullatenus de eo curando, quoniam nunquam licet debitori non reddere debitũ. Quãtumvis filius benefaciat patri, ſemper remanet ejus debitor; quia nunquam red-

Tert. l. 1 ad Nat. 4 — D. Aug: Expoſ. in c. 4 Ep. ad Galat. — L. 9 Ethic.

reddere poterit parenti æquivalens esse, educationi, & disciplinæ, quæ sunt tria bona irreddibilia quæ ab eo accepit: Deo enim & parentibus æquale reddere non possumus. Quantumvis homines Deum honorent, colant & ament, & filii benefaciant parentibus adhuc amplius tenentur, quoniam totum suum esse à Deo & parentibus acceperunt, & eorum gratia conservati & enutriti & educati sunt, idcirco æquipollētia retribuere non possunt: quos ideo pietas non obligat ad retributionis æqualitatem sed possibilitatē. Filii qui non rependunt quod possunt parentibus de impietate, pravitate, & crudelitate culpantur. *O pietatem de crudelitate ludentem!* quibus serió competit, quod irrisorie de Jove fatur Tertullianus: *O Jovem Christianum, & solum patris filium de crudelitate.* Qui verò parentibus secundum potentiam suamque virtutem retribuunt, de bonitate, humanitate, æquitate & pietate commendantur. Filii à parentibus duo mutuati sunt, scilicet esse, & conservationē in esse per educationē. Parentibus non possunt dare filii esse, quemadmodū ab eis acceperunt: rependant igitur conservationem in esse, exhibentes eis vitæ necessaria, cùm parentes aut mala fortuna, aut ægritudine, aut senio, impotentes sunt ad habenda necessaria ad vitæ conservationē: Parentes filiis in tenera ætate constitutis, neque sibi subsidia necessaria ad vitam procurare valentibus, vitam sua industria & labore conservarunt. Laborent igitur filii pro conservanda vita parentum senio deficientium; crescente namque virtute & robore corporali in filiis, decrescit virtus senectute superveniente in parentibus, quibus filii præstare debent subsidia, ut recognoscant labores quos in ipsorum educatione & conservatione tolerarunt.

Tert. l. 4 adv. marc. 17

Apol. 8

Filii onera sunt nobis plurimum importuna, præsertim in pueritia & tenera ætate. Nam prætermissa, *in utero, in uberibus sarcina nuptiarum*, qua oneratur prægnans mulier, prætermissis adhuc partus doloribus: quid non patitur mater quandiu sunt *pipiantes infantes*? quantas detergit spurcitias? quot vagitus sustinet? quot noctes pertransit insomnes? Has infantiæ ærumnas subsequitur *importunitas liberorum* dum balbutiunt, dum incedere discunt, dum ægrotant, dum adolescunt. Quid non agunt, quid non patiuntur parentes, ut eis ampla relinquant patrimonia? Hac consideratione Tobias filium urgebat ad honorem matris: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor esse debes, quæ & quanta pericula passa est propter te.* Onerosum est senium, sed onerosa est infantia. Revoca ad memoriam onera infantiæ tuæ, quæ tulerunt parentes, ut feras patienter onera senectutis eorum. Et ut te hortatur ex Publio Mimo Philosophus moralis; *ames parentem, si æquus es, sin aliter, feras*: & si non vis præbere auditum ethnici sermonibus, saltem acquiesce monito Sapientis: *Fili suscipe senectam patris tui; & non contristes illum in vita illius: si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.* Cuncta hæc verba sunt ponderanda: 1. *Suscipe*, scilicet amoroso affectu, urbano affatu, gratioso aspectu, gaudioso osculo & amplexu: quæ omnia in tua pueritia ubi parentes tradiderunt, redde illis in senectute sua: *retri-*

Tert. l. 1. ad Ux. 1

Tert. l. 1. ad Ux. 5

Tert. l. de Mon. 16

Tert. l. de Exh. Cast. 11.

Tob. 5

Eccles. 3

retribue illis, quomodo & illi tibi. Quantumcunque retribueris, nunquam reddes ad æqualitatem quæ tibi præstiterunt. Num reddes matri cruciatus quos pro te passa est prægnans & patiens? Num obsequia & blanditias quibus te gestavit, pacavit & ad risum concitavit? Num pietatis affectum cũ te emundaret, deoscularetur, amplexaretur, & labiis ubera immulgeret. Nũ famem quam pro te pertulit, ne quid tibi noxium comederet, ne quid quod lacti noceret, hauriret? Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi cibum quem voluit non accepit, tibi vigilavit, tibi flevit, tibi laboravit: tibi continuas ærumnas toleravit; quapropter ejus non secus ac patris suscipe 2. *Senectam*, multum aliis, sed amplius sibi, laboriosam, tædiosam, dolorosam, suspiciosã. Natura humana, in principio & fine, in infãtia & senectute, debilis est, multisq; repleta infirmitatibus, necessitatibus, miseriis: idcirco quod tibi fecerũt parentes in ætate puerili, idipsum illis fac in ætate senili, ad instar Tobiæ junioris, quem pater nuncupat baculum senectutis suæ. Tu enim debes esse baculus senectutis: 3. *patris tui*: non canis, non extranei, non inimici, sed patris tui, nutritii tui, præceptoris tui, creditoris tui, dilectoris tui. *Qui subtrahit aliquid à Patre suo, & à matre, & dicit non esse peccatum, particeps homicidii est.* Nulla est ingratitudo major, nulla iniquior, nulla divinâ ultione dignior, quam perversi filii, qui post tot naturæ vincula, post tot suscepta beneficia: post tot divina præcepta, post tot justitiæ debita: patri in necessitate non subvenit, sed illum absq; auxilio deserit, & suâ inhumanitate contristat. Si vis divinam non incurrere ultionem, 4. *non contristes illum* factis, signis, minis, verbis: & si 5. *defecerit sensu*; ut senes deficere solent, tum corpore, tum mente: si pater tuus defecerit corpore, & præ ægritudine nec incedere, nec se movere possit, imitare ciconiæ pietatem, quæ S. Ambrosio teste alit parentes senio confectos, suis alis eorum tegit nuditatem, corpora frigida suis pennis calefacit, quos defert quando impotentes sunt ad volatum. *At verò avibus non est grave, quod pietatis est plenum; non est onerosum quod solvitur naturæ debito; non recusant pascere patrem, quod pleriq; hominum recusârunt.* Si verò pater mente defecerit, si rectè aliqua non fecerit, si dixerit sive ridicula, sive puerilia, sive stulta: 6. *veniam da* non risum, non improperium, non ignominiã, non vindictam, memor verborum Sapientis: *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi.* Filius qui parentes protervè despicit, irridet, insultat, sive ore balbutiendo, sive torvis oculis annictando, sive quovis alio modo & gestu, meretur à corvis lacerari, & exoculari. Fili non sis subsannator patris, neque 7. *contemnas eum in virtute tua.* Multas naturales virtutes habet juventus, quæ inexperta malis quæ seniũ comitantur: senes quos sibi concessis conspicit privatos bonis, facile despicit: quapropter fili ne spernas parẽtẽ tu juvenis, illũ senẽ; tu sanus, eũ infirmũ; tu fortis, illum debilẽ; tu hilaris, illũ tristẽ; tu delicatus, illũ hirsutũ; tu mẽris acumine pollẽs, illũ ferè insanientẽ: nam *qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Eodẽ mulctatur supplicio maledicentia in parentes, ac blasphemia in DEUM,

Eccles. 7.
Prov. 28.
Prov. 30.
Exod. 21.

ut enim animadvertit Cajetanus (punitur in parentes contumelia morte, quemadmodum & blasphemia DEI: & est ratio legis, quia nec DEO, nec parentibus possumus reddere æquale: consideravit enim lex quod quemadmodum parentes in hoc conveniunt cum DEO; ita pœna contumeliæ in parentes conveniat cum pœna contumeliæ in DEUM.) Tantus est nexus inter DEI & parentũ causam, tam est culpa in alterutrũ alteri confinis; tanta est vicinitas inter supplicium utriq; sceleri debitum, ut filius in parentes cõtumeliosus morti damnetur, non secus ac blasphemus in DEUM: in lege Mosaica à cuncto lapidabatur populo velut anathema: in lege Evangelica non plectitur morte corporis, sed morte animæ, quæ peccans mortaliter privatur gratiâ, & sustinebit in inferno interminabilẽ tum animæ, tum corporis mortẽ, sicut autẽ filii denegantes parentibus honorem, obsequium & subsidiũ æterna in inferno puniũtur morte: ita filii qui parẽtes honorant, eis obtẽperãt, & necessaria subministrãt, immortalẽ in cœlo merẽtur felicitatẽ.

CONCIO QUINTA.

Tert. l. de Cor. Mil. 13.

Explanato debito parentis in filium & econverso filii in parentem, *humana servitia* consideranda sunt, ex Philosopho etenim perfecta domus tribus societatibus constar, singulis proprio regimine regendis: Prima est societas viri & mulieris, regimine conjugali regenda, ita ut mutuo sibi conjugalẽ servent castitatẽ: vir uxorẽ honoret, amet, protegat: & vicissim uxor virum diligat, honoret, & timeat; vir curet ea quæ extra domum sunt, majorũ conservet hæreditatem, & cum justitia si opportuerit augeat: uxor autẽ curet ea quæ in domo sunt; indecens enim est virũ curare & superintẽdere his quæ in domo sunt; nec minus indecorum uxorem ambire civitatis regimẽ. Secunda societas est parentum & filiorum regenda paterno regimine, quo filii rectè educẽtur & bonis imbuantur moribus: totum namq; familiæ bonum vel malum, pendet ex educatione filiorum, quoniã quales adoleverint, tales senescent: *Adolescẽs juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Prov. 22.

Tertia societas est domini & servorum, melius patrisfamilias & ministrantium famulorum & ancillarum, regenda juxta gentiles Philosophos regimine dominativo seu despotico, juxta Christianos regimine œconomico, domestico, patronali, medio inter paternum & dominativum; nam paternum fundatur in amore, tã ex parte patris, quàm ex parte filiorum: dominativum, ex parte domini fundatur in potestate, ex parte autem servi in timore, patronale verò, ex parte patrisfamilias fundatur tum in potestate, tum in amore: ex parte autem ministrantium famularum & ancillarum fundatur in timore & amore simul. Ejusmodi patronale Christianam decet disciplinã, juxta quam paterfamilias debet famulos & ancillas: 1. bene tractare: 2. sollicitè curare: 3. justè remunerare.

Civilis

Civilis non tyrannica dominatio est quam in suos domesticos exercet paterfamilias; *non oportet Christianum possidere servum, quomodo equum*; neq; erga famulos & ancillas sese exhibere immitem & crudelem, & ut illum monet Siracides, *noli esse sicut leo in domo tua*. Per leonem quamlibet bestiam ferocem intelligit Rabanus, alii, *canem* nominatim scribunt: sed peridonee nuncupatur leo: ut enim animadvertit D. Isidorus, *leonem cùm dicis, dicis horrendam, intolerandam, & solo rugitu montes concutientem belluam.* Addit Ecclesiasticus, *evertens domesticos tuos*, id est ut expendit Dionysius Carthusianus, *inquietans*, indignatione, clamoribus, minis, percussionibus. Subjungit Ecclesiasticus, *& opprimens subjectos tibi*: codex Basileensis vertit, *& cerebrosus percutiens servos tuos.* In Græco textu habetur *phantasiis percutiens*: Vatablus legit *in domesticos tuos insanè saviens*; Itaq; non bonus domi herus familiam inquietat, domesticos evertit, servos opprimit, plerumque non servorum merito, sed insano phantasiæ suæ commento, etsi nulla sit indignationis occasio; irascitur, exasperatur, domesticos turbat, inquietat, injuriis lacessit, verberat. *Vt enim Echinus in spinis ingreditur, quod spinas secum circumferat: ita quibusdam in omni negotio acerbitas est, propterea quod animo secum afferant asperitatem, etiamsi res ipsa nihil afferat incommodi.* Hæc morum acerbitas prælertim appaeet in pravis dominis, authoritate pollentibus, qui adversus domesticos supercilia extollunt, illos ut vilia mancipia contemnunt, injuriis, colaphis, fustibus, velut feras crudeliter cædunt. Hujusmodi barbara, agrestis, & inhumana dominatio contradicit, tum Philosophiæ, tum Christianæ disciplinæ. Philosophiæ quidem, nam Plato redarguit eos qui servos tanquã bestias stimulis, verberibus tractandos existimant. Disciplinæ quoq; Christianæ quæ etiam inimicos prohibet non solum violenter percutere, sed nec injuriâ afficere, nec odio habere: *Qui dicere audeat servum debere contemni? hominem namque homo tanquam seipsum diligere debet, cui ab omnium Domino ut inimicos diligat, imperatur.* Quod si Christiano non permittit Christiana disciplina, inimicum contemnere, aversari, lædere, quanto magis domesticum subditum fidelem, familiæ utilem, domus bona procurantem, quem bene tractabit paterfamilias: 1. venerans DEI dominatum: 2. æmulans innocentiæ statum: 3. considerans Christianum famulatum?

1. *DEVS Dominus*, sed longè aliâ ratione quàm homines quibus aliqua competit dominatio: tum quia à seipso habet *imperium summæ dominationis*: homines autẽ dominãtes, mutuantur à Deo dominationẽ, *ille vices dominationũ ipsis temporibus in sæculo ordinavit, qui ante omne tempus fuit*: tum quia independenter possidet *culmen dominationis*; Reges autẽ qui inter homines supremum obtinent dignitatis gradum, à Deo dependẽt: & ut fatur Tertull. *infra DEVM* constituuntur. Tum quia *DEVS omniũ Dominus & nemini comparandus*: Reges verò *immutabilibus regnis* duntaxat dominantur: Tum quia nõ est indigens aliquo; *Nullius indiget DEVS, ideò verus est Dominus*; homines autẽ dominãtes indigẽt iis quibus imperant: Ut enim ait D. August. Eget servus tuus

I. PARS.
Tert. Apol 1.
D. Aug. Ser. Do. in Mont. c. 36.
Ecclesf. 4.
L. 2. Ep. 284.
D. Chrys. in Similit.
Lib. 6. de Leg.
D. Aug. Ser. Dom. in Mont. c. 36.
Tert. l. de An. 20.
Tert. apol 24.
Tert. apol 26.
Tert. l. 1. adv. Marc. 4.
ibid.
Tert. lib. adv. Hermog. 6.
Tert. l. 1. adv. Marc. 4.
D. Aug. Ser. 50. de Temp.

tuus bono tuo ut pascas illum, sed eges & tu bono servi tui, ut adjuvet te. Non tibi potes haurire, non potes tibi coquere, non potes ante equũ currere, indiges ergo bono servi tui, & obsequio ejus: ideò non es verus dominus quando indiges inferiore.) Tum quia (dominatio DEI non sibi, sed nobis est utilis. Ille quippe nostra servitute non indiget, nos verò indigemus dominatione illius; ut operetur & custodiat nos. Nam si nobis ind geret, eo ipso non verè Dominus esset: cùm per nos ejus adjuvaretur necessitas, sub qua & ipse serviret: & ideò verus & solus Dominus est, quia non illi ad suam, sed ad nostrã utilitatem salutemq; servimus.) Homines verò dominantur subditis non ad subditorum, sed ad propriam utilitatem. Tum maximè quia domini in quocunq; dignitatis gradu sint constituti, DEI subduntur dominio: qui dicitur *Rex regum & Dominus dominantium, ob summitatem magnitudinis, & subjectionem cæterorum graduum.* Tumescant quantũ voluerint domini, inflentur præ superbia principes, velint nolint supremo Domino subjiciuntur. Nam ut ratiocinatur D. Augustinus, (dicuntur domini multi mortales caduci, miseri, sed à Domino dominorum, qui & DEUS & Dominus dicitur: DEUS, quia quæcunq; facta sunt, per ipsũ sunt, & ab ipso sunt, ut sint: Dominus autem, eò quòd omnia quæ sunt possidet ineffabiliter. Igitur bonus & summus Dominus, quia & DEUS.) Quod probè sciens *Augustus imperii formator ne dominum quidem se dici nolebat: & hoc enim DEI est cognomen.*

Tract. 8. in Ep. Joan.

D. Aug l. 8. de Gen. 11.

Tert. lib. 1 adv. Marc 4.

Ps. 120.

Tert. Apol. 33.

Utinam ad hæc attenderent homines dominationem habentes, & mente seriò revolverent, 1. suos subditos esse DEI servos: 2. se esse etiam DEI subditos & servos: 3 se rationem reddituros, & de contumacia in DEUM & de arrogantia in subditos. DEUS compescere volens duritiẽ Judæorum, erga servos, hac utitur ratione: *mei enim servi sunt: Non affl gas per potentiam, sed metuito DEUM tuum.* Ubi Radulphus: Hinc commonentur domini, ut servos tyrannicè non opprimant, sed benignè & clementer tractent, & tanquam DEI servis reverentiã præbeant, & meminerint se DEI esse subditos & servos. *Sumus servi, Dominum habemus DEUM,* cui in persona servorum suorum servitute debemus. Quamobrem D. August. docet dominatum apud Christianos, potius esse obsequium quàm imperium. *Justi quibus imperant, serviunt: neq; enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbiã, sed providendi misericordiã:* prætertim cùm reddituri sint rationem de arrogantia in subditos, erga quos humani, affabiles & benigni esse debent. *Et vos domini eadem facite illis:* quasi dicat: Vos domini servis exhibete similem humanitatem, benignitatem, affabilitatem, benevolentiam, qualem servi DEI jussu vobis exhibent. *Remittentes minas,* ne sitis in servos imperiosi, arrogantes, aspernantes, minaces. *Scientes quia illorum, & vester Dominus est in cœlo.* Non enim estis à DEI dominio independentes, sed ejus subditi imperio æque ac illi quibus imperatis. *Et personarum acceptio non est apud eum:* Nolite, ô domini, superbire, & imperiose in servos agere, quia communi cum illis DEO ac Domino servitis: Mementote

Levit. 25.

Tert. l. 4. adv. Marc 29.

L. 19 Civ. 14.

Ephes. 6.

vos

vos pariter servos esse Domini cœlestis, qui severam à vobis rationem exiget, tum dominii vestri & tyrannidis in servos; talemq; se vobis exhibebit, quales vos servis exhibuistis. Non enim hominis respicit personam, an sit servus, an dominus, sed unumquemque, sive dominus sit sive servus, præmiat aut punit prout bene vel male egerit; tum vel obedientiæ, vel contumaciæ quam supremo præstiterit Domino. *Igitur si probos quosq; servos & bene mentis, pro ingenio dominico conversari videmus, quanto magis nos secundùm Dominum moratos inveniat oportet? Servos scilicet DEI vivi, cujus judicium in suos, non in compede aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœna, aut salutis: cui severitati declinanda, vel liberalitati invitanda, tanta obsequii diligentia opus est, quanta sunt ipsa quæ aut severitas comminatur, aut liberalitas pollicetur.* Hanc severitatem experientur homines DEI domino rebelles, & in subditos crudeles: liberalitatem verò recipient, Domino DEO obtemperantes, subditos benignè tractantes, venerantes DEI dominatũ, & æmulantes innocentiæ statũ. Tert. l. de Pat. 4

2. *Nam illi etiam conditione servi erant: tu verò nullius servus in quantum solius Christi, qui te etiam captivitate seculi liberavit.* Quinque sunt servorum genera: scilicet ex natura, ex lege, ex emptione, ex mercede, ex virtute & dilectione. Servus ex natura, viribus corporis præditus est ingenio, solertia & prudentia non pollet, nec ad se, nec ad alios regendum, sed alterius prudẽtia & sapientia ad sui regimen indiget. Servus ex lege in bello publico, vel privato, nempe duello, ab alio superatus, victori ex lege datur in servum. Quoniam melius est victo servire victori, & servari in vita, quàm occidi. Servus ex emptione emitur ab alio, in cujus potestate est, sive ematur re, sive nummis. Servus ex mercede stante libertate personæ, vendit opera sua, & dicitur servus mercenarius, sive servus operarius. Servus ex virtute & dilectione, stante libertate personæ absq; mercede interdum alteri servit ex sua bonitate, liberalitate, & sincera dilectione. Quinq; illa servorum genera sunt in divina Scriptura notissima: Ægyptii ex natura, servi erant Joseph, constituti super illos, non solum authoritate regis Pharaonis, sed dominio naturali, eo quod omnes excellebat sapientia & prudentia, quâ regebantur, salvatiq; sunt tempore famis septem annorum. 2. De servo ex lege loquitur Petrus ajens: *A quo quis victus est, hujus & servus est.* 3. De servo emptitio fit mentio in Exodo, ubi jubet DEUS illum circumcidi, ut comedat pascha. 4. De servo mercenario hanc regulam statuit DEUS in Levitico: *Non permanebit apud te opus mercenarii tui.* Hoc genere servitutis servivit Jacob in domo Laban. 5. Quintũ servorum genus apparet in seniore Abrahæ servo, de quo legitur in Genesi, quod omni fide serviebat, & præerat cunctis quæ habebat Abraham: qui accepto juramento perrexit in Mesopotamiam, & accepit Rebeccam uxorem Isaac filio Abrahæ. In statu autem innocentiæ nullum fuisset servorum genus. Non 1. ex natura, quia homines præditi fuissent non solùm robore corporis, sed etiam vigore mentis, quo & semetipsos gubernâssent, & pecoribus imperâssent. Nam ut ratiocinatur

Tert. l. de Idol. 18

Gen. 41

2. ep. 2.

Cap. 12

Cap. 19

Gen. 29

Cap. 24

L. 19 Civ. 15. na ut D. Augustinus: *Ita DEUS hominem condidit, ut dominaretur piscium maris & volatilium cœli, & omnium repentium, quæ reptant super terram. Rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari non hominem homini, sed hominem pecori.* Non 2. ex lege, quia nullum fuisset bellum nec publicum, nec privatum, sed continua pax tam hominum cum DEO, quàm hominum inter se: peccatum autem quod induxit bellum & hominis adversus DEUM, & hominis adversus hominem, servitutem etiam adduxit. D. Aug. l. de Vera Innoc. c. 164. *Nomen & conditionem servitutis culpa genuit non natura: & prima hujus subjectionis causa peccatum est, quia sicut scriptum est* Joan. 8. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati, unde melior ejus status est, qui famulatur homini, quàm qui servit suæ cupiditati.* Prior est servitus quâ homo servit peccato, quàm servitus, quâ servit homini, quia illa est hujus causa; causa autem prior est suo effectu: homo servit peccato quia victus est à peccato, inde sequitur servitus ex lege, quâ (multi quidem religiosi dominis iniquis, non tamen liberis serviunt: D. Aug. l. 19. Civ. 15. (à quo enim quis devictus est, huic servus addictus est:) & utique felicius servitur homini, quàm libidini, cum sævissimo dominatu vastet mortalium corda libido ipsa dominandi. Hominibus autem in pacis ordine, quo alii aliis subjecti sunt, ut prodest hominibus humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus: nullus autem natura in qua DEUS prius L. quæst. in Gen. quæst. 153. hominem condidit, servus est hominis, aut peccati.) Ut autem alibi illum philosophatur, (se vum hominem homini vel iniquitas, vel adversitas fecit: Iniquitas quidem sicut dictum est Gen. 9. Maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis: adversitas verò, sicut Joseph, ut venditus à fratribus servus alienigenæ fieret. Itaq; primos servos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditũ est, bella fecerũt: qui enim homo ab homine superatus jure belli posset occidi, quia servatus est servus est appellatus: inde & mancipia, quia manu capta sunt.) Non 3. ex emptione; nam nullus ambiisset dominium in alterum, contentus dominio, quod in creaturas irrationales singulis hominibus contulerat Deus. (Inde primi justi pastores pecorũ magis quàm reges D. Aug. l. 19 Civ. 19 hominum constituti sunt: ut etiã sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarũ, & quid exigeret meritũ peccatorum. Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori: proinde nusquã Scripturarum legimus servum, antequã hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen istud quippe culpa meruit, non natura.) Non 4. ex mercede, nam unusquisq; habuisset sibi necessaria, nec ad lucrum captandum conductus esset, sed sibi laborando, alterius non indiguisset bono. Si enim post peccatum in lege D. Aug. l. quæst. in Gen. quæ. 153. naturæ commendatur in Patriarchis, *quod pecorum nutritores erãt à pueritia sua, & à parentibus suis, non dominantes, non principes, non reges, & merito: nam hæc est sine ulla dubitatione justa servitus, & justa dominatio, cũ pecora homini serviũt, & homo pecoribus dominatur:* quanto magis in statu innocentiæ domini fuissent homines, nõ hominibus, sed pecoribus? Inde D. Aug. hominis colligit L. cont. Ep. Fund. c. 37. dignitatẽ: *Ex hoc maximè apparet, quantam tibi DEUS tribuerit dignitatem, quod solus*

sidus ipse tibi naturaliter dominatur, & fecit alia bona, quibus tu quoq; dominareris. Neq; 5. ex dilectione: nam ut ait D. Aug. *omnis servitus amaritudine plena est*: quia quodammodo vim infert libertati, dum propriam voluntatem alienæ subjicit voluntati: omne autem dominium subdito auferens libertatem, est contristabile: at in statu innocentiæ nulla fuisset amaritudo, nec aliquid contristabile. Nec obstat quod Angelicus Thomas docet in statu innocentiæ fuisse dominium: neque etiam quod Doctor irrefragabilis Alexander Alensis, concedit etiam quandam fuisse in illo statu servitutem: nam dominium ad tria ordinatur: 1. ad supplendum subditorum defectum, defendendo illos ab inimicis à quibus propriis viribus sese expedire non possunt: quomodo reges populos sibi subditos tuentur: 2. ad corrigendum malos mores, sceleratos puniens, & inflictione pœnæ illos ad bene agẽdum inducens & cogens: 3. ad dirigendum subditos in his quæ agenda sunt. In statu innocentiæ non fuisset dominium, nec primo, nec secundo modo. Non primo modo, quia ante peccatum nihil homini nocuisset; neq; secundo, quia tunc nullius voluntas contradixisset bono; sed tertio duntaxat modo: tunc enim homo majori munere sapientiæ, & majori lumine intelligentiæ præditus in sciendis, & in agendis, alios direxisset: & cum hic ordo etiã reperiatur in Angelis, inter quos sunt Dominationes, Principatus, superiores & inferiores, fuisset quoq; inter homines in statu naturæ integ æ. Ut enim ait D. Augustinus, (est etiam ordo naturalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris, & viri parentibus; quia & illic hæc justitia est, ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & servitutibus, clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione: quod cum in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justi temporalem perversitatem, in fine habituri ordinatissimam & sempiternam felicitatem.) Eadem facilitate explicatur Alensis, advertendo duplicem esse servitutem; unam coactionis seu violentiæ, quâ servus ita subjicitur, ut non propriam, sed domini exequatur voluntatẽ. Aliã libertatis & benevolentiæ, quâ subditus liberè suã adimplet volũtatem In statu innocentiæ neque homo alteri homini dominatus fuisset tanquam cogendo ipsius voluntatem, neque ulla fuisset servitus violentiæ & coactionis, quâ inferior invitus adimplesset voluntatem superioris: sed fuisset servitus dilectionis & benevolentiæ, quâ filii parentibus honorem, reverentiam & obsequium in officiis corporalibus præstitissent: & sic fuisset prælatio, quâ superior dominatus fuisset inferiori, non tanquam servo, servitute violentiâ & coactionis, sed tanquam libero, & servo duntaxat servitute benevolentiæ & dilectionis: *Libera servitus cui non necessitas servit, sed charitas*, illum ordinem exigebat; tum vita socialis quam tunc homines duxissent; tum quia in vanum aliquis scientiæ habuisset supereminentiam, nisi illam administrasset ad aliorum utilitatem, & ad bonum commune societatis.

Christus Dominus resculpere volens illam charitatis & benevolentiæ do-

[Margin notes: In Psal. 9. — 1. p q. 96. a. 2. — Part. q 91. Memb. 1. — L. quæst. in Gen. qu. 153. — D. Aug. L. de ver. Innoc. c. 114.]

dominationem per peccatum deperditam, & de medio tollere volens illam servitutem, sive emptam, sive jure belli acquisitam, humilem servi induit formam: *Servator noster Rex ex rege Deo, ante secula genitus, & ipse quoque servire sustinuit; non enim arbitratus est se aequalem esse Deo, sed ipse exinanivit seipsum, servi formam accipiens, ut absolveret quod de eo dispositum erat:* nimirum redimere homines à peccato. Suo autem sanguine Christus hominem à servitute peccati liberavit: quem ideò sic alloquitur Tertullianus: *Sed tu jam redemptus à Christo, & quidem magno.* Hac autem libertate potitur in baptismate, ubi accipit vestem candidam, qua denotatur tum manumissio & libertas à servitute peccati, & potestate diaboli, tum de eisdem victoriæ & triumphus: *Accepisti vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, & indueris innocentiæ casta velamina.* Romani enim veste candida donabant servos, cùm eos in libertatem asserebant: candida etiam triumphantes utebantur: Subjungit Tertullianus: *Et si libertas videtur, sed & servitus videbatur: nam & tunc liber hominis eras, redemptus à Christo, & nunc servus es Christi, licet manumissus ab homine:* Servus ante baptismum dupliciter erat servus, & servus peccati, & servus hominis; vel legalis jure belli, vel emptitius, exhibitione pecuniæ: per Christi autem sanguinem in baptismate applicatum liberatus est à servitute peccati; liberalitate autẽ dominorum à servili conditione eximitur; Christiani namq; domini indecens existimãt non manumittere quem Christi sanguis manumisit; libertate autem animæ donatus à Christo, & manumissus à domino, semper servus est Christi.

D. Athan. Hom. de Semente.

L. de Cor. Mil. 13.

D. Ambr. l. de iis qui init. myst. c. 7.

Christiana dominatio quâ fideles suis dominantur famulis, tenere videtur medium inter dominationem quæ futura fuisset in statu innocentiæ, & dominationem quâ gentiles domini olim suis imperabant servis. Dominatio & servitus status innocentiæ tota fuisset libertatis & dilectionis: ubi *Charitas assensus est, non est austeritas jussionis: ibi amore geruntur omnia, ubi non indigetur obsequio.* Dominatio & servitus Gentilium tota erat coactionis & timoris, in qua domini servos uti feras tractabant torquentes eos, sed non diligentes: attamen *justitia sine pietate crudelitas est.* At dominatio & servitus Christianorum habet simul timorem & dilectionem annexam, in qua domini famulos corrigunt, sed & amant. Quod denotatum vult Elias Cluniacensis per Moysem & Eliam, qui loquebantur cum Christo in Transfiguratione. (Duo ergo illi Patres, alter mitissimus, alter immitissimus apparent cum Domino. Quare? Quia misericors & miserator Dominus: quia justus Dominus & justitias dilexit: misericors ergo misericordem, justus justum designat: unde & congrue Scriptura non prius Eliam & postea Moysem: sed ante Moysem & postmodum Eliam ponit. inde dominos hortatur D. Bernardus: *Discite subditorum vos matres esse debere non dominos: studete magis amari, quàm metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit non tyrannica,* considerantes Christianum famulatum.

Chrysol. Ser. 65.

Chrysol. Ser. 145.

Serm. 23. in Cant.

3. *Sed & gratius est nomen pietatis, quàm potestatis.* Idcirco Ludovicus duo-

Tert. Apol. 34.

duodecimus Galliarum rex, populi pater est nuncupatus. Augustus quoque Imperator Romanus pater patriæ appellatus est. Imo ex mente Tertulliani Deus ipse *pater patriæ est, quomodo Dominus est.* Illud pietatis nomen ambiunt etiam in sua domo homines: nam ut subjungit Tertullianus, *etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur*; ut vel prospectu ad pietatis quod ferunt vocabulum benigne domesticos tractent. *Hinc nostri majores omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes; dominum patrem familias, servos familiares appellaverunt. Colant ergo te potius servi tui, quam timeant.* Sic servos benigne ab heris tractandos voluerunt veteres. Non absimiliter D. Augustinus ex nomine patris familias, servos quasi filios & fratres vocatos ad eandem cœlestem hæreditatem docet esse tractandos: *quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quàm servi tolerare quod serviunt.* Meminerit herus se patrem familias etiam erga servos dici, paternumque debere illis demonstrare affectum. Diogenes servos considerandos censebat, non solum in quantum bonis familiæ terrenis utiles, sed in quantum homines dominis in natura omnino similes: quamobrem dicere solebat inter pravos dominos & servos hoc tantum esse discrimen, quod mancipia servirent dominis, domini cupiditatibus, id est, multis dominis turpibus & agrestibus. Eandem naturæ identitatem domino considerandam proponit Philosophus Moralis. *Cogita quem servum tuum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodemque frui cœlo, æque spirare, æque vivere, æque mori: tu tam illum videre ingenuum potes, quam ille te servum: nam quidquam boni aut mali dare potest fortuna, auferre potest: non est servi nomen inhumanæ austeritatis, obnoxium de servili conditione innoxio reatu: servi sunt imo homines: servi sunt imo contubernales: servi sunt, imo humiles amici; servi sunt, imo conservi; si cogitaveris tantumdem inter utrosque licere fortunæ.* Plane Christiane loquitur Seneca merito ridens dominos illos qui ob parvum fortunæ extrinsecum bonum quo à domesticis discriminantur, contemnunt, & acerbe tractant famulos, qui sunt ejusdem naturæ cum illis, & ex æquo iisdem fruuntur elementis & cœli sideribus. Quod ex aquarum æqualitate explanat D. Ambrosius in istud Geneseos: Congregentur aquæ in locum unum) *Ex illo ergo currit aqua, fontes labuntur in fluvios, in freta currunt flumina, lacus derivantur in maria: ipsa se aqua præcedit, urget, sequitur: unus est ductus, unum est corpus: & cùm sit altitudo diversa, indiscreta tamen dorsi ejus æqualitas.* Magna est aquarum diversitas, fretorum scilicet, fluminum, lacuum, rivulorum, fontium, & quamvis diversæ sint in puritate, gravitate, rapiditate, altitudine, dulci tamen societate miscentur, & in æquore æquantur: Sed unde tanta æquoris ubique æqualitas? Quia cum idem sit totius elementi corpus, eadem est aqua, quæ sequentem præcedit, & præeuntem sequitur, eadem est quæ communi cursu se ad currendum urget, & quæ ad cursum urgetur; eadem est quæ imperando præest, & quæ præeuntis imperio submisse patens, præeuntem subsequitur; neque præcedentiæ fastigio tumescit, neque subsequendi titulo degenerat. *Et cùm sit altitudo*

Macrob. l. 1. Saturn. 11

L. 19. Civ. 16

Laert. l. 6

Epist. 47

L. 16. Hexam.

titudo diversa, indiscreta tamen est dorsi ejus æqualitas; Utinam hanc aquarum æqualitatem attenderent domini: non fastu & arrogantia tumescerent, non
1. Pet. 5 sibi subditos ut vilia mancipia tractarent; *non ut dominantes* tyrannice imperarent illis à quibus duntaxat differunt solis fortunæ accidentibus, conve-
D. Chrysost. hom. 23. in Mat. niunt verò in eadem essentia, Quapropter *Centurio iste inter servum & dominum nullam differentiam existimabat: sciens quoniam etsi dignitas in hoc sæculo diversa est; inter illos, una est tamen natura illis ideo magis Dei imaginem honorabat in homine quàm opus captivitatis contemneret in servo*: Nonne exemplum ethnici illius condemnat tot Christianos in domesticos agrestes & inurbanos? Verum quantumvis illos contemnant & recusent, sunt tamen illorum fra-
Tert. Apol. 39 tres; ut famuli superbis illis exprobrant dominis: *Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres*: parum homines, quia sua immanitate ab humanitate degenerarit; mali fratres, quia naturæ unitatem non considerant. Adde, pravi Christiani, quia ad ejusdem religionis societatem non attendunt.

Ad benignitatem erga domesticos provocantur domini ob speciei uni-
Tert. ibid. tatem; sed multo magis ob ejusdem disciplinæ identitatem. *Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere.* Ecce trina inter Christianos dominantes & servientes unitas. Una in natura solidata; alia in disciplina & religione fundata; tertia, spe æternæ fœlicitatis fulta. Trina hæc unitas urget dominos ut famulos velut suos fratres benigne & suaviter tra-
Cap. 33 ctent. Ad quod eos stimula: Ecclesiasticus. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem tuum sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti illum*. Pro illo (sit tibi quasi anima tua,) Versio Græca legit: *sit tibi tãquam tu*: Romana: *Tracta eum sicut teipsum*: Tigurina: *Ut animam propriam fove eum*. Itaque herus servum foveat: 1. tanquam *conservum*, quia ambo uni Deo & Domino serviunt, qui eodem modo tractat herum, quo herus tractat suum cõservum, Servorum namque vindex ac dominus est Deus. Quapropter Philo Judæus apposite ad propositum ait apud sanctum Maximum:
Serm. 7 *Talem te domesticis servis præsta, qualem Deum in te esse velles. Ut enim audimus sic à Deo audimur: atque ut intuemur alios sic Deus nos intuebitur. Offeramus ergo misericordiæ misericordiam, ut simili simile consequamur*. 2. Herus tractet servum *sicut fratrem suum*, non solum quia est cum eo ejusdem naturæ, sed maxime
Tert Apol. 39 quia ejusdem disciplinæ, ejusdemque cœlestis patris filius. *At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis.* In baptismate enim cœlesti fidei lumine sunt illustrati, Spiritus sancti gratia sanctificati, & à Deo in filios adoptati. Tandem 3. herus tractet servum *sicut seipsum sicut animam suam*, benigne, affabiliter, suaviter; tanquam pater filium charissimum, quem sicut seipsum & animam
Tert Ibid. suam diligit, quem bonorum suorum participem facit: *Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus.* Attendant quæso

pa-

patresfamilias ad multimodam illam quam habent cum domesticis, naturæ, disciplinæ, & gratiæ communionem, ut eos bene tractent, & sollicite curent.

Multi domini erga domesticos *non sermonibus modo, in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo*, imo adhuc defectu curæ, peccant. 1. Sermonibus nempe convitiis, injuriis, contumeliis, opprobriis, minis, impropetiis, istud tyrannicum insolenter in ore habentes: *Oderint, dum metuant*. Nec considerant, ait eloquētiæ Romanæ princeps, quod *præstat diligi, quàm metui*. 2. Passionibus affligunt servos, colaphis, pugnis, fustibus. Quos redarguit Antoninus Pius Imperator, qui cum initio imperii nonnullos absolvens reos, de nimia benignitate reprehenderetur, respondit, *principatum non à suppliciis, sed à mansuetudine auspicandum esse*. 3. Nullam domesticorum gerunt curam: negligentes duo præcepta quæ Plato dedit iis qui Reipublicæ præsunt: Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus Reipublicæ curent, nedum partem aliquam tueantur, alteram deserant.) Idem præstare debet paterfamilias in domo, quod Magistratus in civitate: nullam familiæ partem deserat, sed sedulo curet non solum uxorem, non solum filios & filias, sed adhuc famulos & ancillas, eisque, 1. vitæ necessaria præbeat: 2. in infirmitate subveniat: 3. bonis eos moribus imbuat. II. PARS Tert. l. de Pat. 3 Cicer. Philip. 8 Xiphil. in ejus vita. Cicer. l. 1 Offic.

1. *Quoniam Dominus prospector humanarum necessitatum* famulis suis alimenta vitæ necessaria providere tenetur: etenim si brutum homini serviens nutriendum est, etiam divino instituto: *Jam nunc & hic lex consignatur creatoris, etiam boves operarios dignos mercede judicantis: bovi inquit, terenti os non colligabis*: quanto magis cibandus est famulus, qui est ejusdem naturæ cum domino? Famulus impastus damnum incurrit valetudinis, & domino inutilis efficitur, quia non habet vires ad opus requisitas: quapropter Philosophus in Oeconomicis, in curandis regendisque servis tria necessaria existimat: opus, cibum, & correptionem. Opus, ad domus utilitatem; victum, ad servi conservationem; correptionem, ad morum formationem. Eadem servo præstanda desiderat Ecclesiasticus aiens; *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus, servo*. Quasi dicat, Sicut asinus regēdus est cibariis sibi convenientibus, & verberibus, & oneribus; sic servus est in labore juxta suas vires occupandus, in disciplina erudiendus, sufficienti cibo nutriendus; si enim sit bene nutritus, & otiose vivat, insolescet; si autem continuo laborer, nec instruatur, depravatis moribus imbuetur: Ne ergo deterior fiat, erudiatur, ne insolescat, labori vacet; & ne laborando deficiat, cibum recipiat sibi sufficientem quoad quantitatem & qualitatem, nutriaturque non brutaliter barbarorum more, ne cibi sibi convilescentis qualitates brutalis & ipse fit, neque delicate, ne viribus corporis debilitetur; sed tertio quodam modo comedens cibos conditioni suæ convenientes, quos illi dominus suppeditabit ad vitæ conservationem & corporis nutritionem sufficientes, & dum infirmatur illi subveniet. Tert. l. de Orat. 9 Tert. l. 4 adv. Marc. 24 Cap. 33

2. Me-

Tert. l. 4. adv. marc. 17. 2, *Mediator Christus* perfectissime Medici peregit officium ægrotos visitans & sanans. Dominus erga ægrotantes subditos medicum agat: nam ut
L. 10. Ep. 37 fatur Theodocadus rex apud Cassiodorum: *Scimus enim pro remedio nos datos esse cunctorum, non despicimus sanare subjectos.* Et si ipse non sit peritus medicinæ, medicum vocet, ægroto serviat, eique necessaria ad recuperandam sanitatem præbeat, ad instar Centurionis qui servum paralyticum in domo suo servat, omnimodą charitate curat, Christum medicum diligentissime advocat, suaq; pietate, & charitate servi sanitatem à Domino impetrat: Inter misericordiæ opera, peregrinos hospitio recipere computatur: *Videtis Centurionem antequam discipulatus subiret officium, locum magisterii fuisse sortitum: virtutem enim commendat exemplo, qui nondum Christiana schola ingressus est disciplinam;* & opera misericordiæ & pietatis impendit, mancipatus malitiæ in qua viget immisericordia & impietas: Mirare Christiane *penes Centurionē divinitatis reverentiam; penes Gentilem, legis cultum; penes militem, stipendium gratiæ; penes Romanum, fidei doctrinam; in frigore pagano Christianum calorem;* quod enim facere potest amicus erga suum amicum, parens erga filium, hoc egit Centurio erga servum suum paralyticum. Amicus est amico charus; Centurionis servus *pretio taxabatur:* & ut fatur Lucas Evangelista *erat ei pretiosus;* id est, in magna æstimatione habitus, & chare dilectus: Inter veros amicos *omnia indiscreta sunt:* & Centurio servum paraliticum puerum suum vocitat, quia *fides servos promovet in amicos*; vel potius quia illum loco filii habebat, nec minus quàm mater filium, servum diligebat. Filius à matre dilectus in ejus domo manet; & servum Centurio non contempsit, etsi immedicabili morbo laborantem, sed suum agnoscens fovit, & in propria domo retinuit: (Puer meus jacet in domo mea paraliticus, & male torquetur.) *Servum non sprevit præ ægritudine corporis distabescentem, non servi contempsit afflictionem, herili fastu surgens.* Nonne Centurionis pietas multorum dominorum damnat impietatem, qui ægrotantes famulos à sua domo impie ejiciunt? Valde etenim impium est ut quos sanos agnoverunt & habuerunt servos ægrotantes, ut alienos excludant, Christianam disciplinam dediscentes, quæ docet opera misericordiæ: de unigeniti Dei adventu non proficiétes, qui *ad servum in servo venit, ad hominem in homine venit, ut levaret jacentes, elisos erigeret, solveret compeditos, & eos quos nemo, nec afferre, nec offerre poterat, ipse operis sui vector clementissimus bajularet.* Centurionis dilectionem non imitantes qui ægrotum servum in sua domo retinet *contra illos, qui statim famulos ægrotos ejiciunt, & ad hospitale mittunt;* non sic Centurio quamvis non adhuc Christianus sed gentilis, sed paraliticum puerum in domo sua retinens, commoda sollicitudine curat.

[Margin: Chrysol. serm. 15 — Chrysol. serm. 120 — Chrysol. serm. 102 — Cap. 7 — Tert. Apol. 39 — Chrysol. ibid. — Matth. 8. — Basil. Seleu. Orat. 19 — Chrysol. serm. 15 — Hug. Cardin.]

Basil. Seleu. Orat. 19 *Non præ voluptate quam ex numeroso satellitio capiebat, pueri immobilis oblitus est; verum ibat investigans periculo remedium, nec è cura ipse destitit, dum in curationis fontem incideret.* Centum militibus Centurio præerat, & cum tot stipatus esset armatis, nec unius periclitantis servi cura ab ejus mente cecidit,

ejus mente cecidit, sed de eo ita est sollicitus, ac si unum illum solummodo haberet: *Accedit Centurio externus generatione, sed mente domesticus, militum princeps, sed plus Angelorum gaudium. Multi in illo tempore pro diversis rogabant infirmitatibus, nullus autem pro servo nisi iste solus; & hoc ei ad argumentum beatitudinis, & gloriæ coronam erat.* Unus centurio tametsi fide extraneus, curam erga servos primus dedicavit, & solus gessit: bona Centurionis pietas, quæ dum servo procurat morbi levamen, Angelorum negotiatur gaudiũ, sic est grata administratoriis spiritibus cura, quam pro suis ministerialibus servis studiosius homines impendunt. Hæc adhuc servorum ægrotantium cura, *argumentum beatitudinis, & gloriæ corona* nuncupatur: hæc enim pro servis sollicitudo, heris insuſitata, misericordiam erga miseros impendens, futuræ beatitudinis gloriam fauste ominatur, dicente Christo Domino: (Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.) Charitas in humiles & abjectos, est Deo gratissima; multum apud Deum promeretur, qui ægrotantis miseretur, itaque humanior in servos beneficentia, erga dominos divinæ proponitur mensura miserationis: herus simul est dominus & servus; dominus sui servi, servus Dei: quod non ignorans Centurio dixit: (Domine, puer meus jacet in domo paralyticus: nam *qui vocat Dominum, fatetur suam fideliter servitutem*, & misericordiam ipse in servum exercens meruit ut Deus etiam servo suo exhiberet misericordiam. Quare apud Origenem sic fatur Centurio: *Mihi hic servus est & ego creatoris: ille me super terram, & ego in cælis magnum habeo Dominum: si ergo ejus non misereor, quomodo ille miserebitur? si ergo huic non subvenio, quomodo ille mihi subveniet? Sic debent omnes, qui famulos & famulas habent, cogitare sic misereri, & condolere eis, supplicare & curam habere de servis vel de ancillis suis, sicut ille beatus Centurio fecit.* Et hoc tum ut Christianam disciplinam exerceant; tum ut à supremo domino misericordiam obtineant: tum ut curam quam sibi in morbo exhibuerunt famuli, recognoscant: *Et vos domini eadem facite illis*, ait Apostolus. Quæ Pauli verba diversimode expendunt Angelicus Doctor, aureum eloquentiæ græcæ flumen, & D. Ambrosius: Equidem D. Thomas, *& vos domini eadem facite illis identitate rationis*, quia sunt homines & Christiani æque ac vos; & sicut in vos fuerunt misericordes, & in vestra infirmitate charitatem suam demonstrarunt, paritate rationis sitis in illos misericordes, & in illorum infirmitate, ex charitate eis subvenire? Deinde D. Chrysostomus: *Et vos domini eadem facite illis: eadem quacum benevolentia servite, servit enim dominus*: illi vobis ægrotantibus benigne servierunt, in infirmitate servite eis cum benevolentia. Tandẽ D. Ambrosius; *Et vos domini ita facite ad illos*: quomodo & illi fecerunt ad vos: sollicitam de vobis egerunt curam, de ipsis curam habere, æmulantes pium Centurionis affectum, qui servi paralytici ardenter exoptans sanitatem, Christum supremũ medicũ pro reo deprecatur.

Orig. homil. 5. in diverſ.

Chrysol. Ser. 15

Ibid.

Ephes. 6

Centurio 4. *præbet petendi formam*: nam (cùm audisset de Jesu, misit ad eũ seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret & sanaret servum ejus.) Misit

Chrysol. Ser. 61

seniores Judæorum ætate & sapientia venerandos, ut pro ipso loquerentur ad Dominum: deinde ad idem negotium destinavit amicos, *Qui ante miserat Judæos, nūc mittit amicos*, ut vel amicitiæ nexu quod postulat, facilius obtineant: Tandem ingravescente morbo vel præ humilitate, vel quia amoris vis impatiens est, Domino appropinquante domum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur.) Ut autem acute animadvertit Chrysologus, *hoc est sapere non rogare:* Tum quia *causas pueri, quasi magister agit:* Tum quia Christum nuncupans Dominum suam fatetur servitutem, & auctoritatem quam tanquam supremus Dominus habet in ægrotantes & in morbos. *Verbum tuum Domine sanitas est; verbum tuum ubi accesserit, inde confestim fugit dolor, infirmitas mox recedit.* Tum quia puerum suum in domo jacentem & paralysi laborantem declarat; non quasi ignorans servi peculium ad dominum pertinere, sed non audens jacentem & ægrotantem puerum, servum Domini nuncupare. *Meum dico, quia jacet: si tuus esset Domine, non jaceret: puer meus qui jacet, ut tuus sit, surgat: meus quia paralyticus; ut tuus sit, jam sanetur : meus, quia male torquetur, ut tuus sit, jam non sit in pœna.* Tum quia sese excusat, si extra domum ad pedes ejus non deferat puerum, quia scilicet male torquetur. Mos erat, ut animadvertit Abulensis, ad Christum adducere ægrotos sanandos: ab hac consuetudine recedens Centurio (excusando se, causam adjecit, qua de re puerum non adduxit; quippe cùm non fuerit facile, paralyticum, qui doloribus non parvis vexaretur, & ultimos jam spiritus traheret, longius deportare.) Addit Chrysologus: Jacet in domo. & male torquetur: *Hinc est quod afferre eum, & offerre tibi pœna non sinit magnitudo: ne familiaris infirmitas publice, & dolori sit, & pudori.* Puer in domo quidem dolorem sustinet, at pudorem non patitur; quia domesticorum duntaxat exponitur conspectui: si autem extra domum publice educeretur, dolorem simul & pudorem toleraret, dolorem ex asportantium motu, pudorem ex extraneorum conspectu. Inde concludit Chrysologus: *Movit Centurio Judicem, talia & tanta dum peroraret: à quo s.* tandem servi sanitatem impetrat.

Chry'ol. serm. 102.

Serm. 15

Quæst. 29

D. Chrysost. hom. 27. in Mat.

Chrysol.

Christum itaque tot rationibus Centurio *sic movit, ut ad servum suum cœli Dominum ipsum ire velle perficeret:* Ego veniam & curabo eum. Non eodem modo se habet Christus erga Chananæam & erga Centurioné. Chananæa à finibus Tyri & Sidonis exiens, illum pro filia rogat: at Christus 1. (non respondit ei ullum verbum.) 2. eam à se repellit, (Non sum missus nisi ad oves quæ perierūt domus Israel.) 3. cum Chananæa preces multiplicaret, eam à se acriter repellit: (Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.) Centurio verò citius exauditur, plura quam postulat accipit: nam Domini *beneficentia preces antevertit.* Chananææ repulsam, & acceptatā Centurionis orationem miratur Basilius Seleucus, Christū sic alloquens: (Quid ergo, dic mihi Domine, cur non parem animi promptitudiné in te nacta est Chananææ filia, etsi per matrem eadem deprecaretur? At illa rogans canum loco

Matth. 15

Basil. Seleu. Orat. 39

loco numeroq; est, & portum quæritans, ſl ictus experitur, & ad animi vulnus accedit, voce increpans : Non est bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus; hic prope ante ſupplicationem, curationem reportat.) Omiſſis multis hujus diverſitatis rationibus, quas affert Baſilius Seleucus, iſtã ex ipſo ſelegi : *Herus pro famulo rogans, exorator fuit; mater pro filia rogitans tulit repulſam.* Quid tam matri cognatum, quàm de filiæ ærumnis angi, ejus ſanitatem vehementer exoptare, & apud Deum precibus deprecari? At herum officio illuſtrem faſtum ſuum deponere, & pro ſalute ſervi æſtuare; ita generoſum, laudabile, & ratum eſt, ut Chriſti attentior beneficentia heri anteverterit preces, & prope ante domini ſupplicationem, ſervo ſanitatem cõtulerit. Itaque pro puero Centurio rogans, *ad pietatem pietatis traxit auctorem.* Quo denotatur quàm grata ſit Chriſto charitas heri, qui conſiderat in ſervo hominem, in famulo Chriſtianum, in ſubdito fratrem, eo majori humanitate & charitate dignum, quo indigniori fortuna jactatur: *Videtis Centurionem antequam diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterii fuiſſe ſortitum:* dominos erudientem, quanta ſollicitudine ægrotantes debeant curare famulos, cùm Centurionis pietas meruerit à Domino ſervi obtinere ſanitatem. Chriſtus etenim ejus laudata fide, & in puerum charitate, dixit ei:(Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi: & ſanatus eſt puer in illa hora.) *Videte œconomiam Domini: Probatur fides domini, & ſervi ſanitas roboratur: poteſt ergo meritum domini etiam famulis ſuffragari: non ſolum fides merito, ſed ſtudio diſciplinæ.* Centurionis fides ſervi meruit ſanitatem, quam diſciplinæ ſtudium à Chriſto obtinuit : quod dominis imitandum proponitur, ut de Centurionis gymnaſio erudiri, qualem debeant infirmantibus famulis curam impendant, eos adhuc bonis imbuere moribus ſedulo ſtudeant.

Chryſol. ſerm. 15

Chryſol.

D. Ambr. l. 5. in Luc.

3. *Parentes enutrite filios veſtros in diſciplina Domini,* Domini ſunt famulorum ſuorum velut parentes, idcirco patresfamilias nuncupantur, quia ſervos non ſecus ac filios ad diſciplinam tenentur erudire chriſtianam. Ut enim ratiocinatur D. Auguſtinus, *qui veri patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum conſulunt, deſiderantes venire ad cœleſtem Domum, ubi neceſſarium non erit officium imperandi, quia neceſſarium non erit officium conſulendi jam in illa immortalitate fœlicibus : quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quàm ſervi tolerare quod ſerviunt;* quos æque ac filios debent in chriſtiana diſciplina & bonis moribus erudire. Sunt nonnulli exiſtimantes dominos non multum debere eſſe ſollicitos quibus moribus imbuantur domeſtici, modo in commiſſis & obſequiis domus ſint fideles: quia cùm non ſint hæredes futuri, neque permanſuri in domo toto vitæ tempore, per accidens eſt domino ſive bonis ſive pravis ſint moribus: verum irrationabiliter. Expedit enim ut ſervi ſint ſtudioſi, tum ob honorẽ domini, tum ob bonum filiorum: tũ ob domus utilitatẽ, tum ut probe ſuo fungantur officio: tum ob chriſtianam diſciplinã. 1. Ob honorẽ patrisfamilias, cui attribuuntur vitia & virtutes domeſticorũ. ſicut enim fructuũ qualitas tum bona tũ mala tribuitur radici, ſic boni vel pravi

Tert. l. 5. adv. Marc. 18.

L. 19. Civ. 16

servorum mores patrifamilias attribuuntur: unde quemadmodum videntes fructum vermiculosum, arguimus radicem esse viciatam: ita ex servo indisciplinato infertur domini malitia & pravitas; qui ut plurimum est reus criminis servi, & interdum pro illo pœna mulctatur. Cujus memorabile exemplum refert Tertullianus: *Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatū graviter, quod januam ejus subito annuntiatis gaudiis publicis, servi coronassent, & tamen non ipse coronaverat aut praeceperat, nam ante processerat, & regressus deprehenderat factum; adeo apud Deum in hujusmodi etiam disciplina familiæ nostræ æstimamur.* 2. Ob bonum filiorum, cùm enim servi in domo cum uxore & liberis conversentur, si sint moribus depravati totam familiam corrumpent: Si enim *bonos corrumpunt mores, confabulationes malæ: quanto magis convictus, & individuus usus?* 3. Ob familiæ utilitatem, non solum quia domestici studiosi divinam attrahunt supra dominos benedictionem: Sic Laban fuit ob Jacob benedictus; Putiphar ob Joseph, Assuerus ob Mardochæum: sed etiam quia domus *servitutes & officia* bonis famulis commissa, recte administrantur. 4. Ob disciplinam Christianam: cùm enim dominus & servus different tantum accidentaliter penes fortuna bona, & conveniant in eadem natura humana, & disciplina christiana, herus saluti servi tanquam proximi sui tenetur invigilare: siquidem *mandavit Deus unicuique de proximo suo.*

L. de Idol. 15 — Tert. l. 2. ad Ux. 3 — Tert. l 2. ad Nat. 5 — Eccles. 37

Qui domesticorum bonos non curant mores infidelibus deteriores existimantur ab Apostolo: (Si quis autem suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.) Quia ut expendit D. Chrysostomus, *divinas plane leges violat, & jura naturæ, qui negligit suos.* Bene dicitur infideli deterior; nam negligit servos, quos infidelis erudire nititur: (Marcus Crassus ille dives magnam servorum turbam domi alebat, quorum præcipuam agebat curam, discentibus adstans, interdum & ipse docens eos: dicens hanc oportere præcipuam esse patrisfamilias sollicitudinem, quod sint rei familiaris animata instrumenta.) Quod si ille est infideli deterior, qui suos negligit domesticos, quanto magis qui eos pervertit: qui verbo & exemplo ad malum inducit; qui promissis, muneribus, minis, interdum vi & coactione ancillarum pudicitiam corrumpit? Qui est hujusmodi nonne fidem negat? Fidem quam Deo debet cujus mandata contemnit; fidem quam in conjugio pollicitus est uxori, tandem fidem quā præstare tenetur ancillæ, custodiæ suæ commissæ? Paterfamilias de virtute cōmendatus, *docet & erudit, quasi pastor, gregem suum*; ex D. autem Bernardo, (Pastoris est vigilare super gregē propter tria necessaria: Videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces: Ad disciplinam propter morū correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat: Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate: Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate.) Hæc tria præstet paterfamilias famulis & famulabus suis, corrigat illos, dum scelerose agunt, vel indecore loquuntur: diligenter eos custodiat, ne peccata commit-

1. Tim. 5. — Plutar. — Erasm. l. 4 Apophr. — Eccles. 18 in Sent.

mittant; sedulo studeat ut Missæ diebus festis & dominicis assistant, conciones audiant, matutinis & serotinis horis orent, virtuti vacent: hæc omnia patrisfamilias spectát curâ, qui tenetur adhuc domesticos bene remunerare. III. PARS

Superest de consummatione & dispensatione mercedis, quam heri domesticis largiri tenentur. Tripliciter domini in famulos peccare possunt, sævitiâ & crudelitate; negligentiâ & otiositate; injustitiâ & iniquitate: 1. Sævitiâ, dum eos ex passione crudeliter percutiunt & cruciant. *Dominus servum, quem præterea necessarium senserat, in ergastulum dedit.* 2. Negligentiâ, otiosi plane de domesticorum *cura atq; prospectu* quos nullo modo custodiunt & curant: 3. Injustitiâ, dum fideles servos absque laboris mercede è domo ejiciunt. *Servum jam fidelem dominus ab oculis relegavit*, retinens laboris mercedem quam debet ex 1. promissione & fidelitate: 2. justitiâ & æquitate: 3. divinâ vindictâ & severitate. Tert. lib. adv. Val. 3 Tert. lib. 1 ad Nat. 4. Tert. lib. adv. Val. 11. Tert. Apol. 3.

1. *Christus & extra fidelis vocatur*, quia extraneis etiam fidelitatem servat: quod si erga extraneos à religione, fidelis est, quantò magis erga famulos domesticos fidei, qui pro mercede se locaverunt: idcirco mercenarii vocantur. *Mercenarius non dicitur, nisi qui accipit à conducente mercedem.* Mercenarii sunt in triplici differentia. Quidam artifices in conficiendis vestimentis, calceamentis, supellectilibus ex conventione laborantes; alii operarii, qui in dies conducuntur ut excolant hortos, agros, vineas: Tertii domestici, per annum vel sex menses conducti, ut familiæ operibus vacent. Quovis autem genere sunt mercenarii, promissam eis mercedem solvere debet dominus, ad instar patrisfamilias Evangelici, qui conventione factâ cum operariis de denario diurno cum servo factum esset dixit procuratori suo: *Voca operarios & redde eis mercedem suam.* Bene, mercedem suam, quia eis debita est, & ratione laboris quo eam meruerunt; & ratione conventionis initæ cum illis, & ratione pollicitationis eis factæ: His rationibus evidenter apparet, *mercedes restitui oportere illius operaria servitutis.* Qui post conventionem factam, & pollicitationem datam, non solvit mercedem, est infidelis, fraudator & criminosus. Infidelis, quia pollicitam non tenet fidem, sine qua non serviret mercenarius; *Cui me decet obsequi, nisi remuneratori?* Fraudator, quia mercenarium debita sibi ex conventione frustrat mercede. *Quid fraudas mercedem operis?* Scelerosus: *Fraudis conditio ea est, opinor, si quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget.* Utroque modo sunt scelerosi multi patresfamiliarum quia mercenariis debitum denegant, tum quia mercedem illorum rapiunt infideliter eam retinentes: Patresfamilias solvite stipendia mercenariis debita, nisi velitis haberi infideles, fraudatores, criminosi, retinentes mercedem, quam debetis solvere, tum ex pollicitatione & fidelitate: tum ex justitia & æquitate. Tert. apolog. 46 D. Aug: Tract. 46. in Joan. Matth. 21. Tert. lib. 2 adv. Marc 2. Tert. l. 4. adv. Marc 29. Tert. l. 1. adv. Marc 28. Tert. l. de Idol. 1.

2. *Dignus est autem operarius mercede sua*: *Quis magis pronuntiavit quàm DEUS judex: quia & hoc ipsum judicare, est dignum facere mercede operarium?* DEUS qui summâ disciplinæ suæ in exhibitione justitiæ consti- Tert. l. 4. adv. Marc 24.

tuit operarium mercede dignum pronuntiavit: post latam à DEO supremo judice sententiam, quis audeat negare mercedem esse mercenariis ex justitia reddendam? Magnum sanè est discrimen inter donum & mercedem. Donum ex mera datoris munificentia procedit, neq; ullo debito ad illud largiendũ quis obligatur: merces verò laborẽ respicit, daturq; mercenario nõ ex domini liberalitate sed solvitur justitiæ debito, Nonne justum est ut qui portat pondus diei & æstus, gravaturq; labore, pro domini utilitate, sui oneris & laboris remuneratiõẽ accipiat? *Sed de mercedibus & manus pretiis i...erest, proinde interest & de labore*; scilicet ut mercenarius laboris sui salarium recipiat.

Tert. l. de Idol. 8.

Contra justitiam tamen & æquitatem agunt domini, & hoc potissimũ tribus modis: 1. Dum vel salaria falsò negant, vel reddita absque veritate & juramento asseverant, vel retinent, suspicantes temerariè domesticos furatos deperdita quædam supellectilia. Quovis autem prætextu domesticorum retineant mercedem, injustè agunt & de fraude damnantur. *Nemo fraudet servum suum jure suo*, suaq; fraude præbeat domesticis ansam sumendi aliquid domûs (quamvis illicitè) ut se à mercede injustè detenta compensent. *Quod si & Christus dignos mercede pronuntiat operarios, excusavit præceptum illud creatoris de vasis aureis & argenteis Ægyptiorum auferendis: qui enim villas & urbes operati fuerant Ægyptiis, digni utiq; operarii mercede, non ad fraudem instructi, sed ad mercedis compensationem, quam alias à dominatoribus exigere nõ poterant.* 2. Promissam mercedem minuunt, vel ob annonæ penuriam, vel ob levem aliquam domesticorum infirmitatem, vel ob laboris (ut sibi videtur) exiguitatem. Domestici equidem operari tenentur, quia *nemo conducitur otiosus, sed omnes operarii esse debent*: At multi domini urgent domesticos ad excessum laboris, eos absque ulla quiete & supra vires onerantes, Pharaonis instar, qui (præposuit Israelitis magistros operum, ut affligeret eos oneribus.) De nimio suo onere quo ab Ægyptiis gravabantur Hebræi, sic fatur Philo Judæus: (Primo, rex cogebat ad opera servilia homines, non solum ingenuos, sed hospites: secundo, imperabat eis graviora quam ferre possent, alios super alios labores cumulans: tertio, si quis labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa judicabatur: quarto, operibus præerat immitissimus & crudelissimus quisque, quos proinde exactores vocabant: quinto, ex nimio labore & æstu plurimi corripiebantur & moriebantur.) Nonne plures domini assimilantur Ægyptiis, ita labore onerantes domesticos, ut *opprimantur operibus*; id est, ut expendit D. Gaudentius, *opprimantur operibus tyrannicis*? & tamen postquam domestici suam captivârunt libertatem; labore continuo, vitam minuerunt: domini illorum mercedem minuere satagunt, sub prætextu vel levis infirmitatis, vel unius diei itineris, nec attendunt quod exiguum illud operis dispendium *frequentiore actu repensatur*; & assiduum quo servi æstuant laboris studium & negotium, ampliorem deberet accipere mercedem. *Illud dicam, hoc ipsum impensius laborasse, uberioris mercedis loco habendum esse, his certè qui non sunt animo illiberali*

D. Ambr. Ep. 23.

Tert. l. 4. adv. Marc. 24.

Pasch. l. 9. in Matth.

Exod. 1.

Lib. 1. de Vit. Moys.

Exod. 5.

Ser. 12. ad Neoph.

Tert. l. de Idol. 8.

Greg. N. z. Orat. in S. Baptisma.

rali & sordido. 3. Salarium mercenariorum differunt in eorum damnum:nā mutuo accipientes sibi vel ad victum,vel ad vestitum necessaria multo charius emunt, quam si dinumerata pecunia emerent: Mercedis procrastinator contra divinum facit mandatum: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te, usq; mane.* Quasi dicat: Non differas solutionem mercedis in alteram diem, sed eodem operis die ante noctem solve mercenario, quia ut plurimū pauper est vivitq; in diem ex mercede diurna. Idipsum aliorsum præcipit Deus: *Non negabis mercedem indigenti, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam.* Præbet rationem cur eodem die quo laborarunt mercenarii debent recipere mercedem laboris, quia pauperes sunt, & ex illa dietim vivunt, suamq; familiam alunt. Subjungit autem *ne clamet contra te, ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum*; quapropter mercenarii solve salarium saltem metu divinæ vindictæ & severitatis. Lev. 19. Deut. 24.

3. *Ipse est judex, qui & vindex.* Ut judex Deus operariis mercedem adjudicavit: etenim *nulla retributio non ex judicatione consistit.* Ut vindex de dominis, qui operarios mercede fraudant, vindictam sumit: nullū crimen impunitum relinquit Deus judex, sicut nullum bonum non remunerat, *ex bono enim juvando, & malo puniendo, justitiam exhibens; utramq; sententiam bono præstat, hinc vindicans istud, inde remunerans illud.* At sunt nonnulla peccata quæ coram divina justitia clamant, ejusque vindictam provocant. Quatuor sunt scelera atrocissima, quæ ab Scriptura sacra in cœlum clamare dicuntur. Primum est homicidium voluntarium, ut constat ex innocuo Abele, cujus sanguis adversus homicidam Cain vociferatur: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quasi Caino dicat Deus: Reatus homicidii, imò parricidii tui, à me celerem & atrocem vindictam exposcit. Secundum est, peccatum sodomiticum. *Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Peccata Sodomorum adeò fuerunt enormia, ut tanquam accusatores in cœlum ad Deum conscenderint, clamaverintq; adversus impios & sceleroſos Sodomæ habitatores, vindictamque extorserint. Tertium est, viduarum, pupillorum, & pauperum oppressio: *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt usq; ad cœlum.* Idem de oppressis in Ægypto Judæis asseverat Scriptura: *Ingemiscentes filii Israel, propter opera vociferati sunt: ascenditq; clamor eorum ad DEUM ab operibus, & audivit gemitum eorum.* Pauperum oppressio clamat in cœlum, suiq; enormitate, Deum ad oppressorū liberationem, & opprimentium vindictam provocat. Quartum est, merces operariorum defraudata: ideoq; defraudantes dominos sic alloquitur in sua canonica Jacobus Apostolus: *Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Operarii pauperes sunt, & laborando per æstus & frigora, exhauriunt succum & sanguinem suum, nec habent unde ea restaurent: ex mer-

Tert. l. 4. adv. Marc. 3.] Tert. lib. 4 adv. Marc 24. Tert. l. de Res. 14. Gen. 4. Gen. 18. Eccles. 35. Exod. 2. Cap. 5.

mercede namq; diurna victitant: quare si ea illis denegetur, tam ipsi quàm eorum filii, & conjuges, fame, siti, & nuditate peribunt: unde hoc peccatum homicidio comparatur. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*, adversus quos clamant mercenarii defraudati, à DEO exposcentes vindictam sævitiæ & tyrannidis DEO & hominibus exosæ, cujus enormitas & atrocitas tanta est, ut neq; occultari, neq; excusari possit, sed ejus clamor DEI aures & oculos verberat, eum neq; ad iram & vindictam ita impellit, ut divina vincatur pietas, ac quodammodo punire cogatur: Quod probè sciens Job, divinam sibi imprecatur ultionem si vox mercenariorum adversus ipsum clamaverit, *Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent: si fructus ejus comedi absq; pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi; pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina.* Metuant patresfamilias mercenariorum clamorem, timeant divinam vindictam, & si ejus vitare severitatem desiderant, Ecclesiastici sequantur consilium: *Ne lædas servum in veritate operantem, neq; mercenarium dantem animam suam*: imitentur Tobiæ fidelitatem & æquitatem, qui operarios justè remunerabat, ad idemq; justitiæ debitũ, filiũ suũ erudiebat: *Quicunq; tibi aliquid operatus fuerit statim ei mercedẽ restitue, & merces mercenarii tui apud te non remaneat*: sic enim justitiã servans, à DEO remuneratore omnis bonitatis, recipies justitiã, nõ punientẽ, sed benefacientẽ; non vindicantem, sed præmiantem in cœlo.

(Eccles. 34. — Job 31. — Cap. 7. — Tob. 4.)

CONCIO SEXTA.

DOminum, *DEI vice dicam*, quem ut DEI vicarium debeo venerari, ejus imperio obsequi, in ejusque domo rectè famulari: Ex Angelico namq; Doctore DEO, ut supremo Domino tria homo præstare tenetur: *Primum occurrit, quod ei reverentiam exhibeat; secundum, quod fideliter ei subdatur: tertiũ, quod ei famulatum impendat.* En prototypon trini debiti, quod hero famulus exhibere tenetur: nimirùm 1. reverentiæ studium: 2. humile obsequium: 3. fidele servitium.

(Tert. Apol. 33. — 2 2 qu 100 a. 6.)

Dominum simul inspexeris reverearis. Cum reverentia in voluntate potissimum sita sit, prærequirit in intellectu notitiam objecti venerandi: quapropter eodem momento quo aliquis se alterius famulum confitetur, illum necessario suum herum recognoscit: est etenim relatio mutua servi ad dominum, & domini ad servum: cognito autem domino, debet illum servus revereri, eique præbere, 1. honorem. 2. amorem: 3 timorem.

(Tert. l. de Pœn. 6.)

1. *Igitur quod attinet ad honores regum vel imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus, & principibus & potestatibus.* Hæretici hujusce ætatis contra Apostoli præceptum, potestatibus denegârunt obsequium,

(Tert. l de Idol. 15.)

quium, easq; de medio tollere moliti sunt, ut evidenter constat ex Lutheri & Calvini dogmatibus. Lutherus quidem hac supra re sic ad Saxoniæ electorem scribit, *DEUS omne jus, omnem magistratum ac potestatem, Evangelio promulgato abrogavit.* Eadem est mens Calvini, qui omnem subordinationẽ à Christianis tollit, eosq; in æquali dignitate & potestate constituit. *Inter Christianos nec debet, nec potest esse magistratus, sed omnes æque alii aliis subjecti sunt.* Quos mordicus sequuntur Anabaptistæ existimantes omnes Christianos utpote Christi sanguine liberatos esse liberos & æquales, neque unum posse alteri dominari. Hæretici istius temporis, imitati sunt Galilæorum sectam, & Pharizæorum arrogantiam. Galilæi à quodam Juda Galilæo sic nuncupati omne Cæsaris dominium & vectigal etiam cum jactura mortis recusabant; quibus annuentes Pharizæi, imò Judæi ferè omnes, à Romanis desciuerunt dicentes, populum DEI liberum, non debere subjici & servire Romanis infidelibus, verùm rebellionis suæ luerunt pœnas; nam à Tito excisi sunt: hunc errorem condemnavit ipsemet Christus, & dum solvit didrachma, & dum jussit reddi Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Quia tamen Apostoli erant Galilæi, primi quoq; Christiani origine Judæi, ab exordio Ecclesiæ diffamati sunt fideles tanquã regum osores, & Judæ Galilæi & Pharizæorum sectatores: quos à falso illo rumore vindicarunt Petrus & Paulus docentes verbo & scripto Christianos in foro tum externo tum interno debere reverentiã & obsequiũ magistratibus, potestatibus, regibus, imperatoribus non solum fidelibus & probis, sed etiam infidelibus, gentilibus & improbis: sic namq; fatur Apostolorum princeps cunctos alloquens Christianos. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEUM, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas DEI, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Multus est Petrus ut demonstret Christianos magistratibus, potestatibus & regibus subditos. *Subjecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ.* Creaturam hic vocat magistratus, potestates, reges, creatos, electos, ordinatos: sic vulgò dicuntur creati consules, principes, reges, pontifices, per suffragia electi & constituti, quo sensu cardinales nuncupantur creaturæ põtificis, quia ab eo creantur principes Ecclesiæ: Sicut enim in creatione DEUS ex non ente facit rem pulchram, magnam, admirabilem; ita principes in electione & creatione ab imo ad summum, à plebe ad principatũ sublimati, ingens novum esse morale accipiunt, quod eos facit illustres & spectabiles apud homines. 2. Humanã nuncupat creaturã, vel quia magistratus & principes sunt creaturæ humanæ: vel quia creati ab hominibus: 3. Subjungit omnem humanam creaturam, cunctos generatim magistratus, potestates, principes, comprehendens, neque idololatras & scelerosos excludens. *Modo aliquando injusti dominantur justis, cum perveniunt ad honorem sæculi, & cum pervenerint & facti fuerint vel judices, vel reges, quia hoc facit DEUS propter disciplinam plebis suæ, & populi sui, non potest fieri nisi ut exhibeatur illis honor debitus potestati: ordinavit enim sic DEUS Ecclesiam suam,*

To. 2. Ep. 101. L. 3. Inst. 19. Act. 5. Joseph. l. 18 Antiq. c. 4. In Ps. 118. L. 4 Strom. 1. Ep. 2. D. Aug. in Ps. 124.

ut omnis potestas ordinata in seculo habeat honorem, & aliquando à melioribus: ut non ideò Christianus factus dedigneris servire: cum enim Christo jubente servis homini, non illi servis, sed illi qui jussit. Quia scilicet ei servis ut ait Petrus *propter DEUM*: Tum quia DEUS ordinavit honorem potestatibus exhibendum: Tum quia rex est viva DEI imago, velut DEI vicarius, Deusque terrestris: Tum quia DEUS vel per se, vel per suos, reges constituit, juxta istud Proverbiorum: *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Tum ex DEI amore & reverentia: Tum ut gentiles vestram conspicientes reverentiam, ad DEI cultum alliciantur. 5. *Quia sic est voluntas DEI*, ut potestatibus præbeatis reverentiam & honorem, *ut benefacientes obtumescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Clemens Alexandrinus legit *sicophantiam*, id est calumniam, fraudulentiam eorum qui nos potestatuum inimicos & destructores existimant: cùm enim nos arrogantes, insolentes, inobedientes & rebelles calumnientur, dum nos humiles, subditos & obsequentes vident, obmutescunt, confunduntur & erubescunt. Inde concludit, *Regem honorificate*: Reddite ei honorem supremæ potestati civili debitum. *Cō-dixerat scilicet Petrus, regem quidem honorandum, ut tamen rectè honoretur, cum suis rebus insistit, cum à divinis honoribus longè est*, cum sibi divinos non arrogat honores: nam soli DEO supremus latriæ debetur cultus. *Non enim DEUM imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se DEUM non volet dici: si homo sit, interest homini DEO cedere, satis habet appellari imperator: grande & hoc nomen est, quod à DEO traditur: negat illum imperatorem, qui DEUM dicit, nisi homo sit, non erit imperator.* His verbis imperatori divinum honorem negat Tertullianus, imperatorium adstruit.

Cap. 8. | L. 3. Strom. 6. | Tertull. Scorp. 13. | Tert. Apol. 34.

Neque minori energia Paulus Christianos potestatibus subditos demonstrat; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: quod in uno capitulo octo validissimis probat argumentis: Idcirco Apostolus: *Non est potestas nisi à DEO*. Magistratus & principatus non sunt à diabolo, ut clamitant hæretici, sed à DEO, ejusq; ordinatione, qui vel immediatè vel mediatè per homines constituti sunt, quia natura & recta ratio, quæ à DEO est, dictat, persuasitq; hominibus præficere sibi potestates à quibus regantur. *Plane monet Romanos omnibus potestatibus subjici, quia non sit potestas nisi à DEO*; & licet Nero, Domitianus, Diocletianus, aliiq; potestate sibi tradita abusi sint adversus Christianos, eos injustè persequendo & crudeliter occidēdo, eis debent præstare obsequium & reverentiam; quia legitimè creati fuerant veri imperatores, & non tyranni, quantumvis tyrannicè imperaverint: *Non tribuamus dandi regni atq; imperii potestatem nisi vero DEO, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis, regnum verò terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet.* Deinde subjungit: *Qui dedit Mario, ipse & Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, ipse & Vespasiano vel patri, vel filio suavissimis imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Juliano.* 3. Quia gladium portant, ut inobservantes plectant: *Non*

Tertull. Scorp. 13. | D. Aug. L. 5 Civ. 21.

enim sine causa gladium portat. Ad hoc enim institutæ sunt potestates, ut publicam conservent pacem, vitæque communis honestatem & societatem tueantur, laudantes & præmiantes bonos, punientes malos qui pacem & societatem turbant; *quia non sine causa gladium gestet: & quia ministerium DEI est, sed & ultrix, inquit, in iram, ei qui malum fecerit; nam & præmiserat, principes enim non sunt timori bono operi, sed malo: vis autem non timere potestatem? fac bonum & laudem ab ea referes, DEI ergo ministra est tibi in bonum. si verò malum facias, time.* 4. Quia DEUS præcipit potestates honorandas, tanquam justitiæ suæ ministras; *Itaq; jubet subjici potestatibus, sed in provocatione bene vivendi, etenim sub illarum respectu, quasi adjutricum justitiæ, quasi ministrarum divini judicii, hic etiam de nocentibus præjudicantis.* 5. Honorandæ sunt potestates propter conscientiam, ne scilicet sit rea & scelerosa, si fuerit inobservans. *Ideò necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*; conscientia namque dictat potestates honorandas, uti à DEO ordinatas, ejus ministras vicesque gerentes. 6. Quia *qui resistunt sibi damnationem acquirunt*: tum quia damnantur à potestatibus temporaliter: tum quia damnum patiuntur spiritualiter, mortem scilicet animæ, quæ potestatibus resistendo mortaliter peccat: tum quia æternam incurrunt damnationem, quam minatur DEUS iis qui resistunt potestatibus: ut enim ait D. August. exponens ista Regii Vatis verba (A verbis meis formidavit cor meum:) *Habuerunt principes sua verba occidò, proscribo, in exilium mitto: sed hæc non possunt comparari huic: hic potest corpus & animam mittere in gehennam: ob id à verbis tuis formidavit cor meum*: Verbum autem DEI est ut honor potestatibus exhibeatur. 7. Quia reverentiam illam & subjectionem denotant etiã tributa, quæ subditi potestatibus pendunt, *de hinc & exequitur; quomodo velit te subjici potestatibus, reddere jubens cui tributum tributum; cui vectigal vectigal.* 8. Quia charitas Christiana exigit, ut potestates honoremus & diligamus. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*; omnes pro suo gradu & modo: pares ut pares amando, superiores ut superiores reverendo & diligendo. *Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris: quem sciens à DEO suo constitui, necesse est ut ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit.* Post tot argumenta queis potestatibus reverentiam præstandam demonstravit Apostolus, sic concludit: *Reddite ergo omnibus debita: cui timorem timorem: cui honorem honorem.*

L. ad Scap. 2.

Tertull: Scorp: 13.

Tert ibid.

In Ps. 118.

Tertull: Scorp. 13.

Tert. l. ad Scapul. 2.

Neque solum regibus, aut magistratibus debetur honor à subditis & civibus, sed etiam dominis & patribus familias à famulis: *ut in quoquo honore, in solo honore nominis incedat*: civiliter honorandus est, non verbo, signo vel opere contemnendus. Fuldensis sic expendit ista Salvatoris verba: (Tollite jugum meum super vos:) *In honore habete, non subtus, ut contemnatis*: famuli, ancillæ, ne contemnatis dominos vestros, sed in honore habete, & ut vos hortatur Apostolus: *Quicunq; sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur*; juxtaque suam dignitatem illos honorent & diligant.

Tert. l. de Idol. 17.

Matth. 11.

1. ad Tim. 6.

 2. *Sic*

Tert. l. ad Scapul. 2. *2. Sic & circa majestatem imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* Ab odio imperatorum vindicat Christianos, qui inimicos & persecutores diligere tenentur. L. ad Scap. 1. *Ita enim disciplina jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis qui nos persequuntur; ut hac sit perfecta & propria bonitas nostra, non communis.* Rebellionis verò in imperatores, accusat Romanos, Albinianos, Nigranos, vel Cassianos, ab Albino, Nigro, & Cassiano nuncupatos: nam Albinus in Gallia adversus Severum rebellans cum apud Tivurtium ab imperatore victus fuisset, ejus cadaver membratim dilaniatum in Rhodanum fluvium projectum est: Non dissimili fato Pescennius Niger à Siriacis legionibus proclamatus imperator, ab eodem Severo apud Cyzicum debellatus interemptus est: Avidius quoque Cassius Cassii nepos qui in Julium Cæsarem conspiraverat Lucio Vero imperatori struens insidias, occisus est: Horum partiarios insequitur Tertull. *Sed iidem ipsi qui per genios imperatorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias & voverant & fecerant, hostes eorum sunt reperti.* Quod adversus Romanos imperatores fecerunt Albiniani, Nigriani, Cassiani idipsum attentarunt adversus principes & reges, Lutherani & Calvinistæ adversus quos rebellarunt, decertarunt. Ubi honor & amor regum est veræ fidei & religionis nota, sic principum contemptus & odium, est hæreticorum hujusce ætatis character.

Tert. l. 5. adv. Marc 6. *Desperatione, & malitiæ redundantiâ, servi quoque sceleslissimi dominos suos interficere non dubitant,* ut multis comprobari posset exemplis. Nonnulli dominos quidem non interimunt: attamen *nequam servi, metui nonnunquam contumeliâ miscent, & lædere gestiunt, quos alias verentur.* Alii dominos quidem non Tert. apol 27. Tert. apol 7. enecant, neque percutiunt, verum illos aversantur: *hostes etiam ipsi domestici nostri cum inimicis nostris societatem ineuntes,* de quibus non potest dici, *servi nostri ab inimicis nostris nihil mutuātur:* multa agētes in dominorū odiū & cōtemptum, ut illis displiceant, *qui domino non placent, utique dominū offendunt.* Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 5.

Tert. l. 2. ad Uxor 7 L. 3. de Benefic. c. 25. Qui dominos aversari, contemnere, lædere, & occidere non verentur, quantum distant à servo illo, qui ut refert moralis Philosophus, (bello civili dominum abscondit, & cum annulos ejus sibi aptasset, ac vestem induisset, spiculatoribus occurrit; nihil se deprecari quo minus imperata peragerent, dixit, & cervicem porrexit) Servi illius magnanimitatē commendat Seneca, *Quanti viri est pro domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides, inveniri in publica perfidia fidelem: & cum proditionis ingentia præmia ostenderentur, præmium fidei morte concupiscere!* Hac tempestate non inveniuntur servi: qui dominos à morte liberent suæ vitæ dispendio: utinam reperiantur qui eis per dilectionem reverentiam expendant: nam reverentia eis exhibenda complectitur non tantum honorem, qui in mentis existimatione consistit, sed adhuc dilectionem, quæ sita est in voluntatis affectu; nam *hoc colitur quod diligitur.* D. Aug. in Ps. 77. Cum dicitur, *Honora patrem tuū*, sub honore comprehenduntur veneratio, Exod. 20. dilectio, opitulatio, cæteraque pietatis officia, patri exhibēda: ita sub reverētia

do-

dominis præstanda continetur amor quem propter Deum exhibere debent servi dominis tum beneficis, tum etiam dyscolis. Beneficis quidem: nam ut fatur vas electionis Paulus, *qui fideles habent dominos non contemnāt, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficii participes sunt.* 1. ad Tim. 6.
Trinum incentivum subministrat Apostolus, quo servos ad dominorū sufflammat amorem: 1. Quia domini fideles sunt: Licet enim omnes domini sint à servis diligendi; fideles tamen utpote infidelibus meliores, digniores, amantiores sunt: 2. Quia dilecti, seu ut Græca legit versio diligibiles, cùm enim sint à Deo dilecti tanquam ejus filii, sunt diligibiles & servorum dilectionem merentur: 3. Quia beneficii participes sunt, nimirum gratiæ & sanguinis Christi, qui eos efficit & multum honorabiles & multum amabiles. Quod si servi sint charitatis participes, diligent quoque dominos, quia charitas, quæ est donum Spiritus sancti, diligit alium propter Deum: Domini quoque dyscoli à servis sunt diligendi: *servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Non tantum domini boni, id est, æqui, probi benigni, clementes, sed etiam dyscoli, id est, fastidiosi, obliqui, asperi, morosi, difficiles, severi, sævi, diligendi sunt propter conscientiam, ut servi agant juxta fidem & disciplinam Christianam, quæ docet & præcipit etiam inimicorum dilectionem: *amicos enim diligere omnium est, inimicos verò solorum Christianorum.* 1. Petr. 2. Tert. l. ad Scapul. 1.

Spiritus sanctus *principalis Dominus* vocitatur à Gregorio Nazianzeno: Spiritus sanctus proprio charactere amor, principalis dicitur dominus, ut homines qui jam sunt participes auctoritatis illius supremi domini, sint etiā participes amoris; quo diligant subditos, nec eos nimis aspere tractēt: dominorum namque severitas etsi à charitate oriatur, non videtur tamen subditis à charitate procedere, quomodo D. Anselmus expendit istud Paulinum, (Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?) *In virga correctionis, ubi etsi sit, non tamen videtur esse charitas;* quòd si servi dominos etiam dyscolos absque charitate in illos sævientes tenentur diligere, quanto magis dominos benignos qui eos nonnisi ex charitate arguunt & corrigunt. Servus qui diligentem & benefacientem dominum non diligit, *in dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet*, debitum non ei reddens honorem, amorem, timorem. Orat. in Pentec. 1. Cor. 4. Tert. l. de Pœn. 5

3. Famuli reverentiæ præstant debitum *timentes dominum scilicet.* Belle decantāt Poetæ: (Primus in orbe deos fecit timor.) Ex Cleměte Romano Deus dicitur θεὸς, id est, *Timor*, quia summe est colendus, amandus, & timēdus: timore nāque homo Deum colit: *Timor hominis, Dei honor est*; quapropter Sanctos ad Dei timorē invitans Regius Vates: *Timete Dominū omnes Sancti ejus.* Et aliorsū cūctos generatim mortales stimulat, ut serviāt Deo in timore: *Servite Dno in timore.* Imo ipseme Deus tanquā supremus dominus timorē à suis subditis expostulat: *Si ego dominus ubi est timor meus?* Quapropter merito Tertullianus redarguit Marcionē, Deū supremū dominū confitentē, & timēdū Tert. l. de Pœn. 2 Epist. 1. Tert. l. de Pœn 7. Ps. 13 Ps. 2. Malach. 1.

L.1.adv. Marc.27 negantem: *Stulte quem dominum appellas negas timendum; cum hoc nomen sit potestatis etiam timendæ.* Et quia patre-familias sunt participes dominii Dei, domestici debent eos timere, venerari: *Non enim timebitur nisi justa & ordinata*

Tert.ibid. *dominatio*, qualis est illa quam domini haben in servos. Quos sic hortatur

Ephes.6 Apostolus: *Servi obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore.* Dominos carnales vocat, id est, temporales, quos spiritalibus opponit; nempe Pastoribus, qui in animas habent dominium: hos autem dominos têporales vult à servis honorandos cum timore & tremore qui servorum decet conditionem: Ad quod eos hortatur Petrus: *Servi subditi estote, in omni timore dominis,* in omni timore, id est, toto, pleno, perfecto timore qui includit amorem: omni timore, id est, multiplici timore pœnæ, ne ab heris si inobedientes sint puniantur: culpæ, ne Deum per inobedientiam offendant: scandali, ne sua inobedientia provocent heros ad odium fidei. Vel vult servos servire dominis ob timorem Christi supremi judicis, qui ab eis exiget rationem an dominis cum timore reverentiam præstiterint, quomodo aliorsum sese explicat

Coloss 3 Apostolus. *Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Deum.* Servi qui ti-

Tert. l.de Pœn.5. more dominos non honorant, non timent Deum, neque in simplicitate cordis ambulant, sed Deo sunt contumaces: *Neque enim timorem alia res, quàm contumacia subvertit;* qui autem serviunt in simplicitate cordis, Deum

II.PARS timent, dominos venerantur, eisque præstant obsequium.

Tert.l.de Orat.9 Cum *oblatio obsequii in voluntate* potissimum consistat, obsequens debet esse virtute præditus, ut de imperantis defectibus proficiat: nam dominus imperans, potest esse vel superbus, vel turbulentus, vel scelerosus. Si superbus, imperat arroganter in obsequentis contumeliam: Si turbulentus, jubet

Tert.l. de Pat.4 violenter in servi jacturã; si scelerosus, præcipit irrationabiliter in Dei offensam. Quia verò *artificium promerendi obsequium est, obsequii verò disciplina, morigera subjectio est.* Ut famulus obsequendo mereatur, debet tot coruscare virtutibus, quot scelerosus dominus dedecoratur vitiis, & ut ejus obedientia sit morigera, debet obtêperare, 1. humiliter: 2. patienter: 3. rationabiliter.

Tert. l. de vel. Virg. 9 *Necessitas humilitatis* qua servi suis dominis & humiliter debent obsequi, ex multiplici capite censetur: 1. Ex servili conditione, cui mancipantur: A-

Ad Tit.2 postolo namque teste oportet *servos dominis suis subditos esse.* Inde D. Augu-

Serm.7 deTemp stinus Apostolum expendens, servos alloquitur; *Quicunque dominos carnales habetis, quicunque servitii conditionem debetis, obedite dominis vestris, & diligete ex toto corde, non ad oculum servientes, sed ministerium ex amore facientes: quia &*

Ephes.6 *illos Deus constituit, ut vobis dominarentur: & vos ut serviatis.* Refert Apostoli verba, redarguentis illos qui ad libertatem Christianam vocatos existimabant per Christianismum eximi à vinculo servitutis. Hos redarguit Paulus, docens dominis licet gentilibus obsequendum esse. Contra præfatum er-

Can 3 rorem ita sancit Concilium Gangrense: *Si quis servum divini cultus, aut aliquo religionis prætextu doceat contemnere dominum, & recedere à servitute, non autem*

tem in bona voluntate, & omni honore servire dominis suis, anathema sit: & licet Apostolus loquitur de servis gentilium, id est, mancipiis, qui cum dominis, vel sine dominis convertebantur ad Christum: attamen obedientia decet etiam servos mercenarios, nimirum famulos & ancillas: *sed in omnibus eadem conditione subjicitur.* 2. Ex disciplina Christiana quam profitentur: siquidem subjectio & obsequium *competit professoribus humilitatis ex praescriptis Dei* Ut enim docet D. Augustinus: *Humilitas est maxima disciplina Christiana.* Quod intendit etiam Apostolus: nam postquam docuit servos dominis suis subditos esse, hujus rationem subministrat, *omnibus fidem bonam ostendentes*; quia fides Christiana humilitatem & docet & praecipit. Idcirco belle Tertullianus *de humilitate fidei* loquitur, quia fides ad humilitatem erudit, & humilitas fidei veritatem ostendit. 3. Ex respectu Dei, quem domini repraesentant, quique in illis & cum illis praecipit: idcirco Apostolus desiderat ut servi dominis obsequantur sicut Christo, sicut Deo, ut voluntatẽ Dei faciant, ut Deo placeant: *Servi obedite dominis in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus.* Servus domino in simplicitate cordis & cum bona voluntate obtemperans, Deo obsequitur cujus vices gerit dominus. 4. Ex intuitu mercedis: nam *bonorum Deus acceptator etiam remunerator est:* Unde subjungit Apostolus: *Scientes quoniam unusquisque quodcunque receperit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus sive liber.* Apostolo arridens D. Augustinus, sic alloquitur famulos: *Bene servite propter Deum, quia de bono servitio mercedem habebitis: si boni fueritis meliores estis dominis vestris: quia apud dominum anima uniuscujusque non est in nobilitate discernenda, sed opere: nec genere, sed actione.* Magna domesticorum consolatio, qui *humiliationis officiis* probe vacantes Deo obtemperant, Deo placent, Dei adimplent voluntatem, aeternamque sibi comparant mercedem in coelis.

Tert. l. de vel. Virg. 9
Tert. l. 2. de Cult. Foem. 3
In Expos. Ep. ad Galat. c. 2
Ad Tit. 2.
Ephes. 6
Tert. l. de Poen. 2
Serm. 7. de Temp.
Tert. l. de An. 48

Famulis & ancillis *exposita necessitate omnis humilitatis.* Denotandi sunt qui humiliter non obtemperant. 1. Qui dominorum mandata in re parvi momenti despiciunt, quos ab hac culpa immunes vult rex Theodoricus apud Cassiodorum: *Cavete itaque ne culpis quamvis parva praebeatur occasio: scientes periculum gravissimum fore, si studeatis vel leviter injusta committere: in qualitate est, non in quantitate peccatum: & quidem mensuram non quaerit injuria: imperium si in parum contemnitur, in omni violatur.* In rebus etiam minutis obsequendum est, nec leve putandum, quod contra domini mandatum committitur: 2. Qui dominorum imperia ad suam voluntatem interpretantur, suaque interpretatione ab eorum observatione sese excusant & dispensant: De quibus loquitur Moralis Philosophus: *Volunt homines ita praeceptum esse ut vivunt: non ita vivere ut praeceptum est.* 3. Qui adversus dominos murmurant, & de eorum conqueruntur praeceptis: Servos *non contradicentes* desiderat Apostolus, seu ut legit D. Ambrosius, *non responsores*, qui scilicet monuit,

Tert. lib. adv. Prax. 25
L. 2. Var. Ep. 12
Senec in Proverb.
Ad Tit. 2.

niti, reprehensi aut jussi aliquid facere, non obloquantur, non respondeant, non obmurmurent. Multi tamen nolunt cedere & tacere, sed ultimum contendunt habere verbum; quos confundit Basilius Seleucus exemplo maris,
Marc.4. quod increpatum à Christo obmutuit. Magna excitata tempestate, flante vento, elatis fluctibus, ita ut impleretur navis dormiente à discipulis excitato Domino, (exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce: & cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna.) Recte mari jubet Christus ut taceat, & obmutescat, silentio namque suum demonstrat obsequium, & increpationem absque ulla excusatione, submisse recipit. Duæ potentissimæ causæ mare cogunt, ut procellam coerceat, suosq; fluctus sistat: Increpatio scilicet, & præceptio: Increpatio quidem de qua sic fatur Basilius
Basil. Seleu. Orat. 28 Seleucus: *Transfert increpationem in mare, dicens: Tace, obmutesce, voce esto contentum, ne flagellorum expectes experientiam.* At mare ob præceptionem magis quàm ob increpationem procellam sedavit: nam ut prosequitur præfatus Pater, *aquarum ingenium increpationem horruit, & vocis terrore flabat, & fluctuum suorum cervicem curvabat.* Discant à mari famuli tumultuantes coercere clamores, ad dominorum imperium obmutescant, curvent humiliter cervicem sub voce imperantis & increpationem recipiant patienter.

2. Patientia famulis necessaria est ut humiliter obsequantur, & pacate
Tert. l. de Pat. 11 ferant dominorum acerbitates: *Quis enim humilis nisi patiens? quia nemo subjicere sese potest sine prima patientia subjectionis ipsius.* Multi namque sunt patresfamilias rudes, agrestes, inurbani, barbari, severi, quos famuli debent
L. de vera Innoc. c. 34 tolerare patienter, ait D. Augustinus, propter spem æternæ fœlicitatis. *Ita & à servis domini sunt ferendi, ut & sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia, & sperentur æterna.* Princeps Apostolorum servos ad hanc patien-
1. Pet. 2. tiam stimulat. *Hæc est enim gratia si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste: qua enim est gloria si peccantes & colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis.* His verbis Petrus docet obedientiam sese extendere ad patientiam, eamque complecti: etenim perfectio obedientiæ patientia est, si patiatur humiliter superiorum asperitates, reprehensiones, jurgia, minas, verbera. Ad humilem illam patientiam multimoda ratione stimulat: 1. *Quia hæc est gratia*, id est, hic est illustris divinæ gratiæ effectus: vel hoc est valde Deo gratum; vel est gratia, seu favor à Deo specialiter collatus: Vel hæc est gratia, gloriæ & beatitudinis ferax; patientia enim est humilitas, humilisque obedientia, sunt duæ alæ quibus evolatur in cœlum. Vel hæc est gratia, id est,
Tert. Apol. 46 gloria Christiani, patienter tolerare injurias injuste illatas, ideoque *Christianus etiam damnatus gratias agit.* 2. Quia ad hoc vocati sunt, *in hoc enim vocati estis:* Famulorum enim conditio est exercitatio continua patientiæ. Exercendæ namque patientiæ præbent occasionem domini & dominæ, filii & filiæ, alii conservi, cuncti denique domestici. 3. Christi proponit exemplum
Scorp. 2. qui formam servi assumens, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut*

sequa-

sequamini vestigia ejus : sed ut legit Tertullianus, *ut adsequamini vestigia ejus.* Nihil est validius exemplo, & exemplo Christi. Verum si famuli nolunt imitari Christum Deum hominem, imitentur saltem puros homines, qui servorum agentes personam, miram ostentarunt patientiam. Cassianus celebrat obedientiam & patientiam cujusdam Religiosi, qui in conventu Fratrum publice ab Abbate Paulo palma percussus, ita ut sonitus longius etiam considentium auribus resultaret; nullum dedit signum commotionis, multo minus murmuris, sed *os habens taciturnitatis honore signatum* ; eandem cultus modestiam & tranquillitatem ostendit, ita ut ne colorem quidem vel in minimo mutaret. Gregorius Magnus quendam nomine non re Libertinum commendat, qui ab Abbate suo irato scabello impacto in faciem cum illam tumentem & lividam gereret, dicebat id esse suæ culpæ, non Abbatis sævitiæ, & *ita humilitas discipuli magistra facta est magistri.* Non minori laude est digna obedientia & patientia sancti Joannis Damasceni, qui ob carmen à se compositum ejectus à suo seniore, jussusque cloacas & latrinas purgare, hilariter id præstitit. Omitto plura alia ejusmodi exempla, quibus comprobatur, quòd *patientia servum domino commendat*, Imo & Deo, dum obsequitur domino patienter & rationabiliter.

Collat. 19. c. 1

Tert. l. de Pat. 15

L. 1. Dialog. 2

Tert. l. de Pat. 15.

3. Christianos imperatoribus etiam ethnicis subditos vult Tertullianus: *sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur*, Ratio est evidens, quia quando duo superiores contrarium præcipiunt, tunc obsequendum est ei qui majori pollet auctoritate. Reges sunt superiores, Deus est superior, non solum subditorum regum, sed etiam ipsorum regum, unde si reges contra Deum aliquid præcipiant, *cum Deo non comparabuntur*: divinum namque mandatum præponendum est præcepto regio: & ut ait princeps Apostolorum, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Reddenda sunt quidem Cæsari, quæ sunt Cæsaris, reddenda sunt etiam Deo quæ sunt Dei; cujus imperio ipsi quoque subduntur reges. *Tu cùm audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt; nam quod fidei aut virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum ac vectigal est.* Obsequendū quidem est regi, ut in superioribus diximus cum Tertulliano, *cum suis rebus insistit, cum divinis honoribus longe est*: At cum divinos sibi arrogat honores, cum religionem destruere nititur, cùm à fide avocare contendit, cùm contra Dei legem aliquid præcipit: tunc dicendum est cum Juda Machabæo: *Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis.* Rationabile enim debet esse obsequium, Deo potius quàm homini obtemperans, dum sibi contraria præcipiunt. Hujus sapientis & rationabilis obsequii duplex exemplum refert Tertullianus. *Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcurrit, qui alias obsequentes erga regem Nabuchodonosor honorem imaginis ejus constantissime respuerunt, probantes idololatriam esse, quidquid humani honoris modum ad instar divinæ sublimitatis extollit: sic & Daniel cætera Dario submissus, tandiu fuit in officio, quandiu à periculo disciplina vacaret. Nam id ne subiret, non magis leones re-*

L. de Idol. 15

Tert. Scorp. 13

Act. 4

D. Chrysost. hom. 71

Scorp. 13.

L. 2. Machab. 7

L. de Idol. 15

gios timuit, quàm illi regios ignes. Eadem constantia cuncti Martyres pro fide, pro religione, pro tuenda divina majestate & auctoritate, innumera passi sunt tormenta. *Quid enim? quod jubet homo prohibet Deus; & ego audiam hominem, surdus Deo?* Neque fides, neque ratio id permittit.

D Bern. Ep. 7

Inde colligendum est quàm rationabiliter debeant famuli & ancillæ obsequi dominis, in iis quæ non sunt contraria divinis mandatis. *Cæterum quid facient servi vel liberi fideles, item officiales dominis adhærentes? Hujus regulæ memores etiam magistratibus & potestatibus officia possumus reddere secundùm Patriarchas & cæteros majores, qui regibus idololatris usque ad finem idololatriæ paruerunt.* Bene usque ad idololatriam: nam ubi reges idololatræ voluerût eos ad idololatriam compellere, illis nullatenus obsecuti sunt. Idipsum agant domestici erga suos dominos: humiliter obsequantur in omnibus quæ sunt contra Deum; at dum præcipiunt peccatum, homicidium, falsitatem, latrocinium, impudicitiam, recusent obsequium: surdi ad homines, Deo præbeant auditum; etenim *legis injustæ honor nullus est.* Nec audiendi sunt famuli & famulæ qui dum de malo arguuntur, sese excusare præsumunt, dicentes: Dominus præcepit; nam & dominus damnabitur eo quòd crimen mandaverit, servus quoque eo quòd ad domini imperium scelus commiserit. Unde vult Petrus ut servi obediant non contra conscientiam, sed *propter conscientiam.* Qui ad conscientiã respiciunt, dominis præbent fidele servitiũ.

Tert. l. de Idol. 17.

Tert. l. 1. ad Nat. 6

III. PARS

Fidele servitium reddit *domino famulus.* Quem sic hortatur D. Augustinus. (Audi quisquis temporaliter servus es, & quisquis teneris jure dominationis adstrictus; quisquis conditione qualibet obnoxius es, esto servus, esto & liber. Esto servus humiliter obediendo? esto liber fideliter serviendo. Esto servus domini tui, & noli esse servus peccati. Cùm servieris homini, Deum fideliter cogita, Dei præcepta conserva, Dei voluntati semper obtempera, à Deo mercedem bene servientis expecta: custodi fidem, fuge fraudem. Cognosce te Deo redditurũ rationem de omni opere tuo: non te faciat pigritia contemptorem, non segnitia negligentem; ita fiet ut dum bonã exhibes servitutem, à Deo recipias perpetuam libertatem.) Optima præbet famulis D. Augustinus documenta, ut fidele præstent servitium. Qualis debeat esse servus, denotat vetus illud emblema, quo pingitur pileatus rubro pileo, elegãti interula vestitus, aures habens asininas, cervinos pedes, dexteram tenens erectam & in palmam explicatam. Pileus significat libero & liberali eũ debere esse ingenio: interula designat eum assidue operi & labori intentũ esse: auriculæ asininæ innuunt eum multa etiam dura patienter audire: cervini pedes notant, ejus in exequendis mandatis celeritatem; dextera erecta index est fidelitatis in tractandis heri rebus & negotiis: fidelitas autẽ est præcipua dos famulorum & ancillarum, contra quam peccant tribus potissimum modis. 1. Negligentia & otio: 2. Loquacitate & multiloquio: 3. fraude & latrocinio. Servi ut probe vestrum agatis negotium, abjicite negligentiam & otium, loquacitatem & multiloquium, fraudem & latrocinium, & servite 1. diligenter: 2. silenter: 3. fideliter.

Tert. l. 1 adv. marc. 21

Serm. 3. de Dedic. Eccles.

1. Fa-

1. Famulis & ancillis *tanta obsequii diligentia opus est, quanta sunt* quæ à dominis recipiunt. Duo præsertim accipiunt à dominis suis, nimirum nutritionem, qua eorum conservatur vita, & mercedis retributionem: idcirco diligenter tenentur operari, ut duo etiam præstent dominis quibus compensent ea quæ ab eis accipiunt, nempe bonorum conservationem & accretionem. Æquissimum sane est, ut domesticus cujus vita conservatur, dispendio bonorum domini, & *in ipsa adbuc domo domini, de ipsius adbuc horreis vivens*, diligenter invigilet & laboret ad conservationem bonorum ejus: Neque minus est justitiæ consentaneum, ut pro mercede, quam à domino suscipit, facultates ejus studeat accrescere. *Quam porro ineptum, quam iniquum, pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere?* Multi tamen sunt servi nequam, negligentes, desidiosi, qui de bonis domini & enutriti & remunerati, ea non conservant, sed dissipant, minuunt non incrementant. Hos *domino nequam* vocitat Tertullianus: quos condemnat Jacobi diligentia, ut ipse Laban socero exprobrat: *Die noctuq; æstu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis*: suaque diligentia & vigilantia non solum domini conservavit facultates, sed eas mirum in modum incrementavit: ut ipsemet testatur Jacob. *Tu nosti quomodo servierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua: modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es.* Jacobi exemplum imitantur servi boni, servientes diligenter & silenter.

Tert. l. de Pat. 4

Tert. l. 1. adv. Marc 23.

Tert. l. de Pœn. 6

Tert. l. 1. adv. marc. 23

Gen. 31

Gen. 30

2. *Sequitur jam silentii officium.* Dentes accepit homo, *ad pulsus linguæ temperandos*, ne propalet vel quæ audivit, vel quæ sibi sub secreto commissa sunt. *Nec famulis licet consilia nosse dominorum.* Quod si interdum domini famulos consulunt, eisque cordis pandunt abscondita, non debent ea divulgare, sed in silentio tenere, cum eis *silentii fides debeatur*. Multi tamen domestici linguæ pulsus non temperant, sed sunt *loquaces*, ut fatur Tertullianus, Evam imitantes quæ cum diabolo colloquium iniens; *apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem, impatiens etiam tacendi est, ac traducem illum ejus quod à malo hauserat facit.* Quot mala patitur humana natura ex illa tacendi impatientia, ex colloquio quam habuit Eva cum diabolo: Plures sunt hac ætate famuli & ancillæ impatientes tacendi, & *per loquacitatem* multa causant mala: 1. jurgia inter domesticos seminantes: 2. quid agant famuli & ancillæ, filii & filiæ domino referentes: 3, viri infidelitatem uxori, & vice versa uxoris fœda viro detegentes, *quæ prodita interim etiam humanam animadversionem provocabunt*: 4. secreta domus exterius propalantes & hostibus manifestantes, qui ex hac notitia captant occasionem nocendi. De ejusmodi proditoribus merito conqueruntur domini: *A nullis magis prodimur* quàm à famulis & ancillis nostris: Etenim *domesticorum curiositas furata est per rimulas* ea quæ fiebant, & dicebantur, eaque prodivit tum inimicis, ut eis placerent: tum amicis, ut eos de amicis inimicos efficerent. Quo nihil iniquius: nam si commissum sibi secretum nemo absque infidelitate & proditione potest propalare: *Quanto magis si atrocitas tanta sit, quæ justi-*

Tert. l. adv. Valent 1.

Tert. l. de Res. 61

Tert. l. 5. adv. marc. 6.

Tert. Apol. 7

L. 1. adv. Ux. 8

Tert. l. de Pat. 5

Tert. l. 1. ad Ux. 8.

Tert. Apol. 7.

Tert. l de Idol. 17.

Tert. ibid.

justitia indignationis omnem familiaritatis fidem rumpit? Domestici nolite tantam committere vestra loquacitate atrocitatem, sed servite fideliter.

Tert. Apol. 46 3. *Si de fide comparem*, quam dominis servarunt domestici, ad manum est Lacæna quædam, quæ ut refert Plutarchus interrogata quid sciret; respondit, fidelem esse. Fidelitatis illustre habemus exemplum in sancto Paulino Nolano Episcopo, qui pro filio viduæ redimendo semetipsum in servitutem Wandalis tradidit, suaque fidelitate, diligentia, mansuetudine, prudentia, sanctitate, tam sibi, quàm cunctis suis civibus libertatem impetravit. Nec minor fuit Malchi fidelitas, quam D. Hieronymus suis scriptis commendat. Ephes. 6 Taceo fidelitatem qua Joseph servivit domino, ut domesticos ad similem adducam virtutem, ad quam eos stimulat Apostolus, tum ut faciant Dei voluntatem: tum ut fidelitatis suæ recipiant à Deo mercedem: tum quia decet ut servi Christi sint fideles: tum quia non debent dominorum vereri oculos, Sen Ep. 8. sed Dei conspectum; cui *nihil clausum est: interest enim animis nostris, cogitationibus mediis intervenit.*

Multimode autem contra fidelitatem peccant domestici 1. Dum sua incuria & negligentia bona illis commissa corrumpuntur; ut v.g. frumentum, vinum: aut amittuntur; ut supellectilia: aut furantur: quando id sua culpa accidit, peccant: nam Tert. lib. adv. Valent. 1 *custodia officium, conscientiæ officium est*, tenenturque ad restitutionem: quemadmodum mercedem sibi debent solvere domini; ita dominorum bona fideliter custodire domestici. Ad instar Jacobi qui ex Gen. 31 suis bonis Labani compensabat damnum; *nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam; quidquid furto peribat, à me exigebas.* 2. Dum dominorum dissipant bona, vel in conviviis laute epulando; vel res magni momenti absque eorum voluntate largiendo: 3. Dum furantur, vel alios furari Ad Tit. 2. permittunt: servos etenim desiderat Apostolus *non fraudantes:* D. Hieronymus legit, *non furantes:* Vatablus verò, *non intervertentes*, seu decerpentes aliquid furtim cum totum non audeant tollere; singulis namque diebus tollunt assem, & licet quodlibet latrocinium seorsim sumptum non sit mortale, ob materiæ parvitatem; quia tamen ab initio intendunt furta illa multiplicare, ratione pravæ illius voluntatis & intentionis graviter peccant. 4. Dum in reddenda ratione fallunt & decipiunt dominos, vel negantes minus ab ipsis accepisse quam de facto acceperint, vel asseverantes in emendis rebus ad victum & ad vestitum destinatis plus insumpsisse, quam Tert. l. de Idol. 1 reipsa insumpserint; *& utique erga hominem admissa fraus, maximi criminis nomen est.* Quod si, ut subjungit Tertullianus, *fraus mortem affert:* quanto studio à fraude debet abstinere domesticus, quanta fidelitate tenetur domino D. Aug. l. de Catech. Rud. 21. servire? *Jubentur servi Christiani & boni fideles dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire.* A fidelitate quam à domesticis exigunt domini, sumit ansam D. Augustinus ad hortandos dominos, ut Deo fideliter serviant: Serm. 50. de Communib. *Placet tibi homo servus tuus fidelis, & tu non vis esse Deo tuo fidelis: qui habes servum, attende quia habes dominum; servum tuum potuisti comparare, non crea-*

creare: Dominus tuus verbo creavit te, & sanguine suo redemit te: si viluisti tibi, recole pretium tuum: si oblitus es, lege Evangelium instrumentum tuum! Fidem amas in servo tuo, & Dominus non quaeret eam in suo? Redde quod exigis, quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde superiori: Amas servum qui fideliter custodit aurum tuum; noli contemnere dominum qui misericorditer custodit cor tuum: omnes habent oculos ad laudandam fidem, sed quando illam exigunt reddi sibi: quando autem exigitur claudunt oculos, nolentes eam videre quàm pulchra sit. Christiane qui à servo exigis fidelitatem esto DEO fidelis, servi illi in sinceritate cordis tui, & ab eo æternam accipies retributionem.

LINGUA SCELEROSA.

SCHOLIUM.

Sex linguæ scelerosa considerandi sunt defectus ; 1. Garrulitas seu multiloquium : 2. Scurrilitas seu turpiloquium : 3. Detractio seu maliloquium : 4. Imprecatio seu maledictum : 5. Falsitas seu mendacium : 6. Blasphemia seu vanum juramentum.

CONCIO PRIMA.

Lib. de An. 3
Tert. l. de An. 20
Lib. de An. 3
Tert. l. 1. adUx. 3
Serm. 6. in Ps. 118
In Ps. 76
I. PARS
Lib adv. Hermog. 1
Climac. grad. 11.
D. Aug: in Ps. 38.
L. de vel: Virg: 10

BELLE Tertullianus Athenas nuncupat *linguatam civitatem*: & hoc duplici potissimùm de causa, tum quia cõstat homines fuisse *Athenis dicendi acutissimos, ubi penes colytum pueri mense eloquuntur, præcoci lingua*: tum quia Athenienses multum erant loquaces; quos ideò *facundia caupones* appellat. Neq; soli Athenienses sunt *loquaces* seu garruli : nam ut ait D. Aug. *solent garruli vocari loquaces* U autẽ alior ũ docet S. Doctor, *garruli propriè dicuntur qui vulgò verbosi appellantur: nõ valẽtes, nec volentes tacere*: horũ tamẽ garrulitas est ut plurimũ, 1. criminosa: 2. exitiosa: 3 inj riosa.

Pungit Tertull. Hermogenem eo quòd *loquacitatem facundiam existimet*. Quàm multi sunt hac ætate qui Hermogenis imitantur loquacitatem, nec advertunt quòd *loquacitas ignorantiæ argumentũ est, detractionis janua, scurrilitatis dux, mẽdacii opifex, frigus cordis cõpuncti, inertiã advocans, somni præcursor, mentis evagatio; custodia deniq; exterminatio?* Plures loquacitatis effectus imò & defectus Climacus recenset: & licet in cuncta illa vitia, non semper labatur garrulus; attamen *difficile est, ut quisquam lingua non labatur, & peccet : qui linguâ non peccavit hic perfectus est vir: non enim frustra lingua inudo est, nisi quia facile labitur* : In 1. multiloquium : 2. vaniloquium : 3. Stultiloquium.

Belle *Cicadas Atheniensium* vocitat Tertullianus : ut enim cicadæ continuo cantant, & sui cantus asperitate verberant aures, sic garruli multiloquio & loquacitate feriunt auditum; neque loquaces & garruli sunt semper im-

munes à peccato. Nam ut fatur Ecclesiasticus, *qui multis utitur verbis, lædit animam suam*: anima autem nequaquam læditur nisi per peccatum: Ex Sapiente etenim, *in multiloquio non deerit peccatum*. Quapropter Christianum hortatur D. Ambrosius, *alliga sermonem tuum ne luxuriet & multiloquio peccata sibi colligat: sit restrictior, & ripis suis coerceatur, cito lutum colligit omnis exundans*. Garrulitatem belle confert amni exundanti, qui lutum colligens undas suas contaminat & inquinat: sic garrulus & loquax facilè labitur in peccati lutum, quo verba squalent: quia lingua loquendi prurigine velut torrens magno impetu sese diffluit, veris miscens falsa, utilibus noxia, necessariis vana & otiosa; Et ut dicebat olim suo lemmate Carolus tertius Imperator, *os garrulum intricat omnia*. Ab illa loquendi prurigine Christianos dimovere nititur D. Ambrosius, ne cadant in peccatum. (Nos autem claudamus ostium, ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat: intrat culpa, si lapsus exierit: ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum: exivit multiloquium, peccatum intravit: quia in multiloquio nequaquam qui intrat sermo trutinatur, imprudenter labitur; licet ipsum ultra mensuram loqui, grande peccatum sit.)

Cap. 20 | Prov. 10 | L. 1. offic. 8 | Apud Reusner. Symb. 3. Class. Sym. 6 | L. 1. de Cain Abel 9

Loquacitas interdum est peccatum mortale; interdum veniale tantum: mortale tùm propter contemptum: ut dum quis ex statu quem profitetur, tenetur ad silentium; in hujus autem obligationis contemptum, verbosus diffluit in multiloquium: tùm ob detrimentum, ut dum per loquacitatem DEUS blasphematur, honor proximi dehonestatur. Interdum est duntaxat peccatum veniale; Ut enim ait D. Augustinus, *quando loquitur quis plus quàm oportet (ut est in multiloquio) venialiter peccat*. Et hoc ut docet Alexander Alensis, ratione vel temeritatis, vel superfluitatis, vel otiositatis: Ratione temeritatis: *temerarius in verbo odibilis erit*: at DEO nihil est odibile nisi peccatum: Idcirco Christiane juxta Ecclesiastici consilium *ne temere quid loquaris*; id est ne indiscretè, inconsultè, impræmeditatè loquaris, sed prius præmedita, DEUM ora, ut valeas dicere: *Dominus dat mihi linguam disciplina, quando debeam proferre sermonem*. 2. Ratione superfluitatis; nam *sermo laciniosus, & onerosus, & vanus est*. Vanitas autem non est sine peccato: & ob hanc causam, ut animadvertit Divus Hieronymus, Christus Dominus *Pharisæorum superfluum latratum, furca rationis obtundit*. Ab hac sermonis superfluitate abstinet vir prudens: *Qui moderatur labia sua prudentissimus est*: attentè enim considerat, quid dicat, cui dicat, ubi dicat, quãdo dicat, quantum dicat, ne plus, vel minus dicat: Homo est prudens, qui moderatur operationes; prudentior, qui moderatur cogitationes; prudentissimus, qui locutiones moderatur: satis rarus est *qui lingua vitio careat*. 3. Ratione otiositatis, siquidē *de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationē in die judicii*. Verbum otiosum est illud, ait Magnus Gregorius, quod (aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret) quod di-

Serm: 41 de Sanct: | 2 p. q. 126 Membr 1 | Eccles: 9 | Cap: 5 | Tert. l. 4. adv. Marc. 40. | Tert. l. de vel: Virg: 4 | In c. 7. Marc. | Prov. 10 | D. Aug: l. 2 de Ord: 17 | Matth. 12

Pet.Dam. quod dicitur sine utilitate dicentis & audientis. *Audiat qui verba otiosa & vaniloqua loquitur, audiat & pavescat: audiat terrorem judicii, de ore ipsius judicaturi*: Et si futurum pertimescit judicium, non labatur in multiloquium & vaniloquium.

Tert. l. de Pat. 2. Homo garrulus & *impatiens tacendi* est ut plurimum vaniloquus: superbia enim quâ tumet, reddit eum loquacem, inurbanum, & contentiosum: loquacem in conversatione, semper verba promentem, nec alios loqui permittentem: inurbanum, cæteros despicientem, sese indesinenter jactitantem; contentiosum, cum vociferatione suos sermones propugnantē, & alienos impugnantem. Etenim *contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*. Quod si loquacitas est saltem peccatum veniale, vaniloquiū quoq; est culpa venialis, cum ex se sit gravius multiloquio: nam, ut ratiocinatur Alexander Alensis, defectus finis major est quàm defectus modi; in multiloquio autem est defectus modi, nempe loquacitatis; in vaniloquio verò est defectus finis, nempe utilitatis: deinde vaniloquiū persæpe degenerat in stultiloquiū. *Quemadmodū sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio pressa, non audax*; vocis namq; fastus & arrogantia, loquentis denotat stultitiā. Ut enim ait Sapiens, *In ore stulti virga superbia*. Seu, ut habet Hebraica lectio: *sceptrū superbia*: Lingua enim superbiæ regiā præstet dignitatē & auctoritatē.

D Ambr. in c. 1. Ep. ad Rom.
2. p. q. 126. memb. 3.
Sen. ep. 40
Prov. 14.
Tert. l. adv Valent. 1.
Prov. 17.

3. Qui verè est humilis, *concreto vultu, suspenso supercilio*, voce modesta conversatur, *qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus*. Pro ly *moderatur*, legitur in Hebræo, *prohibet*, seu *continet eloquia sua*: idest linguam retinet: qui non est verbosus, sed linguam silentio consignat, præditus est spiritu pretioso: seu ut legit versio Tigurina, *nobili*, quasi profunda sapientia, & nobilis prudentia taciturnitate constent: ad quod alludere videtur Cassiodorus ajens: *Silentium est probabile, quod sapientes prodit, quod consilium nutrit*; garrulitas est prudentiæ macies, taciturnitas verò adeps consilii: silentium sapientes prodit, loquacitas propalat stultos: lingua in ore hominis posita est, ut sit mentis interpres: *Quid velit cor, lingua testatur*. Siquidem voces mentis cogitationes, & cordis affectiones manifestant. *Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur, in ore fatuorum cor illorum, in corde sapientium os illorum*: Prudentes de corde suo proferunt eloquia, quos bis per limam rationis transeunt quam perveniant ad linguam, stulti verò impræmeditata effundunt verba; quæ, ut ait Gellius in garrulorum ore non in pectore nascuntur. Biblia Tigurina legit: *Ab ore stultorum pendet cor eorum: ut in corde sapientium os eorum situm est*. Stulti quidquid habent in corde, in ore garrulè effutiunt: ideoq; videntur non habere cor in pectore reconditum, sed in ore repositum, omnibusq; expositum: Syrus autem legit: *Os stulti ipsum est cor ejus, & os sapientis in corde suo*; quia nihil loquitur nisi quod est in ratione trutinatū in corde conceptum: Stultus verò profert verba absq; ulla consideratione: Unde nonnulli fatuū derivant à fando, quod fari gestiat, & quidvis

In Ps. 38.
D. Aug. Præf. in Ps. 3.
Eccles. 21.
L. 1. c. 15.

quidvis effutiat, idcirco pueri in quibus minus est cerebri, rationis & sapientiæ, sunt *linguatuli*, id est garruli, loquaces; viri verò sapientiores magisque cordati sunt pauciloqui. Quocirca Gregorius Nazianzenus Celusio ejus taciturnitatem arguenti respondit per tritum illud cygnorum & hyrundinū proverbium: *Tunc cātabunt cygni, cùm graculi tacuerint.* Sanè una cygni morientis vox gratior est cunctis graculorum stridoribus. Christiane, Nazianzeni imitare parviloquium, *sint pauci sermones tui : in multis sermonibus invenietur stultitia*; nam ut ait Sapiens: *os fatuorum ebullit stultitiam* : & ut fatur adhuc Ecclesiasticus; *Labia insipientis præcipitabunt eum : initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus, stultus verba multiplicat*, garrulus in exordio, in medio, & in fine sermonis stultitiam denotat: *Honor & gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subversio illius*, quia quantum sensatus existimatur, tantum garrulus depretiatur ab hominibus: & meritò, quia loquacitas est scelerosa, & injuriosa.

Tert. l. p. adNat. 8. Epist. 1. ad Celus. Eccles. 5 Prov 15 Cap. 12 Eccles. 6

II. PARS

Lingua venenum ita est exitiosum, ut lingua dicatur à B. Jacobo plena veneno mortifero, ignis à gehenna inflammatus, universitas iniquitatis. Plena veneno mortifero, quia non solum multorum corpora occidit per odia, rixas & bella, quæ suscitat: sed adhuc loquacis animam: *Lingua plena veneno mortifero, utiq; nocentior est, quàm bestiarum atq; serpentum, quia illa carnem interficit, hæc animam.* 2. Lingua ignis est, quia sicut modicus ignis totam accendit silvā, sic lingua domos, familias, civitates, provincias, regna, sufflammat, litibusque, diffidiis, animadversionibus & bellis replet mundum. *Quotidiana fornax, lingua humana nostra*, conflata in gehenna, igne tartareo inflammata, diabolo sufflante, ut ex ejus colloquio cum Eva comprobatur. *Conventa statim illi mulier, non temere dixerim per colloquium ipsum, ejus afflata est spiritu, impatientia infecto: quid? quod non sustinuit sola conventa, sed apud maritum impatiens tacendi est; ac traducem illum ejus quod à malo hauserat facit.* Quemadmodum autem serpens tartareus suo colloquio, igne inferni primæ mulieris sufflammavit linguam, sic & nunc linguas inficit, toxicat, flamma gehennæ accendit: Nec mirum nam *halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur* Subjungit Jacobus: Lingua universitas iniquitatis: tum quia totum universum, ex cœlo, terra, & inferno conflatum implet iniquitate. In cœlo, ut patet ex Lucifero, qui dixit: *Similis ero Altissimo*, & linguæ veneno cœlū implevit seditione & apostasia: In inferno ubi damnati continuas blasphemias, maledictiones & imprecationes vibrant: In terra: nam *impii posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra*, ob contentiones, detractiones, jurgia, juramēta, quæ jugiter vomūt: Tum quia est universalis academia iniquitatis. Quemadmodū enim in academia docētur omnes artes & sciētiæ, sic lingua omnia iniquitatū genera docet: Tū quia est mundus seu ornatus iniquitatis: ut enim meretrices pretiosis ornātur vestibus: sic mul ti suâ garrulitate, scelera velā, excusānt, exornāt. Tum quia sicut mūdus cunctarū rerum varietatem & universalitatem complectitur, ita lingua omnem

Tert. l. de Pat. 6. Cap. 3 D. Aug. l. de Nat. & Grat. c. 15 D. Aug. l. 10 Confes. 17 Tert. l. de Pat. 5 Job 41 Isa. 14. Ps. 72 Isid Pel. l. 4. c. 10.

iniquitatem parit & continet: omnes enim iniquitates per linguam aut perficiuntur, aut persuadentur, aut defenduntur, aut excusantur, *Lingua est lena, & conciliatrix peccatorum.* Hanc iniquitatis congeriem per litteras alphabeti demonstrat Salmeron: Ex lingua etenim procedit (adulatio, blasphemia, calumnia, detractio, excusatio in peccatis, falsitas, gloriatio, hæresis, irrisio, lamentatio, mendacium, nugæ, otiosa verba, perjurium, querimonia, rixa, susurratio, traditio, vituperatio, zelus amarus. Hanc linguæ iniquæ dinumerationē ab Alexādro Alēsi mutuavit Pater Salmeron: Doctor enim irrefragabilis viginti peccata linguæ dinumerat, quibus omissis, quā sit exitiosa loquacitas, comprobā, 1. murmuratores: 2. delatores: 3. calumniatores.

D Basil: in Ps: 33

2. p. qu 122

1. Olim Christianus miles de manu imperatoris recusavit coronam floribus contextam: egregium illud facinus non approbantes commilitones ceperunt *singuli designare & ludere eminus, infrendere cominus*: murmurare enim est mala voluntate aliquid ore contradicere, idcirco murmuratores vel apertè quæ ab aliis fiunt culpant, vel dentibus frendent, vel *mussitant, nec dubito quosdam Scripturas* profe: re, præsertim, ut superiorum dicta vel facta devenustent; suaq; murmuratione linguas suas diabolo commodant, ad instar serpentis: quia *serpens hominis subjectus erat arbitrio; sic enim factum est, ut linguam diabolo commodarit.* Callidissimus dæmon, quo periculosius insidiaretur homini, infernalem negligit linguam, & serpentis subjecti linguam mutuatur, ut perniciosiorem edat stragem, & sævius vulneret superiorem hominē. Sic inferiores adversus superiores linguas suas diabolo cōmodant, vel potius diabolus linguam suam commodat inferioribus, ut de superioribus murmurent: Hac diaboli lingua loquebantur (& murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes ad Discipulos: Quare cum publicanis & peccatoribus mā-ducatis & bibitis?) *Serpentina vox est: hanc primam vocem serpens emisit dicens: Quid utique dixit DEVS? nolite manducare: ergo patris sui venena diffundunt.* Non absimiliter plures inferiores superiorem pulsant dicentes: Cur facit illud? cur non facit hoc? cui ejusmodi locutus est? cur talia permittit, aut non punit? Christiani *custodite vos à murmuratione*: Tùm quia ut plurimum ex invidia oritur, quemadmodum invidia ex vana gloria; Tùm quia, ut ait D. Augustinus, *qui murmurat in: boatum bonum perdit; & se ab inobedientia non absolvit:* Tū quia, ut subjungit Sapiens, *non prodest*, nec impedit quominus superioris perficiātur mādata. *Omnes murmuratores magnifice descripti sunt quodā loco Scripturarum: præcordia fatui, sicut rota carri: carrum fœnum portat, & murmurat: non enim potest rota quiescere à murmure, sicut sunt multi fratres, qui non habitant in unum, nisi corpore.* Tùm quia cœlum non patitur murmur. *Regnum cœlorum nullus murmurans accipit: & nullus qui accipit, murmurare potest.* Tùm quia persæpè *murmur defertur*, & qui audierunt murmurationem vel adversus superiorem, vel adversus alios factam, illam referunt. *Tumultus murmurationū nō absconditur.* Tùm quia murmuratores vel ab hominibus, vel à DEO puniūtur. *De nulla re magis Dominū offendisse populus Israeliti-*

Tert. l de Cor: Mil: 1

Tert: ibid

Basil: Sele: Orat: 2

Luc. 5

D. Ambr:

Sap. 1

D Aug: in Ps: 132

Eccles. 33

Gre: Mag: hom: 19. in Evang:

Tert. l. de Cor. Mil: 1

Sap. 1

D. Aug: Tract 26 in Joan:

cui dictus est, quàm contra DEVM murmurando: suiq; murmuris luit pœnas; nã (percussi sunt quatuordecim millia, & septingenti, perierunt ab exterminatore) scilicet ab Angelo divinæ justitiæ ministro. Tùm quia murmuratione prohibet Apostolus: *Omnia facite sine murmurationibus*, sine delationibus. Num. 16 Philip. 2

2. *Nescio dolendum an erubescendum sit, cùm in matricibus beneficiariorum, & curiosorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Christiani quoq; vectigalis continentur.* Beneficiarii dicebantur, milites beneficio principis ad officia seu certa ministeria assumpti: ex eorum corpore erant Curiosi, qui in comitatu præsidum admissa per provinciam renuntiabant: magister officiorum habebat sub se Curiosum cursus publici præsentans unum, & Curiosos per omnes provincias, quemadmodum docet Notitia orientis & occidentis. Curiosi reorum requirebant nomina ac deferebant, ipsosq; reos judicio & tribunalibus sistebant: Curiosorum officia tandem in prævaricationes, rapinas & concussiones degenerarunt; nam pensionibus annuis aut menstruis corrupti Curiosi tabernariorum, ganeonum, furum, lenonum scelera dissimulabant: & quia Christiani Curiosis quoque solvebant pensiones, dolendum & erubescendum existimat Tertullianus, in matricibus Curiosorum, vectigales inveniri Christianos.) Delatorum timebat Apostolus apud Corinthios *susurrationes*, à susurro seu sibilo, qui tenuiorem & exiliorem sonum edit, nuncupatas: itaque susurrationes sunt occultæ & clandestinæ delationes, quas maledici & invidi faciunt ut aliis noceant, quorum virtutes occultant, vitia propalant, vel mentiendo virtutes vitii coloribus devenustant: quomodo ex Ruperto *virga Magorum erant quod fuerant, sed per incantationes, mussitationes, insusurrationes Ægyptiacas, fascinaverunt Magi oculos hominum, ut virga viderentur eis, speciem habere draconum.* Susurrationibus delatorum, homines justi angelicam vitam ducentes criminosi & dæmones habentur: susurrones ejusmodi mendacio alios dedecorantes dæmonis imitantur malitiam. *Diabolus, id est delator, deferendo de DEO, & quidem falsum: primo, quòd DEVS illos ex omni ligno edere vetuisset: dehinc quasi morituri non essent, si edidissent: tertio, quasi Deus illis invidisset divinitatem.* A diabolo *igitur malitia mendacii & fallacia in homines, & infamia in DEVM orta est.* Tert. l. de Fug. in Pers. 13 Renan. Libellus. 2. Cor. 12 In c. 7. Exodi Tert. l. 2. adv. Marc 10

Ejusmodi delationes mendaces maximè vigent, vel inter domesticos, vel inter fratres: ut cõstat ex Antipatre Herodis filio, qui Josepho teste, ut patri in regnum succederet, fratres suos natu majores, ita suis susurris exosos Herodi reddidit, ut eos occiderit; verũ detecta Antipatris fraude & ipse à patre jã animã efflante, pariter occisus est. Ab exordio quoq; fidei fuerũt nonnulli pravi Christiani, qui suspicata quædam imperatoribus deferentes crimina, odium eorum & persecutionem in fideles concitaverunt. *Denique quod maximè accidit, domesticis indiciis, nimis operata secta hujus infestatio, obstruit viam defensionis.* Hæ sycophanticæ fratrum delationes, ita infestarunt Christianam religionem, ut ferè obstructa sit via ad defensionem criminis falsò impositi: quis enim non credat domesti- Apol.

co, & fratri? fratrum delatio etsi criminis non referat evidentiam, (sed levia indicia, & quæ alioquin suspicionem facerent) plenam videtur facere fidem. Ab illis delationibus & susurrationibus Religiosos alienos desiderat D. Bernardus: (Nec cavendum à gravioribus tantum offensis, sed à clandestino quoq; & venenato susurro: non, inquam, sollicitos custodire ab his & similibus: cavenda sunt & levia, si tamen leve debet dici, quodcunq; in fratrem præsumpseris voluntate lædendi: Nam quod tu leve putas, & ut levius præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundùm faciem judicans, paratus festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem.) His verbis arcet Bernardus delationes quæ sæpesæpius in monasteriis sumunt originem, vel ab æmulatione, vel ab animadversione, vel à vanitate. Superbiâ tumidus, invidiâ æmulus, aut odio accensus, multoties delationis fingit materiam. *Qui delationum materiam apud superiorem non inveniunt, ipsi fingunt: hi siquidem sunt, quibus elegantius est de mendacio damnari, quàm præmium de virtute promereri.*

Serm. 25. in Cant.

Hildeb. Epist. 68.

Jacob & Esau pugnâ in utero materno elegantissimè refert Tertullianus: *Ecce viscera Rebeccæ inquietantur & longè adhuc partus, & aeris nullus impulsus: verè duplex fœtus in locu matris tumultuantur, & nusquam adhuc populi duo: portentosa forsitan petulantia infantiæ, ante certantis quàm viventis, ante animosa quàm animata: si tantummodo matrem subsultando turbasset: at cùm partus aperitur, & numerus inspicitur, & auguratus recognoscitur, puto jam non animæ solummodo probantur infantium, sed & pugnæ: detinebatur qui prævenerat nasci à prævento, nedum plenius edito, tantum manu nato: nondum opinor spirans plantam fratris invaserat etiam nunc calens matre, se priorem prodisse cupiebat.* Bellè quamvis longiusculè describit Tertullianus luctam Jacob, qui in utero materno, & etiam in partu, utrobiq; adversus Esau præmaturè tumultuatur, & fratrem supplantare nititur. Hanc pugnam admirans Afer exclamat: *O infantem, & æmulum, & validum, & olim contentiosum!* Uti Jacob ex contentione & æmulatione adversus fratrem valide pugnat: ita sæpenumero Regulares qui sibi videntur validi adversus fratres suos æmulantes contendunt, & quos vincere non possunt merito, delationibus supplàntare nitũtur. Has contentiosas & pugnatrices delationes metuens in sua Congregatione D. Bernardus, ajebat: *Ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis quempiam justè clamantem, Filii matris meæ pugnaverunt contra me: Nonne præsentis Congregationis tanquàm unius matris filii omnes vos estis, singuli alterutrum fratres?* Adeò exitiosas existimat D. Bernardus Regularium delationes, vane æmulas, sæve iracundas, pugnaciter contentiosas, temerariè suspicaces, fictè mentitas, pietati & concordiæ contrarias, venenosas congregationum pestes, evidensq; earum excidium. Superiores non præbeant auditum his criminationibus falsis, à delatoribus factis. Inde Eugenium summum pontificem hortatur D. Bernardus. *Clandestinas & susurratas delationes non recipias: magis detractiones censueris: & ob hanc velim generalem constituas regulam, ut omnem qui palam vere-*

L. 1. de An. 26.

Serm. 25. in Cant.

Lib. 5. de Consider.

veretur dicere, quod in aurem locutus est, suspectum habeas, tanquam falsidicum delatorem, & mendacem calumniatorem.

3. Marcionem qui diaboli munus Creatori convenire putabat, sic pungit Tertullianus: *Ipsum vocabulum diaboli quaero ex qua delatura competat Creatori.* His verbis indicans ut adnotat Pamelius, diaboli nomen à calumniae delatione deductum. Porro calumnia res diaboli est, & calumniator diaboli sortitur vocabulum. *Homo apostata graditur ore perverso, pravo corde machinatur malum* Pro ly *apostata* Hebraica lectio habet *homo diaboli*. Diabolus enim est apostasiae princeps: Vatablus legit *Belial*: Paraphrastes verò Chaldaicus *Calumniator*: at ille homo diaboli Belial, calumniator pravo corde machinatur calumnias in plurali. Symmachus legit *in perversitatibus oris sui*. De machinatis prave calumniis petulanter garrit, licenter obloquitur, & injuriose calumniatum offendit: quia *non est calumnia, nisi quando falsi criminis objectione proximus laeditur.* Calumniam odit justus, impius illam concinnat, ut justum dolore & pudore afficiat. Nam ut ait Sapiens; *verbum mendax justus detestatur: impius autem confundit, & confundetur.* Verbum mendax est calumnia mendax, qua falsum crimen innocuo impingitur. Illud autem verbum mendax juxta paraphrasten Chaldaeum *impius facit putrescere & vituperare*: Seu juxta Hebraicam lectionem, *impius foetere faciet, & pudore afficiet* virum justum, suis calumniis dehonestans, infamans, vituperans, tristitia & verecundia afficiens. L. 5 adv. Marc. 18 Prov. 6 D. Aug. l. qu Sup. Levit. quaest. 68 Prov. 13

Et licèt impius suis falsis calumniis innocuum non efficiat scelerosum apud Deum, sed duntaxat apud homines: *Crimen quippe falsum, quod est calumnia reum non facit hominem, nisi apud judicem hominem: ubi autem Deus judex est, nullus falso crimine laeditur: quia non cui objicitur, sed objicienti potius imputatur.* Attamen verbum mendax detestatur justus, *calumnia tela* pertimescit: Et merito: nam Siracides tria extimescenda denuntiat, ipsaque morte intolerabiliora affirmat: scilicet *delaturam civitatis, collectionem populi, & calumniam mendacem: super mortem omnia gravia.* Gravis est delatura qua falsum crimen alicui imponitur: gravior, collectio populi tumultuantis, insontem ad necem expostulantis: at gravissima calumnia mendax, qua 1. innocuus de falso scelere accusatur: 2. criminosus creditur: 3. tanquam reus condemnatur 1. Ut scelerosus calumniatur: *Sic Pharisaei Christum persequebantur insidiis, tentabant dolis, interrogatione pulsabant, appetebant contumeliis, & tota cupidi simulatione vallabant, objiciebant curandos sabbato, ut si non curasset, fieret de impossibilitate contemptus; de lege maneret calumnia, si curasset.* 2. Innocuus persaepe creditur scelerosus. *Magnos hiatus patitur humana credulitas*; & calumnia mendax verisimilitudine colorata, non raro facit fidem, & falso impositum crimen reddit aliquatenus credibile, praesertim apud illos qui sine delectu omnibus assentiuntur dictis, *nec à rectis falsa secernunt, nescientes inesse & in incredibili verum, & in verisimili mendacium.* Tandem 3. insons calumniis impetitur, tanquam reus multoties ab hominibus condemnatur: ob illa tria: Ca- D. Aug. ser. 27. in Ps 118 Tert. l. 1. ad Nat. 10 Eccles. 26 Chrysol. Ser. 31 Ennod. Min. Fel. in Oct. Eccles. 7

lumnia conturbat sapientem,ut perdat robur cordis illius. Calumnia in sapienté jaculata,illum conturbat,affligit,cruciat. Septuaginta vertunt ly *conturbat, circumfert*,id est,circumagit,rotat:ly verò *perdet:* Aquila legit *seducet:* Chaldæus *decipiet;*Pagninus *insanire faciet;*Tigurina *ad insaniam adiget;*Syrus verò *perdet cor dentium illius.* Adeo exitiosa est calumnia in sapientem & innocuum vibrata,ut eum præ tristitia conturbet, continuo mœrore circumagat,ad insaniam ducat,à sapientiæ & virtutis semita dimoveat,ad impatientiam & vindictam accendat ; in sicophantam, maledicum & injuriosum reddat : *Summum malum calumnia,quæ sapientum maxime animabus insidiatur,generosam ac densam illam virtutum silvam extirpare molitur.*

Greg. Thaumat.

Ad calumnias sapienter,patienter,& silenter tolerandas magnũ requiritur gratiæ adjutorium,quæ tentatio illa gravissima,& fere plusquam humana superetur. De qua sic ratiocinatur D. Ambros: *Non unum genus est nostræ afflictionis:est & calumnia:sed tentatio levior,calumnia gravior: siquidem tentatio potest esse sine calumnia,calumnia in se & tentationem habet:est humana tentatio, quam ferre possumus,calumnia autem gravis est.* Leves tentationes quibus homo agitatur,vel fortunæ damno, vel ægritudine corporis, vel propinquorum nece,vel temporalium jactura,sunt humanæ tentationes; quæ ad insaniam non ducunt: at calumnia conturbans animam,pervertens mentem, cor tædiens,ad insaniam ducens,est tentatio gravior : Et ut subjungit D. Ambrosius,*Calumnia eo gravior est,quia non solum falsa componit,verum etiam quæ pie gesta sunt,decolorat.*Hujusmodi calumnia falsa componens,& pie gesta decolorans , adeo est gravis, ut plusquam humana videatur;ad quam cum patientia & silentio ferendam,insufficientes sunt humanæ vires : *& ideo Dominus quæ sunt graviora suscepit* , *& calumniis appetitus silentium detulit triumphale.*

Serm 17 in Ps.118

D.Ambr. ibid.

Regius Vates probe sciens quantum calumnia dettahat hominem à sapientia,patientia,innocentia,& justitia,sic Deum deprecatur : *Redime me à calumniis hominum,ut custodiam mandata tua.* Non parum retardant in via virtutis gradientes,malignæ impiorum calumniæ : nec raro falsa malevolorum criminatio,innocuos,à virtute transfert ad vitia. Idcirco Propheta,ne labatur in scelus,aut minus strenue in via virtutis ambulet, ne divina transgrediatur mandata:sed illa fideliter custodiat,exposcit redimi à gravissimo calumniæ malo: *Qui enim opprimitur calumnia , non facile potest custodire mandata divina:tristitia necesse est,plerumque aut timori cedat,& affligatur,vel metu calumniæ,vel dolore.*Illam Prophetæ petitionem; *Redime me à calumniis hominum* , sensibiliter consecuti sunt Joseph & Susanna. Primipilos quoque Christianos à calumniis exemit Tiberius imperator, *comminatus periculum accusatoribus,adjecta etiam accusatoribus damnatione.* Quod si hac ætate non semper insontes liberantur ab iniquorum calumniis, nec malignantes mẽdacia calumniarum luunt pœnas,veniet aliquando tempus in quo innocentes præmiabuntur,& calumniatores punientur:quare calumniatorem sic alo-

Ps.118

D.Ambr.

Tert. apolog.6

loquitur D. Augustinus: *Ille qui propter vitandam calumniam tempus à te redemit, hic tolerat dies malos: tu qui calumniis pasceris, & hic habes dies malos, & post dies istos habiturus es in die judicii peiores: sed hoc forte rides, quia minimum attendis: ride, ride, contemne: ego erogo, veniet qui exigat,* & puniat loquacitatem exitiosam & injuriosam. L. 50. Hó. ho. 10

3. Christus Dominus apud Herodem *tanquam agnus coram tondente sic non aperuit os suum; quia Dominus dedit illi linguam disciplinæ, ut sciret quomodo eum oporteret proferre sermonem: illam scilicet linguam, quam in psalmo adglutinatam gutturi suo tunc probabat, non loquendo.* Docuit nos suo Salvator exemplo interdum loquendum esse, aliquando verò tacendum, quia (tempus tacendi, tempus loquendi.) Quapropter *os discretum & congruo tempore vox aperiat, & rursus congruo tempore taciturnitas claudat.* Tacere cùm necesse est loqui, vituperabile est, nec minus est culpabile loqui quando tacendum est. *Discretè vicissitudinum pensanda sunt tempora: ne aut cùm restringi lingua debet, ad perversa se inutiliter dissolvat; aut cùm utiliter loqui valet, semetipsam per pigritiam restringat.* Trino autem præsertim tempore silere vitiosum est. 1. Cum divinæ decantandæ sunt laudes: nam ut animadvertit Magnus Gregorius, *immoderatum silentium si culpa non esset, Isaias Propheta non dixisset, Væ mihi quia tacui.* Addit Glossa interlinearis: *Scilicet à laude.* 2. Dum in Pœnitentiæ sacramento confitenda & propalanda sunt peccata, idcirco in persona peccatoris dæmonium mutum habentis sic fatur Regius Vates: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Quemadmodum *vitia sua confiteri sanitatis indicium est;* ita ea tacere incurabilis morbi est argumentum. 3. Dum incumbit correctionis negotium: *religiosa non tacere, lucrum est; tacere dispendium:* Ut enim luculenter ait Leontius: *silentium non opportunum audaciâ orationis simile est: & quod habet vituperium os futile, hoc habet per negligentiam tacens.* Verum si illi sunt scelerosi qui tacent tempore laudationis, confessionis, & correctionis, illi non sunt immunes à delicto qui garriunt tempore silentii, multoq; plures loquacitate, quàm silentio peccant: unde D. Ambrosius: *Cōplures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo: ideoque tacere nosse difficilius est quàm loqui:* Loquacitas tempore silentii injuriosa est loquaci, religioni, statui regulari: 1. loquaci, quia illum devenustat: 2. religioni, quam vanam demonstrat: 3. statui regulari, cujus observantiam violat.

III. PARS
Tert. l. 4. adv. marc. 42
Ecclef 3
D. Greg. l. 7 Mor. 26
D. Greg. ibid.
Cap. 6
Ps. 31
Sen. Ep 53
D. Aug ser 3 de verb. Dom.
Apud Photium in sua Bibliot.
L. 1. Offic. 2

1. Tres sunt dotes quæ potissimum hominem commendant, & à belluis discriminant: 1. Ratio. *Rationale anima à primo est ingenitum, à rationali videlicet auctore.* 2. Libertas, in qua Dei imaginem præsertim sitam existimat Tertullianus. *Liberum & sui arbitrii, & suæ potestatis invenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam.* 3. Sermo, qui est mentis interpres. Hujus honoris accepti observatorem hominem desiderat Tertullianus: *Sed accepisti homo, os ad eloquendum, ut à cæteris animalibus distes.* Et ob hanc causam Paraphrastes Chaldæus hæc verba Geneseos:

Tert. l. de An. 16
L. 2. adv. marc. 25
L. de Res. 31

(Fa-

Cap.2. (Factus est homo in animam viventem;) sic legit: *Factus est homo in animam loquentem*: quasi loquela non secus ac ratio sit propria hominis, qui si esset sermone viduatus, mutis animantibus similis foret. Ut autem tres illas dotes quibus præ belluis commendatur homo, demonstret, debet habere *os taciturnitatis honore signatum*: Parviloquium est illi necessarium ad ostensionem sapientiæ & rationis. Unde Siracides Ecclesiastici: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam in ipsis, & lingua mea ne perdat me?* Græca versio legit, *signaculum astutum, cautum, prudens*. D. Chrysostomus *signaculum astutiæ*. Tigurina, *signaculum sapientiæ*. D. Ambrosius sic locum exscribit & exponit: *Quis mihi imponet cogitationum mearum flagella? & quis dabit labiorum meorum signaculum?* ne lingua mentem & rationem præcurrat, sed *recti sermonis conjugio* loquatur caute, prudenter, sapienter, nullosque proferat sermones, nisi quos recta ratio, prudentia & sapientia dictaverint? Tandem Syrus legit; *Quis dabit labiis meis signaculum honoris*; necessarium ad demonstrandam animi libertatem? Dixi, *custodiã meas vias, ut non delinquam in lingua mea*, ne per inordinasos sermones potius passionum impetus, quam animi denotem libertatem. Homo *ante te est æquitas & iniquitas, unam linguam habes, quo vis eam vertis: Quare ergo potius ad iniquitatem, & non ad æquitatem? cibos amaritudinis non das ventri tuo, & cibos iniquitatis das lingua tua maligna: Sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris*. Custodi linguam, ne suis peccet sermonibus ad instar Prophetæ: (Quia neminem sciebat castum os servare posse ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentiæ, ut tacendo culpam declinaret, quam vix fugere posset loquendo.) Ad quid lingua, labiis & dentibus, velut duplici circunvallata est muro, nisi homo, 3. Tacens ostendat *oris honorem*. Oris autem honor in sermonibus bene compositis, situs est: & ob hanc causam Esther debens alloqui Assuerum regem, sic Deum deprecatur: *Tribue Domine sermonem compositum in ore meo*. Ad quod alludere videtur Ecclesia, in Breviarii officio: (Da sermonem rectum & bene sonantem in os meum.) Et Regius Vates expostulat à Deo oris custodiam, & labiorum continentiã. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis*. D. Augustinus legit, *ostium continentiæ*. Ad quid oris custodia requiritur, ad quid necessariũ est ostium continentiæ, nisi *ad pulsus linguæ temperandos*, ne nimia loquacitate oris turbetur harmonia. *Pulsa Domine citharam linguæ meæ*, ait S. Ephrem, belle citharæ comparans linguam: Cithara ad harmoniæ numeros temperata dulces reddit audientibus sonos; rupta autem harmoniæ consonantia aures offendit. Sermo velut linguæ cithara, sit temperatus: nam si consonantia sermonis cũ ratione tollatur, tota oris harmonia inconcinna redditur: pacatã mentẽ exigunt sermones temperati, & ad concentũ bene compositi. Ab animo, passionum impetu aut immoderato affectu perturbato, tota turbatur oris harmonia: lingua est index animi, sermo est mentis interpres, sermo pacatus innuit animam tranquillam; lingua exagitata, mentem perturbatã de-

Tert. l. de Pat. 15 — Cap. 22 — Hom. 4. ad Baptis. — In Ps. 38 — Phil. Jud. de Decalog. — D Aug. in Ps. 31 — D. Ambr. l. 1 Offic. 2 — Tert. l. de Res. 61 — Esth. 14 — Dom. 4 Sept resp. 7. — Psal 14 — Tert. l. de Res. 61

notat. Siquidem *ream linguam non facit, nisi mens rea*. Unde menti perturbatæ, animæ passionum furiis agitatæ necessarium est silentium: quod, ut fatur Tertullianus, est *totum signaculum lingua*. Silentium, honor labiorum est, imo hominis honor, impediens ne effrænes passionum motus, illum devenustantes, foris appareant. *Os taciturnitatis honore signatur*; ut jam dictum est cum Tertulliano, quasi taciturnitas sit sigillum, quo sigillatur os tacentis. In sigillo sculpta sunt omnia honoris & gloriæ stemmata, in taciturnitate quasi in sigillo insculpta sunt omnia otis stemmata. Incisæ sunt quoque omnes honorum notæ, quæ hominem de mentis ratione, animi libertate, passionū tranquillitate, affectuum moderatione, commendant. Inde concludit sanctus Jacobus: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Linguæ namque moderatio, est signum certum moderationis cogitationum & affectuum animi. In hac moderatione linguæ vult Hugo Victorinus, non tam consistere perfectionem, quàm cumulum perfectionis. Hujus rationem subjungit Jacobus: quia homo ille perfectus, & in verbo non offendens *potest etiam fræno circumducere totum corpus*. Per illud corpus Cassianus intelligit corpus peccati, nempe congeriem vitiorum, quæ quasi totum quoddam corpus ex variis speciebus & actibus peccatorum, quasi partibus & membris conflatur. Origenes congeriem passionum quæ ex ira, odio, spe, metu, aliisque integratur passionibus, quæ tanquam equi indomiti, frænis domandæ & circumducendæ sunt. D. Augustinus, corpus cunctarum actionum, quas omnes regit, qui linguam regit. Ex his constat, quòd homo linguam frænans perfectus est, quia linguæ moderatio est signum evidens quod frænat cætera corporis membra, cunctas animi passiones moderatur, omnesque actiones ad leges modestiæ & virtutis componit.

D. Aug. ser. 17. de Verb. Apost. L. adv. Valent. 1 L. de Pat. 15 Cap. 3 Annot. 13. in Ep. ad Rom. Climac. Collat. 12. c. 1 Hom. 15 in Jos. Serm. 17 de Verb. Apost.

Garrulus non est vir perfectus, neque *oris honorem* præ se fert, quia non habet *os taciturnitatis honore signatum*, neque unquam linguæ, silentii frænum imponit. Equus fræno domatur, navis gubernaculo regitur, & homo loquax non frænat linguam suam, animi non temperat motus, sed tanquam navis absque gubernaculo transfretans procellis agitatur, & tamquam equus absque fræno indomitus efficitur: Ideoque lingua dicitur à Gregorio Nazianzeno, *indomabilis, effrenis, exlex*. Non quod domari non possit camo rationis, nec quod non sit legi subjecta, sed quia subjectionem recusat, & obstinata loquacitatis licentia tanquam effrænis jugum excutit: Unde quando ait Jacobus, *linguam nullus hominum domare potest*, Oecumenius vult Apostolum interrogative locutū, quasi dicat, feræ domantur, & ad arbitrium hominis obsequenter reguntur, cur linguam homo domare non poterit? Quomodo Jacobum intelligit D. Augustinus: *Homo domat feram, & non domat linguam: domat leonem, & non frænat sermonem: domat ipse, & non domat seipsum: domat quod timebat, & ut se domet, non timet quod timere debebat*. Domet igitur homo linguam suam: vel si id ipse non possit exequi, confugiat ad Deum qui illam frænabit. *Equus non se domat, camelus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, sic & homo non se domat: sed ut dometur equus, camelus, elephantus,*

Tract. de Silent. Serm. 4. de Verb. Dom. D. Aug. ibid.

D. Aug. l. de Nat. & Grat. c. 15
aspis, leo, quæritur homo: ergo & Deus quæratur, ut dometur homo. Cum Dei adjutorio *conetur anima domare linguam, & dum conatur, petat auxilium, & oret lingua, ut dometur lingua*; nam qui linguam non frænat, sua garrulitate religionem vanam demonstrat.

Tert. Apol. 34.
2. *Christiani veræ religionis homines*: quia vero Deo debitum deferunt cultum, religio enim quæ prima est inter virtutes morales, sicut charitas est prima inter virtutes theologales, idem est ac Dei cultus, Deumq; ut Creatorē, Dominum & patrem rite veneratur, eique supremum reddit honorem: tum interius per adorationem, invocationem, reverentiā: tum exterius per hymnos, genuflexiones, orationes, vota, sacrificia, aliaque ejusmodi; religionis autem initium & fundamentum est fides, quia enim verum Deum cognoscimus, eum religione colimus. *Sapientia præcedit, religio sequitur: quia prius est Deum scire, consequenter colere:* unde religio nuncupatur pietas, & homines religionis actus exhibentes vocitantur pii, & quia apud Christianos duntaxat est vera fides. *Deus ita credendus, colendusq́, est: ut fides, ut disciplina disposita est Christianorum.*

Lact. l. 4. de Ver. Sap. 4
Tertull. Apol. 23
Tert. l. adv Valent. 1

Ut autem appareat Christianam disciplinam fulciri *nominibus, & titulis, & argumentis veræ religionis*, adnotandum est ly religionem quatuor posse usurpari modis: 1. Pro cultu Dei: *Hac conditione gignimur, ut generanti Deo, justa & debita obsequia præbeamus: Hunc solum noverimus, hunc sequamur: hoc vinculo pietatis obstricti Deo & relegati sumus: unde ipsa religio nomen accepit: & ob hoc dicimus nomen religionis à vinculo pietatis esse deductum, quod homines sibi Deus religaverit, & pietate constrinxerit: quia nos servire ei ut Domino; obsequi ut parenti necesse est.* Religio igitur hoc 1. modo sumpta, à religando appellatur, quia per eam nos Deo, ut auctori naturæ, gratiæ, & gloriæ, religamus, & obstringimus. 2. Modo sumitur religio pro observatione divinæ legis, & religiosi vocantur, qui studiose cunctas Dei observant leges, *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.* Religio namque Dei timorem & reverentiam includit, timor imperat, & ad servanda divina mandata stimulat. Inde prædicatur, *beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.* Ethymon religionis hoc 2. modo usurpatæ derivat Cicero à relegendo, quia religiosus assidue legit & relegit Dei leges. 3. Sumitur religio pro ipsa professione fidei, Dei cultum, legisq; observantiam comprehendente: Ex professione externa religionis Christianam disciplinam censendā vult Tertullianus, *reliquum ordinem disciplinæ æstimate qui sit de religionis officio*; & religio hoc 3. modo à religando, & in fascem Domini vinciendo nomen accepit. Nam ut ait D. Hieronymus, Christianos quasi in unum gregem, seu fasciculum colligat; eo quòd unam & eandem profiteantur disciplinam. 4. Sumitur religio pro excellentia religionis, qua quis totum se Deo alligat & obstringit per vota solemnia, uti faciunt religiosi & regulares, qui votis emissis ad militiam Dei specialiter deputantur. *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc cùm in sacramenti verba respōdimus.* Ex Isidoro autem religio hoc 4. modo

Lact. l. 4. divin. Instit. 28
Eccles. 12
Ps. 111
L. 1. de Nat. Deor.
Apol. 39
In c. 9. Amos.
Tert. l. ad Mart. 3

do sumpta idem est ac eligio, quia deducitur à religendo seu eligendo, & regulares dicuntur religiosi, quasi Deum reeligentes: Gellius verò religionem à relinquendo deducit, religiosúmque censet id quod propter sanctitatem relictum, remotum & sepositum est, uti sunt religiosi *propria religionis pignora Deum natura de proximo colentes*. L.4.c 9 Tert.l de Cor: mil:7

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam hujus vana est religio. Tum quia veræ religionis homines Deum verentur & colunt, & *ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire*: homo autem garrulus Deum nō colit, nec magni facit; nam in ejus præsentia, & ab eo audiri se sciens, non veretur loqui ea quæ Deo displicent, eodemq; ore quod Deus illi dedit ad sui cultum & laudem, abutitur ad vana, turpia, maledica: Tum quia divinam legem non custodit, sed multis modis Dei mandata transgreditur, mentiendo, detrahendo, irritando, jurando: aliaq; ejusmodi scelerosa verba proferendo, quæ non *pertinent ad fidem & modestiam fidei*: Tum quia Christianam disciplinam non ostentat: Christianismus *nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit*. Nihil olim ita Christianos ac Christianam religionem apud Gentiles commendabat ac moderatio linguæ & pietas verborum, *Prædestinati in vitam æternam operibus loquantur, non vocibus*: quare D. Hieronymus de Asella ait: *Habebat silentium loquens*, quasi sanctitatem suam magis silendo, quàm loquendo demonstraret: *Nec etsi tacebat voce, opere loquebatur: silebat lingua, fabricatione clamabat*, scilicet instare diluvium. Ex Clemente etiam Romano D. Petrus crebro prædicabat Christianis, ut studiose os custodirent, & linguam moderarentur: ex lingua enim quasi ex porta conspicimus quis in domo, puta in mente habitet, an sanctitas vel vanitas; an Deus vel diabolus. Quapropter Socrates dixit alias adolescenti, *Loquere, ut te videam*. At sicut linguæ modestia innuit animi modestiam, ex qua quasi ex fonte dimanat & defluit, ita ex adverso intemperantia & immodestia linguæ effectus est & index animi immoderati: & ita homo garrulus sua loquacitate Christianam dedecorat & infamat religionem. Ex illius namque verbositate & immodestia inferunt infideles, Christianos in verbis adeo effusos & incompositos, non esse veræ religionis homines, Dei namque cultores & religiosi sunt mente compositi, modestiamque in suis sermonibus ostentant: unde Petrus Damianus asseverat per vaniloquium non tantum animam sauciari, sed & ipsam honestæ vitæ rationem, quæ hominem Deo junxit, evacuari: Tum quia religiosæ & regularis vitæ observantias violat: religiosi *linguam consignant* silentio, quod D. Bernardus custodem religionis appellat, in eoque sitam asseverat religiosorum fortitudinem, non secus ac Samsonis in capillis virtutem. *Religa linguam tuam si vis esse religiosus, quia sine linguæ religatione, religio vana est*: homo autem loquax non ligat linguam suam, & sua garrulitate religionis ordinem perturbat. Jacob.1 Tert.Apol.1 Tert.l.de Orat.1 Tert.Apol 39 D.Aug.ser.32.de Temp. Ep.ad Marcellā. D Aug. ser.69. de Temp. Ep.1.ad Jacobum. Ser.de Spirit.sanct. Tert. l. adv.Valent.1 Ser de Mutat. Aquæ. D.Bern. Tract de Pass c. 27

3. *Sequitur jam silentii officium*, in cunctis fere Ordinibus arctissime, & sub gravibus pœnis injunctum. Sicut loquacitas est signū religionis difformatæ, ita silentium vitæ reformatæ indicium, & qui monasteria reformare Tert.lib. adv Valent: 1

desi-

Cant. 1 D Bern. Tract. de Pass. c. 27.

desiderant, imprimis restituere silentium curant, ut sint regularium *labia sicut vitta coccinea*, non loquendo divisa & disjuncta, sed silentio conjuncta & ad vittæ instar conjuncta. (Sciunt homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus, frequens linguæ resolutio: nam sicut fornax cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem; sic nec cor devotionis in se gratiam poterit conservare, cujus os non fuerit janua silentii occlusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum devotionis largitorem in ferventi affectu possimus conservare.)

Tert. Apol 7. Cass. l. 2. c. 15 Phil Jud. l. de Conf. ling. Tert. l. de Res. 12

Sunt autem quædam tempora & loca, quibus potissimum à religiosis *silentii fides debetur*. Quoad tempus silentiũ est tempore nocturno: *Finitis psalmis, & quotidiana congregatione absoluta, nullus religiosorum vel ad modicũ subsistere, vel sermocinari cum altero audet.* Nocturnum illud silentium, in Ordine S. Benedicti nuncupatur magnum, incipitq; à Completorio, & perseverat usque ad Primam. *Porro sermonis mors est silentium*, convenienterque servatur cum *dies moritur in noctem & tenebris usquequaque sepelitur.* Et quia silentium non solum loquendo frangitur, sed etiam aliquo sonitu rumore, vel strepitu, in cœnobiis reformatis *silent omnia*, subjungit Tertullianus. Quoad loca verò servandum est silentium, præsertim in dormitorio, refectorio, & choro. In dormitorio, nam vel fratres orãt, vel student, vel quiescunt: idcirco congruum est, ut cuncti qui illic sunt, expaveant: *Ad solitudinem, ad silentium rerum, & stuporem quemdam quasi mortui orbis:* In refectorio, *non prius discumbitur quàm oratio ad Deum prægustetur*, neque solum corpus materialibus cibis: sed etiam anima pane verbi Dei & lectionis spiritualis nutritur, *nullus in cibo strepitus, nemo comedens loquitur*, sed attente lectionem audit, *atque oratio convivium dirimit*: inde discceditur, vel ad Ecclesiam, vel ad laborẽ, vel ad hortum, vel ad studium, *ad eandem curam modestiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam.* Tandem in choro (tantum à cunctis præbetur silentium, ut cùm in unum tam innumerosa Fratrum multitudo conveniant, præter illum qui consurgens psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur.) Silentii reverẽtia debetur Ecclesiæ Dei, taciturnitate adoranda sunt mysteria, quæ loquela prophanantur: *sancta silentio magno, sola taciturnitate cœlestia.* Garrulus tamen religiosi nomine indignus, silentium non servat, nec in dormitorio, nec in refectorio, nec in choro, nec in aliquo loco: suaque loquacitate cæteros ad garriendum provocat: & ut ominatur Amos Propheta; *multi morientur, in omni loco projicietur silentium.*

Tert. A- pol 37 Tert. Apol 39. D Hier. Ep 22. ad Eustoch. Tert. Cassian. l. 2. Cap. 10. Tert. lib. adv. Valent. 1

Regulares virtutem sectantes sunt silentii zelotes: ad quod servandum multimoda stimulantur ratione: 1. Ex æmulatione Angelorum, qui inter creaturas propius ad Deum accedunt, & dum invicem loquuntur, uno conceptu, quasi una voce, in momento temporis id faciunt: 2. Ex imitatione Filii Dei, qui humanatus est dum medium silentium tenerent omnia, natus est dum nox in suo cursu medium iter haberet; vixit silens triginta

an-

annis; & in passione nihil ad calumnias sibi irrogatas respondit : *Cùm verò traditur, cùm adducitur, ut pecus ad victimam; sic enim non magis aperit os quàm agnus sub tondentis potestate.* 3. exemplo ipsiusmet DEI, qui semel intra semetipsum locutus, unicum duntaxat producit in sua æternitate Verbum, & ab exordio mundi solo *fiat* creavit cœlum & terram, cunctaque quæ eorum ambitu continentur. 4. Quia silentio DEI majestas honoratur, quomodo istud Davidicum, (Te decet hymnus Deus in Sion) traducit ex Hebræo D.Hieronymus : *Tibi silentium DEUS laus in Sion*; ut intelligamus animi silentium eximium quoddam esse laudis genus; Numen tacitè & demisse venerantis, neque coram immensa ejus majestate, ex profundissima reverentia loqui audentis; *quia ineffabilibus rebus nulla res magis quadrat quàm silentiũ.* 5. Quia silentium est quoddam quasi *gymnasium bene loquendi.* Taceant Athenæ facundius linguatæ, silentium artem loquendi melius erudit; *silentiũ quippe est probabile, quod nos sapientes prodit, quod gravissimos facit; quod consiliũ nutrit; quod ipsum quoq; gratissimum ostendit esse sermonem.* Ut constat ex Ezechiele Propheta. 3. *Missus ad prædicandum fuerat, & tamen septem diebus mærens tacebit : quid est quod nobis Propheta sanctus in hoc silentio innuit, nisi quia ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerat : quasi enim quoddam nutrimentum verbi est censura silentii : & rectè quoque per excrescentem quoq; gratiam sermonem accipit, qui ordinatâ arte per humilitatem tacuit.* Patet etiam ex Zacharia qui loquelæ velut mortuus, cùm sermo tanquam de taciturnitatis sepulchro revixit, vocem resumens, è silentio eruditus, DEI laudes modulatè pangit. *O res admirabiles! quid dicit Zacharias? primam vocem post resurrectionem exclamavit, benedictus Dominus: quid ergo? mortuus est, Zacharias quod surrexit? non mortuus est, sed quidquam mortis instar sustinuit : tanquam enim sepulchrum tenuit silentium, & fasciis alligatus fuit, hoc est lingua vinculis: Hanc ergo primam exclamavit vocem post figuratam resurrectionem.* Neque solum ex morte loquelæ revixit Zachariæ loquela ad divinas decantandas laudes in tumulo erudita; sed etiam, ut ait eloquenter Chrysologus, è Zachariæ silentio nascitur Joannes vox Verbi : *Pater tacet ex pœna, ex verecundia mater celat. O quanta silentio vox nascitur! ô quanta taciturnitate, tuba seculis inclamatura generatur! ô quod secretum divini judicis dat præconem!* Joannes Baptista è silentio nascitur, ut sit arcanus Christi *consecretalis*, ait Rupertus; seu, ut vult Clemens Alexandrinus, ut sit vox Verbi declaratoria : *Id erat quod significabat Zacharia silentium expectans fructum Christi præcursorem.* 6. Quia silentium est schola bene vivendi : quomodo D.Bernardus expendit istud Esaiæ, (Erit cultus justitiæ silentium.) *Ad hunc justitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum matrem & custodem te, & quicunque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito & provoco; & si non verbo doctrina, certe mei silentii exemplo, ut vel silentio doceam te silere.* Quàm sit utilis ad virtutem taciturnitas, silentii encomiastes D. Chrysostomus fuse declarat : (O taciturnitas cogitationum exploratrix, & dijudicationum cooperatrix! O ta-

Tert. l.de Pat: 3

Ps. 64
D. Ambr. l.6.de Sac.
Basil: Mag in Regulis fusius disputat: c. 13
Cassiod: in Ps: 38
Gre: Mag. Hom. 11

D. Chrys: Encom: de Nat: Præcurs:

Serm: 92

Adhort: ad Gent: Cap: 32
Ep. 89

Tom: 7. hom: de Patient.

num cooperatrix! O taciturnitas omnis mater boni, jejunii fundamentum, & gulæ impedimentum! O silentium schola lectionis & orationis! O silentium tranquillitas cogitationum, & portus securus! O silentium suave jugum, & onus leve, refocillans & portans portantem se, lætitia animæ & cordis, aurium, oculorum, & linguæ frænum! O silentium affectuum carcer, omnisq; virtutis cooperatrix, & paupertatis cōciliatrix, prædium Christi, bonos fructus afferens! O silentium timori DEI conjunctum, murus & præsidium eorum qui propter regnum cœlorum certare volunt! O silentium cœli schola, via regni cœlorum, currus igneus possessorem suum in cœlum subvehens!) D. Chrysostomi sententias expendendas relinquo ut dicam cum D. Ambrosio, *est magnum & negotiosum silentium*: nam tacendo apud homines loquitur cum DEO, virtutem negotiatur, & concludam cū Jeremia: *Bonum est præstolari in silentio, salutare DEI*; nimirum donum gratiæ, quæ est semen gloriæ.

L. 1. Offic. 3

Thren. 3

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. de Spect. 17

CUm etiam scurrilitatem & omne vanum verbum judicatum à DEO sciamus, non solum à vaniloquio, sed multo magis ab scurrilitate abstinere debent Christiani: nam sic eos hortatur Apostolus: *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*: Quasi dicat, utpote vocatione, baptismo & professione sancti, & Deo consecrati, adeò ab omni immunditia debent esse alieni, ut ne quidem inter illos audiatur nomen immunditiæ, aut turpitudinis, id est, juxta Syriacam versionem *obscœnitatis verbum, aut scurrilitatis.* Verùm scurrilitas sumi potest vel impropriè vel propriè: Impropriè pro urbanitate & affabilitate sermonis: propriè pro turpitudine sermonis. Scurrilitas impropriè sūpta vocatur à Philosopho Eutrapælia, & existimatur virtus ab Angelico Doctore, modo rectā habeat intentionē, ad ineundam aut conservandam amicitiam, tenetque medium inter rusticitatem & scurrilitatem propriè dictam, quæ non est virtus sed vitium: Ideò Concilium Carthaginense damnat *Clericum scurrilem, & verbis turpibus joculatorem.* Multi tamen sunt Christiani, *quibus nihil pensi, nihil sancti est, in appetendis garriendisq́; turpitudinibus: quibus quod verbū inverecundū aurium publicarum reverentiā incessant, granditer sibi videntur facetiari.* Et ut fatur Minutius Felix, *apud quos tota impudicitia vocatur urbanitas.* Scurrilitatem ejusmodi & facetiam, indecentem, spurcam, cachinnos & dissolutiones excitantem, indecoram & impiam, verbis sacræ Scripturæ abutentem, insequitur Chrysologus: *Erras homo, non sunt hæc ludicra, sunt crimina: Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis jocatur? piaculum quod dicit risum? satis se decipit, qui sic sentit.* Melius sentiunt, nec

Ephes. 5

2. 2. qu. 168 a. 7

4 Can. 60

Sidon: Apoll: l. 3 Ep. 13

In Oct:

Serm. 155.

nec errant, qui turpiloquium existimant, 1. probrosum: 2. maculosum: 3. criminosum.

Christus jam expositos & ipsa urbanitate deceptos homines, in agnitionem veritatis oculavit. Urbanitas decet hominem, & sermonis modestia & castitas decet Christianum. Hominem stimulat Isocrates ad urbanitatem, & ab illo etiam gravitatem expostulat. *Stude esse urbanus & gravis.* Sidonius quoque Apollinaris Christianum desiderat, *sine ineptia gravem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine popularitate communem.* Utinam Christianus in suis sermonibus imitaretur beatum Thomam Cantuariensem! *Tota conversatio ejus erat schola honestatis, morum adificatio, & structura salutis.* Sane Christiani ad loquendum *quacunque pudica* urgentur ex honore, pudore, timore: At proh dolor! plerique sunt scurriles, & hoc ex defectu, 1. honoris: 2. pudoris: 3. timoris.

I. PARS. Tert: apol 21 Orat: ad Nicoclent Lib: 8. Ep: 13 Petr: Bles: Epist: 27 Philip: 4

1. *Pudicitia honor corporum.* Ut hunc corporis honorem conservet Christianns debet à turpiloquio abstinere, & ut eum hortatur Tertullianus, *colloquia Deo digna sectari.* Hoc debes ex honore Christiane: tum quia sanctissimæ Triadis quæ prima virgo est defers imaginem: tum quia profiteris disciplinam Christianam quæ *est lex castitatis*: tum quia corpus tuum fuit in baptismo castimoniæ consecratum: tum quia cum honore debes tractare carnem tuam Christi humanatione nobilitatam, sanguine redemptam, & corpore in Eucharistia nutritam: At scurrilis Christiano nomine indignus, turpiloquio DEUM cujus defert imaginem inhonorat; religionem castitatis quam profitetur dedecorat: *Si enim verbo nudo conditio polluitur, ut Apostolus docet*, nonne Christiana disciplina fœdis sermonibus maculatur? Tandem corpus tot mysteriis pudicitiæ consecratum, verborum obscœnitate prophanat. Porrò quantum est absurdum, *labia Christi Evangelio consecrata, immunda & damnabili verborum procacitate polluere?* Hoc argumentum multis urget D. Chrysostomus, præsertim de osculo sancto disputans, inductum primis Ecclesiæ temporibus ad eam partem honorandam, quam Dominus sua præsentia consecravisset: vultque animam nostram velut divinitatis templum, os verò vestibulum hujus delubri per quod tanquam per portum lucis liberator hominum Deus cum omni pompa majestatis suæ ingreditur, cùm ad divinam accedimus mensam; *non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus Dominicum: propter hoc maximè hic osculamur: audiant qui fœda loquuntur, qui convitia proferunt & horrescant, qui tale os polluūt* absque ullo pudore.

Tert: l. de Pud: 1 Lib: 1. ad Uxor. 8 Tert: l. de Pud: 6 Tert l. de Cor. Mil: 10 Petr: Bles: Epist: 40 Hom: 30 in 2. Cor:

2. Plures multa eloquentia præditi: *Quod tacent, pudor est,* Philomelæ instar; nam ut refert Tertullianus *philomelam prudentiores, non lingua cæde, sed pudoris rubore, mutam interpretantes.* Tiberius Cæsar, teste Philone Judæo, etiam cùm esset adolescentulus dictus est *senior*, ob verecundiam cum excellenti ingenio conjunctam: Sidonius Apollinaris in Himerio antistite prædicat *verecundiam & delicata mentis pudicissimam* *sene-*

Ter: l. adv Valent: 1 Lib: 1. ad Nat: 8 De legat: ad Cajum. L. 7. Ep: 13

L. 8. Ep. 6 *teneritudinem*. Apud eundem Sidonium *Nicetius cum quodam prologo pudoris vultum modeste demissus irrubuit; atq; ob hoc illi maximum sophos, non eloquentia prius, quam verecundia dedit.* Flavius Nicetius, vir genere clarissimus, honoris privilegio spectabilis, merito illustris, hujusque sæculi copia & eruditione maximus, cùm novum consulem Asterium calendis Januarii, in magna hominum frequentia solemni more laudaret, purpurantis pudoris gratia, dictionem suam ornans, verecundia prius quàm eloquentia *maximum sophos*; hoc est eorum qui tunc aderant, consecutus est laudem. D. Hieronymus Nepotiani laudans pudorem in ejus epitaphio, hanc apposuit gemmam, *libenter audire, verecundè respondere.* Quantum distant ab illo garruli & scurriles, qui non libenter audiunt, sed importunè garriunt, nec verecundè sed imprudenter respondent: nam *per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica.* Christianos qui opere & sermone castitatem demonstrant, *sacerdotes pudicitiæ* vocitat Tertullianus: at èconverso scurriles semper obscœnitatem in ore habentes, *quorum sermonibus prostitutis, ac theatralibus, nullas habenas, nulla remittit repagula pudor.* Magnus Basilius nuncupat *turpitudinis impudentiaq; sacerdotes*; quorum *frons area* dicitur à Propheta Evangelico, quo summa eorum impudentia denotatur. Illorum adhuc frontem *attritam & adamantinam* appellat Ezechiel. Frons communi hominum consensu verecundiæ dicatur; in qua pudor ipsiusmet DEI manu tanquam nobilis ac regius character inscriptus est: qui hoc ingenui pudoris insignè de fronte tollit, atterit frontem, illique frons periisse dicitur, cui perit pudor. Constat itaque *mentis statum in fronte consistere, prioremq; esse pudoris quàm corporis plagam.* Pudoris plagam patiuntur impudentes, nam in verecundia *magnum est pudoris dispendium.* Scurriles aureum illud pudoris decus de fronte quodammodo eradunt. *Honestatis prodiga frons* in obscœna diffluit verba, neque pudore aut timore retinetur.

(Margin: Epist. 3. — Tert. l. 1. ad Ux. 8. — L. 2. de Cult. Fœ. 12. — Sidon. Apoll. l. 3 Ep. 13. — Hom. de Ira. — Esa. 48 — Cap. 3 — Tertull: Scorp: 9 — Ennod. l. 4 Ep. 19 — Ennod.)

3. *Omne malum aut timore, aut pudore, natura perfudit.* Pudor & timor Christianos à turpiloquio avocare debet. Utrumque complectitur Apostolus in Christianorum persona loquens: *Serviamus placentes DEO, cum metu.* In Græco habetur, *cum pudore verecundo*; id est, ut expendit Theophylactus, *nihil impudens loquamur, nihil inverecundum.* Ad quod eos adhuc hortatur Apostolus, *Nunc autem deponite turpem sermonem de ore vestro*; tum ex disciplinæ Christianæ honore; tum ex innato frontis pudore; tum maximè *habentes gubernacula disciplinæ & timoris instrumenta, Legem & Prophetas.* Plus audet D. Chrysostomus, & timorem legislatorem constitutum à DEO super homines existimat, ut eos à vitiis disturbet: sic enim istud Davidicum, *Constitue legislatorem super eos*, legit *constitue timorem*, quo nihil validius ad impediendum ne in prava opera, & turpiloquia labantur: & ob hanc causam Aureus Doctor aliorsum timorem nuncupat *frænum*, quo retinentur. Neq; duntaxat est *concupiscentiæ frænũ* ut vult D. Basilius, refrænans inordinatos Veneris motus, sed etiam linguæ frænum, impediens ne fœda

(Margin: Tert. Apol. 1 — Hebr. 12 — Tert. l. de Pud. 7 — In Ps. 9 — Hom. 2. ad Pop. — In Ps. 33)

proferat

proferat verba; *nam ubi metus in DEUM, ibi gravitas honesta*; & composita sermonis modestia, DEI autem timorem non habentes scurriles, honestam non ostendunt in suis sermonibus gravitatem; ex defectu enim timoris ebulliunt in omnem lasciviam ut Marcioni DEUM timendum neganti exprobrat Tertullianus: *Age itaq; qui DEUM non times, quid non in omnem libidinem ebullis? summum quod sciam, fructum vitæ, omnibus qui DEUM non timent*: Ex defectu enim timoris procedit turpiloquium probrosum, & maculosum. Tert. l. ad Præsc. hær 43 L. 1. adv. Marc. 27

Cum conversatio divina disciplinæ non factis tantum, verùm etiam verbis periclitetur, meminisse debemus esse in verbis quoq; idololatriæ incursum præcavendum. Idololatria siquidem per aures sæpè sæpius inseritur: *Cur non agnoscamus versutias satanæ, qui quod ore nostro perficere non potest, agit, ut suorum ope perficiat, per aures inferens nobis idololatriam.* At quemadmodum olim dæmon ministrorum suorum sermonibus, Christianos adducere ad idololatriam moliebatur; sic hac tempestate scurrilium turpiloquio, castas animas ad lasciviam accendere nititur. Verbum enim inhonestum est, 1. lues, aerem infestans: 2. cloaca, aures contaminans: 3. ignis, cor ad libidinem sufflammans. II PARS. Tert. l. de Idol. 20. Tert. l. de Idol. 21

1. Adeò contagiosi sunt turpes sermones, ut asseveret Tertullianus, *ipsum aerem qui incumbat, scelestis vocibus constupratum*; & sicut dum lues grassatur, infectus aer inficit eos qui eum aspirant, non dissimiliter constupratus scelestis vocibus aer, & ipse constuprat animas. Tempore pestis unusquisque à loco in quo grassatur fugit; eorumque conversationem, qui sunt peste percussi, vitare nititur: Christianus quoque pudicitiæ zelotes scurrilium *contagionem pestiferam* horrescit: Ad quod illum hortatur Gregorius Nazianzenus, *odi eam familiaritatem quæ per aerem contrahitur*. Idem fieri existimat D. Anselmus in congressione hominum perditorum, & obscœneloquentium, quod in spargenda & propaganda pestilentia; nam ut ex corrupto aere qui afflatur, & hominum pectoribus concipitur lues existit exitiosa corporibus; ita sermo nequitiâ corruptus, in audientium animos pestem importat, tanto graviorem perniciosoremque, quanto anima præstat corpori. In momento infestus aer inficit, & contrahitur lues, *libidinum vaporata momenta* animam inquinant: quapropter sermo turpis nuncupatur à D. Hieronymo, *dulcis libidinum pompa*: scurrilis autem infestat sermonibus interdum æquivocis; Et ut fatur Tertullianus, *per ambiguitates bilingues* interdum, mendacibus *non turpi modo, verum etiam temerario mendacio incumbit*; aliquando & *plurimum dulcibus id mali injicit*. VerumChristiane, ut te monet Tertullianus, *sint dulcia licet, & grata, seu canora, seu subtilia, omnia illic, proinde habe, ac si stillicidia mellis, de ranunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis quanti periculum per suavitatem* turpiloquii, quod est lues, aerem infestans, & cloaca, aures contaminans. L. de Spect. 27 D. Cyp. de Sing. Cler Orat. 12 In 1. Cor. 15 Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 2 Epist. 22 Lib. 1. adv Valent 1. Tert. l. de An. 18 Tert. l. de Spect. 27

2. Scurrilitas seu turpiloquium est *conversationis humanæ inquinamentum*. Christianorum castè & studiosè viventium ora vocitat D. Chrysostomus *thuribula DEI* cœlesti igne pura, divinoque odore fragrantia: ora Tert. l. de Cor. Mil. 11

 verò In Ps. 40

Hom 69 in Matth. Cap: 11
Pſ. 5

verò ſcurrilium *cloacas ſordidiſſimas* appellat quas,ut fatur Eccleſiaſticus, *eructant præcordia fœtentium*: è corrupto autem & putido eorum corde procedunt fœtida luxuriæ verba, odorem teterrimum exhalantia. ***Cor eorum vanum eſt***, ſeu ut nonnulli legunt, ***cor eorum corruptiones.*** Propterea *ſepulchrum patens eſt guttur eorum*; cor intimum eſt libidine putridum & fœtidum, idcirco guttur tanquam ſepulchrum male olens apertum, male olentia atque fœtentia eructat verba. Os eorum vocat Gregorius Nyſſenus, *cœni cujuſdã luſulenti fontem*: ex quo aſpiratus teterrimus odor, hominum contaminat aures, cor, vitam & converſationem. Equidem 1. eorùm qui libenter audiunt turpiloquium, in eo delectantur, & præbent conſenſum, *ſcortatæ ſunt aures*: idcirco *aures religioſas* habet mulier caſta, nam *illa quæ pudica, carebit aurium maculis*: nam ut fatur aliorſum Tertullianus, *ab omni ſpurco verbo aures tuetur*. Fœtidum luxuriæ verbum cor etiam inquinat, etenim mulier quæ non vult *verborum vitare laſciviam*, non ſervat *ſpiritum integrum ab immunditiarum contagione*. Cujus pulchram ſubminiſtrat rationem, quia ſicut ſcurrilis verba inhoneſta proferens ſuam animam contaminat, aut jamjam contaminatam indicat, ita libenter ſermones impuros audiens ſuam animam maculat: *Cur ea quæ ore prolata communicant hominem, ea per aures admiſſa non videantur communicare: cum ſpiritui appareant aures, nec poſſit mundus præſtari, cujus apparitores inquinantur?* Tandem vita & converſatio per turpes ſermones maculantur: quapropter fœminam vult Tertullianus memorem *illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum*: ***Bonos corrumpunt mores, congreſſus mali.*** Nec mirum quia ſunt ignis cor ad libidinem ſufflammans.

L. 1. pſ: 8
Cle: Alex: adhort: ad Gent.
D. Ambr: l. 2. de Virg.
Tert. l. de Pud. 1
L. de Spect 21
D Ambr. ibid.
Tert l. de Pud. 13
L. de Spect 17
Lib: 1 ad Uxor. 8.
Tert. l. de Spect 15

3. Verba inhoneſta *ſcintillas libidinum conflabellant*. Idcirco fœdos ſermones D. Athanaſius nuncupat *ſcintillas diſcurrentes*. Uti enim ſufflammatus ignis de una domo tranſit & diſcurrit ad aliam, ita ſcintillæ libidinum à corde amaſii, facile tranſeunt & diſcurrunt per verba ad cor fœminæ amatæ: maximè cum in utroque *ignitos mores* agnoſcat Clemens Alexandrinus: Imò ut vult Sapiens, *caro mulieris ignis eſt*, qui fœdis ſermonibus flabellatur: ſcurrilis cor ignis adhuc eſt qui igneſcit. Nam ut proſequitur Sapiens, *nunquid homo poteſt abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta ſua non ardeant*? hi duo ignes de facili ſufflammantur: nam *cito rebellat affectus*: pravis aſſueſcere ſermonibus Magnus Baſilius *viam eſſe quandam ad rem ipſam* exiſtimat, per illos etenim *tota carnis negotia ſuſcitantur*, adeò turpiloquiũ eſt criminoſum.

Prov 6
Sen. Ep. 69
Hom. 24
Chryſol. ſerm. 24

III. PARS
Tert. l. de Pat 4

Loquacitas in ædificatione nulla turpis. Tantum abeſt ut loquacitas ædificet, quin imò ſcandalum promovet; nam vel audientes turpia, fœdis ſermonibus diſſentiunt, vel conſentiunt. Si non conſentiunt non peccant, ſi conſentiunt ſaltem voluntate peccant: Inde colligitur quam criminoſum ſit turpiloquium: ſcurrilis namque obſcœna proferens, fœdis ſuis ſermonibus 1. graviter peccat: 2. audientes & non conſentientes ſcandalizat: 3. audientes & conſentientes lethaliter vulnerat.

Tert. l. de Spect. 2

1. Si tantum malitiam excogitatam DEUS exactor innocentiæ odit, quanto

magis

magis turpiloquium quod per *os iniquitatis*, ſcurrilis prodit? Quod autem DEUS odit, peccatum eſt. Non leve, ſed mortale, nam ut docet Alexander Alenſis, eſt turpiloquium ex rationis deliberatione, vel perverſa voluntatis intentione prolatum: Tum quia DEUS nõ abominatur niſi peccatum mortale: Ex D. autem Chryſoſtomo turpiloquia abominabilia ſunt DEO: Tum quia mentis immunditia peccatum mortale denotat: turpiloquium autem cor contaminat: Nam ut ſubjungit D. Chryſoſtomus, ſicut ſe habent ſordes & lutum: ita ſe habent verba ſcurrilia; ex ſordibus autem & luto contrahitur immunditia ſi projiciantur in antes carnis: ſimiliter turpiloquia generant immunditiam, ſi perveniant ad aures mentis: Tum quia, ut docet D Hieronymus, *qui ſcurrilia replicat, & cachinnu ora diſſolvit, & aliquid turpitudinis profert, hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus.* Verbum otioſum eſt peccatum veniale; criminoſum eſt mortale, quia Chriſtianum infamat, qui ſanctam profitetur diſciplinam, DEI indignationem provocat, *propter hac enim venit ira DEI*: audientes & non conſentientes ſcandalizat.

Pſ: 106
2. p. qu: 134 membr: 2
Hom. 38 in Matth
L: 2. in c. 12 Matth:
Epheſ: 5

2. Eſt autem *ſcandalum non bona rei, ſed mala exemplum, ædificans ad delictum.* Ex D. namque Hieronymo ſcandalum à Græco deductum, offendiculum, vel ruinam, vel impactionem pedis poſſumus dicere: ſicut enim qui in via corporali ponit alteri lapidem, vel aliud offendiculum, ex quo cadit, dicitur alteri ſcandalum facere; ſic qui in via ſpirituali ſuo dicto, facto, vel malo exemplo, alteri præbet occaſionem lapſus, dicitur ſcandalum facere: nam *ſcandalum eſt dictum vel factum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ.* Dicitur 1. dictũ vel factũ, non verò cogitatum, quia peccata cordis quæ intus latent, nec per aliqua verba aut opera, in alterius notitiam veniunt, nõ habent rationem ſcandali, quia nulli præbent ruinæ occaſionem. 2. Non quodcunq; dictum vel factũ, eſt ſcandalum; ſed duntaxat dictum vel factũ minus rectum, quod vel ex ſe malum, vel ſaltem habet ſpeciem mali. 3. Dictum vel factũ ex ſe malum, præbens alteri occaſionem ruinæ, non cauſam: quia nihil poteſt eſſe propriè homini cauſa peccati, niſi propria ejus voluntas: Tandem 4, occaſio ruinæ poteſt ſumi vel ex parte agentis & patientis ſimul, ut quando ad inductionem alicujus qui ſuo facto vel dicto, alterius intendit procurare ruinam, iſte conſentit, & peccat, & tale ſcandalũ eſt activũ & paſſivum ſimul. Vel ex parte patientis, & non agentis, ut dum quis bona intentione facit aut dicit aliquid, quod de ſe non eſt malum, nec ex ſua natura inclinat ad peccatũ, ex quo tamen alius præter intentionem agentis, ſumit peccandi occaſionem; tale ſcandalum eſt duntaxat paſſivum, & non activũ, quia peccans ſe ſolo cadit, nulla ſibi exterius data ruinæ occaſione. Vel ex parte agentis & non patientis, ut dum quis ſuo dicto, facto, vel malo exemplo, intendit aliũ inducere ad peccandũ, non tamẽ inducit, quia alter peccato non conſentit, ſed perverſe ſibi propoſitã ruinæ occaſionẽ prudenter fugit, & tale ſcandalũ dicitur activũ & non paſſivũ: quale eſt eorũ qui fœdis ſuis ſermonibus *certe vel ſpiritum ſcandalo permovent*; quia audientes ſcandalizant,

Tert: l. de vel: Virg: 3
D. Tho: 22. qu: 43 a. 1
Tert. l. de Cult: Fœ. 2.

lizant, & quantum est ex se ad malum sufflammant, prava intentione præbentes eis ruinæ occasionem: & ejusmodi scandalum activum criminosum est, tum ratione inductionis; quia scilicet inducit ad peccatum: tum ratione oppositionis, qua opponitur charitati, qua quis tenetur diligere proximum, illumque à peccato dimovere: tum ratione læsionis, ob damnum vel nocumentum spirituale, quod inferre nititur: tum ratione offensionis Christo factæ; nam proximum scandalizantes, Christum offendunt, Christi fabricam, quam Christus suo sanguine construxit, fœdis suis sermonibus evertere & destruere conantes. *Sic autem peccantes & percutientes conscientiam*
1.Cor.8. *eorum infirmam, in Christum peccatis*: à DEO autem accepistis os, linguam
2.Cor 13 *in ædificationem aliorum, non in destructionem.* Herostratum seu Eratostenem abominata est antiquitas, qui uno die, imò una hora, in cineres redegit Dianæ Ephesinæ templum, in quo struendo ducentis viginti annis universa Asia
Plin. 36. c. 14 opes ac operam impenderat: Quam execrandi sunt scurriles qui turpiloquio
1.Cor.3 *DEI ædificationem*, DEI templum destruunt; nam animas suis fœditatibus consentientes devastant, incendunt, & lethaliter vulnerant.

L. de Fug: in Perf. 3 3. Sermones obscœnos nuncupat Tertullianus, *ignea jacula diaboli*, quod innuere videtur Jeremias Propheta, ajens: *Pharetra ejus quasi sepulchrum pa-*
Cap. 5 *tens; vas apertum immundum.* Hoc fas immundum est cor, sedes impuræ voluptatis & libidinis conceptaculum; pharetra, non à Vulcano, sed ab orci fabro malitiose concinnata, est salacis os, de quo mittuntur jacula pestifera, venenata, ignea, quibus perit pudor, casti animi violatur integritas, virtu-
Ps. 63 tum elicitur cruor: Ad quod alludit Regius Vates: *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum suum.* Seu, ut Symmachus legit, (impleverunt arcum suum sermone amaro ut sagittent:) verba enim sunt sagittæ.
Ps. 10 Scurriles autem *paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Hoc est turpia verba concinnaverunt, ut pudicos feriant animos:
Orig. in Ps. 37 Quemadmodũ *qui loquitur sermonem Domini, jaculatur sagittas*; quibus corda vulneret, & ad DEI amorem succendat; ita scurriles, pharetris putentibus armati, ex fœdo & fœtenti suo ore emittunt sagittas venereas, quibus castas feriant animas, eisque lethale vulnus infligant. Quod ut facilius exe-
Ps. 36 quantur, non solum emittunt sagittas, sed gladium adhuc evaginant. *Gladium evaginaverunt peccatores, extenderunt arcum suum.* Quod tunc evenit, ait Divus Ambrosius, *quando sermo turpis, tanquam de vagina, petulanti ore profertur, quem cohiberi par fuit, & recondi: Extenderunt arcum suum*, ubi ait arcum peccatorum esse eorum *mentem*: sagittam verò *verbum venenatum*, quo animæ vulnerãtur, & toxicantur. Olim fideles adeò erãt modesti in suis ser-
D. Athan. Ep. ad Solitar. monibus, ut turpia & obscœna verba fugerẽt, *ut morsus aspidũ*. Nam ut refert Cassiodor. *Christiani cõversatione disciplinabili similitudine futura patria vivũt.*
L. de Dial. Christiani, illud modestiæ & honestatis imi animi exẽplũ: *Omnis sermo malus*
Ephes. 5 *ex ore vestro nõ procedat*: seu, ut legitur in Græco, *sermo putris*, id est fœdus, obscœnus & spurcus, qui *ad rem non pertinet, nec decet Sanctos.* Colloquia se-

ctamini

ctamini quæ deceant Sanctos, sint Deo digna, conversationemque angelicam & cœlestem sapiant, *ut dent gratiam audientibus*, ne fœdis auditum præbeant. *Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet?* Utrumque illicitum est Christianis sanctitati consecratis, & ad immarcessibilem gloriam destinatis. Ephes. 4 Tert. l. de Spect. 17

CONCIO TERTIA.

Quot modis præcavenda idololatriæ latitudo. Præcavenda erat priscis Ecclesiæ temporibus idololatriæ latitudo: hac ætate præcavenda est detractionis latitudo eaque trina. Una desumpta ex iis qui detrahunt: altera ex illis de quibus detrahunt: tertia, ex rebus propter quas detrahunt. Tanta est detrahentium latitudo, ut asseveret Doctor Angelicus: *Hoc specialiter vitio periclitatur totum genus humanum.* Execrandū illud detractionis vitium adeo est commune. *tantaque hujusmodi libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Priscis Ecclesiæ temporibus ita ab hoc vitio alieni erant fideles, ut vix inter illos reperiretur unus qui de alio obtrectaret, minimumq, detractionis proferret verbum de imperatoribus licet ethnicis, Christianorū infensissimis hostibus, crudelissimisq; persecutoribus. Nunc autē (adeo frequens est hoc vitium etiam apud pios & religiosos, ut nomen quinti elementi, sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit.) *Grande profecto malum est, proximorum oblocutio, pernitiosum atque commune:* Verum ejus pernicies desumitur non solum ex detrahentium malitia & latitudine, sed etiam 2. ex latitudine & dignitate eorum, de quibus detrahitur: Nam ut docet Angelicus Doctor, *ex persona ejus contra quem loquitur, aggravatur peccatum.* Detractores venenatis suis linguis contaminant, infestant, & dehonestant non modo plebeios, sed etiam magistratus, nobiles, principes, ipsosq; reges, ut Romanis imperatores denigrantibus objicit Tertullianus. *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana.* Et quasi parum sit venenatis sermonibus lacessere homines morti obnoxios, Sanctos aggrediuntur immortales. Nec mirum si Divos denigrare conantur, postquam Christi moliti sunt maculare innocentiam: *Si patrē familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Quis nesciat maledicentibus Judæorum linguis Christum fuisse calumniatum; velut vini potatorem, peccatorem, samaritanē, & dæmoniacum? *Hic est ille fabri aut quæstuariæ filius, sabbati destructor, Samarites & dæmonium habens.* Hæc tela aliaq; ejusmodi Judæi vibrabant in Christum adhuc mortalem, in terra cum hominibus conversantem, illum jam immortalem & cum Angelis in cœlo inhabitantem, suis diris insequuntur impii: & ut fatur Regius Vates, *inquitatē*

Tert. l. de Idol. 2 — 2. 2 q. 73 a. 2 — D. Hier. Ep. 14. ad Celant. — Bar. An. 75 Salm. to. 6 Disput. — Laur Justin. Instit. de Vit. Solit. c. 4 — In Ps. 40. — Apol 35 — Joan. 19 — Tert l. de Spect. 30 — Ps. 72

in excelso locuti sunt: posuerunt in cœlum os suum. D. Augustinus legit, *iniquitatem in altum locuti sunt*, nimirum in Deum, qui sua altitudine homines quãtumvis dignitatibus elatos, in infinitum superat. D. Ambr. legit *in excelsum:* addit D. Hieronymus, *calumniam de excelso locuti sunt:* subjungit Apollinarius, *Altissimum calumniis feriebant.* Tandem 3. detractionis latitudo desumẽda est à rebus de quibus detrahitur *Christianum hominem omnium scelerum reum, imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum* existimabant gentiles. Quod olim Christianis criminabantur ethnici, etiamnum probi quique homines à detractoribus patiuntur, qui virtutes vitia nuncupant, quo nihil iniquius potest excogitari. *Fortitudinem audaciam appellant: modestum verò sine sensu hominem: justum, immitem, & nimium severum: prudentem, astutum: magnificum, vastum: liberalem, ut prodigum taxant: domesticè frugalem, avarum dicunt: denique omnu virtutis species, in vicina vitiorum nomina, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente.* Quis trinam detractionis latitudinem attente considerans, eam non horrescat, fugiatque vitium, sua execrandum 1. crudelitate: 2. calliditate: 3. infœlicitate.

Tert. Apol, 2

D. Basil. hom. de Invidia.

I. PARS. Detractorum crudelitas patet ex linguis eorum *à dæmone subornatis & modulatu, ad omnem sæviendi iniquitatem.* Omnimodam illã sæviendi iniquitatem belle exprimit Regius Vates, de detractoribus sic loquens: *Dentes eorum arma & sagitta: lingua eorum gladius acutus: detrahebant mibi*; dentes sagittis, & gladio acuto comparat Cassiodorus apud S. Bernardinum Senensem, *Dentes dicti sunt à demendo: ideo pulchre lingua detrahentium dentes vocantur; quia sicut illi ciborum partes demunt, ita & isti opiniones hominum corrodũt*, discerpunt, dilacerant, dentibus namque canum & leonum *mendacior est detractio*, qua tanquam sagittis acutis detractores confodiunt; *paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Tres alites sagitta transfixos in suis armis deferunt Lotharingiæ principes: hoc nobilitatis insigne mutuati sunt à Godefrido Bovillonio Lotharingiæ duce, qui Hierosolymam obsidens urbem, in turrim Davidicam jaculatus est telũ, quo tres simul confixit alites: *Detractio vulnerans famam* est sagitta, quæ tres simul confodit homines, detractorem, auditorem, illumq; in quem telum vibratur detractionis, quæ est 3 gladius acutus; imo, ut vult D. Chrysostomus, *quolibet ense immanior, atque intolerabilior*: ex D. enim Augustino, *illi cor gravius feriunt, qui gladio lingua feriunt*; quia feriendo non unam, sed trinam, uno ictu infligunt necem. *Numquid non lancea est ista lingua profecto & acutissima, qua tres penetrat ictu uno?* D. Bernardo arridens Bernardinus Senensis, de trina illa illata morte sic fatur: *Tres vulneras uno ictu maledicta lingua: primo seipsam: secundo audientes detractionem: tertio illos quibus detrahit.* Adeo potens ac omni fulmine trisulco exitiosior detractoris lingua, quæ vulnerat, 1. maledicum: 2. eum qui placidum detractori præbet auditum: 3. hominem detractione offensum.

Tert. Apol. 27. Psal. 56 To. 1. ser. 23. a. 2 L. 50. Ho. ho. 20 Ps. 10 Paradin. in Symb. D. Aug. ibid. In Cat. Tract. 5 in Joan. D. Bern. ser. 8. de trip. Cust. To. 2. ser. 29. a. 1. c. 3.

Tert. l de Idol. 1.

1. Detractor *idem homicida est: quæris quem occiderit, si quid ad elogii ambitio-*

tionem facit, non extraneum, nec inimicum, sed ipsum se: quibus insidiis? quo telo?
quot plagis? quotquot detractionibus? Detractiones sunt ictus qui illum vulneraverunt: lingua verò maledica, sagitta seu gladius, quo confossus, & interfectus est: *Levius debet putari quod gladio minante, quàm quod lingua insidiante committitur.* Prius sagittis quas in hydræ sanguine toxicarat, *scytalosagittipelliger ille* percussus obiit: linguæ maledicæ virus, est toxicum mortiferum, omni serpentino quantumvis pessimo pejus quo detractores inficiuntur, *venenata oblocutiones, obloquentium toxica*; quibus semetipsos toxicant: *Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occulte detrahit*: serpens mordens effundit venenum; *Serpens est lingua dolosa, venenum habet*, sed lethale: nam ut subjungit D. Augustinus, *lingua dolosa habet venenum perimentis*; quo ipsemet detractor perimitur; alii serpentes suo non se toxicant nec perimunt veneno: *Illud venenum quod serpentes in aliorum perniciem ferunt, sine sua continent malitia: ipsa detractio partem sui veneni bibit*; neque prius alios venenat, quam auctorem suum infecerit. Detractores in semetipsos retorquent *linguarum infestarum, & omnis malitiæ ingenia*: gladio quem acuunt ut alios vulnerent, semetipsos feriunt; sagittas quas adversus alios parant, in semetipsos vibrãt. *Facti sunt quasi arcus dolosus.* In arcu doloso sagitta emissa ad oppositum tendit. Similiter verbum detractionum, quod tanquam sagittam mittunt in alios, in detrahentes redit, & eos primo in anima occidit: quomodo istud Davidicum intelligit Hugo Cardinalis: (Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.) *Quia cum alios sagittant, & eis detrahunt ex invidia, seipsos prius vulnerant, dolore pariter & peccato.* Quos ideo à detractione deterrere nititur Sapiens: *A detractione parcite linguæ.* Acute autem animadvertit D. Bonaventura, quod non dicit Sapiens: *Parcite proximo: sed linguæ, scilicet vestræ: quia detrahens alteri, primo seipsum lædit.* Hac consideratione à detractione cohibebat linguam D. Augustinus: *Meipsum occido, si alii detraho*: & Christianum etiam ab hoc vitio dimovere nititur, ne sit in semetipsum crudelis. *Noli sævire in animam tuam; ab alio occidi non potest, à te potest, non lancea sed lingua*; qua adhuc audientem placite detractiones occidis.

D. Aug. l. 2 de Bapt. cont. Donat 7 — Tert. l. de Pall. 4 — Ennod. l. 1 Epist. 5 — Ecclesi. 10 — D. Aug: in Ps. 119 — Senec. — Tert. l. 3. adv. Marc. 21 — Osee 7 — Ps. 63 — Sap. 1 — Serm 45 ad Frat. — Serm. 18. de Verb. Apost.

2. Detractor *de homicidii reatu non liberatur*: nam & suam & audientis occidit animam. Inde exclamat Divus Bernardus. *Lingua maledica, illius perimens conscientiam, & hujus vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit.* Tertullianus ejusdem criminis reos existimat Christianos, qui deos nationum pronuntiant Deos, & eos qui audientes, propalantibus consentiunt. *Quid refert Deos nationum dicendo deos, aut audiendo confirmes? jures per idola, aut ab alio adjuratus, acquiescas?* Idem argumentum valet adversus eos qui detrahentibus acquiescunt. Peccant equidem, & semetipsos interimunt detractores, at qui eis arrident, & libenter auditum præbent, linguæ venenosæ enecantur toxico: Christiani, si animæ desideramus conservare vitam, (propellamus etiam à nobis eos

Tert. l. de Idol. 1. — Ser. de Trip. Cust. — L. de Idol. 21 — D Chrys. in Ps. 110

qui detrahendi studio tenentur, ne alienis malis assentientes, nobis ipsis exitium accersamus: nec libenter detractiones audiamus, ne diabolicis cogitationibus impleamur. Etenim ipsa detractio diabolica appellatur, naturalem scilicet à parentis sui detractione appellationem nacta: quamobrem qui detractioni studet, diabolo servit.) Diabolus detractor est: detractio à dæmone sumpsit exordium. Ut enim philosophatur S. Bernardinus Senensis: (Origo & causa detractionis fuit invidia diaboli, quam habuit in cœlo empyreo ad Dei Filium incarnandum. Nec sufficit pestifero detractori detractionem diffundere contra Christum in cœlo, in natura angelica, insuper detractionis virus conatus est diffundere in terram in natura humana, ut dedignaretur Dominus de humano genere carnem assumere.) Pergit Bernardinus: (Virulentus serpens, pestiferum virus, ore in Evam diffundēs; cujus detractioni Eva consentiens ruit; consortemq; suum, ac cum illo totum genus humanum profundavit in æternum interitum.) Diaboli negotium operatur detractor; Evæ personam agit, qui detractionis acquiescit sermonibus: uterque reus, uterque morte plectendus. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid damnabilius sit, non facile dixerim.* Nam ut subjungit S. Bernardinus, *detractor & detractorum libens auditor, uterque diabolum habet: ille in lingua, iste in aure; ex quo quodammodo potest sequi, quod, quot detractores audis, tot in auribus dæmones recipis.* Christiane, obtura aures tuas, ne placide audiens verba detractionis, recipias diabolum, qui suo ingressu animam enecat: Assentire Ecclesiastici monito: *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet.* Ubi D. Chrysostomus, (Quid est moriatur in te? extingue ipsum, defodito, nec exire, neque penitus moveri permittas: sed maxime stude, nec alios quidem dicentes male tolerare: quod si quando & susceperis, infodito, interime dictum, oblivioni trade, ut his qui non audierint, similis fias.) Esto alienæ detractionis sepulchrum; nam si in te non mortuum, sed vivum fuerit hujusmodi verbum, tibi afferet necem, & proximum læsum interimet.

To. 1. ser. 29. a. 1. c. 1

D. Bern. l. 2. de Consider.

To. 1. ser. 23. a. 3. c. 3

Cap. 19

Hom. 3. ad Pop.

3. Detractio est *verbum ædificatorium mortis*, trinam adimens vitam. Triplex est vita: spiritualis, corporalis, & civilis; Spiritualis consistit in unione animæ cum gratia sanctificante, naturalis in unione animæ cum corpore sita est; civilis habetur famæ præsidio, qua in aliorum existimatione vivimus. In trinam illam vitam immanissime sævit Detractor, vitamq; spiritualem, in se & in criminoso auditore interimit; civilem verò in eo cui detrahit, ut patet ex Christo: asseverat namque D. Augustinus, *magis fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quàm militum: & ita triplicis sceleris detractor efficitur reus; absentis famam interimit, audientis ac propriam occidit animam.* Divo etiam Hieronymo teste *lingua detractoris bestias ferocitate, serpentes virulentia, volucres velocitate præcellit.* 1. Bestias ferocitate superat: & ut ait Bernardinus Senensis, *crudelior feris merito comprobatur, Leo leoni parcit, lupus lupum non comedit; & quasi omnes feræ crudeles aliis feris sui generis*

Tert. l. de Carn. Chr. 17

L. de Consens. Evang. c. 13

Laur. Just. de Vit. Solit. c. 4

apud Bern. Sen. to. 1. Serm. 29 a. 1. c. 3

generis parcunt; solum detractor sibi similes satagit devorare. Feritatem illam detrahentium pertimescens Regius Vates sic Deum deprecatur : [Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo ? dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas ?] Nimirum *detractores comedunt & corrodunt carnes detrahendo.* Tantam detractoris non ferens D. Chrysostomus feritatem, sic eum redarguit: *Detrahens, fraternas carnes comedisti, proximi carnem momordisti: unde & Paulus terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* D. Anselmus versans Apostoli locum, refert quòd [B. Clemens inter cætera, quæ ab ore B. Petri se didicisse fatetur, hoc modo scribit : Tria sunt genera homicidii, quæ pari pœnâ plectuntur: odium, interfectio, & atrum detractio, de qua etiam Paulus dicit: Si comedistis, & vos invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini. Comedit namque alter alterum, & quasi morsum in eo facit, quotiescumque aliquis aliquem malè loquendo viliorem efficit. Unde necesse est ut ab invicem consumantur, pœnis videlicet gehennalibus detrusi miserrimè puniuntur. Sic igitur is, qui alterum detrahendo comedit, consumitur ab eo quem morsibus detractionis consumere gestit. Nam cùm ejus vitam per detractionem lacerat, semetipsum per judicem Deum condemnat:] adeò crudelis est detractio, bestias feritate, & serpentes virulentiâ superans: *Nunquid non vipera est lingua ista? ferocissima planè, nimirum quæ tres inficiat flatu uno.* Etenim [anima quæ detractionibus est obnoxia, trisulcam habet linguam; nocet enim & sibi ipsi, & auditori, & illi quandoque cui detrahitur.] D. Bernardus ad exitiosam illam attendens detractionis crudelitatem, S. Bernardo teste: *Admirabile verbum protulit dicens; Gladius triceps lingua detractoris, nec hujusmodi linguam mucrone illo, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis.* Cujus hanc rationem præbet ipsemet Bernardus ; [Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro; nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Judaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto, mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset.] Bellè, quàmvis longiusculè D. Bernardus detractionis crudelitatem demonstrat, quæ non duntaxat tres, aut viginti, sed centum, sed mille, sed tot confodit, quot mortifero suo veneno inficit, neque unam duntaxat vitam civilem ei cui detrahitur, adimit; sed tot quot sunt, quibus ejus famam & existimationem eripit: *Nec tamen absurdè atque insolenter in verbis perinde ac in alea ludo versamur.* Aleæ ludo persæpè amittuntur fortunæ bona, verbis detractoris amittitur honor & fama ; uno aleæ volatu velocissimè depauperatur homo, uno detractionis sermone celerrimè vita civilis interimitur; detractio namque & aves velocitate vincit : *Fama malum, quo non aliud velocius ullum: Cur malum fama? quia velox.* Volat irrevocabile verbum, citissimè honorem

Ps. 26

Hug. Cardin.

Hom. 3 ad pop.

L. de Similit. cap. 146.

D. Bern. de Trip. Cust.

Climac. de Scala parad. grad. 10

Tom. 2 Ser. 29 a. 1 c. 3

Serm. de Trip. Cust.

Gregor. Naz. Or. 1 Theolog.

Tert. Apol.

dehonestans, famam infamans, & virtutis existimationem enecans. Cyrillus
Ps.44 Alex. his verbis: [Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis,] æternam Verbi generationē censet expressam: *Hic mihi considera Verbi Dei, ex substantia Dei generationem*; præmiserat enim Regius Vates in persona æterni Patris loquens: [Eructavit cor meū verbum bonum.] Quasi dicat: Ego æternæ generationis lingua dixi meum verbum. Propheta tamen quam mox appellârat linguam, calamum vocat. Cur tam citò æterni Patris lingua, quâ Verbum dicit, non lingua, sed calamus nominatur, cùm aptius lingua dicat verbum, quàm calamus? D. Ambrosius nodum difficultatis solvit, versum Prophetæ
Epist.45 sic legens: *Lingua mea calamus scriba, id est, loquentis velocitatem cum scribentis maturitate conjungo.* Quasi dicat: Lingua velocissima est, quæ enim linguâ dicuntur, impetu quodam proruunt. Verbum, utpore æternum, à celeri paternæ mentis lingua debuit procedere; quia si vel unius momenti spatio cunctatum fuisset, æternum non esset. Verum quia volubilitas, & linguæ velocitas vel solo nomine linguæ suspecta est apud homines, linguæ velocitati adjungitur maturitas calami. Lingua vocatur calamus, quia quæ linguâ dicuntur, auribus duntaxat percipiuntur; at quæ scribuntur, oculis considerandæ
D. Ambr. objiciuntur: *Non solùm auribus, sed etiam oculis ea ponderamus quæ scribimus.* Itaque Propheta ex mente Ambrosii sese accommodans ad hominum ruditatem, æterni Patris linguam scitè mutat in calamum: quia calamus linguâ morosior cunctanter agit. Scriptura quoque verbo longè cunctantior & consideratior est. Detractores autem calami non habentes maturitatem, lin-
Tertull guæ pollent velocitate, in momento virtutes *suâ cæde dispergunt*, citissimeque famam & honoris existimationē devastant. Quia, ut ait Bernardus, [levis ser-
Senec. ep. 103 mo facilè volat, atque ideo facilè violat charitatem.] *Tempestates minantur antequam surgant, crepunt ædificia antequam corruant, pranuntiat fumus incen-*
L.1.Strō.3 *diū, subita est ex homine pernicies.* Et quia, ut fatur Alexandrinus Clemens, *lingua volubilis est & fabula multa*; detractor ne ea, quæ linguæ volubilitate propalat, de mendacio arguantur, sed vera credantur, astutiâ & calliditate utitur.

II. PARS: Detractio alienæ famæ denigratio *tam locuples substantia criminis, quæ tot*
Tert. l. de Idol 2 *ramos porripit, tot venas diffundit*, committitur, ut vult Angelicus Doctor, vel
2.2 q.73. a.1 directè, vel indirectè. Directè, [primò, quando falsum imponit alteri; secundò, quando peccatum adauget suis verbis; tertiò, quando occultum revelat; quartò, quando id quod est bonum, dicit malâ intentione factum.] Indirectè; [vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, & diminuendo.] Eodem modo de detractione philosophatur S. Bernardinus Senensis, qui
Tom. 1. Ser 29. a. 2. c.7 post demonstratam vitii illius enormitatem concludit: [Ex dictis patet, quòd detractio est secreta bona occultare, occulta bona denigrare, bona in mala invertere, bonis mala miscere, occulta mala manifestare, audita mala augmentare, atque falsa crimina imponere, quæ sunt septem draconis, id est, detractionis capita.] Et quàmvis detractor alienam famam devenustet, aut ex malitia, aut ex inimicitia, aut ex invidia; attamen astuta calliditate perversam
suam

suam intentionem occultare nititur. Nam 1. dum ex malitia falsum crimen imponit; vel verum sed occultum revelat, secretum ab audientibus expostulat. 2. dum ex inimicitia leve crimen adauget, vel virtutem malâ intentione factam asseverat, amicitiam & dolorem simulat. 3. dum non solùm alienum bonum negat, vel cùm debet non laudat, vel frigidè commendat, sed aliis laudantibus ex invidia minuit, aut depretiat.

2. Detractor utplurimum *malitia redundantia*, alienam famam dedecorat: [Quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.] Non absimiliter homo malignus, malitiæ perversitate detrahit hominibus studiosis, à quibus nullum accepit nocumentum. Detractorem illum nequam redarguit Regius Vates: [Os tuum abundavit malitiâ, sedens adversus fratrem tuum loquebaris] Primam istius versiculi partem sic legit Hugo Cardinalis: *os tuum abundavit detractione populi.* De secunda sic fatur D. Augustinus: *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas. Qui stans aut transiens facit, non cum voluptate facit; qui verò ad hoc sedet, quantum otium quærit ut faciat: sedens adversus fratrem tuum detrahebas, ipsam detractionem malam diligenter faciebas, volebas ibi occupari.* Interdum fieri potest, ut quis ex primo iræ aut impatientiæ motu in verbum aliquod injuriosum prorumpat; [& hoc utcumque tolerabile est: sed quando aliquis quieto corde non provocatus dicit mala, hoc iniquum & detestabile est, & ideò dicit sedens, id est quietus.] Seu, ut ait Remigius, [immoratus in deliberatione illa.] Propheta per ly sedens, *ostendere voluit, quòd non transitoriè detraxerit, nec ei subreptum sit, ut malè de proximo loqueretur, sedens, id est, ex otio, quasi ad hoc vacans ut derogaret proximo suo*, falsa ei imponendo crimina, vel occulta & ignota manifestando; cùmque ad inculcandam detractionem *omnia argumenta eloquij virtute distorseris, nonne consensum movebit, & fidem infiget* auditoribus, vel pravis, qui mala potius quàm bona credunt: vel imprudentibus, qui non considerant detractorem esse ex malitia & pravitate falsò locutum.

Tert. l. 5 adv. Marc. 6. Sen. de Remed. fortun. Ps. 108 D. Thom. D. Aug. Ser. 13. de Diversis. Tert. Apol. 48

Hoc est discrimen inter veritatem & calumniam mendacem: quòd *nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi*: nihil verò calumnia magis pertimescit, quàm detegi; quapropter detractor falsò calumnians, astutâ calliditate se ab alio, quod dicit sub secreto, audivisse affirmat, neque quidquam de suo proferre: *Hæc dixit ille de illo, Deus ignosce mihi, noli me de hoc discutere, audisionis debeo rationem.* Deinde ab audientibus secretum expostulat; quod quàm pravè, bellè D. Chrysostomus declarat, detractorem pungens: *Si enim illum ut nemini dicat, rogas, multò magis te priorem huic dicere non oportebat: in tuto sermonem habebas, postquam illum prodidisti, tunc salutem ipsius curas; si non vis efferri, neque alteri ipse dicas: postquam verò alteri prodidisti, sermonis custodiam superfluam facis, & inutilia admones*; nec ad Dei prohibitionem attendis: [Non maledices surdo.] Ex D. autem Gregorio *surdo maledicere, est absenti & non audienti derogare.* Verùm quantumvis asturè absentem mordeat detractor, & mutos auditores exposcat, *sed & personant*

Tert. l. adv. Valent. 2 D. Chrysost. Hom. 21. in ep. ad Hebr. Hom 3 ad Pop. Levit. 19 Lib 3. post Admõ. 36 Tert. l. de An. 10

 culi-

culices, ne in tenebris quidem aurium caci. Calumniæ namque sonus tandem Tert.ib. absentium resonat auribus,& calumniator astutus innotescit: *Tubam pariter* Tert.l.adv. Valent.2 *& biantiam oris illius ostende*,& cognosces falsò & ignominiosè locutum. *Abscondat itaque se serpens quantum potest, totamq; prudentiam suam in latebrarum ambagibus torqueat, in caca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuosè procedat, nec semel totus, lucifuga bestia.* Persæpè detegitur, in publicum proditur, & de callida sua pravitate convincitur non secus ac vulpes vi- Cant.2 neam devastans: [Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.] Peridoneum animal elegit Sapiens, ut fallaciam demonstraret; nam ut animadvertit D. Ambrosius: Lib.7. in Luc. *Fallax animal vulpes, & insidijs semper intentum, rapinam fraudis exercet: nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securū, quod inter ipsa hospitia hominum prædam requirat.* Per illas vulpeculas, quæ florentem Ecclesiæ vineam clanculum demoliuntur, nonnulli hæreticos intelligunt, alii verò melius ad propositum, mendacem detractorum gregem, qui astutè deprædantur famam, & secretò absentiū furantur honorem. At cur Salomon monet, ut sagacissimum illud ad fallendum animal capiatur, non verò ut sauciatur, aut perimatur, ne ultra florentē Ecclesiæ demoliatur vineam? Serm.64 in Cant. Quia, ut animadvertit D. Bern. *solum hoc malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum jam minimè noceat; etaut agnosci sit illi expugnari; sufficiat proinde si capiantur, qui hujusmodi sunt, hoc est, si prodas & deducas ad medium: quippe quibus apparere, perire est.* Mendaciorum fraudes, quantumvis malignè compactę & architectatę, dum adducuntur in publicum, ipso oculorum aspectu corruunt; calumniarum publicatio, earum ruina est; detractores dum Tert. Apol.7 cognoscuntur, expugnantur; dum apparent, pereunt: *Natura fama omnibus nota est; quia plurimum mendax: quid? quòd ea illi conditio est, ut nonnisi cùm mentitur perseveret; & tandiu vivit, quandiu non probat: siquidē ubi probavit, cessat esse.*

Verùm si nonnulli suam detractionem asturè in occulto vibrent, neque Tert: Apol: 48 prodi exoptant, sunt multoplures qui de *iniquitate sævitia gloriantur*, palamq; Oecum. in c.2. Act. & impudenter diffamant. [Improbitas namque id unum quærit, ut quoquo modo aliquid dicat, non ut rationabile quippiam dicat.] Detractio ejusmodi Tert. l. de Idol 2 publica *quoniam multifariam servos Dei nec tantùm ignorata, sed etiam dissimulata subvertit.* Et hoc, ait D. Bernardus Senensis [quandoque verbis com- Tom.2 Serm.29 munibus, quandoque verbis apertis, quandoque derisionibus, quandoque a.2.c.7 nocturnis sibilis, quandoque simulatis atque mutatis vocibus, quandoque libellis famosis, quandoque cantilenis, quandoque litteris & epistolis, L. de Pall. 3. quandoque nutibus & signis] Et ut fatur Tertullianus: *circumspectu em siti ocelli, imò luminum puncta vertiginant.* Oculorum nictationem nuncupat luminis puncta, quibus diffamatrix oculorum vis, circumspectu & emissitiis utens oculis, luminis dissimulata vibrat tela, quibus punctim ferit, & aliorum Prov.16 famam cruentat. Detractor itaque *attonitis oculis cogitat prava*: quasi oculus attonitus oculi nutus vocalis sit, mensque interpretetur pravitatem. Subjungit Sapiens: *Mordens labia sua perficit malum.* In Hebræo habetur: *Annuens*

Annuens labiis suis perficit mala. Nutus & adnuitus oculorum, non linguæ negotium est; morsus non lucidi aspectus, sed dentati oris res est: & tamen detractor labiis suis annuit, oculis mordet: siquidem oculi suis nutibus dentium præstant officium, simulato nictu detrahunt, furtive mordent, famam lacerant. Calumniator *annuens oculo, fabricat iniqua.* nictando injuriam facit, & famam destruit: *Qui annuit oculo dabit dolorem.* Oculo autem secare, idem est ac innuere, nictare. Calumniatoris igitur & detractoris est nutibus aliquem subsannare, *acie figere, digito demonstrare, & nutu tradere.* Oculorum acie figere, idem est ac oculo secare; digito destinare, est sannis irridere, & ut infamem tendere, nutu tradere, seu traducere est oculorum nutu detrahere. Nam ut supra laudatus subjungit Oecumenius, (malitia quæ ex pravitate est, à nullo alio quam ab ipsa perversitate procedit, ut quoquo modo inveniat, quo præsens bonum obrurbet ac pellat,) falsumque crimen imponendo diffamet. *Et quasi officio nuntiandi functa, rem tradit; & exinde res tenetur, res nominatur, nec quisquam dicit, verbi gratia, hoc Romæ ajunt factum, aut fama est illum provinciam sortitum: sed sortitus est ille provinciam: & hoc factum est Romæ: fama nomen incerti, locum non habet ubi certum est: an vero fama credat, nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto: omnium erit æstimare, quantacumque illa ambitione diffusa sit, quantacumque asseveratione constructa, quod ab uno aliquo principe exorta sit, necesse est: exinde in traduces linguarum, & aurium serpat.* Sicut enim tradux nova pampinorum ambitione vitem propagat, sic aures & linguæ, convitia quæ exceperunt amplificant, & publicant per novos traduces linguarum & aurium. Convitium quod vel clanculum auditum est, velocissime publicatur. *Loquax fama hac & illac dissipans rumores.* Neque solum detractio etiam in secreto facta, est arbitrium publicandi delicti, sed etiam amplificandi vituperium, mentes credulas reperit, aures benevolas, verba parata, quæ probrum quod exceperunt, brevi tempore publicent, buccinent, amplificent: Uti massa nivis ita grandescit, ut in torrentes, rivos, imo & fluvios, rapido cursu diffluat: quemadmodum scintilla magnum efficit incendium, sic detractionis verbum mirum in modum incrementatur, in aures serpit, vires acquirit eundo, perambulat urbes, transvolat provincias, & in extremis urbis, oris diffamatione est notissimus, cujus facies nunquam visa est. *Et ita modici seminis vitium, cetera rumoris obscurat, ut nemo recogitet ne primum illud os mendacium seminaverit; quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate,* vel animadversione, qua leve vitium adauget, & virtutem mala intentione factam asseverat.

Ecclef. 27.
Prov. 10.
Tert. l. de Pall. 3.
Tertull. Apol. 7.
Nicetas in Andron. l. 1. c. 1.
Tertull. Apol. 7.

2. *Ethnici quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur; alibi bonum, quod alibi malum, alibi malum quod alibi bonum.* Neque Gentiles duntaxat, bonum malum pro libidine ingenii ac arbitrio interpretantur, sed etiam inimici ex animadversione leve vitium adaugent, & bonum suspicantur malum. Quem-

Tert. l. de Spect. 20.

 admo-

admodum dum aliquem diligimus, magnam concipimus de eo existimationem, defectus ejus minuimus, perfectiones augemus, ejus excusamus vitia, virtutes commendamus, ita è converso dum aliquem odio habemus, eum mente contemnimus, sermone depretiamus: ut enim ait D. Augustinus, *fit detractio per malevolentiam cum quisque non solum voce ac ore corporis profert quod contingit in aliquem sed etiam tacitus talem vult credi.* Quod si audientes detractorum non acquiescunt sermonibus, *per ambiguitates bilingues fidem communem efficiunt*; id est id quod dicunt, à cunctis communiter receptum asseverant; & ut nemo valeat dubitare *habent artificium quo persuadent*, fingentes se esse amicos illius cui detrahitur, & nonnisi cum dolore & invitos propalare, quod in omnium ore versatur. (Alii autem quodam simulato verecundiæ fuco, conceptam malitiam quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate ac tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti, egredi maledictionem: & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius, Mihi quidem bene compertum fuerat de illo istud: sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum; dolens dico, revera ita est.) His mellitis & fucatis sermonibus detractor concinnat dolos, ut sibi facilius credatur. *Nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis & bene soporatis, & plurimum dulcibus id mali injicit.* Idem præstat detractor. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Nam ut venenum propinet, benevolentiam & dolorem demonstrat, & tamen ex animadversione vitia incrementat, bonum prava intentione factum proclamat, & ex invidia & æmulatione virtutes depretiat.

Lib. de Mendac. c 16.
Tertull. lib. adv. Valent. 1.
Tert. ibid
D Bern. Ser. 24. in Cant.
Tert. l. de Spect. 27.

3. *Linguæ amaritudo* ut plurimum ab æmulatione nascitur, & detractores ex invidia dilacerant, præsertim eos qui de aliquo bono commendantur. *Cum cœperit homo Christianus proficere, incipit pati linguas adversantium.* Invidi cum dolore alienam conspiciunt virtutem, & quam non possunt æquare merito, parvi pendere nituntur lingua. *Dei est quod oculus in orbem sic aperitur arctatur angustissimus in pupillam, quatenus moderate visum videat, non invideat, prospiciat, non despiciat, fit lumen corporis, non introitus vitiorum:* Invidus tamen ad sua cæcutiens, aliena curiosus scrutatur, & ut eloquenter fatur Chrysologus, *improbus aspectus, suas non respicit ad ruinas, alienos currit & decurrit ad lapsus; sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet: malorum suorum nescius, alienorum est accusator & testis: suum tepidus ad reatum, ad alterius & innocentis flammatur & excandescit examen:* neque tanta sagacitate aliena perlustrat nisi ut illa sua devenustet lingua, quæ, ut subjungit Chrysologus, *mortis janua, invidiæ fax, livoris caminus, toto cupiditatis incendio velocius per aliena percurrit, quam currit ignis arida & terrena per gramina.* Eloquenter Chrysologus

Tert. l. de Pat. 8.
D. Aug in Ps. 119.
Chrysol.
Serm. 139.

logus devastantem invidi detegit flammam, ex qua grassatur detractio. Nam ut docet Bonaventura (ex ramo invidiæ procedit detractionis folium, quo proximi prosperitas impeditur. Hoc autem folium principaliter in duo dividitur: quia qui detrahit, hoc est, aut ejus bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo: primum folium quatuor folia secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, & negare: ex secundo ramo, hæc folia procedunt; malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, & imponere.)

Ex invidia diabolus hominem aggressus est impatienter ferens tot dotes quas Deus illi contulerat: *Igitur natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, jam tunc cum Dominum Deum universa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est homini subjecisse impatienter tulit: nec enim doluisset si sustinuisset: nec invidisset homini si non doluisset: adeo decepit eum, quia patienter utique non tulerat.* Ex favoribus divinis homini concessis orta est diaboli invidia, ex invidia dolor, ex dolore, *mendacium in Deum, & fallacia in homines.* Non absimiliter proximi virtutes invidiam generant, invidia linguam ad detractionem armat: detractores dæmonis æmuli: alios sua lingua dilaniant. Detractorum verba *verba diaboli* vocitat D. Hieron. quapropter D. Cypr. ad Antonianum sic scribit: Quod autem quædam de Cornelio inhonesta & maligna jactantur, nolo mireris, *cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet.* D. quoque August. Christianos vult memores moniti principis Apostolorum: (Mementote quod ait Apostolus Petrus, quoniam adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; quem non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest opprobriis hominum, & malarum linguarum detractione inficiat, & sic in ejus famam ruat; si autem nec famam innocentis maculare potuerit, ei persuadere tentat, ut per malas suspiciones de fratre suo judicet.) D. Antonius Paduanus detractores diaboli sacerdotes existimat (detractores ædificant de lapidibus tactis ferro linguæ, altare diabolo, ut ibi sacrificent sanguinem, id est, famam peccatoris.) Laurentius Justinianus post multa enumerata damna à detractoribus illata, ita concludit: *Est quippe detractor mortifera sagitta: emissa de pharetra satanæ, à quo si quis declinaverit, Deo & hominibus amabilis erit.* Neque Deo, neque hominibus amabilis est invidus. (Hoc nequam hominum genus, auget culpam, minuit gloriam, dubia in deteriorem partem convertit, nulli parcit, errat in profundum, peccat in Deum, atque cuncta bona opera depravat. De talibus excæcatis Chrysostomus ait, Sunt quidam homines perversi similes Pharizæis, qui de omni quod vident, malum judicant: si quis vacat humilitati, hypocrita est; si recreationi, gulosus; si patientiæ, timidus est; si justitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, phantasticus est; si jucunditati, dissolutus; si societati, sæcularis.) Injustitias quas mente concinnavit invidus, lingua adhuc cogitat, ut ei exprobrat Regius Vates, *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua; sicut novacula*

Tert. l. de Pat. 5.

Tertull. adv. Marc

Ep. ad Anton.

Epist. 137.

Serm. in Sabb. post Dom. 3. Quad.

De Discipl. & Perfect. c. 21.

Bernardin Tom. 2. Ser. 29 c. 4

acuta

natio hominum detractor. Abominationi est, his quibus detrahit, quia eis famam & honorem eripit: abominationi est, his coram quibus detrahit; si enim sint virtute præditi, detractionem horrent, ut de B.Francisco refert D. Bonaventura.(Detractionis vitiũ inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum,& atrocissimam pestem; & piissimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat.) Plus audet Regius Vates: nam ut ipsemet fatur, *detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar*: quia ut expendit Incognitus,(Detractor dæmonibus est consecratus, quia omnes detractores vicarii sunt diaboli, & ideo tanquam ejus vicarii & successores ejus hæredes erunt pœnæ infernalis.) Sapiẽs quoque detractorem horrescit: *Os bilingue detestor.* Ubi Hugo Cardinalis:(Isti proprie sunt Apostoli diaboli,unde potest dici de ipsis:Loquebantur variis linguis pseudo-Apostoli magnalia diaboli.) *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur.* Ubi Hugo Cardinalis: (Coinquinabit animam suam cum ore suo, quod verbis malis polluit; animam maculabit, & in dictis & in factis; *& in omnibus odietur, hominibus, & Angelis, & Deo.* Teste namque Apostolo sunt *detractores Deo odibiles.*

In ejus vita lib.1.c.8

Prov.8.

Eccles. 21

Rom. 1.

Multiplici autem de causa detractores sunt Deo odibiles: 1.*Deo odibiles, quia hominibus non placent.*Non placent autem hominibus, quia graviter in honore eos offendunt.Idcirco (Susurro & bilinguis est maledictus:) Seu,ut habet Siriaca versio, *lingua triplex maledicta erit, quia homicidia multa injicit.* 2. Quia Deus est detractoribus exosus; unde apud Cajetanum aliqui legunt, *Dei osores.* D.etiam Cyprianus vertit, *Deo abhorrentes.* Deus autem sicut diligentes se diligit,ita odientes odit.3.Quia,ut ait Hugo Cardinalis, *ipsi sunt proprie advocati diaboli:* Deus autem diabolum,eosque qui ad eum pertinent odit.4.Quia Deus idololatriam aversatur, quæ est *principale crimen generis humani.*Ex D.autem Hieronymo,*nihil est tam odibile Deo quam idololatria, cui per similitudinem eradicandi, pœna detractionis inscripta conjungitur: Deo odibilis est idololatria.*Sicut enim idololatria debitum Deo aufert cultum, ita detractor honorem imagini Dei debitum tollit.5.Quia legis contemptores sunt Deo odibiles: *Qui detrahit fratri, detrahit legi*: id est contemnit,ut expendit Angelicus Doctor.Sicut enim legis observator, legem honorat, ita qui eam transgreditur, eam infamat, Deumque supremum legislatorem per legis prævaricationem contemnit & inhonorat: Detractor autem decem legis præcepta violat: quod denotatum vult sanctus Bernardinus Senensis per draconem illum capita septem,& cornua decem habentem.(Per septem detrahendi modos offendit omnia præcepta Dei, tam tria primæ tabulæ, quæ pertinent ad Deum; quam septem secundæ tabulæ, quæ pertinent ad proximum: quia ex septem detrahendi modis, sequuntur prævaricationes decem præceptorum Dei, unde subditur, & cornua decem.) Post hæc non est mirum si Deo sit odiosa detractio, *defundens de suo fonte,varias criminum venas.* 6. Quia agunt contra dilectionem, quæ est *Christiani nominis thesaurus*:

D.Ambr.

Eccles.28.

Epist.61.

Tert.l. de Idol.1.

Jacob. 4. 22.q.75. a.2.

Tom. 2. Ser.29 a. 2.c.7.

Tert.l. de Pat.5.

Tert. l. de Pat. 12. idcoque, ut animadvertit Doctor Angelicus (ne putentur ista peccata esse levia, quia solo ore committuntur: subdit, Deo odibiles; impugnant enim id maxime, quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem.) Jacobus autem Apostolus (inducit ad dilectionem proximi, removendo dilectionis impedimenta: dum dicit: Nolite detrahere alterutrum, per quod infertur famæ detrimentum, & per hoc innuit oppositum, scilicet conservationem bonæ famæ, & ejus augmentum, quod est opus dilectionis proximi.) Eodem fere modo Jacobum interpretatur Dionysius Carthusianus: (Nolite detrahere: cum hoc sit contra charitatem atque justitiam, & ex suo genere peccatum valde mortale.) Siquidem *detractio est odij partus*, *quæ charitatis sanguinem exhaurit & absumit*. Ad cujus fugam nos hortatur Sapiens: *Cum detractoribus ne commiscearis*. Quasi dicat, expendit Dionysius Carthusianus, (Non veniat anima mea in consilio detractorum, quoniam Deus odit eos: Nec mirum, quoniam vitium illud, charitatem quæ Deus est, acrius persequi & impugnare cognoscitur.) Dilectionem Apostolus *totis viribus Spiritus sancti commendat*; quia *plenitudo legis est dilectio*, *& qui diligit proximum legem implevit*. Et Jacobus Christianos à detractione avocat, quia cum sit opposita charitati, totam legem violat: Nam (omnis qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate; deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is cui detrahit veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt lingua maledica; & quantum in se est necat funditus & extinguit. Non solum autem sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos qui præsentes sunt, pervenire côtigerit.) Quanto majus est nocumentum, quod affert detractor, tanto magis ad restitutionem & reparationem obligatur.

Cap 4.

Climac. grad. 10

Prov. 24

Tert. l. de Pat. 12.

Rom. 13.

D. Bern. Ser. 24 in Cant.

Tert. l. de An. 33. 2. Detractor *famæ ornamenta* dedecorans, ad illius reparationem obligatur: juxta istud Sapientis: *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat*: neque sui criminis potest accipere veniam, nisi sublati honoris restituerit gloriam: Nam ut docent ex D. Augustino Doctores, *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Tanta est restituendæ famæ obligatio, ut nullus Confessarius quantalibet auctoritate polleat, ne quidem ipse summus Pontifex, valeat detrahentem ab ejusmodi restitutione dispensare. Ut enim ait Seraphicus Doctor, (sicut mortale est, rem invito Domino pertractare; & qui hoc facit ad restitutionem tenetur; sic etiam alterius famã auferre mortale est; & qui hoc facit ad restitutionem tenetur.) Susurrator pejor est fure, quoniam majus infert nocumentum proximo quam fur: fur namque tollit bona exteriora, susurrator autem famam.) Ut autem ratiocinatur Angelicus Doctor, (inter res exteriores maximum bonum est honor: Tum quia propinquissimum est virtuti, utpote testificatio quædam existens de virtute alicujus: Tum etiam quia homines propter honorem consequendum, & vituperium vitandum, alia omnia proponunt.) Tum quia *bonum est mihi magis mori, quam*

Prov. 13.

Epist. 54. ad Maced.

In Spec. An. c. 1.

Dion. Carth. in c. 5. Eccles

22 q. 129 a. 1.

1. Cor. 9.

quam ut gloriam meam quis evacuet. Cuncta tormentorum genera, quantumvis acerba, *à multis tamen æquo animo excepta, imo & ultro appetita, famæ & gloriæ causa.* Tum quia Deus, qui sæpe sæpius in sacris paginis hominem hortatur ad bonorum temporalium, imo & ipsius vitæ contemptum, mandat ei diligentem famæ sollicitudinem. *Curam habe de bono nomine*: Tum quia fama est fundamentum bonorum fortunæ, largiturque vitam civilem vita naturali longe præstantiorem. Detractor autem famam eripiens, tollit fundamentum bonorum, quæ quis potest comparare imo & sperare: aufert enim famulis quos fures deprædicat salarium quod lucrari fuissent serviendo; Advocatis quos ignaros proclamat, facultates quas fuissent consecuti patrocinando; Concionatori, quem dissolutum decantat, fructum spiritualem quem comparasset prædicando: Neque solum aufert fortunæ bona, sed adhuc vitam civilem adimit; Siquidem detractoris *lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris; quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.* Aliorsum demonstratum est quomodo lingua sit iniquitatis universitas; detractoris autem lingua dicitur ignis, quia *virtutum silvam male loquendo devorat.* Vitiis aliquando parcit detractor, sed virtutes perpetuo insectatur. Inflammat rotam nativitatis, quia *merito primæ prævaricationis, ab interna fœlicitate projectus, huc illucque vaga mente raptatur.* Detractor primævæ prævaricationis æmulatur venenum, & sicut originalis culpa serpit in omne genus humanum, ita detractio longe lateque propagatur. Quod denotat versio Siriaca, legens *fertem genealogiarum quæ currunt in modum rotarum.* Vel quia serpente malitia, in omnes futuras generationes seriatim diffunditur: Vel quia præteritas genealogias infamare conatur: Vel quia inter familias seminat inimicitias, quæ habentur immortales; nam per multas generationes transmittuntur in posteros. *Susurro & bilinguis maledictus multos turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit & dispersit illos de gente in gentem.* Vel quia suo veneno inficit non solum audientium multitudinem, sed eorum nepotes, ad quos successivè per traducem devenit detractio: *Unus est detractor, qui loquitur & unum tantum verbum profert, & tamen illud unum verbum, uno in momento multitudinis audientium aures inficit, animas interficit: Velociter currens sermo tabe malitiæ suæ inficit ingentem multitudinem.* Vel quia detractio est *matrix in omne delictum.* Ut enim ait D. Chrysostomus, *quodnam mali genus est, quod non à detractione oriatur? Ex ea odia pullulant; ex ea dissidia ortum trahunt, suspiciones malæ hinc procreantur, quæ innumeris malis causam præbent: Denique quæcunque mala quisquam cogitatione complecti possit, omnia ea à detractione proficisci reperiet.*

Nonne post tot illata damna tenetur ex justitia detractor etiam cum sui honoris jactura satisfacere? *Super furem est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem.* Bene detractor comparatur furi: uterque enim

Tert. l. ad Mart. 4

Eccles. 41

Jacob. 3.

D. Anselm.

V. Beda.

Eccles. 28.

D. Bern. Ser. 24. in Cant.

Tert. l. de Pat. 5.

Hom. 3. ad Pop.

Eccles. 5

tollit & furatur in abſcondito: hic ſubſtantiam, ille famam, uterque pœna & confuſione mulctandus: attamen (majorem pœnam & confuſionem meretur ſuſurro, quam fur; quia fur tantum res furatur, ſuſurro famam boni nominis aufert, quæ melior eſt omni temporali poſſeſſione:) Tandem uterque ad reſtitutionem obligatur. Etenim (ſi fur tenetur ad reſtitutionem rei furatæ, quanto magis ſuſurro ad reſtitutionem famæ denigratæ?) inde concludit D. Bonav. Profecto (tenetur detractor ad reſtitutionem bonæ famæ quam abſtulit. Majus bonum aufert detractor quam raptor, & non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.) Viperam conſidera quæ poſt morſum ad aquam currit, quam niſi invenerit exſpirat. Idem accidit detractori qui poſt emiſſum linguæ venenum, ſi ad aquas pœnitentiæ non occurrit, illatumque damnum non reparat, æternæ mancipatur morti. Quapropter *ſi quis venenum detractionis aliorum auribus inſtillarit, ſi vox exciderit incauta famam alienam violatura, mox eadem hora ad aquam pœnitentiæ accurrat, detraxiſſe doleat, deinceps futurus cautior, atque ſi ullo modo poſſit, reſtituturus quæ lingua clanculum ademit: difficile hoc quidem, ſed neceſſarium, & melius eſt ablata reſtituere, quam cum ablatis perire.* Quatuor notatu digniſſima dicit D. Chryſoſtomus. 1. Detractor pœniteat, & aquis pœnitentiæ ſua ſcelera abluat. 2. Ablatam famam reſtituat, abſque hac reſtitutione, invalida eſt ſacramenti acceſſio. Furator interdum à reſtitutionis obligatione redimitur, ob nimiam qua gravatur paupertatem: detractor autem ſemper ad reſtitutionem famæ tenetur: quandiu vivit ad hoc obligatur, etiam imminente morte, quandiu linguæ habet uſum, poteſt & debet fateri ſe falſo inſontem calumniatum fuiſſe. *Nuſquam & nunquam excuſatur, quod Deus damnat.* 3. Quantũ fieri poteſt, quia impoſſibile eſt ut detractor reparare poſſit omne damnum, quod attulit: nam quomodo damnum quod attulit, vitæ naturali, vitæ ſpirituali, tot audientium quotũ animas gladio linguæ interemit; damnum quod attulit vitæ civili, tot in locis, tanto ſpatio, toties moraliter & civiliter interficiens innocuũ, quot ſunt homines apud quos illum diffamavit? nam quomodo præteritis, futuris, & longe à ſe diſtantibus, innocentiam læſi demonſtrabit? Eſto ut illos omnes adeat, cunctis ſe fateatur calumniatorem; incertum eſt an qui detractori crediderunt, reſtitutori fidem adhibeant; aut ſi credunt; remanet tamen in eorum mentibus aliqua malæ ſuſpicionis opinio. Quemadmodum nemo veſtem refecturus, eam ita priſtinæ reſtituit integritati, quin ruptura præcedens ſemper appareat, ita nec unquam ablata ſemel fama adeo perfecte reſtituitur, quin aliqua ex parte ſemper remaneat denigrata. Sicut nunquam ita ſanatur vulnus quin appareat in carne cicatrix, ita mens quæ ſemel præbuit conſenſum detractioni, nunquam ab hujuſmodi opinione ita ſanatur, quin aliqua remaneat impreſſio; & ut fatur modernus Auctor, (inter inſtrumenta vulnus infligentia, nullum habet adeo difficile remedium ac ſagittæ vulnus: nam ferrum ſagittæ profunde penetrat, & veneno infectum eſſe ſolet; unde cum vulnus facit nõ poteſt curari, niſi ſcindẽdo partem offenſam: periculoſas inciſiones;

Hug. Card

Hug. Card

D. Bon in Concil p 1 ſect. 13.

D. Chryſoſt. hom. 3. in Matth

Tert. l. de Spect. 20.

Apud Joſeph. Māſ. Biblior. ſac. diſcurſ. 12. de Detract.

siones, novasque aperturas requirit: sic qui famam linguâ læsam cupit reparare, & vulnus sanare, sæpè novam incisionem & læsuram facit.] Quàm infelix detractor, qui quantumvis velit, non potest tamen perfectè sanare vulnus quod fecit, nec totaliter reparare damnum quod attulit! Multò adhuc infelicior, qui facere restitutionem recusat, ne mendax & calumniator videatur: *Attende ne fortè labaris in lingua, & sit casus tuus insanabilis.* Eâdem sagittâ quâ detractor alios vult percutere, seipsum lethaliter percutit; & ut animadvertit D. Hieronymus expendens istud Davidicum: [Conversi sunt in arcum pravum;] *arcus pravus qui contra inimicos sagittas putatur jacere, sauciat jacientem*, seseque sagittâ veneno tinctâ insanabiliter ferit. *Plerique sagittis venenatis transfigunt cervos*, & immedicabile efficiunt vulnus. Idem detractori accidit, qui semetipsum sagittâ venenatâ saucians insanabile vulnus efficit, irremissibile peccatum contrahit, quia nolens restituere famam, in peccato vitam transit, in peccato moritur, & post mortem speciali pœnâ in inferno mulctatur. Eccles. 28 Ps. 77 D. Amb. L. de Noe & Arca c. 5

3. Dives epulo *dolet apud inferos, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua.* Dives epulo ultra pœnam damni, quæ summum ei affert dolorem, ultra pœnam sensûs ab igne divinæ justitiæ ministro, speciale in lingua patitur tormentum: *Attendite, fratres, totum corpus flammâ gehennæ consumitur, & sola lingua amplius cruciatur: ideò sine dubio in lingua majorem sentit ardorem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem.* Quapropter guttam aquæ expostulat ut refrigeret linguam, *quasi reliquum corporis ab incendio haberet immune; sed lingua plus ardet, qua, misericordia ut fieret, jubere neglexit. In lingua majus sentit incendium, qua maledixit pauperi, misericordiam contradixit: lingua in tormentis prima est, qua denegando pauperi, pauperis blasphemavit authorem.* Specialiter in lingua dives torquetur, quia linguâ specialiter peccaverat. Epuloni similis detractor trinâ pœnâ mulctandus est. Nam 1. sustinet pœnam damni, & Deo in æternum privatur: *Qui detrahit, eradicabitur, id est, à radice sua, qua Christus est, evellitur.* Pœna damni in separatione à Deo sita est. 2. Post resurrectionem pœnam sensûs patietur ab igne. Cujus exemplum memorabile refert Magnus Gregorius cujusdam Monialis. [Carnis continentiam habuit, sed linguæ procacitatem non declinavit: defuncta, atque in Ecclesia sepulta est: eâdem nocte custos ejusdem Ecclesiæ per revelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, & pars una illius igne cremabatur, & pars altera intacta remanebat. Cùmque hoc surgens manè Fratribus narrâsset, & locum ostenderet, in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio jam parte alterâ in marmoribus apparuit, ac si illic eadem fœmina igne corporeo fuisset concremata.] Nec minus stupendum, quod in Speculo Exemplorum refert Joannes major Societatis JESU Theologus de quodam Clerico detractioni obnoxio, absque pœnitentia fatofuncto, qui apparens amico, uti illi promiserat, dixit: [ipso mortis momento ad judicẽ ductus, eos omnes accusatores habui, quos detra- Tert. l. de An. 7 D. Aug. Serm. 217 de Temp. Chrysol. Serm. 66 Eufeb. Emiss. hom. ad pleb. obtrect. L. 4. Dialog. c. 51 Pag. 164

 ctio-

ctionibus infamavi. Heu! sententiam judex tulit tremendam: nam in æternum omnes detractores sagittis igneis sunt configendi, imò telorum fascibus quæ acervatim in innocentes ejaculati sunt, comburendi.] In obsidione Chalcedoniæ, ubi ad 50. millia hominum occubuerunt, Turcæ tantam in urbem sagittarum immiserunt copiam, ut cives eas colligendo, & in fasciculos colligendo, se ad mensem calefecerint. Non ad mensem, sed ad æternum comburentur detractores fascibus sagittarum, quas vibrârunt in proximos. Tandem in lingua speciale patientur detractores tormentum. Quos ideò hortatur Sapiens: *A detractione parcite linguæ.* Non dicit, ut adnotat D. Bonaventura, parcite proximo, sed parcite linguæ: quia, ut expendit Liranus, *lingua injuriatur, cùm ad proferendum sermonem applicatur, quia per hoc pœnam meretur;* etenim per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Cujus exemplum horrendum refert Cantipratensis, cujusdam sacerdotis detractioni dediti, qui ante mortem in furias incidit, propriisque dentibus suam linguam dilaceravit: *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit?* Quasi dicat, ait Liranus, [Valdè magna erit, quia post ruinam culpæ incurrent ruinam gehennæ.] Addit Hugo Cardinalis, [perdentur æternaliter.] Inde concludit D. Anselmus: *Summoperè cavendum est peccatum detractionis, quia fomes est tantæ perditionis*, à qua non solùm liberabuntur, qui benè de proximo loquuntur, sed etiam fratres laudando, Deum benedicendo cœlestem sibi comparabunt felicitatem.

Sap. 1

L. 2. c. 37
Prov. 24

L. Simil. 109

CONCIO QUARTA.

Tert. l. de Idol. 20
Laert. l. 1 c. 9
Plutarch. de garrulit.
Cap. 3

Conversatio divinæ disciplinæ non factis tantùm, verùm etiam dictis periclitatur; nam sicut scriptum est: Ecce homo & facta ejus, ita ex ore tuo justificaberis. Anacharsis interrogatus, quid in homine esset optimum, quid pessimum, respondit: Lingua. Bias quoque Regi Ægypti poscenti, quidnam in victima esset optimum & pessimum, linguam remisit, sapienter innuens, linguam si ratione regatur, esse optimum hominis membrum; pessimum verò, si passioni inserviat. Idipsum docet Jacobus Apostolus, qui postquam multis insecutus est linguam concludit: *In ipsa benedicimus Deum, in ipsa maledicimus homines: ex ipso ore procedit benedictio & maledictio.* Meritò Hermogenem pungit Tertullianus, quòd *maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicet.* Quod quàm sit falsum, evidenter patet; nam si Deus *vetat remaledicere, multomagis utique maledicere.* Non prohiberet autem maledictioné nisi esset illicita. Tantum abest ut sit officium bonæ conscientiæ, quinimò est officium malæ conscientiæ. Et maledicens 1. præcipuis Christiani dotibus denudatur. 2. diaboli spiritu animatur. 3. damnati officium negotiatur.

Lib. adv. Herm. 1
Tert. l. 4 adv. marc. 27

Deus

Deus affirmans *manere eos omnis vani & supervacui dicti reatum* : à fortiori criminosos judicat , quos maledictionis reos conspicit. Quis de hoc possit dubitare ? *Cùm Dominus homicidium etiam in verbo maledicti, vel convitij judicat*, nonne à maledictione abstinendum est ? Christiane *si lingua amaritudo maledicto aut convitio eruperit*; maledicta vibrans, scias te esse alienum à Christiana 1. religione. 2. conversatione. 3. dilectione. I.PARS. Tert. l. de Pat. 8 Tert. l. de Idol. 2 Tert. l. de Pat. 8

1. *Gentes ferocissima* idololatræ. Nec mirum, quia feroces venerantur deos, scilicet Martem crudelem, post vindictam bella, sanguinem & cædes anhelantem; Saturnum immitem, qui *proprijs filijs non pepercit*: Jovem quoque *solum patris filium de crudelitate*. Gentiles in errore versantes, ante oculos falsorum numinum crudelitatem habentes, & ipsi sæviebant. Ut enim philosophatur Tertullianus : *Facile erat absente Domino patientia & magistro, qui postquam supervenit, & gratiam fidei patientia composuit, jam nec verbo quidem lacessere, ne fatue quidem dicere sine judicij periculo licet.* Christiani fide illustrati, in maledictiones & imprecationes prorumpentes, ethnicorum more vivunt, Christiani nomen indignè ferunt, quod *nihil barbarum sonat, aut infaustum, aut maledicum.* Quia, ut subjungit Tertullianus, *de suavitate & benignitate compositum est.* Sicut Christus benignitatis est nomen, quia à crismate est nuncupatus : ita *Christianus, quantum interpretatio est, de unctione deducitur.* Benignitatem quoque in suis motibus & sermonibus debet præ se ferre, ut suo respondeat nomini, sitque particeps mititatis, quam Christus verbo & exemplo docet. Ad Christianam illam mansuetudinem fideles hortatur Apostolus: *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines*; non solùm ad extraneos, sed etiam ad domesticos : neque duntaxat facto, sed etiam verbo, vitantes maledictionis & imprecationis verba , quæ Christianam dedecent religionem. Nam si hujus vana est religio , qui non frænat linguam suam, quantomagis qui in famulos & ancillas , filios & filias continua vibrat convitia , quæ Christianæ disciplinæ non conveniunt ? *Si percussero maledicto, quomodo locutus inveniar doctrinam Domini, qua traditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari?* Christiane, si juxta Domini doctrinam loqui desideras, nullatenus maledicas, sed *aurum tuum & argentum tuum consla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Quæ verba sic explicat D. Ambrosius: [Possessio tua, mens tua est; argentum tuum, eloquium tuum est: jugum sit verbis tuis, & statera, hoc est, humilitas atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit ; restringatur habenæ vinculis , frœnos habeat suos, quibus revocari possit, ad mensuram sermones proferat , libra examinet os justitiæ , ut sit gravitas in actu, in sermone pondus , atque in verbis modus. Hæc si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus , modestus.] Maledicus ad mensuram non profert sermones suos , os suum libra justitiæ non examinat , nullum in verbis servat modum , sed absque modestia, gravitate, mititate , & mansuetudine contumeliosè & injuriosè loquitur , nec conservat aurum suum , argentum suum,

Tert. l. 1 adv. Marc. 1. Tert. Apol: 8 Tertull. L. de Pat. 6. Tert: Apol. 3 Tertull. Ad Tit. 3 Tert. l. de Pat. 8 Eccles. 18 L. 1. Offic. 3.

Tert. l. 2 ad Ux. 5 suum, margaritas suas, quæ sunt, *quotidianæ conversationis insignia*, quibus despoliatur vivens absque Christiana conversatione.

Tert. l. de An. 2 2. *Etiam quod benedictio inter nos, summum disciplinæ, & conversationis sacramentum.* Sic fantur veri Christiani apud Tertullianum. Benedicere idem est ac benè, seù bona dicere; unde ille benedicit qui bonâ & gratâ linguâ bona & grata loquitur. Hujusmodi benedictio habebatur olim apud Christianos velut cònversationis sacramentum: tum quia sicut Sacramentum est signum visibile gratiæ insensibilis, sic linguæ benedictio est index boni animi, imago recti cordis, *quid velit cor, lingua testatur*: tum quia sicut Sacramenta specialem largiuntur gratiam ad superandas difficultates rebus innatas; sic Confirmatio confert gratiam, quæ roborat fideles adversus tyrannorum persecutiones; sic Matrimonium largitur gratias, quæ sublevant ærumnas statui conjugali annexas. Eodem modo benedictio, seu benevolentia est quasi quoddam naturale sacramentum, quo naturalis confertur gratia ad tutò conversandum, aliorumque captandam benevolentiam: *Verbum dulce multiplicat amicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Tum maximè quia sicut Sacramentum distinguit fideles ab infidelibus, sic benedictio veros Christianos à fictitiis & simulatis Christianis discriminat, scilicet *prohibita lingua, restricti animi, exemptum linguæ venenum, dicente Christo: Maledicentibus benedicite.* Simulatus, non verus Christianus, maledicus, animum non moderans, iram non prohibens, linguæ venenum effundens, profanans conversationis sacramentum, & Christianæ dilectioni renuntians.

D. Aug. Præf. in Ps. 3

Eccl. l. 6

Tert. l. de Pat. 6

Tert. l. de Pat. 12 3. *Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus.* Christiana disciplina potissimum in dilectione sita est, quæ ideò dicitur summum fidei sacramentum, fideles ab infidelibus discriminans: & quia cœlestibus gazis opulenter ditat Christianos, nuncupatur Christiani nominis thesaurus, quem suo sanguine meruit Christus, & largitur Spiritus sanctus semetipsum benignè infundens cordibus eorum, quos suâ gratiâ nobilitat: at non in animis irâ & animadversione exagitatis residet divinus amor. Siquidem charitas *sedet in throno spiritus ejus mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est tenera serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Helias.* Helias profugus, Jesabelis iras declinans, in vasto spelæo latitans, vindictæ zelo excandescens, cui dixit Dominus: Egredere, & sta coram Domino; & ecce Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras: Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, quo docebatur Propheta ad vindictam turbatior & concitatior mitius agere, Spiritûs sancti instinctu, qui est mitissimus & mansuetissimus, cunctos erudiens in Elia Christianos: *Deus præcepit Spiritum sanctum, utpote pro natura sua bono tenerum ac delicatum, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare, non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare.* Non immeritò Spiri-

Tert. l. de Pat. 15

3. Reg. 19

Tert. l. de Spect. 15

Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, scilicet ut linguas igne charitatis accenderet. Maledicus Spiritum sanctum malè tractat, quia eum à suo corde & lingua fugat, non habens dilectionem nec in anima, nec in lingua; sed totus igne inferni succensus, verba maledictionis & imprecationis propalat: Dæmon, qui ejus cor possidet, linguam quoque occupat: *Undique nobis insidias dæmon præparare consuevit, sed facilius linguâ & ore peccante; nullum enim æquè congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati.* Quomodo non peccaret maledicus, qui ad maledicendum spiritu diaboli animatur? D Chry. sost. hom. ad B.ptiz.

Habes Psalmum: Benedicite, & nolite maledicere. Quis hoc docebit, quàm qui omnia benedictionibus condidit? Deus hominibus vetat maledicere, eosque dicto & exemplo ad benedicendum stimulat; multi tamen *saltem linguâ semper recelles* Deo denegant obsequium, tantum abest, ut benedicendo Deum imitentur, quin potius maledicendo diabolum æmulantur. *Agnoscamus ingenia diaboli,* & inveniemus maledicentium ingenium, qui dæmonis spiritu animati maledicta ejaculantur ex 1. impatientia. 2. iracundia. 3. malitia. II. PARS. Tert. l. s. adv. Marc. 4 Tert. Apol. 17 Tert. l. de Cor. mil. 15

1. *Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo.* Impatiens fuit diabolus in cœlo, & in terra. In cœlo, impatienter ferens humanationem Verbi futuram, neque pacato animo sustinens quòd Deus humanam naturam præferret angelicæ, fieretque potius homo, quàm Angelus. Impatiens quoque fuit in terra, ægrè tolerans collatum à Deo homini in creaturas imperium. Homo quoque ex impatientia ad maledictiones fertur, præsertim quando aliquod temporale patitur damnum. Nam *qui damni impatientiâ concitatur, spiritum quem a Deo sumpsit, secularis rei gratia concutit.* Quantumvis à Deo sit edoctus cœlestia longè esse terrenis anteponenda, non esse multum dolendum de fortunæ bonis, quæ persæpè sunt impedimentum salutis; attamen dum aliqua illi temporalis evenit jactura, in maledictiones & imprecationes effunditur: *Caterùm impatientia in hujusmodi & spei nostræ malè ominatur, & fidem prævaricatur.* Spei malè ominatur: tum quia nimia terrenorum affectio denotat, se dubitare de æternis; tum quia peccando cœlestium spem amittit. Fidem quoque prævaricatur: tum quia Deo prohibenti maledicta non obsequitur; tum quia de Dei doctrina non proficit qui non vult multum esse de temporalibus curandum; tum quia juxta disciplinam Christianam non vivit, quæ tota est in contemptu terrenorum. *Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam animæ anteponant.* At proh dolor! Christianus in Dei schola eruditus fidei lumine illustratus, Dei dedignans doctrinam, quam profitetur, contemnens disciplinam; maledicit terræ, quæ non uberes produxit segetes; maledicit mari, in quo naves naufragârunt; maledicit domesticis, qui aliquod vas fregerunt, & *tota oris contumeliâ mugit*; in continua convitia ex impatientia & iracundia prorumpit. Tert. l. de Pat. 4 Tert. l. de Pat. 7 Tert. l. de Pat. 9 Tert. l. de Pat. 7. Tert. l. de Pat. 4

2. Bellè diabolus dicitur draco rufus habens iram magnam, qua fœcundavit Evam: *Nam statim illa semine diaboli concepta, iram filium procreavit,* Tert. l. de Pat. 5

editum suis artibus erudivit. In diaboli Academia eruditus iracundus, maledictiones vibrat: *Prima enim semper irarum tela maledicta sunt, & quidquid non possumus imbecilli, optamus irati; ac sic in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur.* Fœminæ quò magis sunt imbecilles, eò facilius concitantur ad iram, feriuntque linguâ quos manu percutere non possunt. Multi quoque homines *prout quid in ingratiam cecidit, semetipsos exsecrantur*; uxores conviciis afficiunt, filiis maledicunt, multaque alia efficiunt irati, *quodsi Dei ac per hoc quoque rationis compotes agerent*, minimè efficerent. Nulla est passio ita contraria rationi, ac iracundia. Homines irati *à ratione tantum absunt, quantum ab ipso rationis authore.* Hos velut infantes vagientes considerat Philosophus Moralis: *Non conviciari vos putabo, sed vagire velut infantes miserrimos.* Quod est vagitus infantibus, hoc est adultis maledicentia. Infantes ex ira vagiunt, obstrepunt, inquietant, cunctos qui sunt in domo, vagitu feriunt. Non absimiliter homines irati cunctos suis conviciis & maledictis feriunt: *Ex eo itaque itur in furias, & animos, & discordias: inde maledicta, convitia sine justitia odij*; innocuos æquè ac criminosos feriunt, nulli parcit lingua maledica, omnes insequitur ex malitia.

(Salv. l. 3 de guber. Dei. — Tert. l. de Pœnit. — Tert. ibid. — Seneca l. de B. Vit. c. 16 — Tert. l. de Spect. 16)

3. *Diabolo semper operante & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia.* Multi homines diaboli spiritu animati ex malitia *dictum protervum aut nequam* proferunt: cunctis namque Dei creaturis maledicunt. Hominibus, quos *omni contumeliâ* prosequuntur; pecudibus, creaturisque inanimatis, quas diris & dæmonibus devovent; semetipsis interitum exoptant, dæmonibus, quos execrationibus pulsant: *Iam vulgus indoctum, dæmonas in usum maledicti pronuntiat*: ipsi quoque Deo, quem Sancti in cœlo continuis decantant laudibus, & quem homines in terra suis sermonibus commendare tenentur, *planè benedici Deum omni loco & tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine*: proprius enim finis oris, verus linguæ usus, est benedicere & laudare Deum: *Sed accepisti homo, os, ad vorandum atque potandum, cur non potius ad eloquendum, ut à cæteris animalibus distes? cur non potius ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antistes?* Ultra hanc rationem à natura hominis desumptam, ad rectum usum linguæ urgetur adhuc Christianus, ex consideratione honoris quem consecutum est os à mysteriis Religionis: *Os habes spirituale, obsignatum Spiritu sancto. Cogita quæ sit oris tui dignitas: Patrem vocas Deum, & fratrem mox vituperas? Cogita quâ mensâ dignatum sit os tuum, qua contingat, quæ degustet, quo cibo fruatur: Perpende cum quibus tempore mysteriorum adstes, nempe cum Cherubim, cum Seraphim: Seraphim neminem vituperant, sed unus & idem usus ora illorum adimplet, nempe benedicendi & glorificandi Deum: quomodo ergo potes cum illis dicere, Sanctus, Sanctus, quid ore tuo ad vituperium abuteris?* Indignus est hominis titulo, qui abutitur linguâ ad maledicendum. Portentum est in Religione Christianus adversus fratres suos ipsumque Deum os suum armans. Ve-

(Tert. l. de vel virg. 1 — Tert. l. de Pat. 8 — Tert. l. ad Mart. 5 — Tert. Apol. 22 — Tert. l. de Orat. 3 — Tert. l. de Res. 61 — D. Chrysost. Hom. 14 in ep. ad Ephes.)

rus Christianus *oris honorem* benedicendo demonstrat, quemadmodum qui ore benè utuntur, etiam in lingua remunerantur, ut constat ex multis Martyribus, qui linguis ob fidei confessionem abscissis Deum laudabant non secus ac si non fuissent excisæ linguæ. Patet etiam ex S. Antonio Paduano, cujus lingua, quâ tot homines concionando ad Deum converterat, anno trigesimo secundo ab ejus morte ita incorrupta, recens, & rubicunda inventa est, ut D. Bonaventura tunc temporis Generalis Minister eam assumens, deosculans, & lacrymans in hæc verba proruperit: *O lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, aliosq; benedicere docuisti! nunc liquet quàm grata ei fueris, quantiq; apud eum meriti.* Sic honorantur in lingua qui ad Deum proximumque benedicendum illâ probè utuntur. Impiè Christiane, cùm linguâ tuâ adversus Deum & proximum abuteris, *cùm in maledictum convertis benedictionem*, oris honorem dedecoras, naturam simul & religionem offendis. Nam, ut subjungit Tertullianus, naturaliter etiam, *Benedicat te Deus, tam facilè pronuntias quàm Christiano necesse est*, merearisque in tua lingua tuæ maledictionis luere pœnas, ad instar impii Nestorii, qui maledicens Deo, ejusque Matri, asseveransq; Christum non esse Deum, neque Mariam Deiparam, sed Christiparam, lingua ejus à vermibus corrosa & exesa fuit. Bellè dixit olim ille Sapiens: *lingua fortuna, lingua dæmon*; quia ut fatur Sapiens: *Mors & vita in manibus linguæ*; ex recto etenim linguæ usu comparatur vita, ex linguæ abusu accersitur mors, & maledicens damnati officium negotiatur.

Tert. l. de Res. 61 — Tert. l. de Test. An. 2 — Evag. l. 1 c. 2 — Plutarch. — Prov. 18

Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet. Hunc optimum sermonem semper in ore suo versabat Regius Vates: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Hunc optimum sermonem exoptabat D. Augustinus sic Deum alloquens: *Laudet te cor meum, & lingua mea, & ossa mea dicant: Quis similis tibi?* Hoc optimo sermone Beati in cœlo indesinenter Dei laudes decantant, dicentes: *Benedictio, & claritas, & gratiarum actio Deo nostro in sæcula sæculorum.* Cœlestes quoque spiritus continuò Dei magnalia prædicant: *Illa Angelorum circumstantia non cessant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Optimum sermonem in ore non habent, non benedicentes Deum & proximum, sed suis maledictionibus sese inhumanos in fratres, irreligiosos in Deum, & in semetipsos crudeles demonstrant. Inhumani sunt in fratres, quos odio persequuntur, & improperiis affligunt: irreligiosi in Deum; nam *si non laudaverint servi dominum, ingrati, irreligiosi erunt*: crudeles in semetipsos; nam ut subjungit D. Augustinus, *quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum?* Quod si ille, qui Dominum non laudat, meretur pœnam, quantò magis qui Dominum maledicit? Qui est hujusmodi, 1. cœlesti beatitudine privatur. 2. in inferno interminabili pœnâ mulctatur. 3. in terra adhuc existens præproperè damnati officium negotiatur.

III. PARS — Tert. l. adv. Marc. 14 — Ps. 33 — L. 9. Conf. 1. — Apoc. 7 — Tert. l. de Orat. 3 — D. Aug. in Ps. 134

1. *Nusquam & nunquam licet quod semper & ubique non licet*: Maledi-

Tert. l. de Spect. 20

ctio neque in cœlo, neque in terra est licita. Non in cœlo, quod est locus perpetuæ benedictionis; neque in terra, quia Deus maledictionem prohibet: *Deus etiam cum causa maledicere non sinit, qui maledicentibus benedici præcipit.* Præcepto affirmativo benedictionem præcipit Deus, præcepto negativo vetat maledictionem, execrator neutrum adimplet mandatum. Non affirmativum, quia non benedicit; non negativum, quia maledicit. Sicut autem observanti divina mandata cœlestis debetur beatitudo, ita transgredienti denegatur. Quod ex duobus latronibus cum Christo crucifixis comprobatur. Malus latro Christo improperans, paradisum non obtinuit; bonus verò latro Christum recognoscens & confitens præmiatus est, ex ore dominico audiens: *Hodie mecum eris in paradiso.* Idem accidit benedicentibus & maledicentibus. Benedicentes Deum & proximum in præmium benedictionis comparant sibi cœlum; quapropter postquam Regius Vates deprecatus est: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* statim à Deo edoctus respondet: *Qui opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Maledicentes verò Deum & homines, *Expellit eos Dominus de paradiso.* Neque solùm à paradiso expellit, sed adhuc eos in inferno punit, juxta imprecationes quibus maledicentes & imprecantes onerat Propheta: *Erubescant impij, & deducantur in infernum; muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatē, in superbia & in abusione.* Suâ namque linguâ abutentes, maledictiones & imprecationes ex malitia ejaculantes, in inferno cruciantur.

Tert. l. de Spect. 16. — Luc. 13. — Ps. 14. — D. Aug. Serm. 26 ad Frat. — Ps. 30.

2. *Quod ab æmulo Dei conceptum est, utique non est amicum Dei rebus: eadem discordia est rerum, quæ & auctorum.* Maledictio & imprecatio à diabolo habuit exordium, proinde Deo odiosa, hominibusque qui Deum diligunt: *Contumeliosa verba non aliud quàm diabolica semina reputentur à nobis, & ea tanquam venena tartarea semper vitemus.* Benedictio autem Deum habet auctorem: *Jam hoc ipsum quod à benedictionibus cœpit, Creatoris est, qui universa prout edidit, nullâ aliâ voce quàm benedictionibus dedicavit.* Diabolus venenatæ suæ linguæ & maledicentiæ luit pœnas: *Videte Fratres, quanta mala habet lingua: in bono magna est, in malo mors est. Diabolus unde cecidit, nunquid furtum fecit? nunquid adulterium fecit? nunquid homicidium fecit? diabolus non propter hoc cecidit, sed propter linguam.* Propter linguam adhuc punitur in inferno maledicens; nam si qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis: nonne meretur gehennam ignis, qui crebra & diabolica convitia proximo suo improperat? Quàm condignam & terribilem pœnam maledicenti annunciat Vates Regius dicens: *Propterea Deus destruet te in finem*, id est, ut animadvertit S. Bernardinus Senensis, *irrevocabiliter. Et in hoc denotatur destructio æternalis, quæ sine fine erit*; quam patietur maledictiones vibrans, qui præproperè in hoc seculo damnati officium negotiatur.

Tert. lib. de Pat. 5. — Diō. Cart. Ser. 6. in Fest. S. Andr. — Tert. l. 4. adv. Marc. 14. — D. Aug. Ser. 45. ad Frat. — Matth. 5. — Ps. 51. — Tom. 1. Ser. 29. a. 2. c. 2.

3. *Proinde igitur & nos Angelorum, si meminerimus candidati, jam hinc cœlestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediscimus.* Angeli indesinenter Deum benedicunt & laudant, homines Angelorum can-

Tert. l. de Orat. 3.

candidati, quia virtute baptiſmatis jus habent ad beatitudinem qua fruuntur Angeli, officium futuræ claritatis didicerunt, nimirum divinas decantandas laudes, ad quod ad Dei imaginem creati ſunt, & ad Chriſtianam diſciplinam vocati ſunt. Verum imprecator Chriſtianam diſciplinam dediſcens, & contra propoſitum ſibi finem agens, non beatorum, ſed damnatorum officium æmulatur. *Cum enim lingua hominis ad benedicendum ſit creata, ille eam æqualem ſerpenti facit, dum virtutibus ejus in perverſum abutitur.* Ex loquela qua quis loquitur, dignoſcitur ex qua regione ſit oriundus; aliter enim loquuntur Germani, aliter Hiſpani, aliter Galli. Sicut autem Petrus ex ſermone agnitus fuit, cui dixit ancilla: *Galilæus es, nam & loquela tua manifeſtum te facit*: ita imprecator & maledicus, ex ſua loquela denotat ad quam regionem pertineat. *Tres ſane reſpublicas agnoſcimus, ad quas omnes habitatores reducuntur,* quarum quælibet habet linguam ſibi propriam, ſcilicet cœlum, infernum, & terram. In cœlo non habitant, niſi beati; in inferno commorantur damnati; in terra converſantur boni & mali, qui futuri ſunt cives vel cœli, vel inferni. Loquela Beatorum ſunt benedictiones, laudes, gratiarum actiones, orationes, & quidquid *benedictionis vice fungitur*. Loquela damnatorum ſunt juges imprecationes, & maledictiones quas vibrant in Deum, in ſemetipſos, in dæmones, in homines: idcirco infernus nuncupatur à Petro Damiano, *terra maledictionis*. Videant Chriſtiani in terra degentes, quanam loquantur lingua: ſi verba benedictionis in ore habeant, lingua beatorum loquuntur, eſtque fœlix auſpicium, quod aliquando cœlum habitabunt; at ſi ſermones maledictionis & increpationis teneant, lingua loquuntur damnatorum, eſtque infauſtum omen, quod aliquando projicientur in infernum, ut æternaliter loquantur lingua, quam didicerunt in hoc ſæculo: Chriſtiane ſi vis inferni vitare ſupplicia, ne loquaris lingua damnatorum: ſi vis cœleſtem poſſidere gloriam, loquere lingua beatorum: *Propoſuit Deus mercedem, vitam, & dies bonos. Dies boni, vita ſine fine, requies ſine labore; in tanta mercede propoſita non juſſit onera gravia portare, nec aliquam machinam erigere vel fodere: non juſſit rem laborioſam, ſed membrum quod inter omnia membra cito moves, ipſum tibi cohibere præcipit: Cohibe linguam tuam à malo. Non eſt labor erigere fabricam, & labor eſt tenere linguam: Cohibe linguam tuam à malo; noli loqui mendacium, noli loqui criminationes, noli loqui calumnias, noli loqui falſa teſtimonia, noli loqui blaſphemias:* noli loqui convitia, imprecationes, & maledicta, ſed benedictiones, & dicito cum Vate Regio, *Benedic anima mea Dominum.* Ubi D. Auguſtinus: *Finis illius Pſalmi concordat cum ſuo principio, benedictio à capite, benedictio in fine: à benedictione profecti ſumus, ad benedictionem redeamus, in benedictione regnemus* cum Sanctis, qui cœleſtem rempublicam componunt.

Alcuin. in c. 10. Eccleſ.

D. Aug. in Pſ. 108.

Tert. l. de Orat. 3.

Serm. 60

D. Aug. Ser. 39. de Verb. Dõ.

Pſ. 33.

In Pſ. 102.

tollit & furatur in abscondito: hic substantiam, ille famam, uterque pœna & confusione mulctandus: attamen (majorem pœnam & confusionem meretur susurro, quam fur; quia fur tantum res furatur, susurro famam boni nominis aufert, quæ melior est omni temporali possessione:) Tandem uterque ad restitutionem obligatur. Etenim (si fur tenetur ad restitutionem rei furatæ, quanto magis susurro ad restitutionem famæ denigratæ?) inde concludit D. Bonav. Profecto (tenetur detractor ad restitutionem bonæ famæ quam abstulit. Majus bonum aufert detractor quam raptor, & non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.) Viperam considera quæ post morsum ad aquam currit, quam nisi invenerit exspirat. Idem accidit detractori qui post emissum linguæ venenum, si ad aquas pœnitentiæ non occurrit, illatumque damnum non reparat, æternæ mancipatur morti. Quapropter *si quis venenum detractionis aliorum auribus instillarit, si vox exciderit incauta famam alienam violatura, mox eadem hora ad aquam pœnitentiæ accurrat, detraxisse doleat, deinceps futurus cautior, atque si ullo modo possit, restituturus quæ lingua clanculum ademit: difficile hoc quidem, sed necessarium, & melius est ablata restituere, quam cum ablatis perire.* Quatuor notatu dignissima dicit D. Chrysostomus. 1. Detractor pœniteat, & aquis pœnitentiæ sua scelera abluat. 2. Ablatam famam restituat, absque hac restitutione, invalida est sacramenti accessio. Furator interdum à restitutionis obligatione redimitur, ob nimiam qua gravatur paupertatem: detractor autem semper ad restitutionem famæ tenetur: quandiu vivit ad hoc obligatur, etiam imminente morte, quandiu linguæ habet usum, potest & debet fateri se falso insontem calumniatum fuisse. *Nusquam & nunquam excusatur, quod Deus damnat.* 3. Quantū fieri potest, quia impossibile est ut detractor reparare possit omne damnum, quod attulit: nam quomodo damnum quod attulit, vitæ naturali, vitæ spirituali, tot audientium quorū animas gladio linguæ interemit; damnum quod attulit vitæ civili, tot in locis, tanto spatio, toties moraliter & civiliter interficiens innocuū, quot sunt homines apud quos illum diffamavit? nam quomodo præteritis, futuris, & longe à se distantibus, innocentiam læsi demonstrabit? Esto ut illos omnes adeat, cunctis se fateatur calumniatorem; incertum est an qui detractori crediderunt, restitutori fidem adhibeant; aut si credunt; remanet tamen in eorum mentibus aliqua malæ suspicionis opinio. Quemadmodum nemo vestem refecturus, eam ita pristinæ restituit integritati, quin ruptura præcedens semper appareat, ita nec unquam ablata semel fama adeo perfecte restituitur, quin aliqua ex parte semper remaneat denigrata. Sicut nunquam ita sanatur vulnus quin appareat in carne cicatrix, ita mens quæ semel præbuit consensum detractioni, nunquam ab hujusmodi opinione ita sanatur, quin aliqua remaneat impressio; & ut fatur modernus Auctor, (inter instrumenta vulnus infligentia, nullum habet adeo difficile remedium ac sagittæ vulnus: nam ferrum sagittæ profunde penetrat, & veneno infectum esse solet; unde cum vulnus facit nō potest curari, nisi scindēdo partem offensam: periculosas incisiones;

Hug. Card

Hug. Card

D. Bon in Concil p 1 sect. 13.

D. Chrysost. hom. 3. in Matth

Tert. l. de Spect. 20.

Apud Joseph. Masc. Biblior. sac. discurs. 11. de Detract.

siones, novasque aperturas requirit: sic qui famam linguâ læsam cupit reparare, & vulnus sanare, sæpè novam incisionem & læsuram facit.] Quàm infelix detractor, qui quantumvis velit, non potest tamen perfectè sanare vulnus quod fecit, nec totaliter reparare damnum quod attulit! Multò adhuc infelicior, qui facere restitutionem recusat, ne mendax & calumniator videatur: *Attende ne fortè labaris in lingua, & sit casus tuus insanabilis.* Eâdem sagittâ quâ detractor alios vult percutere, seipsum lethaliter percutit; & ut animadvertit D Hieronymus expendens istud Davidicum: [Conversi sunt in arcum pravum;] *arcus pravus qui contra inimicos sagittas putatur jacere, sauciat jacientem*, sesèque sagittâ veneno tinctâ insanabiliter ferit. *Plerique sagittis venenatis transfigunt cervos*, & immedicabile efficiunt vulnus. Idem detractori accidit, qui semetipsum sagittâ venenatâ saucians insanabile vulnus efficit, irremissibile peccatum contrahit, quia nolens restituere famam, in peccato vitam transit, in peccato moritur, & post mortem speciali pœnâ in inferno mulctatur.

Eccles. 28

Ps. 77

D. Amb. l. de Noe & Arca c. 5

3. Dives epulo *dolet apud inferos, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua.* Dives epulo ultra pœnam damni, quæ summum ei affert dolorem, ultra pœnam sensûs ab igne divinæ justitiæ ministro, speciale in lingua patitur tormentum: *Attendite, fratres, totum corpus flammâ gehennæ consumitur, & sola lingua amplius cruciatur: ideò sine dubio in lingua majorem sentit ardorem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem.* Quapropter guttam aquæ expostulat ut refrigeret linguam, *quasi reliquum corporis ab incendio haberet immune; sed lingua plus ardet, quæ, misericordia ut fieret, jubere neglexit. In lingua majus sentit incendium, quâ maledixit pauperi, misericordiam contradixit: lingua in tormentis prima est, quæ denegando pauperi, pauperis blasphemavit authorem.* Specialiter in lingua dives torquetur, quia linguâ specialiter peccaverat. Epuloni similis detractor trinâ pœnâ mulctandus est. Nam 1. sustinet pœnam damni, & Deo in æternum privatur: *Qui detrahit, eradicabitur, id est, à radice sua, qua Christus est, evellitur.* Pœna damni in separatione à Deo sita est. 2. Post resurrectionem pœnam sensûs patietur ab igne. Cujus exemplum memorabile refert Magnus Gregorius cujusdam Monialis. [Carnis continentiam habuit, sed linguæ procacitatem non declinavit: defuncta, atque in Ecclesia sepulta est: eâdem nocte custos ejusdem Ecclesiæ per revelationem vidit, quia deducta ante sacrum altare per medium secabatur, & pars una illius igne cremabatur, & pars altera intacta remanebat. Cùmque hoc surgens manè Fratribus narrâsset, & locum ostenderet, in quo fuerat igne consumpta, ipsa flammæ combustio jam parte alterâ in marmoribus apparuit, ac si illic eadem fœmina igne corporeo fuisset concremata.] Nec minus stupendum, quod in Speculo Exemplorum refert Joannes major Societatis Jesu Theologus de quodam Clerico detractioni obnoxio, absque pœnitentia fato functo, qui apparens amico, uti illi promiserat, dixit: [ipso mortis momento ad judicem ductus, eos omnes accusatores habui, quos detra-

Tert. l. de An. 7

D. Aug. Serm. 217 de Temp.

Chrysol. Serm. 66

Euseb. Emiss. hom. ad pleb. obtrect.

L. 4. Dialog. c. 51

Pag. 164

Deus affirmans *manere eos omnis vani & supervacui dicti reatum* : à fortiori criminosos judicat , quos maledictionis reos conspicit. Quis de hoc possit dubitare? *Cùm Dominus homicidium etiam in verbo maledicti, vel convitij judicat*, nonne à maledictione abstinendum est? Christiane *si lingua amaritudo maledicto aut convitio eruperit*; maledicta vibrans, scias te esse alienum à Christiana 1. religione. 2. conversatione. 3. dilectione. I. PARS. Tert. l. de Pat. 8 Tert. l. de Idol. 2 Tert. l. de Pat. 8

1. *Gentes ferocissima* idololatræ. Nec mirum, quia feroces venerantur deos, scilicet Martem crudelem, post vindictam bella, sanguinem & cædes anhelantem; Saturnum immitem, qui *proprijs filijs non pepercit*: Jovem quoque *solum patris filium de crudelitate*. Gentiles in errore versantes, ante oculos falsorum numinum crudelitatem habentes, & ipsi sæviebant. Ut enim philosophatur Tertullianus: *Facile erat absente Domino patientia & magistro, qui postquam supervenit, & gratiam fidei patientia composuit, jam nec verbo quidem lacessere, ne fatue quidem dicere sine judicij periculo licet.* Christiani fide illustrati, in maledictiones & imprecationes prorumpentes, ethnicorum more vivunt, Christiani nomen indignè ferunt, quod *nihil barbarum sonat, aut infaustum, aut maledicum*. Quia, ut subjungit Tertullianus, *de suavitate & benignitate compositum est*. Sicut Christus benignitatis est nomen, quia à crismate est nuncupatus: ita *Christianus, quantum interpretatio est, de unctione deducitur*. Benignitatem quoque in suis moribus & sermonibus debet præ se ferre, ut suo respondeat nomini, sitque particeps mititatis, quam Christus verbo & exemplo docet. Ad Christianam illam mansuetudinem fideles hortatur Apostolus: *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines*; non solùm ad extraneos, sed etiam ad domesticos: neque duntaxat facto, sed etiam verbo, vitantes maledictionis & imprecationis verba , quæ Christianam dedecent religionem. Nam si hujus vana est religio , qui non frænat linguam suam, quantomagis qui in famulos & ancillas, filios & filias continua vibrat convitia , quæ Christianæ disciplinæ non conveniunt? *Si percussero maledicto, quomodo locutus inveniar doctrinam Domini, qua traditum est, non vasculorum inquinamentis, sed eorum quæ ex ore promuntur, hominem communicari*? Christiane, si juxta Domini doctrinam loqui desideras, nullatenus maledicas, sed *aurum tuum & argentum tuum consla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Quæ verba sic explicat D. Ambrosius: [Possessio tua, mens tua est; argentum tuum, eloquium tuum est: jugum sit verbis tuis, & statera, hoc est, humilitas atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit ; restringatur habenæ vinculis , frænos habeat suos, quibus revocari possit, ad mensuram sermones proferat , libra examinet os justitiæ , ut sit gravitas in actu, in sermone pondus, atque in verbis modus. Hæc si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus, modestus.] Maledicus ad mensuram non profert sermones suos , os suum libra justitiæ non examinat , nullum in verbis servat modum , sed absque modestia, gravitate, mititate, & mansuetudine contumeliosè & injuriosè loquitur , nec conservat aurum suum , argentum suum,

Tert. l. 1 adv. marc. 1. Tert. Apol: 8 Tertull. L. de Pat. 6. Tert: Apol. 3 Tertull. Ad Tit. 3 Tert. l. de Pat. 8 Eccles. 18 L. 1. Offic. 3.

Tert. l. 2 ad Ux. 5 suum, margaritas suas, quæ sunt, *quotidianæ conversationis insignia*, quibus despoliatur vivens absque Christiana conversatione.

Tert. l. de An. 2 2. *Etiam quod benedictio inter nos, summum disciplinæ, & conversationis sacramentum.* Sic fantur veri Christiani apud Tertullianum. Benedicere idem est ac benè, seu bona dicere, unde ille benedicit qui bonâ & gratâ linguâ bona & grata loquitur. Hujusmodi benedictio habebatur olim apud Christianos velut cònversationis sacramentum: tum quia sicut Sacramentum est signum visibile gratiæ insensibilis, sic linguæ benedictio est index boni animi, imago recti cordis, *quid velit cor, lingua testatur*: tum quia sicut Sacramenta specialem largiuntur gratiam ad superandas difficultates rebus innatas; sic Confirmatio confert gratiam, quæ roborat fideles adversus tyrannorum persecutiones; sic Matrimonium largitur gratias, quæ sublevant ærumnas statui conjugali annexas. Eodem modo benedictio, seu benevolentia est quasi quoddam naturale sacramentum, quo naturalis confertur gratia ad tutò conversandum, aliorumque captandam benevolentiam: *Verbum dulce multiplicat amicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Tum maximè quia sicut Sacramentum distinguit fideles ab infidelibus, sic benedictio veros Christianos à fictitiis & simulatis Christianis discriminat, scilicet *prohibita lingua, restricti animi, exemptum linguæ venenum, dicente Christo: Maledicentibus benedicite.* Simulatus, non verus Christianus, maledicus, animum non moderans, iram non prohibens, linguæ venenum effundens, profanans conversationis sacramentum, & Christianæ dilectioni renuntians.

D. Aug. Præf. in Ps. 3

Eccl. l. 6

Tert. l. de Pat. 6

Tert. l. de Pat. 12 3. *Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus.* Christiana disciplina potissimum in dilectione sita est, quæ ideò dicitur summum fidei sacramentum, fideles ab infidelibus discriminans: & quia cœlestibus gazis opulenter ditat Christianos, nuncupatur Christiani nominis thesaurus, quem suo sanguine meruit Christus, & largitur Spiritus sanctus semetipsum benignè infundens cordibus eorum, quos suâ gratiâ nobilitat: at non in animis irâ & animadversione exagitatis residet divinus amor. Siquidem charitas *sedet in throno spiritus ejus mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit Helias.* Helias profugus, Jesabelis iras declinans, in vasto spelæo latitans, vindictæ zelo excandescens, cui dixit Dominus: Egredere, & sta coram Domino; & ecce Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras: Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, quo docebatur Propheta ad vindictam turbatior & concitatior mitius agere, Spiritûs sancti instinctu, qui est mitissimus & mansuetissimus, cunctos erudiens in Elia Christianos: *Deus præcepit Spiritum sanctum, ut pote pro natura sua bono tenerum ac delicatum, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare, non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare.* Non immeritò

Tert. l. de Pat. 15

L. 3. Reg. 19

Tert. l. de Spect. 15

Spiri-

Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, scilicet ut linguas igne charitatis accenderet. Maledicus Spiritum sanctum malè tractat, quia eum à suo corde & lingua fugat, non habens dilectionem nec in anima nec in lingua; sed totus igne inferni succensus, verba maledictionis & imprecationis propalat: Dæmon, qui ejus cor possidet, linguam quoque occupat: *Undique nobis insidias dæmon præparare consuevit, sed facilius linguâ & ore peccante; nullum enim aquè congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati.* Quomodo non peccaret maledicus, qui ad maledicendum spiritu diaboli animatur? D.Chrysost. hom. ad Baptiz.

Habes Psalmum: Benedicite, & nolite maledicere. Quis hoc docebit, quàm qui omnia benedictionibus condidit? Deus hominibus vetat maledicere, eosque dicto & exemplo ad benedicendum stimulat; multi tamen *saltem linguâ semper recelles* Deo denegant obsequium, tantum abest, ut benedicendo Deum imitentur, quin potius maledicendo diabolum æmulantur. *Agnoscamus ingenia diaboli*, & inveniemus maledicentium ingenium, qui dæmonis spiritu animati maledicta ejaculantur ex 1. impatientia. 2. iracundia. 3. malitia. II. PARS. Tert. l. 5. adv. Marc. 4 Tert. Apol. 17 Tert. l. de Cor. mil. 15

1. *Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo.* Impatiens fuit diabolus in cœlo, & in terra. In cœlo, impatienter ferens humanationem Verbi futuram, neque pacato animo sustinens quòd Deus humanam naturam præferret angelicæ, fieretque potius homo, quàm Angelus. Impatiens quoque fuit in terra, ægrè tolerans collatum à Deo homini in creaturas imperium. Homo quoque ex impatientia ad maledictiones fertur, præsertim quando aliquod temporale patitur damnum. Nam *qui damni impatientiâ concitatur, spiritum quem a Deo sumpsit, secularis rei gratia concutit.* Quantumvis à Deo sit edoctus cœlestia longè esse terrenis anteponenda, non esse multum dolendum de fortunæ bonis, quæ persæpè sunt impedimentum salutis; attamen dum aliqua illi temporalis evenit jactura, in maledictiones & imprecationes effunditur: *Cæterùm impatientia in hujusmodi & spei nostræ malè ominatur, & fidem prævaricatur.* Spei malè ominatur: tum quia nimia terrenorum affectio denotat, se dubitare de æternis; tum quia peccando cœlestium spem amittit. Fidem quoque prævaricatur: tum quia Deo prohibenti maledicta non obsequitur; tum quia de Dei doctrina non proficit qui non vult multum esse de temporalibus curandum; tum quia juxta disciplinam Christianam non vivit, quæ tota est in contemptu terrenorum. *Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam animæ anteponant.* At proh dolor! Christianus in Dei schola eruditus fidei lumine illustratus, Dei dedignans doctrinam, quam profitetur, contemnens disciplinam, maledicit terræ, quæ non uberes produxit segetes; maledicit mari, in quo naves naufragârunt; maledicit domesticis, qui aliquod vas fregerunt, & *tota cum contumeliâ mugit*; in continua convitia ex impatientia & iracundia prorumpit. Tert. l. de Pat. 4 Tert. l. de Pat. 7 Tert. l. de Pat. 9 Tert. l. de Pat. 7 Tert. l. de Pal. 4

2. Bellè diabolus dicitur draco rufus habens iram magnam, qua fœcundavit Evam: *Nam statim illa semine diaboli concepta, iram filium procreavit, editum* Tert. l. de Pat. 5

editum suis artibus erudivit. In diaboli Academia eruditus iracundus, maledictiones vibrat: *Prima enim semper irarum tela maledicta sunt, & quidquid non possumus imbecilli, optamus irati; ac sic in omni animorum indignantium motu, votis malis pro armis utimur.* Fœminæ quò magis sunt imbecilles, eò facilius concitantur ad iram, feriuntque linguâ quos manu percutere non possunt. Multi quoque homines *prout quid in ingratiam cecidit, semetipsos execrantur*; uxores conviciis afficiunt, filiis maledicunt, multaque alia efficiunt irati, *quod si Dei ac per hoc quoque rationis compotes agerent*, minimè efficerent. Nulla est passio ita contraria rationi, ac iracundia. Homines irati *à ratione tantum absunt, quantum ab ipso rationis authore.* Hos velut infantes vagientes considerat Philosophus Moralis: *Non convitiari vos putabo, sed vagire velut infantes miserrimos.* Quod est vagitus infantibus, hoc est adultis maledicentia. Infantes ex ira vagiunt, obstrepunt, inquietant, cunctos qui sunt in domo, vagitu feriunt. Non absimiliter homines irati cunctos suis conviciis & maledictis feriunt: *Ex eo itaque itur in furias, & animos, & discordias: inde maledicta, convitia sine justitia odij*; innocuos æquè ac criminosos feriunt, nulli parcit lingua maledica, omnes insequitur ex malitia.

Salv. l. 3 de guber. Dei.

Tert. l. de Pœnit.

Tert. ibid. Seneca l. de B. Vit. c. 16

Tert. l. de Spect. 16

3. *Diabolo semper operante & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia.* Multi homines diaboli spiritu animati ex malitia *dictum protervum aut nequam* proferunt: cunctis namque Dei creaturis maledicunt. Hominibus, quos *omni contumeliâ* prosequuntur; pecudibus, creaturisque inanimatis, quas diris & dæmonibus devovent; semetipsis interitum exoptant, dæmonibus, quos execrationibus pulsant: *Iam vulgus indoctum, dæmonas in usum maledicti pronuntiat*: ipsi quoque Deo, quem Sancti in cœlo continuis decantant laudibus, & quem homines in terra suis sermonibus commendare tenentur, *planè benedici Deum omni loco & tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine*: proprius enim finis oris, verus linguæ usus, est benedicere & laudare Deum: *Sed accepisti homo, os, ad vorandum atque potandum, cur non potius ad eloquendum, ut à cæteris animalibus distes? cur non potius ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antistes?* Ultra hanc rationem à natura hominis desumptam, ad rectum usum linguæ urgetur adhuc Christianus, ex consideratione honoris quem consecutum est os à mysteriis Religionis: *Os habes spirituale, obsignatum Spiritu sancto. Cogita quæ sit oris tui dignitas: Patrem vocas Deum, & fratrem mox vituperas? Cogita quâ mensâ dignatum sit os tuum, qua contingat, quæ degustet, quo cibo fruatur: Perpende cum quibus tempore mysteriorum adstes, nempe cum Cherubim, cum Seraphim: Seraphim neminem vituperant, sed unus & idem usus ora illorum adimplet, nempe benedicendi & glorificandi Deum: quomodo ergo potes cum illis dicere, Sanctus, Sanctus, quid ore tuo ad vituperium abuteris?* Indignus est hominis titulo, qui abutitur linguâ ad maledicendum. Portentum est in Religione Christianus adversus fratres suos ipsumque Deum os suum armans. Ve-

Tert. l. de vel virg. 1
Tert. l. de Pat. 8
Tert. l. ad Mart. 5
Tert. Apol. 22

Tert. l. de Orat. 3

Tert. l. de Res. 61

D. Chrysost. Hom. 14 in ep. ad Ephes.

rus Christianus *oris honorem* benedicendo demonstrat, quemadmodum qui ore benè utuntur, etiam in lingua remunerantur, ut constat ex multis Martyribus, qui linguis ob fidei confessionem abscissis Deum laudabant non secus ac si non fuissent excisæ linguæ. Patet etiam ex S. Antonio Paduano, cujus lingua, quâ tot homines concionando ad Deum converterat, anno trigesimo secundo ab ejus morte ita incorrupta, recens, & rubicunda invenia est, ut D. Bonaventura tunc temporis Generalis Minister eam assumens, deosculans, & lacrymans in hæc verba proruperit: *O lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, aliosq; benedicere docuisti! nunc liquet quàm grata ei fueris, quantiq; apud eum meriti.* Sic honorantur in lingua qui ad Deum proximumque benedicendum illâ probè utuntur. Impiè Christiane, cùm linguâ tuâ adversus Deum & proximum abuteris, *cùm in maledictum convertis benedictionem*, oris honorem dedecoras, naturam simul & religionem offendis. Nam, ut subjungit Tertullianus, naturaliter etiam, *Benedicat te Deus, tam facilè pronuntias quàm Christiano necesse est*, mererisque in tua lingua tuæ maledictionis luere pœnas, ad instar impii Nestorii, qui maledicens Deo, ejusque Matri, asseveransq; Christum non esse Deum, neque Mariam Deiparam, sed Christiparam, lingua ejus à vermibus corrosa & exesa fuit. Bellè dixit olim ille Sapiens: *lingua fortuna, lingua dæmon*; quia ut fatur Sapiens: *Mors & vita in manibus linguæ*; ex recto etenim linguæ usu comparatur vita, ex linguæ abusu accersitur mors, & maledicens damnati officium negotiatur.

Tert. l. de Res. 61 — Tert. l. de Test. An. 2 — Evag. l. 1 c. 2 — Plutarch. — Prov. 18

Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet. Hunc optimum sermonem semper in ore suo versabat Regius Vates: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Hunc optimum sermonem exoptabat D. Augustinus sic Deum alloquens: *Laudet te cor meum, & lingua mea, & ossa mea dicant: Quis similis tibi?* Hoc optimo sermone Beati in cœlo indesinenter Dei laudes decantant, dicentes: *Benedictio, & claritas, & gratiarum actio Deo nostro in sæcula sæculorum.* Cœlestes quoque spiritus continuò Dei magnalia prædicant: *Illa Angelorum circumstantia non cessant dicere: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Optimum sermonem in ore non habent, non benedicentes Deum & proximum, sed suis maledictionibus sese inhumanos in fratres, irreligiosos in Deum, & in semetipsos crudeles demonstrant. Inhumani sunt in fratres, quos odio persequuntur, & improperiis affligunt: irreligiosi in Deum; nam *si non laudaverint servi dominum, ingrati, irreligiosi erunt*: crudeles in semetipsos; nam ut subjungit D. Augustinus, *quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum?* Quod si ille, qui Dominum non laudat, meretur pœnam, quantò magis qui Dominum maledicit? Qui est hujusmodi, 1. cœlesti beatitudine privatur. 2. in inferno interminabili pœnâ mulctatur. 3. in terra adhuc existens præproperè damnati officium negotiatur.

III. PARS — Ter. l. adv. Marc. 14 — Ps. 33 — L. 9. Conf. 1. — Apoc. 7 — Tert. l. de Orat. 3 — D. Aug. in Ps. 134 — Tert. l. de Spect. 20

1. *Nusquam & nunquam licet quod semper & ubique non licet*: Maledi-

candidati, quia virtute baptismatis jus habent ad beatitudinem qua fruuntur Angeli, officium futuræ claritatis didicerunt, nimirum divinas decantandas laudes, ad quod ad Dei imaginem creati sunt, & ad Christianam disciplinam vocati sunt. Verum imprecator Christianam disciplinam dediscens, & contra propositum sibi finem agens, non beatorum, sed damnatorum officium æmulatur. *Cum enim lingua hominis ad benedicendum sit creata, ille eam æqualem serpenti facit, dum virtutibus ejus in perversum abutitur.* Ex loquela qua quis loquitur, dignoscitur ex qua regione sit oriundus; aliter enim loquuntur Germani, aliter Hispani, aliter Galli. Sicut autem Petrus ex sermone agnitus fuit, cui dixit ancilla: *Galilæus es; nam & loquela tua manifestum te facit*: ita imprecator & maledicus, ex sua loquela denotat ad quam regionem pertineat. *Tres sane respublicas agnoscimus, ad quas omnes habitatores reducuntur,* quarum quælibet habet linguam sibi propriam, scilicet cœlum, infernum, & terram. In cœlo non habitant, nisi beati; in inferno commorantur damnati; in terra conversantur boni & mali, qui futuri sunt cives vel cœli, vel inferni. Loquela Beatorum sunt benedictiones, laudes, gratiarum actiones, orationes, & quidquid *benedictionis vice fungitur.* Loquela damnatorum sunt juges imprecationes, & maledictiones quas vibrant in Deum, in semetipsos, in dæmones, in homines: idcirco infernus nuncupatur à Petro Damiano, *terra maledictionis.* Videant Christiani in terra degentes, quanam loquantur lingua: si verba benedictionis in ore habeant, lingua beatorum loquuntur, estque fœlix auspicium, quod aliquando cœlum habitabunt; at si sermones maledictionis & increpationis teneant, lingua loquuntur damnatorum, estque infaustum omen, quod aliquando projicientur in infernum, ut æternaliter loquantur lingua, quam didicerunt in hoc sæculo: Christiane si vis inferni vitare supplicia, ne loquaris lingua damnatorum: si vis cœlestem possidere gloriam, loquere lingua beatorum: *Proposuit Deus mercedem, vitam, & dies bonos. Dies boni, vita sine fine, requies sine labore; in tanta mercede proposita non jussit onera gravia portare, nec aliquam machinam erigere vel fodere: non jussit rem laboriosam, sed membrum quod inter omnia membra cito moves, ipsum tibi cohibere præcipit: Cohibe linguam tuam à malo. Non est labor erigere fabricam, & labor est tenere linguam: Cohibe linguam tuam à malo; noli loqui mendacium, noli loqui criminationes, noli loqui calumnias, noli loqui falsa testimonia, noli loqui blasphemias:* noli loqui convitia, imprecationes, & maledicta, sed benedictiones, & dicito cum Vate Regio, *Benedic anima mea Dominum.* Ubi D. Augustinus: *Finis illius Psalmi concordat cum suo principio, benedictio à capite, benedictio in fine: à benedictione profecti sumus, ad benedictionem redeamus, in benedictione regnemus* cum Sanctis, qui cœlestem rempublicam componunt.

Alcuin. in c. 10. Eccles.

D. Aug. in Ps. 108.

Tert. l. de Orat. 3.

Serm. 60

D. Aug. Ser. 39. de Verb. Dñi

Ps. 33.

In Ps. 102.

CONCIO QUINTA.

Tert.l.4 adv. Marc. 7. Cap. 9 Conc.3. de Adv.

PLerique homines *non implent fidem ordinariæ narrationis*, *deficientes in mendacio semper*, ad quod edocti sunt; sed ut vult Jeremias Propheta, *docuerunt linguas suas loqui mendacium*. Tot sunt hac tempestate qui in hac academia didicerunt, ut merito conqueratur B.Thomas à Villa nova: (Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo; quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est; docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, ut discerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantos: hæc civilitas, hæc affabilitas: & inurbanus est, quisquis fallere & mentiri non novit.) Et quia scientia non sine labore cõparatur: (Labor labiorum ipsorum operiet eos.) Nam ut expendit D. Augustinus, *ipsum mendacium ipsorum, labor est labiorum ipsorum*. Tria namque ad mendacii integritatem concurrunt, quæ parturiunt laborem. Requiritur ad mendacium 1. quod falsum proferatur, quia *mendacium est veritati contrarium*. 2. Quod à mentiente credatur falsum quod loquitur, mentiri enim est contra mentem ire, & mendacium nominatur eo quod contra mentem dicitur: *quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, aliud in verbis*. 3. Ut falsum creditum proferatur cum intentione fallendi: *mendacium est quippe falsa significatio, cum voluntate fallendi*. Sicut enim qui verum loquitur, veram opinionem, vel fidem intendit auditori ingerere, ita qui mentitur intendit falsam opinionem constituere in auditoris animo. Inde concludit D. Augustinus: *Omnes laborant in mentiendo*. Tum quia falsa proferunt: nam ut subjungit D. Augustinus, *laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur: ille enim laborat qui fingit quod dicit, nam qui verum vult dicere non laborat, ipsa enim veritas sine labore loquitur*. Tum quia verba menti eorum non concordant, nec lingua sua loquuntur, ut docet Origenes expendens istud Davidicum: (Locutus sum in lingua mea.) *Qui sincere sensa animi profert, is lingua loquitur sua: at qui dolos nectit, lingua loquitur aliena*: dolose enim loquitur, cujus lingua à mente dissentit. *Labia sapientium disseminavit scientiam, cor stultorum dissimile erit*. Lingua nervum unum cum cerebro, alterum cum corde habet annexum, quo ab intellectu qui in capite residet ita dirigatur, ut cum corde concordet. Hanc consonantiam à natura inditam tollit mentiens. *Unde duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio: una rei ejus quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert: altera ejus rei, quam pro ista profert sciens, vel putans, falsam esse*. Tum quia loquitur intentione fallendi, ut autem ratiocinatur D. Augustinus, *utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogi-*

Ps.139. D.Aug. in Ps.5. D. Aug.l. de Mendac c.3. D Aug. l. cont. Mendac.1. In Ps. 139 Psal.38 In Caten. Pat Græc. Prov.15 Plin.Lib.c. 37 D.Aug.l. de Mendac.3 In Enchir. c.22

cogitationes suas perferat. Trinum illum laborem pro nihilo ducentes plerique homines, persæpe mentiuntur, non satis nævos mendacii considerantes, quod est, 1. criminosum: 2. probrosum: 3. injuriosum.

Homines *mendacium colentes* illud tanquam licitum tuentur, & ob honestum finem factum, tanquam bonum commendant. Verum immerito, nam quod ex sua natura est malum, illicitum est, neque ulla circunstantia adhibita potest fieri bonum: mendacium autem ex sua natura malum est; & ita, ait D. Augustinus, (nihil aliud judicandus est dicere, qui dicit aliqua justa mendacia, nisi aliqua justa esse peccata; ac per hoc aliqua justa esse quæ injusta sunt: quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum nisi quia contrarium justitiæ est? Ea vero quæ contra legem Dei fiunt, justa esse non possunt. Dictum est autem Deo, Lex tua veritas: ac per hoc quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse omne mendacium? nullum igitur justum debet esse mendacium.) Propter trinum namque finem mentiri contingit: vel propter bonum delectabile, vel propter bonum utile, sine alterius nocumento, vel propter alterius nocumentum. Primo modo est mendacium jocosum, quod fit animo delectandi. Secundo modo est mendacium officiosum, quod fit pro salute aut commodo alterius: Tertio modo, est mendacium perniciosum, quod fit ex malignitate qua alterius intenditur nocumentum: Quovis autem fine fiat, intrinsece malum & illicitum est mendacium, 1. jocosum: 2. officiosum: 3. perniciosum.

I. PARS. Tertull. Apol. 23

Lib. cont. Mendac. c. 15

Ps. 118

1. *Cornelius Tacitus sane ille mendaciorum loquacissimus.* Huic assimilantur qui libidinosum proferunt mendacium, in sola mentiendi affectione fundatum, mentientes sive in parvis, sive in magnis, non animo nocendi, nec delectandi, nec juvandi, sed tantum quia gaudent mentiri, & confingere mendacia, tanquam rem, non aliis; sed sibi delectabilem: isti dicuntur natura mendaces, nescientes loqui veritatem, cujusmodi erant *Cretenses semper mendaces*; ob ingenitam mentiendi proclivitatem: (Nec illa sunt admittenda mendacia, quæ quamvis non obsint alteri, nec ulli prosint, obsunt eis ipsis qui gratis mentiuntur: ipsi enim proprie mendaces sunt dicendi: interest enim inter mentientem atque mendacem: nam mentiens est etiam qui mentitur invitus, mendax vero amat mentiri.) Nec minus est illicitum mendacium jocosum, fundatum in sola intentione movendi animum auditoris ad complacentiam, solatium, & risum. Hoc mendacii placidi nuncupati genus, maxime viget apud curiales mentientes ut sibi adstantium præsertim principum concilient gratiam: *In malitia sua lætificaverunt regem, & in mendaciis suis principem.* At neque etiam in aulis principum licitum est mendacium jocosum: *Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet.* Etenim nusquam & nunquam licitum est peccatum. *Inconcusse teneas, & defendas, in divina religione nunquam omnino esse mentiendum*: quia mendacium etiam jocosum est peccatum, mentiensque jocose peccat: Tum quia abutitur verbis ad verum significandum institutis: ex D. autem Augustino *verbis uti ad*

Tertull. Apol. 14

Epist. 1. ad Tit. 1. D. Aug. in de Mendac. c. 11

Osee 7

Tert. l. de Spect. 20. D. Aug. l. cont. Mendac. c. 21. In Enchir. c. 22

ad falsum, non ad quod sunt instituta, peccatum est. Tum quia dolose & contra suam mentem loquitur: etenim *in lingua agitur dolus cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* [D. Aug. in Ps. 14.] Tum quia mendacium jocosum opponitur veritati: ut enim docet D. Augustinus, [Lib. cont. Mendac. 3] (Nullum mendacium est, quod non sit contrarium veritati: nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, justitia & iniquitas, peccatum & recte factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors, ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria.) Tum quia Christianam dedecet disciplinam, quæ veritatem profitetur. [Lact. Firm. l. 6. c. 18] *Est nefas eum qui veritati studet, in aliqua re esse fallacem, atque ab ipsa quam sequitur veritate, discedere. In hac justitia virtutumque omnium via, nullus mendacio locus est.* Adeo veraces existimabat Christianos D. Anselmus, ut monitus, ne quibusdam jocose mentientibus adhiberet fidem, quæsivit: [Sur in ejus vita.] *Nunquid non Christiani sunt? quomodo ergo mentiri possunt?* censens quasi impossibile ut Christianus etiam jocando mentiatur. Hac tamen tempestate plures Christiani multa proferunt jocosa mendacia, semetipsos fallentes ac turpiter decipientes. [D. Aug. l. cont. Mēdac. c. ult.] *Quisquis esse aliquod genus mendacii, quod non sit peccatum putaverit, decipiet seipsum turpiter.* Quod si Christianus abstinere debet à mendacio jocoso, quanto magis Regulares, qui sunt in statu perfectionis acquirendæ? Religiosum joco mentiri, adeo indignum ducebat Doctor angelicus, ut affirmare non dubitaverit quosdam dicere, *quod perfectis viris omne mendacium est peccatum mortale.* [22. q. 110. a. 4. ad 5.] At ex communi Catholicorum sententia, mendacium jocosum saltem est peccatum veniale, quod definitum ab Innocentio tertio passim asseverant Patres, [Tit. lib. de Usur. cap. Super eo.] quorum mitto sententias ut dicam cum D. Bernardo: [Lib. de Grat. & l. Arbit.] *Nullum justum mendacium, omne mendacium, in omnibus peccatum est.* Quod docet etiam Philosophus, solo rationis acumine, mendacii agnoscens pravitatem, docensque *omne mendacium, per se pravum & fugiendum esse.* [L. 4 Ethic.] Qui dicit omne nullum, neque etiam jocosum excipit, quod D. Augustino teste culpam includit. [In Ps. 5] *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa: cum aut jocamur, aut proximo consulendo mentimur, illud autem primum in jocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit: novit enim ille cui dicitur, joci causa fuisse dictum: secundum autem ideo mitius est quia retinet nonnullam benevolentiam;* Quod non obstat quin mendacium officiosum sit illicitum.

2. Christianus *admissus ad dominica præcepta ex ipsis statim eruditur, id peccato deputandum, à quo Deus arceat.* [Tert. l. de Pœnit. 3.] Deus autem à mendacio arcet, ut constat tum ex veteri, tum ex novo Testamento. In veteri quidem Testamento prohibetur mendacium: Moyses enim in Levitico sic alloquitur homines: *Non mentiemini.* [Cap. 19.] Ecclesiasticus quoque, *Nolite esse mentiri omne mendacium.* [Cap 7.] Vetatur adhuc in novo Testamento mendacium: unde Paulus ad Christianos: [Colos. 3.] *Nolite mentiri invicem.* His verbis Apostolus prohibet mendacium officiosum fundatum in intentione qua quis mentitur, ut prosit sibi vel alteri; vel ut caveat sibi vel alteri, à malo imminenti: Idcirco officiosum mendacium in triplici utilitate fundatur: potest enim quis mentiri, ut sibi

vel aliis acquirat,& conservet, vel 1. bona fortunæ; vel 2. bona corporis; vel 3. bona animæ: Plato, mendacium rem malam proclamans concessit: Medicis quandoque ellebori conceditur usus, ne ægros prorsus dejiciant. Magistratibus etiam & principibus licitum asserit mendacium, ut se ab hostibus tueantur, vel commune reipublicæ procurent bonum. Verum reprobanda est à Christiano Platonis sententia: *Apostolo reclamante* 1. Joan. 2. *Et mendacium non est ex veritate: non est igitur verum aliquando esse mentiendum; & quod non est verum, nemini est omnino suadendum.* Amplexanda est Christiana doctrina, quæ affirmat mendacium utpote intrinsece malum, nullatenus licitum esse. Non 1. pro ullo pretio aut fortunæ bono quantumvis magno, etiam totius universi emolumento. Ut enim ait D. Augustinus, *non licet mentiri, sed pro toto mundo:* etenim si non est licitum mendacium, pro reservanda corporis vita, nec etiam pro comparando fortunæ bono: *Si nec ipsa vita præponenda est veritati; quid dici potest propter quod mentiendum esse contendant, qui aliquando putant oportere mentiri?* Ex Innocentio etiam tertio summo Pontifice *non mentiendum pro alterius vita servanda, multominus pro triobolari negotio*, seu pro fortunæ bono sibi aut aliis comparando. (Neque ideo ullum mendacium putandum est, non esse peccatum: qui possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: possumus & furando alicui prodesse: si pauper cui palam datur, sentit commodum, & dives cui clam aufertur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum.) Non 2. licitum est officiosum mendacium etiam pro servanda alterius vita corporali. Unde D. Augustinus: (*Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari, non es mentiturus: Si aliquis ægrotus interroget, quod ei scire non expedit, qui etiam possit te non respondente gravius affligi: audebisne aut verum dicere in perniciem hominis, aut silere potius, quam honesto & misericordi mendacio valetudini ejus opitulari?*) Tūc enim nullo modo est mentiendum, etiam si ex veritate incrementetur morbus, aut etiā mors citius adveniat. Subjungit D. Augustinus, (Cum scriptum sit, Os quod mentitur occidit animam, quomodo non perversissime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori? Nam & ipsa dilectio proximi ex sua cujusque dilectione terminum accepit, diliges proximum tuum tanquam teipsum: quomodo diligit? tanquam seipsum, cui ut præstet vitam temporalem, ipse amittit æternam: quandoquidem si pro illius temporali vita, suam ipse temporalem perdat, non est jam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum: quod sanæ doctrinæ regulam excedit: multo minus æternam suam pro alterius temporali, mentiendo amissurus est.) Non 3. mentiendum est pro alterius bono spirituali: nam ut ratiocinatur D. Augustinus: *si pro alterius salute mentiri aliquis debeat, ergo pro alterius salute iniquus aliquis esse debet.* Propria salus alienæ præferenda est saluti, neque quis salutis propriæ dispendio, licite potest alienam procurare salutem. Quapropter (nemo potest convincere aliquando esse mentiendum, nisi qui poterit ostendere æternum aliquod bonum

Lib. 2. de Leg.

D. Aug. l. cont. mendac. c. 19

D. Aug. in Ps. 139.

D. Aug. in Enchir. c. 22

Lib. de Mendac. c. 6

Sap. 1

Levit. 19

L. de Mendac. c. 6

D. Aug. l. de Mend. 7

bonum obtineri posse mendacio: sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto à virtute discedit: qui autem mentitur à veritate discedit: absurdissimũ est dicere discedendo inde ad boni aliquid posse aliquem pervenire: aut si est aliquod bonum, quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falsum erit.) Quod si nec pro bono fortunæ, nec pro bono corporali, nec pro bono spirituali licitum est officiosum mendacium, quanto magis perniciosum, quod Deus damnat, nec ulla potest excusari ratione?

Tert. l. de Spect. 20. Prov. 12 Apoc. 2

3. *Erramus, nusquam & nusquam excusatur quod Deus damnat.* Deus autem mendacium abominatur: *Abominatio sunt Domino labia dolosa:* Imo & mendaces damnat: *Omnibus mendacibus, pars illorum in stagno igne & sulphure quod est mors secunda.* Quod si omne mendacium Deus odit, maxime aversatur perniciosum, quo quis mentitur ut noceat: Ut enim ratiocinatur D. Augustinus: *Mihi autem videtur peccatum quidem esse omne mendacium, sed multum interesse, quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur: Non enim sic ille peccat, qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur: aut non tantum nocet, qui viatorem mentiendo, in diversum iter mittit, quantum qui viam vitæ, mendacio fallere depravat.* Perniciosum namque mendacium tribus potissimum fit modis: vel 1. Dum quis mentitur, ut proximo in bonis fortunæ noceat: quo sensu asseverat Tertullianus, *mendacium cupiditatis ministrum.* Homo cupidus & avaritiæ deditus, ut ditetur, facile mentitur: imò multoties falsa fert testimonia: Vel 2. dum quis mentitur ut noceat proximo quoad salutem corporis, mendaciter & falso illum accusans & persequens ut exulet, mutiletur, interficiatur; ad quod sæpe sæpius falsos conducit testes. Tale damnum impedire volens Deus, statuit hoc præceptum: *Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium.* Etenim prima Dei legislatoris intentio est prohibere falsum in judicio testimonium, ne decipiatur judex, & proximus injuste puniatur. Secunda autem intentione prohibet omne mendacium per quod proximo damnum infertur, quod aliquo modo potest dici falsum testimonium. Ut enim ait Sapiens, *Qui mentitur testis est fraudulentus.* Vel 3. dum quis mentitur, ut noceat proximo quoad salutem animæ, avertere eum volens à fide Catholica, aut à recta vivendi regula: cujusmodi sunt hæretici qui falsa docent dogmata, aut impii qui mendacio à virtute dimovent; dicunturque mendaces in doctrina religionis & pietatis: quos velut religionis pestes abscindendos exoptat Apostolus *Utinam abscindantur, qui vos conturbant:* scilicet in sana fidei doctrina, & recta virtutis semita: à quibus potissimum omnia mendaciorum genera removenda D. Augustinus desiderat: *Cum religio docetur, & discitur, omnia penitus mendacia removenda sunt.* Mendacium autem perniciosum in his tribus casibus est peccatum mortale; nisi parvitate materiæ excusetur. At proh dolor! mendacia perniciosa sunt hac ætate ita communia, ut perpauci reperiantur qui proximo non noceant, vel in fortuna, vel in corpore, vel in anima. Etenim quot proferunt mercatores mendacia,

In Enchir. c. 18

Lib. de Idol. 11

Prov. 12.

Gal. 5

Lib. de Mendac. c. 10

cia,ut merces suas carò vendant,aut ut malas pro bonis præbeant? Quot falsi contractus? quot falsi testes qui non solum damnum afferunt temporale,sed etiam corporale?quot hæretici qui inducunt in errorem,quot impii qui à virtute & pietate dimovent,quot novatores qui falsa dogmata docent, & mentiendo,pejerando, falsa testimonia ferendo,divinam indignationem provocant? *Vbi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia sed audemus insuper docere perjuria? Viderint enim assertores defensoresq; mendacij, qualia genera mentiendi eos justificare delectet: saltem in Dei cultu cōcedant non esse mentiendum: saltem sese à perjuriis blasphemiisq; contineant: saltem ubi nomen Dei, ubi Deus testis, ubi Dei sacramentum interponitur, nemo mentiatur, nemo laudet, nemo doceat & præcipiat, nemo justum dicat esse mēdacium,* quod est injustum, illicitum, intrinsece malum, criminosum, & probrosum. D. Aug. l. cont. Mendac. c. 18.

Gentiles,mendaces laudantes,merito redarguit Tertullianus: *Cur laudem mendacibus fertis?* Tantum abest ut mendaces laudem mereantur,quin immo mendacio vituperantur.Quod probe sciens Salomon Deum sic deprecatur: *Vnum rogavi te,ne deneges mihi antequam moriar: vanitatem, & verba mendacij,longe fac à me.* Timebat Sapiens ne evanesceret in cogitationibus, & ne de mendacio convictus maculam gloriæ suæ inureret: Ut enim ait belle ad propositum D.Chrysostomus, *mala est macula in homine, mendacium.* Trina potissimum macula contaminatur homo mendax: 1. mendacio inhonoratur: 2. fides ei denegatur: 3. diabolo associatur. II. PARS. Lib. 2. de Nat. 7. Prov. 30 In Ps. 14

1. *Nemo ad suum dedecus mentitur, sed potius ad honorem.* Sed pace Tertulliani non honorem,sed dedecus, sibi mentiendo comparat homo: Nam ut fatur Ecclesiasticus, *Mendacium sine honore.* Furem omnes ignominia mulctant: at ex Siracide *potior fur quam assiduitas viri mendacis.* Congrue mendacem furi comparat: Tum quia mendacium est quoddam furtum, furatur enim hominibus veritatem, famam, concordiam, opes, persæpe vitam: Tum quia tam mendacium quam furtum ignominiosum & infame est: & quia ut divinè docet Plato, *bonor nobis meliora sequi.* Homines veri honoris zelotes veritatem sectantur, horrent mendacium. Nam ut subjungit idem Philosophus, *mendacium non solum dijs sed hominibus odiosum.* Quivis homo mendacio dedecoratur juxta istud Ecclesiastici: *Opprobrium nequam, in homine mendacium.* At nequissimum in nobili, in principe, qui mentiendo nobilitatem suam & dignitatem devenustat. *Non decet principem, labium mentiens.* Aristæus refert unum è septuaginta Interpretibus interrogatum à Ptolomæo rege Ægypti qua ratione rex posset in cunctis sectari veritatem, respondisse: *Si primum statueris magnum dedecus esse hominibus mentiri: multo vero magis regibus: qui cum habeant potestatem agendi quæ velint, cur mentiantur non habent.* Unde quando aliquod verbum denotatur verax, communiter dicitur verbum regium: Quare Alphonsus Arragoniæ rex dicere solebat: Simplex verbum principum tantum valere debere ad fidem, quantum privatorum hominum juramentum. Hanc famam sibi compatabat Carolus quintus, ut dum quid affirmare vellet, fide viri nobilis adstrueret: atque hanc asser- Apol. 23. Cap. 20 L. de Leg. Cap. 20 Prov. 27 De 70. Interpret. Panorm. l. 1 de dictis & factis Alphon. n. 58.

assertorem omni sacramento firmiorem esse habendum: Juramento ad fidem non eget, qui mendax nunquam est repertus. (Cum mendaces aut inopia, aut ignavia, aut timor faciat, se vere fatetur vilem, qui mentitur: plane inertis animi est mentiri: cum mori sciat, mentiri nesciat generosus animus, adeo ut non aberraverit qui dixerit, vilis, sordidi, abjecti, ac muliebris pectoris esse mentiri.) Laudem hanc suo tribuit Trajano Plinius, *ut qua vellet velle, qua nollet, nolle scirent omnes.* Generosus & ingenuus animus gloriam de veritate sibi comparat, mendacium ut ignominiam vitat, at homo mendax, vilis, servilis, ignavus, timidus existimatur, mendacio dehonestatur, eique fides denegatur.

Plin. in Traj.

2. Quam stolidi gentiles, qui ut illis exprobrat Tertullianus, mendacibus adhibebant fidem: *Mentientibus creditis.* Uti vera dicentibus adhibenda est credulitas, ita mentientibus deneganda. Perdit omnino fidem & auctoritatem apud sapientes & judicio præditos, homo assuetus mendaciis? quis avide doctrinam magistri mendacis excipiat? quo fructu præco verbi Dei, suggestum conscendet si mendax habeatur; qua auctoritate princeps aget inter suos, qui mentiri consuevit? Basilius imperator inter documenta quæ suo filio præstitit, istud non est minoris momenti: (Maxime pendito, fili, veracem te esse in sermone debere, ita enim firmus & constans, in omnibus dictis, factisque æstimaberis.) Ut autem homo verax habitus summum consequitur honorem, ita summo afficitur dedecore mendax existimatus. *Quid miserius est homini libero, quam vocari mendacem?* Antiquitus ita homines ambiebant haberi veraces, ut potius elegissent mortem quam de mendacio vituperari: & ob hanc causam Jonas *afflictus est afflictione magna*, quod Ninive pepercisset Deus, postquam Ninivem subvertendam prædixerat Propheta: Unde sic Jonam loquentem inducit Hermes Bibliot. Patr. *Domine tolle animam meam, melius mihi est mori, quam vivere: nunquam verum locutus sum verbum in vita mea, sed semper in simulatione vixi, & mendacium pro veritate affirmavi: quomodo ergo potero vivere?* Antea habebar Propheta verax, modo ut mendax despiciar? quomodo in publicum prodibo? nonne cuncti sibilabunt; Ecce fallacem & mendacem Jonam, moriar libentius, quam infamem & ignominiosam diutius ducam vitam. Nonne hac etiam ætate homines summum existimant dedecus de mendacio redargui? Nobilis multa convitia pacato fert animo, at si quis illi dicat, *Mentiris*, statim ad pugnas, ad duella, ad cædes anhelat? Audiat aleator, potator, scortator hæc aliaque ejusmodi verba patienter tolerat, ad verbum hoc, *mentiris*, ferro vindicet necesse est; Quis nesciat, quot alapas, quot vulnera, quot duella, quot neces, concitavit hoc unum *mentiris?* Et quod est stupendum simul & lugendum, non veretur esse mendacem, erubescit audiri mendax, mentiri non pudet, de mendacio criminari pudet. Nihil hominem acerbius sauciat quam de alieno ore audire se mentitũ fuisse: nihil fragilius quam proprio ore mentiri: sane *omnes perditores veritatis, amare veritatem fingunt*, & odisse mendacium: Heu! pudet audiri quod palam dicere non pudet. Mendaci probe competunt, quæ ad Rufinũ scribit D. Hier.

Apol. 23

Sopocles.

Jonæ 2.

Tom. 1

Orig. Tract. 25. in Matth.

Apol. 23.

Obsecro

Obsecro te, ut qui mendacij alterum criminaris, desinas ipse mentiri, si habearis mendax; nam dum vera loqueris, nemo tibi adhibebit fidē. Aristoteles interrogatus quid lucri faceret mendax, hoc unum respondit: *Ut cùm vera dixerit, nemo credat*; quia semper falsitatis habetur suspectus: juret, perjuret, nullus adhibet fidem. Eâdem mulctatur pœnâ, ac Carbo, qui quidpiam etiam cum juramento promittens, populus Romanus vicissim juravit se illi non crediturum. *Antiquus sermo est, mendaces faciunt ut nec vera dicentibus credatur: hoc lucrum mendaces consequuntur, ut nec cùm vera dixerint, fidem inveniant.* Et ob hanc causam dæmoni vera dicenti silentium imposuit Salvator. Dæmon Christi Domini divinitatem & sanctitatem prædicat : Et comminatus est ei Jesus, dicens : Obmutesce. Et ut animadvertit S. Ephrem : *Dominus ne vera quidem audire à dæmonibus voluit , orationi mendacis noluit aurem præbere.* Uti Salvator noluit aurem præbere dæmoni etiam vera dicenti, ita sapientes non adhibent fidem homini mendaci etiam cùm verum loquitur , quia ad suum dedecus & ignominiam diabolo associatur.

D. Hiero. ep. 34
Marc. 1
De Morb. ling.

3. *Diabolus à primordio mendax*; & ut fatur dilectus Discipulus, *cùm loquitur mendacium, de proprijs loquitur*: quia, ut expendit D. Augustinus, [secundùm seipsum vivere noluit, quando in veritate non stetit : ut non de Dei, sed de suo mendacium loqueretur, qui non solùm mendax, sed etiam mendacii pater est , primus est quippe mentitus , & à quo peccatum , ab illo cœpit esse mendacium.] Quomodo autem homo assimiletur diabolo, declarat D. Augustinus: [Non enim habendo carnem, quam non habet diabolus ; sed vivendo secundùm seipsum , hoc est , secundùm hominem, factus est homo similis diabolo] Ex D. itaque Augustino vivere secundùm Deum ejusque voluntatem, est in virtute stare ; vivere autem secundùm seipsum propriamque voluntatem, hoc est mendacium: *Quid hac voluntate mendacius*? Ideoque *cùm vivit homo secundùm hominem, non secundùm Deum, similis est diabolo, quia nec Angelo secundùm Angelum, sed secundùm Deum vivendum fuit ut staret in veritate, & de illius veritate, non de suo mendacium loqueretur.* Verùm etsi tum Angelus, tum homo peccando, mentiatur ; quia non vivit secundùm Deum qui veritas est, sed secundùm seipsum , propriâ & perversâ voluntate contra Dei voluntatem deviando à rectitudine & voluntate , in qua fuerat à Deo productus*: inde non frustra dici potest, omne peccatum esse mendacium.* Ultra hoc mendaciū latè sumptum diabolus dicitur author mendacii strictè sumpti; quia, ut ait Eterius Episcopus in Bibliotheca Patrum : *Ipse est author peccati, qui genuit mendacium, & quia mendacium genuit, pater mendacij est.* Quomodo autem genuit diabolus mendacium, divinè suo more explicat D. Aug. *Non enim omnis qui mentitur, pater mendacij sui est. Si enim ab alio mendacium accepisti, & dixisti, tu quidem mentitus es proferendo mendacium, sed pater mendacij ipsius non es, quia ab altero accepisti mendacium: diabolus autē à seipso mendax fuit: mendacium suum ipse genuit, quod à nemine audivit.* Veritas cibus Angelorum, illâ cœlestes spiritus nutriuntur: idoneum diaboli alimentum mendacium,

Tertull. l. adv. Prax. 1.
Joan. 8
L. 14. Civ. 2.
L. 14. Civ. 2.
D. Aug.
To. 8 l. 2 de Christo
Tract. 42. in Joan.

mendacium, hoc pascitur, hoc adipatur: quomodo D. Augustinus intelligit
L. 3. cont. Crescon 9 illud oraculum à sapiente prolatum: Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos,
Tertull. id est *mendacium fit esca spiritibus malis*. Hâc escâ saginantur, *& quæ illis accuratior pastura est* quàm ut generando mendacium, hominem à veritate dimo-
Apol. 23 veant? ut constat in colloquio, quod inivit cum primis parentibus, *deferendo*
Tert. l. 2 adv. marc. 10 *de Deo, & quidem falsum: primò quod Deus illos ex omni ligno edere vetuisset; dehinc, quasi morituri non essent si edissent; tertiò, quasi Deus illis invidisset divinitatem*. Tot condensatis mendaciis primos homines elisit dæmon, & quotidie in eorum nepotibus generat mendacium. Quod mirum in modum elu-
D. Aug. cidat D. Augustinus, *quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem; sic diabolus*
Tract. 42 *lapsus genuit quasi filium mendacium*. Illustris sanè & gloriosa veritatis gene-
in Joan. ratio, quæ à Deo patre nascitur; turpis & abjectissima mendacii nativitas, quæ à patre diabolo oritur. Hâc ignominiâ plectuntur mendaces, ut diabolum agnoscant in patrem, quemadmodum homines veraces, filii lucis & dome-
Joan 8 stici Dei: de divina familia deputantur, ita mendaces de satanæ familia censentur. Quibus exprobrat Salvator, [Vos ex patre diabolo estis, quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus.] Quænam major potest concipi ignominia, quàm esse dia-
D. Ambr. boli filium, *non utique successione carnis, sed criminis*? Qualis pater, tales filii;
l. 4. in Luc. scelerosus, infamis, & abjectus est pater, scelerosi, infames, abjectissimi filii, adeò est mendacium criminosum, probrosum, & injuriosum.

III. PARS Mendacium ita est à Deo alienum, ut nullatenus possit mentiri. Hoc argumento utitur Tertullianus adversus Marcionem, impossibilem carnis resurrectionem asseverantem; quantumvis humanæ rationi repugnare videatur carnis resurrectio, hanc tamen non modò possibilem, verùm etiam futuram
Lib: 3. adv. marc. divinus sermo testatur. At multò est *difficilius Deo mentiri, quam carnis veri-*
9. *tatem unde unde producere*. Quapropter etiamsi aliundè homines non dimoverentur à mendacio, hoc unum eis deberet illius horrorem ingenerare: *pro-*
Tert. l. 3. *pter Dei veritatem à mendacio & fallacia extranei*. At proh dolor! tantum
adv. marc. abest, ut propter Dei veritatem abstineant à mendacio, quin imo in Deum,
9. & in semetipsos injuriosi mentiendo, 1. Deo honorem denegant. 2. ad veritatis necem attentant. 3. sibimetipsis supplicia parant.

Tertull. 1. *Nec putem disputandum an dignè Deus prohibeat nomen & honorem suum*
Scorp: 4 *mendacio addici*. Est propositio per se nota, Deo præstandum honorem, veritate autem honoratur Deus, mendacio dehonestatur. Quàm injuriosum sit Deo mendacium, recognosces Christiane, si attentè cogites Deum esse veritatem, cujus nomen veritatis professione magnificè honoratur, & quodammodo gloriosum redditur. Quapropter Hebræi à Deo edocti, cùm vellent audire veritatem, solebant dicere: *Da gloriam Deo*, quia in commemoratione
Josue 7 veritatis, laus & honor redditur Deo. Mercurius quoque Trismegistus nun-
Joan. 9 cupatus, asseverat mundi opificem Deum *in veritatis solio considere*. Regius adhuc Vates Christum Dominum propter veritatem, ubique prosperantem

& re-

& regnantem decantat: *Intende, prosperè procede, & regna, propter veritatem.* Ps. 44
Veruntamen multi divinam dedecorant veritatem, eique debitum non reddunt honorem: 1. Ethnici: *Siquidem Philosophi vera quaque & consonantia Prophetis aut aliunde commendant, aut aliorsum subornant cum maxima injuria veritatis, quam efficiunt aut adjuvari falsis, aut patrocinari.* Tert. l. de An. 2 Nonnullas veritates à Prophetis mutuârunt Philosophi, quas velut propria inventa sibi arrogârunt: alias adhuc veritates naturâ duce comparârunt, utrasq; subornârunt, eas vel sub fabulis occultantes, vel ad falsitatis auxilium & patrocinium adhibentes: ideoque Philosophorum damnat inscitiam aut nequitiam: *Ex veritate mendacium struitur, superstitio compingitur.* Tert. l de Jejun. 16 2: Hæretici, qui à fide in hæresim lapsi, veritates Catholicas quas in Ecclesia didicerunt, suis erroribus pervertunt: *Hac est justificatio, non dico jam quæ futuras hæreses pronuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt: sed non fuerunt ex illa, ex quo facta sunt adversus illam. Etiam de oliva nucleo mitis, & optima, & necessaria, asper oleaster oritur; etiam de papavere ficus gratissima & suavissima, ventosa & vana caprificus exurgit: ita & hæreses de nostro frutice, non nostro genere, veritatis grano, sed mendacio silvestres.* Tert. l. de Præscr. Hæret. 36 Ecclesia Catholica est columna inconcussa veritatis, cujus integritatem fideliter & inviolabiliter servat. Nam *hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequij, non immutare sententiam, nec variare judicium.* Tert. l. de Spect. 20. Hæresis autem Dei excutiens timorem, divinis mandatis inobsequens, veritatis integritatem dividit, disciplinæ plenitudinem contemnit, *plurimum mendax neque cùm aliquid veri affert, sine mendacij vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate.* Tert: Apol: 7 3. Mendaces, qui veritatem furantur. Spiritus sanctus est veritatis Dominus. Hunc ad docendam veritatem miserunt Pater & Filius in mundum; Spiritus ille veritatis dominus & magister, veritatem quasi rem suam velut mutuò largitur hominibus; mendaces verò mendacium pro accepta veritate reddentes, sunt injustè rapaces, boni Spiritûs sancti furaces, ut bellè fatur S. Antiochus: Hom. 66 *Quotquot semet irretiunt, mendacium funiculis frustrantur, & elidunt Dominum, fiuntque prædones Domini, dum id quod penes se depositum est, non reddunt incolume & sanum. Spiritum enim acceperunt nullo contagio mendacij decolorem; nunc si reddiderint Domino interstinctum varijs mendaciorum vocu, utique videri possit contaminâsse depositum, quo fit ut dici debeant rei alienæ suppilatores.* Et quasi parum sit mendaces mutuatam à Spiritu sancto contaminâsse & subripuisse veritatem, quod est multò longè scelestius, mendaciis suis Deum negant: O Deus! exclamat Vates Regius, *in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Ps. 65 Eusebius in Catena legit, *minimè credent*: quasi non credere vera dicenti, sit illi mentiri. Oleaster vertit, *deficient tibi.* Deuter. 33 Hebræa verò & Græca lectio habent, *negabunt te.* Ecce tibi non bona mendacii elogia ex Psalmo & Deuteronomio desumpta: ubi ponitur tanquam sinonymum, *mentientur tibi, deficient tibi, negabunt te.* Heu quoties mendacium apostasia à fide est & Dei abnegatio, adeò religioni injuriosum

est

est mendacium, ut atheos inveniat, aut faciat; in Dei contumeliam, in mendacii officina atheismus exciditur. Hujus veritatis adsunt duo testes omni exceptione majores: Moyses & David, qui pro eodem usurpant, *morientur tibi. deficient tibi, negabunt te inimici tui*, qui ad veritatis tuæ necem attentant.

Lib. de Carn Chr. 5. Serm: 1 de Decoll. Joan. Bap. D. Aug. Tract. 41 in Joan. Ps. 84

2. Marcion nuncupatur à Tert. *interfector veritatis*; quia Christo veram denegat carnem. Marcioni similis mendax, suis mendaciis etiam Christum negat: nam ut ratiocinatur D. Aug. *Si Christus est veritas, profectò Christum negat, qui veritatem; omnis autem negat verum, qui mendacium loquitur.* Quantum est Deo injuriosus mendax, qui suis mendaciis negans veritatem, negat unigenitum Dei Filium: nam *ipsa veritas est Verbum Dei, Deus apud Deum unigenitus Filius: hæc veritas carne induta est propter nos, ut de Maria Virgine nasceretur, & impleretur prophetia: Veritas de terra orta est.* At quid incommutabilis veritas de terra orta est, nisi ut doceret hominem loqui veritatem? In Hebræo habetur: *Veritas de terra effloruit.* Sumpta metaphora à stipitibus, quæ florere nequeunt nisi de cœlo pluviam recipiant. Terra homo de se non habens nisi mendacium, ut florere & germinare posset, cœlesti imbre est fœcundatus; veritas de Virgine orta est, de terra effloruit, ut terra mendacii ferax & veritatis infœcunda, non amplius mendacium, sed veritatem produceret: At, ut obploirat Tertullianus: *cum odio sui cœpit, simul apparuit inimica esse: tot hostes ejus quot extranei, & quidem propriè ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri.* Adde ex malitia mendaces. Unde Forerius acutè observat, ex Gentilibus atque Judæis nullum mendacem fuisse ad veritatem conversum. Ex superbis & Ecclesiæ persecutoribus Christus Saulum elegit; ex avaris & publicanis, Matthæum; ex fornicantibus, Magdalenam; ex adulteris, Samaritanam; ex latronibus, Dismam; ex idololatris, Centurionem; at ex mendacibus neminem, quia mendacium Christo repugnat qui est veritas, & veritatem diligit. Quod Gentiles erroribus dediti oderint Christum, *mirum non est, quòd ab inimica falsitate patitur veritas.* Magis est stupendum quòd Judæi humanatam veritatē insequantur, ut ream accusent, & judicibus plectendam tradant: *Qui veritatis jura spernit, Christum, qui est veritas, prodit:* at prorsus horrendū & intolerabile est, quòd Christiani Christi domestici ad veritatis necem attentent: *Quantum in mendacibus est, immortalem & æternam veritatem, quæ Deus est, destruere moliuntur.* O temerariam mendacii insolentiam! attentatæ clanculum blasphemiæ ream, crucifigentes carnifices deicidii reos, mendacium sacrilega audacia imprudenter æmulatur: summæ & æternæ veritati insidiatur mendax quantum in se & illam interimere molitur. *Non enim potest ædificare mendacium sine demolitione veritatis*: at in vanum immortali veritati nititur mortem inferre, sibi mortem & supplicia de facto parat.

Apol. 7

Phil. Jud. l. de Cherubim.

V. Beda in c. 2. Luc.

Laur. Just. l. de Vita Solit. c. 4

Tert. l. 2 adv. Marc. 1.

3. Mendacium mendaces reddit odibiles Deo & hominibus. Deo quidem, quia *non amat falsum author veritatis.* Homines etiam; Artaxerxes Rex Persarum adeò oderat mendacium, ut mendacis linguam triplici clavo transfigi

Tert. l de Spect. 23

figi jusserit. Claudius Imperator, Spartiano teste, ut intellexit quendam Pamphilium obiisse, de quo constabat nunquã in vita sua dixisse verum, jussit cadaver ejus inhumatum objici bestiis vorandum omnia, bona fisco addici, domum funditùs everti, uxorem & liberos in exiliũ mitti, ut homo mendax totus interiret. Etenim mendacium est *verbum ædificatorium mortis* Mendaces frustra molientes immortali veritati mortem inferre, sibi mortẽ inferunt. Nam ut subjungit laudatus jam Laurentius Justin. *Hoc verò dum agunt, illam in nullo lædunt, illi nequaquam detrimentum inferunt; se perimunt , quemadmodum in Sapientia volumine continetur: Os quod mentitur, occidit animam*; quando scilicet quod profert mendacium, est peccatum mortale. Æterna veritas est immortalis, anima etiam humana est immortalis; mendax volens occidere immortalitatem, animam suam immortalem occidit : &, ut fatur Eusebius Emissenus, *animam penetrat, ac novo violentia genere infert ei mortem, quam non potest facere mortalem*. Quomodo autem mentiens suam interficiat animam, acutè declarat Cæsarius Arelatensis: *quia in se admittit diabolum, qui animæ est interfector*. Quasi homo mendax energumenus sit, ac maligni spiritûs domicilium. Spiritus sanctus, qui est veritatis dominus, est *animator* illorum, qui amant veritatem, in eisque inhabitat; quapropter *necesse est ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritati omninò innitatur, ut Spiritus ille veritatis qui idem Deus est, intelligatur in hac carne sibi delegisse domicilium , qui per hoc apud omne humanum genus comperietur veridicus, atque ita demum glorificabitur Dominus habitans hominem, dum in omni verbo verax est Dominus, nec ullum possit de ipso deprehendi mendacium*. Verax Spiritus veracem hominem tanquam proprium domicilium elegit, & in illo loqui videtur. Quòd si homo verax esse desierit, & falsa loquitur, mendacem illum quantocius Spiritus sanctus effugit, ne illi ullo modo adscribatur mendacium, ne & ipse Spiritus veritatis mendax habeatur falsidici hominis mendacio. Uti autem Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, in homine veraci inhabitat, per os ejus loqui dicitur; ita malignus spiritus in corde mendacis inhabitat, per os ejus loquitur, illumque tandem ad infernum secum deducet, ut mendaciorum luat pœnas. Non minori supplicio dignum censebat Demosthenes hominem mendacem verba subvertentem, quàm nummos adulterantem. Eadem est ferè mens D. Thomæ, qui assimilat mendacium falsæ monetæ, quam omnes rejiciunt; additque Doctor Angelicus: *Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit & imaginem; hic mendax est ab initio: aliquando ergo auditurus est princeps mendax, (qui denarius falsus est) verba illa: Cujus est imago hæc & superscriptio? & cùm responsum fuerit, diaboli, dicetur statim: Reddite ergo quæ sunt diaboli diabolo*. Christiane, non sis mendax, ne reddaris mendaci diabolo in æternum cruciandus. Esto verax, & sic redderis Spiritui sancto, Spiritui veritatis in cœlo beandus. Nam ut asserit D. Aug. *ille merebitur habitationem illam, qui etiam in hac vita oderunt mendacia , eaq; cavent fragrantissima amore veritatis*. Sectare Christiane, veritatem in terra, ut cœlestem habeas habitationem.

Tert. l. de Car. Chr. 17

Sap. 1

Exhort. ad pleb.

Ser. 35. de Energum.

Tert. l. adv. Herm 31.

S. Antioc. Hom 66

Opusc. de Erudit. princ.

Lib. 2. de Gen. con. Manich. c. 21

CONCIO SEXTA.

Tert. l. de Pœn. 4

Deus jurans etiam Vivo dicens, cupit credi. Multiplex est discrimen inter divinum & humanum sermonem. 1. Homo post naturæ corruptionem mendax est, id est, ad mendacium pronus: Deus verò ex sua natura est summè verax. 2. Homo falli, & fallere potest: falli ex defectu cognitionis, fallere ex defectu bonitatis. Deus utpote infinitâ sapientiâ & bonitate præditus, neque falli, neque fallere potest. 3. Homo per majorem suî jurat, nempe per Deum: *Hoc est jurare, Deum testari*: Deus non per majorem jurat, sed per semetipsum: *Et per quem jurat Deus, nisi per seipsum? non enim habet majorem per quem juret.* 4. Homo adhibet juramentum, ut Deum in testem advocans confirmet quod asserit, vel quod promittit: jurans Deus *per seipsum confirmat promissa sua, per seipsum confirmat minas suas.* Unde exclamat Tertullianus: *O beatos nos, quorum causâ Deus jurat! ô miseros, si nec juranti Deo credimus!* Nam ut subjungit D. Augustinus: *Loqui Deum magnum est, quanto magis jurare Deum?* 5. Homini competit juramentum ex trino defectu: scilicet cognitionis, veritatis, & credulitatis. Ex defectu cognitionis, quia futura, absentia, & occulta non cognoscit. Ex defectu veritatis, quia ut plurimum labitur in mendacium. Ex defectu credulitatis: *A malo incredulitatis eorum, qui non aliter moventur ad fidem.* Idcircò contra tres illos defectus institutum est hominis juramentum, scilicet ratione cognitionis habendæ, veritatis acquirendæ, credulitatis ingerendæ: quia jurare nihil aliud est, quàm adducere in testem Deum, qui cùm sit summè sapiens, verax, & credibilis, supplet defectum humanæ cognitionis, veritatis, & credibilitatis. Deo autem ob nullum defectum competit juramentum, sed ut infallibilem suam veritatem juramento confirmet: *Quid est veri Dei veracisq; juratio, nisi promissi juratio?* Inde D. Augustinus alloquitur hominē: *Si ergo tu jurando testaris Deum, cur non & Deus jurando testetur semetipsum? Vivo ego, dicit Dominus, juratio ei est.* Vivo ego infinita sapientia omnia perfectissimè cognoscens: Vivo ego infallibilis veritas mentiri non valens: Vivo ego summâ credibilitate pollens. Tandem *Dominus ergo jurat, qui hominem prohibet à jurando? an fortè ideò magis hominem prohibet à jurando, ne in perjurium prolabatur? Et ideò magis Deus jurat, quia non potest esse perjurus? Homo enim qui per consuetudinem jurandi potest linguâ in perjurium prolabi, benè prohibetur jurare; tantò enim longius erit à perjurio, quantò longius erit à jurando.* Qui enim jurandi habet consuetudinem, falsum persæpè jurat, & in perjurium cadit, de perjurio in blasphemiam labitur; quapropter Christianus, 1. non sese juramento assuescat. 2. perjurium fugiat. 3. blasphemiam horreat.

Hebr. 6; D. Aug. in Ps. 109; D. Aug. in Ps 94; D. Aug. ib.; L. de Pæn. 4.; D Aug. in Expos. Ep. ad Gal. c. 1; D. Aug. l. 16. de Civit. 32; In Ps. 109; D. Aug. in Ps. 109

I. PARS. Tert. l. de Idol. 22.

Præscribit Christus non esse jurandum. Tempore quo Salvatur conversabatur

batur inter mortales, duplex apud Pharisæos circa juramentum vigebat error. Unus, his verbis ex Exodo desumptis: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, prohiberi duntaxat perjurium, non verò juramentum leve & vanum. Alter, licitum esse per creaturas temerè jurare, imò & pejerare. Christus Dominus utrumque rejecit errorem: *Ego autem dico vobis non jurare omninò*; sive per Deum, sive per creaturam, vel falsum, vel etiam verum, scilicet vanè & leviter juxta Pharisæorum mentem. Domini referens verba Jacobus Apostolus ait: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum.* Ex his locis perperam Wicleph damnatus in Concilio Constantiensi, & post ipsum Anabaptistæ, docent nullum juramentum licitum esse Christianis. De fide namque est interdum licitum esse juramentum assertorium, promissorium, & execratorium. Assertorium, quo res præterita vel præsens asseritur, in cujus veritatem testis invocatur Deus. Promissorium, quo promittitur aliquid faciendum in futurum, in cujus confirmationem testis adducitur Deus. Execratorium, quo aliquid asseveratur, & Deus inducitur non solùm in testem veritatis, sed etiam in vindicem mendacii. Trinum illud juramentum protulit Apostolus. Promissorium, de quo sic loquitur ad Philippenses: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Assertorium, quo apud Thessalonicenses ab adulatione & avaritia se immunem affirmat: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, neque in occasione avaritiæ: Deus testis est.* Execratorium, quo utitur apud Corinthios, ut demonstret firmam & constantem prædicationis suæ veritatem: *Ego autem testem Deum invoco in animam meam.* Quasi dicat: Si mentior, Deus vindex puniat, & damnet animam meam. Olim veteres jurabant levantes in cœlum manum, ut constat ex Abraham: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ*: quem testem & vindicem invoco. Hoc ritu significabant: quòd sicut stant & perdurant cœli, sic firma futura esset res quam jurando promittebant, vel potius cæremoniâ illâ testabantur, Deum residere in cœlis quasi in solio majestatis suæ. Anima enim solo naturæ instinctu *judicem quoque contestatur illum, Deus videt, & Deus mihi reddet. Denique pronuntians hæc, non ad capitolium, sed ad cœlum respicit: novit enim sedem Dei vivi.*

Cap. 20
Matth. 5
Cap. 5
Sess. 8
Philip. 1
1. Thess. 2
2. Cor. 1
Gen. 14
Tert: Apol. 17

Ex his constat juramentum ex sua natura bonum, esseque religionis actum. Ut enim honoratur Deus per sacrificia, ita & per juramenta. Per sacrificia honoratur Deus tanquam suprema majestas. Per juramentum honoratur Deus tanquam prima & immutabilis veritas: *Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat.* Christus itaque non vetat absolutè juramentum in se bonum & licitum, tum in veteri, tum in novo Testamento; sed prohibet juramentum leve, temerarium, & frequens, quod vergit in divini nominis contemptum, religionis Christianæ vituperium, & jurantis damnum: *Duo sunt quæ nunquam damno: veram jurationem, & nullam jurationem. Damno autem falsam jurationem, falsa juratio exitiosa est; vera juratio*

D. Hier. in cap. 5 Matth.
D. Aug. Ser. 28. de Verb. Apost.

 peri

periculosa est, nulla juratio secura est. Utinam ad hæc attenderent, qui 1. in Dei contemptum jurant otiosè & leviter. 2. in Christianæ religionis vituperium, jurant temerè & imprudenter. 3. in animæ suæ damnum jurant ex consuetudine & frequenter.

Tert. l. de Idol. 20

1. Juramentum otiosum & leve est prohibitum: *Nam est in prima parte legis: Non sumes, inquit, nomen Dei tui in vanum.* Neque solùm in veteri lege, sed etiam in Evangelio illud inhibet Dominus Christianos erudiens: *Sit autem sermo vester: est, est; non, non.* Quasi dicat: Sermo vester sit simplex affirmatio aut negatio sine juramento, ut quod est, dicatis simpliciter esse; quod non est, non esse. Subjungit Christus: *Quod autem his abundantius est, à malo est.* Ly *malo* in masculino genere accipit Theophylactus, quasi *à malo*, scilicet à diabolo, qui tanquam omnis mali auctor instigat hominem, ut frustra juret. Aliter expendit ly *à malo* D. Augustinus, vel à malo hominis loquentis, qui non valet occultas mentis demonstrare cogitationes, vel adhuc à malo loquentis jurantis, *aut cupiditate, aut delectatione jurandi; quod multi faciunt in ore jurationem habentes, tanquam magnum atque suave aliquid.* Vel tandem, ut subjungit D. Augustinus: *à malo infirmitatis aut incredulitatis eorum, qui non aliter moventur ad fidem.* Beati in cœlo non jurant, quia non sunt de justitia & falsitate suspecti, & Angeli sibi mutuo imprimunt intellectûs sui cognitiones. In paradiso quoque terrestri illicitum fuisset juramentum, si homines in veritate stetissent: *Unde igitur ingressum est juramentum? Quando mala creverunt, quando omnia simul sursum ac deorsum facta sunt, quando ad idololatriam inclinaverunt. Tunc sanè quando infideles apparuerunt, Deum vocabant testem, quasi fidejussorem dantes dictu satisfacturum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidem non habent: ubi primum taxatur is qui jurat, si ei fides non habeatur absque fidejussore, & fidejussore maximo. Et quia tam parum homines sibi credunt, non hominem quærunt sibi fidejussorem, sed Deum.* Ex malo naturæ corruptæ orta est juramenti necessitas, ex defectu veritatis in homine loquente, & credulitatis in audiente. Itaque *omnis juratio circumcisa est, sed ab ore cordis: ut nunquam voluntatis approbatione fiat, sed necessitate infirmitatis alterius, cui non aliter videtur persuaderi posse quod dicitur, nisi jurando fides fiat. Aut ab illo malo nostro, quod hujus mortalitatis adhuc pellibus involuti cor nostrum non valemus ostendere: quod utique si valeremus, juratione opus non esset.* Sive autem malo nostro, sive malo alieno inducta sit jurandi necessitas, nullus tamen, ait D. Augustinus, quantum in se est, debet affectare, amare, & quasi bonum cum aliqua delectatione appetere juramentum; [Licèt enim non sit de se malum, si cum debitis circunstantiis fiat, non debet tamen fieri libenter & leviter; sed tantùm quando illud extorquet alterius incredulitas.] Et ita intelligitur, ait D. Augustinus, præcepisse Dominum ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum: *Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrenat se quantum potest, ut eâ non utatur nisi necessitate, cùm*

Matth. 5

In Expos. ep. ad Gal. c. 1

D. Chrysost. hom. 9. in c. 3 Act.

D. Aug. l. de Mendac. c. 18

L. de mendac. c. 15

L. de Serm. Dom. in Mont. c. 30.

videt

videt pigros homines esse ad credendum quod eis est utile, nisi juratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur: Sit autem sermo vester, est, est; non, non: hoc bonum est & appetendum, quod autem est, à malo, id est, si jurare compelleris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades, quæ utique infirmitas, malum est. Malum quoddam morale, ad irreverentiam erga Deum spectans, sed malum in statu naturæ necessarium: sicut in se malum est hominem occidere, at ubi adsunt debitæ circunstantiæ, bonum & laudabile est hominem occidere; ita malum est leviter & vane jurare, at vere jurare, cum urget necessitas, bonum est. *Si peccatum esset juratio, nec in veteri lege diceretur, Non pejerabis, sed reddes Domino juramenta tua: non enim peccatum præciperetur nobis: Itē non vobis dicimus vos non jurare; si enim hoc dicimus, mentimur; quantum ad me pertinet, juro: sed quantum mihi videtur magna necessitate compulsus: cum video nisi faciam, mihi non credi, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit. Hac perpensa ratione & consideratione librata, cū magno timore, dico, Coram Deo: aut, Testis mihi est Deus: aut, scit Christus quod sic est in meo animo: & video quod plus est, quam est, est: non, non: sed quod amplius est, à malo est non jurantis, sed non credentis.* Non ad delectationem sed ad necessitatem adhibetur remedium: Ex D. autem Thoma, *juramentum non aliter ac medicamentum, nonnisi cogente necessitate usurpandū.* Necessariū est autem juramentum, vel ratione pacis aut concordiæ conservandæ; vel ratione criminis expurgandi, aut famæ recuperandæ; vel ratione fidelitatis præstandæ; vel obedientiæ observandæ; vel ratione consanguinitatis, aut parentelæ contrahendæ; vel ratione notificandæ rei, aut veritatis declarandæ. Qui absque recta intentione & bono aliquo fine jurat, reverentiam Deo non præstat.

D. Aug. Ser. 28. de Verb. Apo

Opusc. 4.

Quapropter qui debitam Deo nequeunt reddere reverentiam, specialiter excluduntur à solemni juramento, & hoc propter defectum rationis, criminis, & divini honoris. 1. Ob defectum rationis, ut pueri, qui ante annum pubertatis juramento debitam non adhibent reverentiam: Ut enim ait D. Ambrosius: *Nemo bene jurat nisi qui potest scire quod jurat: jurare igitur judicium scientiæ, testimoniū conscientiæ est.* 2. Ob defectum criminis, perjuri excluduntur à juramento, de quibus præsumitur ex retroactis, quod non exhibebunt debitam reverentiam juramento. 3. Ob defectum divini honoris, non jejuni excluduntur à juramento: honestum enim est ut qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & Dei timore: Quapropter Isaac & Abimelech rex Geraræ (surgentes mane juraverunt, scilicet expendit Lyranus, *saliva jejuna propter reverentiam juramenti.* Bene pransus & largius potatus tanquam mendacii & perjurii suspectus à juramento excluditur, jejunus requiritur *adhuc in virgine saliva*, ut debita reverentia juret: docet enim etiam Philosophus, *juramentum esse summo honore dignum.*

Ser. 14. in Ps. 118.

Gen. 26.

Tert. l. de jejun 6.

Juramentum autem non honorant qui absque ulla necessitate jurant, affectantque & amant jurare; divinæque adversantur dilectioni: Etenim *assumere nomen Dei in vanum, vel reverentia dignum non existimare, ubicumque no-*

Rup. l. 2. in Exod. 42.

 men

men Domini fuerit invocatum, dilectioni Dei omnino est adversum. Tanta est divini nominis majestas, ut non sit in testem vocandus, nisi manifesta cogat necessitas. Qui Deum in testimonium vocant ultro & ob res viles, illum in-honorant. Injuriosum esset regi, si quis eum pro uno aureo citaret, & vocaret in testem, quanto magis irreverens & Deo contumeliosum, vel absque ulla legitima causa, vel pro re vili & nullius momenti, illum in testimonium vocare? Tanto in honore habebatur Dei nomen apud Hebræos, ut religionis & reverentiæ causa illud pronuntiare & effari non auderent. *Hic nomen eloqui, nec jus, nec fas est*, ait Josephus; soli Sacerdotes & Pontifices, in sacrificiis, in solemni populi benedictione & ingredientes in Sancta Sanctorum illud magna cum veneratione pronuntiabant: quod adhuc ob religionem & reverentiam summus Pontifex gestabat in thiara sua super laminam auream insculptum, quod Josepho teste Alexander magnus occurrens Jaido pontifici, humi procumbens reverenter adoravit. Nonne Judæorum veneratio Christianorum arguit contemptum, qui singulis diebus nulla de causa proferunt Dei nomen, minus venerantes Deum quam regem, ut Romanis exprobrat Tertullianus: *Citius apud vos per omnes Deos quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Nulla ex vobis audet in vanum proferre imperatoris nomen: *Siquidem majore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de olympo Iovem*; majorem præstatis imperatori reverentiam quam vestris numinibus. *Adeo & in isto irreligiosi erga Deos vestros deprehendimini, cum plus timoris humano domino dicatis.* Nonne hæc exprobratio in Christianos cadit, qui plus timent & reverentur regem quam Deum, qui verentur regis contemnere nomen, & Dei nomen despicere non verentur? *Imo jam per Deos dejerandi periculum evanuit: quod & ipsum ad offuscationem pertinet Deorum vestrorum: facilius enim per Cæsarem pejerantes, quam per ullum Iovem.* Quod Romani gentiles plus honorem detulerint Cæsari, quam Jovi, magis extimuerint imperatorem, quam deos fabulosos & fictitios, mirum non est: *Quid enim? ex viventibus quilibet, non mortuo potior?* At nonne est stupendum quod Christiani fide illustrati minus metuant Deum immortalem, quam homines mortales, cum honore regium proferant nomen, Deum jurent vane, inutiliter, leviter, in contemptum supremæ majestatis, & adhuc in contumeliam & vituperium Christianæ religionis Deum adhibeant in testem temere & imprudenter?

Philo Jud. in Vit. Moys.

Apol. 28

Tert. l. 1. ad Nat. 10

Tertull. Apoll. 28

2. *Scriptum est: Non sumes nomen Dei in vanum*; scilicet per juramentum illicitum. Tertullianus Christianum nuncupat *veritatis integratorem*; quia ejus vita veritati præstat auctoritatem, vicemque obtinet juramenti. *Christianus verum loquatur, neque jurationibus crebris, sed morum probitate, commendet veritatem.* Et ut fatur Alexandrinus Clemens; *Oportet eum habere vitam fide dignam, ut ne postuletur quidem ab eo juramentum?* Juramentum necessarium est ad faciendam fidem; vitæ autem probitas absque ullo juramento sermoni præbet auctoritatem, eumque efficit fide dignum. Nam ut subjungit

Tert. lib. adv. Prax. 7. Apol. 46: D. Aug. l. de Ser. Dõ. in Mont. L. 7. Strõ

Stroma-

Stromatæus; *ubinam ergo est amabilius opus juramento ei, qui ita vivit, ut qui perveneris ad summum veritatis?* nam ipsum Deum æmulans, suis moribus velut tot juramentis, veritatem confirmat. De Deo sic fatur Philo Judæus: *Ipsa Dei verba juramenta sunt; quod effectu non caret quidquid ille dixerit quod juramenti est proprium: unde consequitur omnes Dei sermones esse juramenta per effectus suos confirmata.* Non absimiliter vita Christiani probitate præditi, juramenti habet effectum: & ut aliorsum docet Philo Judæus, *quidquid vir bonus asseverat, perinde ac jurato credi debet, cum verbum ejus firmum sit, ac rigidum, nullo mendacio flexibile, veritate in qua fundatur, subnixum.* Christianus qui sibi veracis & probi comparavit famam, non velut sese mendaciis & depravatis moribus devenustare, sed acquisitam existimationem sollicite nititur conservare. *Qui est semel fidelis quemadmodum seipsum infidelem prabuerit, ut etiam opus habeat jurejurando, & non ita vitam gesserit, ut ea sit firmum ac definitum jusjurandum?* Vitæ probitas dum fidem adstruit, juramenti destruit necessitatem. Be'le ad propositum Plutarchus: (Juramentum homini libero pro tormento est: Unde Romani à servis veritatem per tormenta extorquebant, à cive juramento; à sacerdote solo verbo.) Deus formando hominem, fecit eum *religionis suæ sacerdotem*. Christianos etiam Dominus *sacerdotes Deo patri suo fecit:* quapropter eorum tum verba, tum opera, adeo vera & & sancta esse debent, ut pro juramentis habeantur. Si Josepho teste *Esseni omne quod dicunt juramento fortius habent;* quanto magis Christiani *certe sacerdotes à Christo vocati*, ut in suis dictis sacramenti præ se ferant auctoritatē?

L. 2. Allegor. — Lib. 1. de special. Leg. — Clē. Alex. l. 7. Strom. 1. — In Problē. — Tert. l. de Res. 9. — Tert. l. de Mon. 7. — Lib 2. c 7. — Tert. ibid.

At proh dolor! quam pauci sunt hac ætate qui tantæ respondeant dignitati, qui à juramentis abstineant, & suis moribus & virtutibus sese adeo fide dignos ac si jurarent, demonstrent? Plerique sese mendaciis & vitiis dedecorant, etiam jurantes sese fide indignos præstant. Nam juramentum transit in dedecus jurantis, quem primo sauciat dum ipse suos mores jurando culpat, & fide se prodit indignum. Illum *veritatis interpolatorem* appellare lubet, quam perversus Christianus pervertit in religionis detrimentum, jurans dolose, temerarie, & criminose. Dolose jurat dum æquivoce jurat: est enim *jusjurandum confessio definitiva, cum divina assumptione:* quapropter Jacobus Apostolus fideles hortatur ante omnia ne ullo modo jurent, sed sit sermo vester, est, est: non, non: ut non sub judicio decidatis; seu ut legit Biblia Regia: *Sit autem vestrum illud etiam, etiam: & illud non, non; ut non in hypocisim decidatis.* Dolose jurans hypocrita est, quia fingit se Christianum & studiosum & suis juramentis religionem & pietatem negat, estque hypocrisis reus; quia aliud ore versatur, aliud astute habet in mente, ex dolo aliud intendens, quam intendat ille cui juratur: *Lingua dolosa est ministra fallaciæ: lingua dolosa est aliud in corde gestantium, aliud ore promentiū: sed in his subversio, in his submersio.* Nā ut bene animadvertit S. Isidorus; (Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, accipit sicut ille cui juratur intelligit: nā ille qui in dolo juravit, dupliciter reus effici-

Tertull. Apol. 46. — Clē. Alex. l. 7. Strom. — D Aug. in Psal. 51. — Lib. de summ. Bon. c. 3.

citur. Primo, quia nomen Dei in vanum assumit; secundo, quia proximum decipit.) Dolosam illam jurationem in nonnullis Christianis culpat Tertullianus, qui *pecuniam de ethnicis mutuantes, sub pignoribus sic lucia, jurant, cavent, & sic negant scire*. Neque minus reus est temerarie jurans se non facturum aliquod majus bonum (quod tamen facere non tenetur) ut cum quis jurat, quod fiet clericus, vel religiosus, peccat jurando, ponens obicem Spiritui sancto, qui est omnis boni propositi inspirator. Tandem imprudens jurat criminose, scilicet facere aliquid quod ex sua natura peccatum est, ut de committendo adulterio, furto, homicidio: *Porro juramentum non ob hoc invenitur fuisse institutum, ut esset vinculum iniquitatis, seu cujusque criminis*. Hujusmodi juramentum non obligat, imo imprudens peccavit jurando, & peccat etiam observando: *In malis promissu rescinde fidem: in turpi voto muta decretum; quod incaute vovisti, non facias: impia enim est promissio, quae scelere adimpletur*. Cujusmodi fuit Herodis pollicitatio, qui, ut ait Rabanus, *fuit dolosus in promittendo, sacrilegus in servando*: puellae enim saltanti sub juramento imprudenter promisit se daturum quidquid peteret sive licitum, sive illicitum, & impie juratam pollicitationem adimplevit tradens saltatrici Joannis Baptistae quod postulavit caput: *Papae! prodigiosam tragœdiam jusjurandi religionem fingit Herodes!* Tale facinus ante Christianorum oculos objicit D. Chrysost. ut eos à temerario juramento dimoveat. *Etenim antea vos rogavi, ut Ioannis caput abscissum adhuc calido cruore distillans sumentes, sic domum quisque suam redeatis, & puteris ante oculos habere ipsum vocem emittentem, & dicentem: Odio habete jugulatorem meum juramentum: quod ira non potuit tyrannica, hoc perjurii necessitas effecit: & quando nempe omnibus publice audientibus arguebatur, increpationem generose tulit tyrannus: cum verò se in juramentorum necessitatem adegit, tunc illud beatum caput abscidit*. O scelus male jurantis, & juramentum scelerosius adimplentis! Temerarius fuit Herodes imprudenter jurans, at criminosus temerarium juramentum executioni mandans. *Decebat autem in hoc perjurare, & non tantum scelus operari*. Herodi similes sunt multi, qui quod temere jurant se ad juramentum adimplendum obnoxios existimant: Unus jurat se nunquam talem Ecclesiam ingressurum; alter se nunquam cum inimico reconciliandum: nec attendunt quod juratio illicita non est adimplenda: & ut fatur D. Ambrosius, *est contra officium, nonnunquam promissum solvere, sacramentum custodire: sicut Herodes, qui necem Ioannis praestitit, ne promissum negaret*: quod jurejurando imprudenti & temerario confirmarat. (Quemadmodum temeritatem jurandi vitare debeamus, Jacobus in epistola sua docet, ut non sub judicio decidatis: illo videlicet judicio, sub quo decidit Herodes, ut vel pejerare, vel ob perjurium cavendum, aliud necesse habeatis patrare flagitium: aut si aliquid forte nos incautius jurare contigerit, quod observatum in pejus vergat exitium, libere illud consilio salubriori mutandum noverimus, à magis instante necessitate pejerandum nobis, quam

pro

L. de Idol. 22.

D. Aug. Epist. 104. ad Severin Episc.

S. Isidor. l. 2. Synonym. c. 20

In cap. 6. Marc.

Basil. Seleuc. Orat. 18

Hom. 14. ad Pop.

Theophylact. in c. 6. Marc.

L. 1 Offic. 50

D. Aug. Ser. 3. de Decollat. S. Joan.

pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum.) Quod suo David docet exemplo. Juravit David per Dominum occidere Nabad virum stultum & impium, juramentum tamen non adimplevit, *nec aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse doluit*: Et ut aliorsum ait D. Augustinus, *juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate.* Restat nunc ut videamus quomodo in animæ suæ damnum nonnulli jurant assidue & frequenter. Serm. 4 de Decolat. S. Joan.

3. *Sunt quædam delicta quotidianæ incursionis ut temere jurare.* Ab hac jurandi consuetudine nos avocat Apostolus Jacobus apud D. Augustinum his verbis. (Breviter ergo audite, fratres mei, concludam sermonem fingens in cordibus vestris curam salubrem: Ante omnia nolite jurare: quare isto verbo cautos nos fecit adversus linguam nostram: Ante omnia, ait, ut attendatis; præ cæteris, ut vigiletis, ne subrepat vobis consuetudo jurandi: frænata enim restinguitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit.) Plura sunt quæ Christianum à prava illa jurandi consuetudine deterrere debent; quia 1. diabolica est. *Audisti Christi sententiam quod non pejerare tantum, verum & jurare quomodocumque, diabolicum est: Inscribe hoc cordi tuo.* 2. Christi Domini mandatum quod memoriæ est consignandum, eique submisse obtemperandum; nam ut subjungit D. Chrysostomus: *Non cernis quo pacto nonnulli secum ferunt Evangelia? Tu Evangelij mandata mente describe: non auro & argento hic opus est, nec pecunia emere librum evangeliorum, sed voluntate sola; & securius habebis evangelium, non extrinsecus, sed intrinsecus, sed in anima intus. Exurgens ergo de lecto, & domum tuam egrediens, hanc legem repete: Ego autem dico vobis, non omnino jurare, & erit tibi hæc sufficiens disciplina. Vis hoc videre? Voca filium tuum, & minare te illi plagas inflicturum, nisi hanc legem servet, & videbis quod ita cito de consuetudine jurandi desistet.* 3. Frequens illa jurandi consuetudo criminosa est: *Consuetudo jurandi est pessima, teterrima, mortifera*, ut ipsemet Deus declarat. (Non assumes nomen Dei in vanum, non enim habebit Dominus innocentem eum, qui assumpserit nomen Dei in vanum.) 4. Pœna quam incurrit qui prava consuetudine jurat: *Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa: Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Quanta damna afferat juramentum, denotatum vult D. Chrysostomus per falcem volantem quam vidit Zacharias Propheta: (Et conversus sum, & levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans: Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixit: Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum; & latitudo ejus decem cubitorum: Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ; quia omnis jurans ex hoc judicabitur: educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna ejus & lapides ejus.) Septuaginta pro ly volumen falcem volantem vertunt, quia falx symbolum est acerbæ punitionis, stragis & excidii. *Falx volans velocissimum ultionis incursum significat juramentum sequentem;*

Tert. l de Pud. 19

D. Chrysost. Hom. 19. ad Pop.

D. Aug. Ser. 28. de Verb. Apo.

Exod. 10.

Eccles. 23

Cap. 5

Hom. 27. ad Pop.

quentem; multorum vero cubitorum longitudo & latitudo, vehementiam indicat, & magnitudinem malorum: at è cœlo volare significat è superno tribunali judicium ferri: falcata vero forma inevitabilem supplicij sortem. Sicut enim quocumque falx incurrerit, non solum secum arripit, verum & caput amputat: ita & pœna jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absistit, quam quod suum est perfecerit. Falcis illius pœnalissimæ tanquam sinonymum, ponitur suppliciorum *volumen volans*; seu ut legit Symmachus, *compendium* illorum abbreviatum, compendiata supplicia, quibus criminose jurans punitur. Aliorsum

Hom. 15. ad Pop. elucidat D. Chrysostomus: *Quid est & qua de causa specie falcis, jurantes sequitur pœna? Vt ultionem inevitabilem esse, & supplicium evitari non posse, videas: ensem enim volantem forsan aliquis effugere poterit, falcem autem in collum delapsam, & pro funiculo factam, quis fugere poterit? Cum autem & alæ sint, quæ ulterius spes salutis? Sed cur lapides etiam & ligna jurantis dissolvat, ut ruina ejus corruptio fiat post jurantem mortuum:* tantam & talem stragem & vindictam conspicientes *non jurent, non eadem faciant, ne eadem patiantur. Non itaque sic pungit ensis, sicut juramentum: Sic occidit gladius, sicut juramenti plaga; jurans etsi vivere videatur, mortuus est*; mortuus gratiæ, mortuus Deo, mortuus gloriæ, mortuus cœlo.

D. Chrysost. Hom. ad Baptis. Quis damna quæ juramentum sequuntur non expavescat? *Iuramentum valde crudele, & hac de causa illud timeo, quia nullus illud illud timet.* Si enim juramentum metuerent Christiani, non adeo frequens esset inter illos, nec

Tert. l. de Spect. 20. prava consuetudine assidue Dei nomen in vanum sumerent. Et quamvis *nusquam & nunquam excusetur, quod Deus damnat*; multi tamen damnatum à Deo juramentum, pravam jurandi consuetudinem à Christo prohibitam excusare moliuntur: variasque fingunt excusationes, quibus suam tueantur pravitatem; Nonnulli 1. jurantium exempla sibi patrocinari credunt, maxime si in dignitate sint constituti, aut sacerdotali officio fungantur. *Sed ille, inquiunt,*

D. Chrysost. Hom. 14 ad Pop. *jurat, cui sacerdotium est commendatum.* Hanc excusationem rejicit D. Chrysostomus: *Nolo mihi, hunc proferas sacerdotem; sed si Petrum mihi aut Paulum narres, nec sic personarum dignitate terrebis: nam legem non servilem, sed dominicam lego; & quando imperiale constitutum recitatur, omnis servilis dignitas conquiescat. Ego autem dico vobis non jurare omnino: Cum ergo tanta provisione hoc fieri prohibeat Christus, ut in tantum maligno sociaret: nam superfluum inquit, horum diaboli est: Quid mihi alium atque alium commemoras? quid aliquorum nominas fœda? non enim ex servorum negligentia, sed ex sua præceptione sortem attribuit tibi Deus: jussit præceptis obtemperare: Non ergo aliena mala convenit imitari: magnus ille David peccavit, & grande peccatum: quid? ideo nobis sine periculo conceditur peccare? nam facta fortia debemus imitari Sanctorum, non peccata.* Non enim ad mala conservorum exempla, sed ad Domini

Tert. l. de Pud. 19 debemus attendere voluntatem, cui reddere rationem nos oportet. 2. Quidam juramenta ad vitæ societatem necessaria prætendunt: Etenim *in negotiis, in officiis, in quæstu, in victu, in auditu, quanta testamur.* Neque hanc excusationem

tionem recipit D. Chrysostomus; Et *Paulus esuriebat, & tu igitur velis prius esurire sicut Paulus quam ex Dei mandatu aliquid praeterire: elige cuncta facere & pati ne jures, & Deus te remunerabit.* Hom. 16. ad Pop. 3. Aliqui juramentum sibi necessarium asseverant, ut credantur, dictisque suis faciant fidem. Neque hæc excusatio est alicujus momenti apud D. Chrysostomum. *At, inquies, nisi juravero non credetur. Tu es hujus rei causa qui facile juras, quoniam si id non faceres, sed omnibus constaret, quod non jures, mihi crede dicenti, quod hi qui mille devorant juramenta, majorem ipse fidem solo nutu invenies: Quaero enim cui magis credatis, an mihi nihil juranti, an multum jurantibus? At dices: Tu Episcopus es: quid igitur si probavero, quod non propter hoc solum: dicito mihi si ego continue jurarem; nunquid mihi prodesset episcopatus? Vides quod quia saepe juras, non adhibetur tibi fides.* Hom. 14. ad Pop. 4. Alii, veluti cogi, ex aliorum pravitate declarant: maritus uxoris protervitate, pater filiorum perversitate juramentum suum excusat. Nunquam, inquit, jurarem, nisi me ad id vel domestici, vel vicini, vel inimici compellerent. Frigida tamen excusatio: nam qui dicit se jurare coactus, nullo cogente sæpe sæpius jurat: Ut enim animadvertit D. Augustinus; *cum aliquis fur sceleratus audit; Iura si non tulisti, si non fecisti, ab eo qui nescit an fecerit: Ille tunc, inquit, Christiano non licet jurare, Christianus sum, non licet mihi: capta talem, averte te ab illo, dissimula à negotio de quo loquebaris; misce aliquas fabulas, & invenies illum millies jurantem, qui semel jurare noluit.* Ser. 28. de Verb. Apo Deinde ut appareat hanc excusationem frivolam esse: *Sed tamen aliud habet humana pessima consuetudo: & cum tibi creditur, juras, & cum nemo exigit juras, & horrentibus hominibus juras, non taces jurando.* D. Aug Ser. 28. de Verb. Apo Inde concludit D. Augustinus: *Istam ergo jurandi consuetudinem quotidianam, crebram, sine causa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante, avertite à vobis, amputate à linguis vestris, circuncidite ab ore vestro.*

Tandem quam plures pravam fatentur consuetudinem, ad quam superandam se impotentes proclamant: neque hæc excusatio D. Chrysostomo valida videtur. *Si autem mihi consuetudinem objicias, cogita; quod apud gentiles, multi balbutientes multo labore linguam sibi claudicantem correxere;* Hom. 18. ad Pop. ut de Demosthene refert Plutarchus. Per quinquennium latitavit Demosthenes, in spelunca vixit, ut linguæ tarditatem superaret, & tu ut linguæ ad juramentum lubricitatem compescas 1. labora. *Sed major consuetudo majorem intentionem flagitat, non res levis consuetudo: si de manu aliquid faceres, facilius manui tui imperares, ne faceres: si pedibus aliquo eundum esset, pigritia retardante excitares te, ut surgeres & ires: lingua facilem habet motum, in udo posita est, facilius in lubrico labitur: quanto illa citius & facilius movetur, tanto adversus illam fixus esto: domabis si vigilabis, vigilabis si timebis, timebis si Christianum te esse excogitaveris.* D. Aug. Ser. 28. de Verb. Apo 2. Ad pravam jurandi consuetudinem superandam, abstine à juratione uno die, facilius die sequenti abstinebis. *Non fiat hodie, pigrius fiet cras, si & cras factum non fuerit, minus laboraturus est qui custodit: forsitan tertia die non fiet, minus laborante qui custodit: adjuvatur enim consuetudine* D Aug. ibid.

superioris diei. Prava consuetudo bona consuetudine vincatur, consuetudo jurandi consuetudine orandi: 3. quoties lingua profert juramentum, toties flecte genua, dic orationem dominicam: *ad aliam consuetudinem demigra: multum enim pravalet consuetudo, & jura didicit immutare natura.* 4. Si nimis reperis difficilè jurandi consuetudinem repellere, quoties tibi subrepit jurare, da assem pauperibus, vel si es egenus nec possis largiri, pecunias; 5. *ab omnibus & singulis tibi conjunctis, hoc postula beneficium, ut te jurantem arguant, ut te confundant omnes.* His remediis facile lingua domatur, superatur jurandi consuetudo. Nam 6. *quis quaso labor, juramentum fugere? nunquid sudor & arumna? Satis est tantummodo velle, & actum est.* 7. Jurandi consuetudinem à multis religiosis superatam novimus. 8. *Multo difficiliora expediunt homines, nullam inde retributionem sperantes*; ut Antiochenorum probatur exemplo: *Civitatis Antiochena balnea nunc rex obstruxit, & jussit neminem lavari, & legem transgredi ausus est nemo, aut factum incusare, aut consuetudinem pratexere.* Post tot cōdensatas rationes indignatur D. Chrysostomus adversus Christianos qui se jurandi consuetudinem superare non posse queruntur *Ne mihi aliquis jurandi consuetudinem pratendat: propter hoc enim indignor & irascor, quoniam talem vincimus consuetudinem: si enim consuetudinem jurandi non vincimus, quomodo concupiscentiam vincemus, cujus radix habet à natura principium?* Tandem 10. ut Christianum hortatur D. Augustinus: *Iurationem cave, quantum potes, quia consuetudine jurandi in perjurium sape caditur.*

D. Chrysost. ibid.

D. Chrysost. Hom. 14. ad Pop.

Hom. 19. ad Pop.

Epist. 89 ad Hilar.

II. PARS

Quamquam perjurij apud vos unusquisque purus est; Christianos omnes à perjurio immunes voluit esse Christus: *ideo dictum est ne juremus, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare peccatum immane est: à quo longe nos esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit: quamvis tamen dictum sit ne juremus, nusquam tamen in Scripturis legi meminerimus, ne ab alio jurationem accipiamus.* Ut autem juratio sit licita, debet habere discretionem, veritatem, & æquitatem. Primo discretionem, ut fiat ex causa rationabili: secundo veritatem, ut fiat de re vera; tertio æquitatem, ut fiat de re justa. Juramentum sit primo discretum seu deliberatum, ut quis non juret nisi propter necessitatem: secundo verum, ut jurans in conscientia sua firmiter sciat, vel credat verum esse quod jurat: tertio justum, ut illud pro quo vel de quo quis jurat, non sit peccatum sive mortale, sive veniale. Tres illas juramenti conditiones exprimit his verbis Jeremias Propheta: *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & justitia.* In veritate, ne scilicet juretur falsum: in justitia, ne juretur injustum & malum: in judicio, ne juretur temere, sine magna necessitate, aut utilitate: (Judicio enim caret juramentum incautum, veritate juramentum mendax, justitia juramentum iniquum.) *Animadvertendum est quod jusjurandum hos babeat comites: veritatem, judicium, & justitiam: quasi defuerint jam non est juramentum, sed perjurium.*

Tert. l. 1. ad Nat 10.

D. Aug. Epist. 154. ad Publicolam.

Cap 4.

D. Thom. 22. q. 89. a. 3

D Hieron in c. 4. Heremo.

Tribus

Tribus igitur modis committitur perjurium. Primò, quando deest veritas: idcircò dicitur mendacium juramento firmatum. Perjurium etenim est juramentum perversum, juramenti autem perversitas constituitur ex mendacio, quod evacuat veritatem, quæ est proprius juramenti finis. Secundò, perjurium committitur, quando deest æquitas: eo enim ipso quo quis jurat illicitum, falsitatem incurrit, quia obligatur ad contrarium faciendum; puta si juret se adulterium aut homicidium faciendum. Tertiò, quando deest judicium seu discretio, quia indiscretè jurans sese exponit periculo incidendi in falsitatem: at *perjurium peccatum esse, & grande peccatum nemo dubitat.* D.Aug. Serm 28 de Verb. Apost. In perjurium autem tribus modis præsertim labuntur homines: 1. jurandi consuetudine. 2. mentiendi libidine. 3. terrenorum cupidine.

1. *Caterùm consuetudinis vitium est, me Hercule dicere, accedente ignorantiâ quorumdam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem.* Tert. l. de Idol. 20 Quòd si illos redarguit Tertullianus, qui per Herculem jurant, quantò criminosiores sunt qui per Deum pejerant? *Sine ulla dubitatione minus malum est per falsum Deum jurare veraciter, quàm per verum Deum fallaciter: quantò enim per quod juratur magis sanctum est, tantò magis est pœnale perjurium.* D.Aug. ep. 154. ad Publicolam. Neque Dei sanctitatem verentur, neque ejus pertimescunt justitiam qui ex jurandi consuetudine cadunt in perjurium. Consuetudo namque jurandi *semper perjurio propinquatur.* D.Aug. ep. 89 ad Hilar. Perjurium, quod ex prava jurandi consuetudine committitur, à Christianis arcere volens Dominus ait: *Dico vobis nolite jurare omninò, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniamus, & ex facilitate ad consuetudinem, ex consuetudine in perjurium decidatur.* D.Aug. ep. 154 ad Publicolā. Paulus Apostolus Domini mandato obtemperans in suis sermonibus nunquam juravit, ne jurandi consuetudine incideret in perjurium: *Itaque & Apostolus in sermonibus, quos habuisse narratur, nunquam juravit, ne jurandi consuetudine aliquando vel nesciens in perjurium laberetur: In Scripturis autem ubi est consideratio major atque perpensior, pluribus locis jurâsse invenitur, ne quisquam putaret etiam verum jurando peccari, sed potius intelligeret humanæ fragilitatis corda non jurando tutius à perjurio conservari.* D. Aug l. 19. contra Faustum c. 23 Neque ex eo quod in suis epistolis jurat Paulus, jurandi occasionem sumere debent Christiani: quin è converso eò quòd in suis sermonibus nunquam juravit Apostolus, abstinere tenentur à juramento, ne jurationibus assueti pejerent, mendaciter & falsò jurantes: *Sed non ideò quia in suis litteris juravit Apostolus, vir in veritate firmissimus, ludus nobis debet esse juratio, multò enim tutius, quantum ad nos attinet, nunquam juramus: ut sit in ore nostro est, est; non, non; sicut Dominus monet: non quia peccatum est jurare verum, sed quia gravissimum peccatum est jurare falsum: quod citius cadit, qui jurare consuevit.* D Aug ep. 80. ad Hilar.

2. *Mendacii scalis* sublatum in cœlum Romulum dubitare potest nemo Christianus. Proculus illum ad superos ascendentem etiam pejerans asseruit. Tert. l. 4 adv. Marc. 7. Ut autem animadvertit Tertullianus: *tam liberè atque manifestè coram populo non pejeraret contemplator Proculus in cœlum recepti, nisi contemneret* L. 1. ad Nat. 10

quos dejeraret, quàm ipse, quàm ij, qui ei pejerare permittunt. Quòd si tam pejerantem Proculum, quàm Quirites Proculum per falsos deos ad perjurium provocantes culpat Tertullianus; quia hoc non potuit fieri nisi in deorum contemptum, quantum à fortiori culpandi sunt Christiani verum Deum contemnentes, sive pejerent, sive ad perjurium provocent? Pejerantes graviter peccant; tum quia perjurium Deus expressè vetat: *Non pejerabis in nomine meo*; pejerans autem insolenter divinum transgreditur mandatum: tum quia perjurium importat Dei irreverentiam. Si autem peccatum ex genere suo veniale, in Dei contemptum commissum, efficitur mortale; nonne perjurium est mortale & grave peccatum, ex sua natura importans Dei irreverentiam & contemptum? Pejerans namque vocans Deum in testem falsitatis, innuit, vel quòd veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testari velit: *Videtis quàm ista detestanda sit bellua, & ab humanis rebus sit exterminanda.* Loquitur de pejerante D. Augustinus. Provocans etiam ad perjurium graviter peccat, & velut homicida habetur à D. Augustino: nam perjurus *de suo perjurio se interimit*; ad perjurium verò temerè provocans *manum interficientis impreßit*, id est, spiritualis ejus interfectionis causa fuit, quia impulit eum ut suo perjurio sese interficeret, non secus ac ille qui alterius manum ad corporalem ipsius occisionem impelleret vel admoveret. Et quàmvis Judex seu persona publica non peccet exigens juramentum ab aliquo, sive sciat ipsum jurare falsum, sive verum: tum quia non tam ipse juramentum exigit, quàm alter, ad cujus instantiam exigit: tum quia id postulat ordo juris; persona tamen particularis & publica ad juramentum provocans hominem, quem certò scit pejeraturum & falsò juraturum, graviter peccat.

Levit. 19

Serm. 28 de Verb. Apost.

Quanta Judæorum cæcitas, qui nullam sibi perjurii conscientiam faciunt, ni jurent manu impositâ supra librum legis: quòd si alio ritu jurent, audacter falsum jurent! Quare imprudenter, magnaque cum Christianorum injuria magistratus & judices, in rebus forensibus Judæos, ad jusjurandum contra Christianos admittunt. Judæorum falsitates & perjuria, intelligentes Norimbergenses, ad nullum eos admittebant juramentum, nisi prius manu ad librum legis admotâ: sed quanta Christianorum perversitas, qui persæpè falsò jurant etiam admotâ manu super Evangelia? Inter Scripturæ sacræ libros principem obtinent Evangelia auctoritatem; in cæteris enim Scripturis per Prophetas aut Apostolos loquutus est Deus: at in Evangeliis persæpè per seipsum loquitur Christus Dominus. Unde licet in cunctis sacræ Scripturæ libris canonicis infallibilis contineatur veritas, quandam majorem sibi vendicant Evangelia auctoritatem; & ob hanc causam olim jurantes manu tangentes novum Testamentum, per Evangelia jurabant. Hic ritus hac ætate etiam apud Christianos observatur, quem ferre non valens D. Chrysostomus graviter reprehendit sacerdotes, qui suo tempore porrigebant Evangelia jurantibus: *Audite vos Clerici, qui jurantibus Evangelia sancta porrigitis, quomodo potestis ab illo juramento esse securi, qui semen perjurij datis?*

Hom. 12 in Matth.

datis? Porrò Evangelia erant olim, & nunc sunt, juramenti sanctitas & auctoritas, non falsitatis occasio, & perjurii semen: idcirco nequeunt esse perjurii semen nisi veritas possit esse falsa; D. tamen Chrysostomus opportunâ planè hyperbole, idem reputat esse instrumentum jurationis & perjurii semen: unde cavet ne ipsum Evangelium, quod est summa veritas, & juramenti sanctitas, fiat quasi falsitatis occasio, & perjurii semen; *sed expedita virtus veritatis paucis amat, multa mendacio erunt necessaria.* Quamplurimi super Evangelia jurâre affectant, ut sub specie pietatis facilius sua mendacia & perjuria occultent. Homo pejerans velut humanitatem dediscens, inhumanitatem acquirit, ut bellè ait D. Damascenus: *Qui rem falsam interposito juramento confirmat, is malum inhumanitatis lucrum, hoc est, perjurium acquirit;* inhumanos assumens mores, dum sub divina assumptione mentitur. Humana natura ad veritatem propendet, quando Deum velut fidei suæ obsidem adsciscit: at pejerans humanitatem velut exuens, inhumanitatem induit, suoque perjurio supplicium inhumanum, perjurii inhumanitati congruum accersit. At Christianus perjurus non solùm humanitatem dediscit, sed adhuc Christianæ religioni renuntiat, & à Christo se separat: *Quisquis jusjurandum pejerans violat, à Christi se corpore, quasi per quoddam abscissionis dissidium separat, & à redemptionis humanæ mysterijs alienat. Hoc cum Deo interpositâ conditione paciscitur, ut si promissa non impleat, à Deo, vel sancto Evangelio ulterius non juvetur. Et sicut tunc cùm initiatus est Christo, abrenuntiaverat diabolo, & pompis ejus; ita velut retrogradus ac transfuga sic Deo & Evangelio ejus abrenuntiat, ut in eum quasi sua quodam conditionis fœdere de cætero non confidat.* Quàm criminosus Christianus qui suo perjurio Evangelio renuntiat, Deum negat, à Christo se separat! Quàm punitionem meretur perjurus, qui per Evangelii veritatem, falsitatem affirmare non formidat, cunctaque religionis rejicit mysteria! Id præfatus Cardinalis fusè demonstrat elucidans quænam sint septem illa signacula, quibus sigillatus erat liber ille scriptus intùs & foris, quem in sua Apocalypsi vidit dilectus Discipulus: *Quæ sunt autem illa, quibus liber Evangelicus obsignatus dicitur, nisi septem illa sacramenta, quibus utique ordo dominicæ dispensationis impletur? videlicet Incarnatio Domini, Nativitas, Passio, Resurrectio, ad cælos Ascensio, deinde Iudicium, postea Regnum? Quisquis ergo perjurat, studiosè perpendat, quia ita sibi septem sigilla Evangelicæ narrationis occludit; ut nec Incarnatio Domini, neque Nativitas, neq; Passio, vel Resurrectio, aut Ascensio, Iudicium quoque, vel Regnum, sibi proficere aliquatenus possit. Omnia scilicet hæc à se procul abjicit, & quantum ad se, in nihilum redigit, qui dum jusjurandum violat cum adjutorio Evangelij, abrenuntiat nihilominus auxilio Dei.* Quot mala perjurus cumulat! divinæ gratiæ renuntiat, Evangelium violat, cuncta Christi mysteria profanat, sibique inutilia reddit; imò quantum est ex se, totum Christianismum ad nihilum redigit.

Tert. l. 2 adv. marc. 29

L. 5. Paral. 17

Pet. Dam. l. 8, ep. 10

Cap. 5

Tot mala, quę perjurium consequuntur, impedire volens Salvator, toto divinitatis imperio præcipit Christiano: *Non pejerabis*, id est, falsum non jurabis. Matth. 5

Quod

Quòd Christus prohibeat perjurium, non est mirum : quia etiam in veteri lege inhibitum erat; Dominus verò vetando falsum juramentum plus imperat : quapropter Anastasius Nyssenus Salvatoris præceptum sic intelligit : *Non pejurabis; dictum est enim non jurandum omninò* : quasi idem sit non pejerare, & omninò non jurare; & èconverso idem sit jurare ac pejerare. Saltem juramentum est origo perjurii. Ut enim ait laudatus supra D. Chrysostomus : *nisi juramentum interdicatur, non possunt amputari perjuria ; ex juramento enim perjurium generatur.* Hominum namque juramentum valdè est perjurio affine, jurantem persæpè ad falsum inducens juramentum. Sicut *falsum loqui non potest, qui non loquitur; ita pejerare non potest, qui non jurat,* Et ob hanc causam Christianis inhibet Christus etiam juramentum : *Non quia mala est vera juratio , sed ne in perjurium incidatur facilitate jurandi : qui enim jurat, non solùm verum, sed etiam falsum jurare potest ; qui autem non jurat, à perjurio longè est.* Idcircò [quia pejerare grave peccatum ; sed longius remotus est à falsum jurando qui nec jurare consuevit , quàm qui verum jurare proclivis est : maluit nos Dominus & non jurantes non recedere à vero, quàm verum jurantes appropinquare perjurio.] Christiane [vis ergo longè esse à perjurio? noli jurare; ne mendacium jures, jurare noli : ipsa est angustia, perjurium præcipitium est. Qui jurat, juxta est; qui non jurat, longè est; peccat & graviter qui falsum jurat; non peccat qui verum jurat, propè tamen est ad peccatum, qui non jurat, longè est peccato.] At proh dolor! quantumvis *gravissimum peccatum sit jurare falsum*, plures tamen Christiani falso jurant, & terrenorum cupidine in perjurium cadunt.

Quæst. 4 c. 4

D. Aug. l. 1. de Ser. Dom. in Mont. 30

D. Aug l. q. in Deuter. q 12

D. Aug. l. 19 contra Faust. 23

D. Aug. Serm. 28 de Verb. Apost.

D Aug. ep. 89. ad Hilar.

3. *Consentiunt enim ipsi nihil esse quod dejerant : imò insuper & præmio afficiunt , quia publicè contempserit perjurij vindices,* Loquitur de Quiritibus Tertullianus, qui pejerantem Proculum abundè muneraverunt. Verùm si Proculus non fuit punitus à falsis diis qui non erant , Christianus pejerans vindicis Dei non effugit manus, suique perjurii luit pœnas. Cunctæ nationes adversus perjuros statuerunt pœnas. Illos Ægyptii ultimo puniebant supplicio, veluti duplicis sceleris reos : violatæ scilicet pietatis in Deum, eversæque fidei ad humanam societatem necessariæ. Romani, Livio teste, perjuros de saxo Tarpeio dejiciebant : Judæi, ut asseverat Philo , hoc scelus vel morte ipsâ, vel verberibus puniebant. Carolus Magnus manum perjuris amputandum decreverat. In Jure Canonico perjurii habentur infames, & à ferendo testimonio arcentur. Hesiodus quoque perjuros ignominiâ mulctat. [Qui dicendo testimonium sponte pejeraverit , irremediabiliter læsus est, & posteritas ejus inde facta est obscurior.] Quintas adhuc cujusque mensis dies vitari monet , quasi periculosas, difficiles, ab incommodis obnoxias , quia in iis [obambulant furiæ perjuria commissa vindicantes] Sed omissis fabulis verè de perjuriis ulciscitur Deus : nam ut ratiocinatur D. Augustinus : *Vita corporis anima est, vita animæ Deus est : moritur corpus cùm recedit anima , moritur anima cùm recedit Deus : recedit anima cùm corpus*

Tert. l. 1 ad Nat. 10

Joan. Bohem. l. 1. de Morib. omn. gent. c. 3

L. de Juram. & Relig.

Legib capitul. c. 10

In Decretis causa 6 q. 1. c. Infames.

L. 1. de Ergis & Diebus vers. 266

L. 2. vers. 38

Ser. 28. de Verb. Ap.

percutitur gladio, & putas quia non recedit Deus cùm anima ipsa feritur perjurio? Vis videre quia mortuus est qui perjurus est? Lege Scripturam: Os quod mentitur, occidit animam. Sed tu præsentem putas ultorem Deum, si ille, qui te juratione falsâ decepit, continuò expiret: Sed hoc si fiat, expiravit caro ipsius, hoc est, expiravit excluso spiritu quo vivebat caro; sed pejeravit, exclusit spiritum quo vivebat anima: sed animam miseram sine Deo videre non potes. Crede ergo, adhibe oculos fidei; nemo perjurus impunitus, prorsus nemo, cum illo est pœna sua, si haberet in cubili suo tortorem carnis suæ, punitus esset: habet in secreto cordis sui tortorem conscientiam suam, & impunitus vocatur. Quia ipse Deus, per quem jurat, invisibilis est, ideò feritur pœna invisibili. Tempus autem veniet, quo occultum perjurium manifestabitur, & pejerans palam & publicè punietur, ut proprio ore asseverat ipsemet Deus: *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maledicis, adulteris, & perjuris.* Quænam sunt scelera, quæ ob pudorem & periculum patrare non audent homines; puta veneficium, quod lex tanquam capitale damnat & punit; adulterium, quod fœminæ quantumvis impudicæ in publico committere non audent, ipsæque libidinum publicarum victimæ, omnes venalis pudicitiæ submovent testes; perjurium, quo res falsa juramento confirmatur: quod nullatenus facerent perjuri, si res esset aperta. Quia verò pejerans sub divina attestatione mentitur, Deumque irreverenter in falsitatis advocat testem, Deus qui occulta quæque clarè cognoscit, ut mendacem & fallacem puniat perjurum, accedet ad judicium, non tantùm ut falsitatis, & mendacii, & irreverentiæ in ipsum commissæ vindex; sed etiam ut testis, & testis velox, ut absque ulla interposita mora occultum perjuri manifestetur crimen, de eaque luat pœnas: *Testis velox, qui modo tardus videor, dum differo.* Inde pœnæ, qua plectetur perjurus, acerbitatem primò propalabit perjurii propudium, quod occultum putabat. Secundò erit testis falsitatis, quam Dei testimonio auctorare voluit pejerans. Tertiò erit testis velox, quia absque ulla dilatione pejerantis divulgabit mendacium: tandem de suo mendacio, falsitate, irreverentia acerbissimè puniet.

Sap. 1

Malach. 3

Quis pœnalem perjurii non metuat acerbitatem? quis? qui terrenorum æstuante cupiditate, quibus probè competunt Dei querelæ adversus Judæos: Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israël: *qui juratis in nomine Domini, & Dei Israël: recordamini mei non in veritate, neque in justitia.* Israëlitæ Dei penitus obliti, tantummodo Dei recordantur ad jurandum, quod falsum & injustum est, ut rapinas, usuras, iniquos contractus, dolos, ac fraudes, sanctius adstruere valeant; & ut fatur D. Chrysostomus apud Antonium in Melissa: *Sicophanta mendacium vendunt; alios alij fallentes juramenta consumunt, & solummodo inter jurandum Dei meminerunt.* Quot sunt hac ætate fraudulentis Israëlitis similes, qui in cæteris Dei immemores, & velut athei absque ulla Dei commemoratione viventes, Dei duntaxat recordantur dum pejerant, dum alios fraudare & decipere volunt: Tunc *armant se ad latrocinia*

Jerem. 48

Serm. de jurejur.

Salv. l. 4 de prov.

nia per Christi nomen, auctorem quodammodo sui sceleris Deum faciunt, illum in sui latrocinii testem adhibentes. Socrates sacramentum oblatum duabus de causis firmandum esse dicebat: [Vel ut teipsum turpi suspicione liberes: vel ut amicos ex magnis periculis eripias:] *pecuniarum verò gratia etsi justam causam haberes, non per Deum jurandum dicebat.* Eadem dicebat Isocrates, juramentũ duntaxat permittens, ut quis se crimine, vel amicum gravi periculo liberaret, *non autem ob pecuniam.* Basilio Magno teste ad Demonicum Clinias Pythagoræ familiaris, maluit tria talenta pro mulcta solvere, quàm jurando mulctam evadere. Quid ad hæc respondebunt Christiani? non pro tribus talentis, non pro uno talento, sed pro uno aureo, sæpè sæpius pro re minoris momenti pejerantes? Nam ut obplorat D. Aug. *Falsa juratio ab ore non discedit, sed frequentatur, & plura sunt plerumque juramenta quàm verba. Si discutiat homo quoties juret per totum diem, quoties se vulneret, quoties gladio lingua se feriat & transfigat: quis in illo locus invenitur sanus?* Et quod est lugendum, persæpè pejerat vel pro debito non solvendo, vel pro injusto lucro comparando. Lysander tyrannus dicere solebat, pueros tesseris, viros oportere circunvenire juramentis. Dogma tyranni illius ad praxim redigunt plures Christiani, fraudulenter & falsò jurantes, quibus cùm nullum sit numen, nulla conscientia, nulla etiam est religio, nulla juramenti fides. Christiane, *quia grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura dicens: Noli jurare:* & tu ita terrenis es addictus, ut lucri gratiâ jures, pejeres, & quod est horribile dictu, blasphemes?

Stobæ ser. 25

Serm. de util. ex lib. Gent.

Serm: 28 de Verb. Apost.

Plutarch. in Laconicis.

D. Aug. ibid.

III. PARS *Sicut de quo quid capit dici, sine blasphemia dicitur: ita quod non capit, blasphemia est, si dicatur.* Blasphemia namque ex nominis significatione, est dictum nocens, quo alterius honor minuitur, & fama læditur. Sumitur autẽ blasphemia impropriè, & propriè. Impropriè, pro diffamatione hominis studiosi: quo sensu ait Apostolus: *Blasphemamur & obsecramus*, quomodo olim Gentiles Christianos juxta disciplinam fidei viventes blasphemabant: *Blasphemiam martyrij affinem, qua tunc me testatur Christianum, cùm propter disciplinam detestatur; benedictio est nominis, maledictio custoditæ disciplinæ.* Blasphemia propriè sumitur, quando Deus, & res quæ ad illum pertinent, infamantur apud homines; quomodo blasphemia dicitur ab Angelico Doctore, *alicujus bonitatis derogatio, & præcipuè divinæ.* Hanc descriptionem mutuatus est S. Doctor à D. Aug. sic de blasphemia disserente: *Blasphemia est, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaq; vulgò blasphemia non accipitur nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namq; dubitari potest, Deus verò sine controversia bonus est.* Blasphemare itaque, ait Aymo, est [contumeliam seu convitium aliquod proferre in injuriam Creatoris.] Seu, ut vult Richardus à S. Victore: *Quid est blasphemia nisi vituperatio divina?* Quatuor autem præsertim modis vituperatur Deus: 1. Cùm ei tribuitur quod non convenit. sic blasphemârunt Antropomorphitæ Deum corporeum credentes; Manichæi, authorem peccati proclamantes; Calvinistæ, ei crudelitatem tribuentes; Judæi, Christi miracula in Beelzebub facta

Tert. l. adv. Prax. 29

1 Cor. 4

Tert. l. de Idol. 4

22. q 1. a. 1

Lib 2. de Mor. Manich. 11

Tract. de Spir. blasphem.

facta calumniantes. 2. Cùm removetur à Deo quod illi essentialiter convenit. Sic blasphemaverunt Sabelliani personarum distinctionem confundentes; Ariani, Filio consubstantialitatem cum Patre denegantes; Macedoniani, Spiritui sancto divinitatem eripientes; Manichæi, Deum visibilium Creatorem agnoscere nolentes; Epicuræi, de incuria & defectu providentiæ accusantes. 3. Cùm creaturę tribuitur quod est Dei proprium. Sic blasphemârunt Basilides & Menander, mundum istum inferiorem ab Angelis creatum somniantes: Magi quoque qui in virtute diaboli miracula operari præsumunt. 4. Cùm blasphemantur membra sacratissima Christi, Deiparæ dotes, Sancti in cœlo regnantes; injuria namque & contumelia illis irrogata in Deum redundat: *Quod cum magno horrore blasphemiæ & pronuntiandum, & legendum est, & audiendum.* Ter. l adv. Valent. 18 Probi Christiani horrent dum legunt, vel audiunt blasphemias quas impii in Deum ejaculantur: *Horrebo planè sputeum blasphemiæ flatum de heretico ore fœtentem.* Tertull: Scorp. 7 Quàm autem sit fœtens, horrenda, & scelerosa blasphemia, comprobatur ex 1. Dei offensi magnitudine. 2. cæterorum criminum comparatione. 3. acerba blasphemantium punitione.

Impius *penes quem Deus omnipotens blasphemijs lancinatur.* Tert. l. 1 adv. marc. 1. Tantò gravius peccat, quantò major est divina majestas; culpa enim ex qualitate offensi minuitur aut incrementatur. Offensa Nobili illata major est, quàm illata plebeio; magis peccat injurians Principem ex regia stirpe ortum, quàm aggrediens Nobilem; & convitia Regi facta sunt criminosiora, quàm ea quæ insequuntur Principes. Inde colligenda est blasphemiæ enormitas, qua vituperatur Deus: *Rex regum ob summitatem magnitudinis, & subjectionem cæterorum graduum.* Tert. l. 1. adv. marc. 4. Refert in sua canonica B. Judas Apostolus, quòd cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ. Versio Tigurina legit: *Non est ausus illi notam impingere maledicti.* Vatablus vertit: *Non est ausus convitium illi facere.* Jure merito poterat S. Michaël diabolo maledictum & convitium ingerere: tum quia est delicti auctor, Angelus apostata, Deo rebellis; tum quia injustè illi resistebat, & tamen à maledicto & convitio abstinuit Princeps militiæ cœlestis: quia, ut ait Didimus, consideravit non diaboli culpam & malitiam, sed naturam ejus à Deo acceptam: & impius Dei majestatem nullo modo considerans, eum blasphemare audet. Impie *quem blasphemâsti, contra quem exaltâsti vocem tuam?* L. 4. Reg. 19 Contumeliam irrogas Creatori tuo, qui te de nihilo produxit, & ad suî formavit imaginem; vituperas conservatorem tuum, sine cujus potentia redires in nihilum, de quo creatus es; supremum tuum Dominum, cujus mandata & leges custodire debes; benefactorem tuum, qui tibi tot largitus est naturæ, fortunæ, & gratiæ dona; Redemptorem tuum, qui pro te fudit sanguinem, & cruentam crucis subiit mortem. Patrem tuum, qui te in baptismate adoptavit in filium; Deum tuum, quē tuis blasphemiis aggrederis.

Ex D. Thoma quinque modis Deus potest offendi: 1. in suis bonis. 2. in sua familia, 3. in sua humanitate. 4. in suo esse sacramentali. 5. in sua divinita-

 te.

te. Peccatores creaturis abutentes offendunt eum in suis bonis, Gentiles & tyranni offenderunt eum in sua familia, persequentes & morte punientes Martyres; Judæi in sua humanitate, quam crucifixerunt; Calvinistæ in esse sacramentali, cujus veritatem negant; plures adhuc hæretici in sua divinitate, cui eripere perfectiones, & tribuere defectus moliuntur: At blasphemator in cunctis Deum offendit: in suis creaturis, quas maledicit, & diabolo mancipat; in sua familia, Sanctos in cœlo regnantes depretians, convitians, vituperans; in sua humanitate, caput, ventrem, plagas, aliaque ejus membra prophanans: *Flagellatur Deus flagellis Judæorum, flagellatur blasphemijs falsorum Christianorum.* Addit Liranus: *Sicut tunc conspuitur salivis infidelium, ita nunc opprobrijs exhonoratur falsorum fidelium, & colaphis, id est, blasphemijs eorum caditur.* In suo esse sacramentali, per sacrum ejus corpus jurans; in sua divinitate, ei mortem inferre tentans: *Lingua blasphemantis est gladius scindens, & discerpens Deum, si posset in plures partes.* Quapropter blasphemus atrocius Deum aggreditur, quàm tyranni, Judæi, ac Calvinistæ. Tyranni sunt duntaxat aggressi servos, blasphemator supremum illorum Dominum; Judæi persecuti sunt Christum adhuc mortalem, & in terra cum mortalibus conversantem: blasphemator illum aggreditur jam immortalem, & in cœlis regnantem: *Magis peccant blasphemantes Deum triumphantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt eum ambulantem in terris.* Calvinistæ Eucharistiæ negant veritatem, quam impossibilem existimant: at blasphemator Deum negare non valens, & per ejus mortem jurans, reus est Deicidii. Quapropter Deus in prolatam primam blasphemiam, promulgavit pœnam homicidii ejusmodi blasphemo infligendam: *Meritò blasphemo homicidij legem aptavit, quia blasphemator cùm Deum interficere non posset, lingua ferit.* Ejus impiam crudelitatem declarat bellè Propheta Job: *Cucurrit adversus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est,* sagittasque jaculatur, quibus Deo mortem inferret, ni ejus obstaret immortalitas. Et quemadmodum ait D. Thomas: Si quis sagittam ejaculatur circa cor Regis, quæ non vulneraret Regem, neque mortem inferret; quia impedivit lorica quâ opertus est; nihilominus emittens sagittam esset regicidii reus, & ut talis puniretur non secus ac si occidisset Regem, quem quantum est ex se, occidere est molitus: sic blasphemator reus est Deicidii. Nam, ut concludit Angelicus Doctor: *Qui blasphemat, sagittam mittit contra Deum, quantum est ex se intendens Deum destruere.* Deumq; destruere tentans cuncta quæ sunt in mundo destruere tentat, quæ in nihilum reducerentur, si per impossibile Deus eorum destrueretur. Quanta blasphematoris crudelitas! quanta atrocitas! qui Deo volens inferre necem, vult consequenter destruere cœlum, elementa, mixta, cunctas creaturas, inanimatas, vegetativas, & irrationales, cunctos homines, & Angelos, justorum gratiam, Beatorum gloriam, Mariam Deiparam, Christi humanitatem, & generatim cuncta creata, quæ existere nequeunt nisi Dei potentiâ conserventur. Horre Christiane blasphemiam, cujus atrocitas comprobatur tum Dei offensi magnitudine, tum cæterorum criminum comparatione.

D. Aug. Tract. 9 in Joan.

In c. 18 Matth.

S. Bernardin. Sen. to. 1. Ser. 41. a. 2. c. 4

D. Aug. in c. 16. matt.

Levit. 14

Theodor. q. 33

Cap. 15

2. 2. q. 21. a. 4. ad 1. & q. 47. c. 1

2. Omnis

2. *Omnis malitia atque blasphemia ingenia* agnosco in pluribus blasphemis. Ingenia scilicet impietatis, vanitatis, desperationis, fallacitatis, quæ sunt quatuor blasphemiæ incentiva. Nonnulli ex ingenio impietatis blasphemant, quos gentiles denotarunt per gigantes armatos, ut Jovem de suo solio detruderent: ingenio vanitatis (quasi blasphemia sit fortitudinis & magnanimitatis insigne) similes Græco illi Duci, qui cœlum sua lancea tangere asseverabat. Alii ingenio desperationis dum illis aliquod occurrit damnum, ad instar Juliani apostatæ, qui in bello Persico, divinitus lancea inter costas percussus, sanguinem suum manu in cœlum jaculatus dixit: *Exple iram tuam, Galilae, vicisti, vicisti*; tandem ingenio fallacitatis. Eques vitiosum equum absque ullo defectu mille blasphemiis testabitur. Mercator fraudes quas molitur blasphemiis occultare tentabit. Ex D. autem Augustino (pejus est blasphemare quam pejerare, quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Tanto est inexcusabilior blasphemus quanto magis ea quæ blasphemando asserit, falsa novit esse vel credit.) Christianus blasphemus assuetus facile in hæresim, infidelitatem & atheismum labitur. *Verus Dei cultor ille est, cujus fides inter adversa non deficit, cujus lingua benedicere nomen Domini sui in omni angustiarum tempore, in omni tribulationum plaga, non desinit*: at blasphemus tantum abest, ut divinum nomen in angustiis benedicat, quin illud fœtenti suo ore devenustat, divinamque violans legem, impietatis verba propalat: *Qui peccat legem Dei violat: at qui blasphemat, adversus divinum nomen impietatem admittit*, à Deo deficit, fidem amittit, & in hæresim, infidelitatem & atheismum cadit: *Caterum ethnici & haeretici, quotidie ex blasphemia emergunt*: Cæteri peccatores quantumvis atrocia committant peccata, in Christianismo permanent, quia suis sceleribus divina quidem transgrediuntur mandata, Dei amittunt benevolentiam, charitatem perdunt, non tamen fidem, quam inviolabiliter conservant: at blasphemator se Christianum negat, à Deo deficit, simulque cum charitate fidem perdit: & ut fatur Origenes, *exijt à veritate, exijt à timore Dei, à charitate, à fide*: exire autem à fide, est deserere fidem, quam susceperat in baptismo.

Sozom. l. 6. c. 1

Lib. cont. Mendac. c. 19.

S. Gaudēt. præfat. in Exod.

D. Damasc. in parall. c. 59

Tert. l. de Pud. 13

Hom. 14. in Levit.

Verum concesso quod blasphemator non exeat & non deficiat à fide: *Multiplex est differentia peccatorum, qua committuntur in Deum & in homines: nihil tamen sceleslius blasphemia*, quæ sua atrocitate cuncta alia peccata longe superat, & ut docet sanctus Hieronymus; *omne quippe peccatum, blasphemiâ levius est*; & hoc multiplici de causa: 1. Quia alia peccata ut plurimum sunt vel contra peccantem, vel contra proximum: Nam ut ratiocinatur Richardus à sancto Victore; *Quadam hominum peccata specialiter pertinent ad corruptelam propriam, sicut ebrietas & stupra; quadam specialiter ad injuriam proximi, sicut homicidia & furta: quadam specialiter ad contumeliam divinam, quemadmodum blasphemia: sed quis nesciat quod contumelia Creatoris sit detestabilior cateris?* 2. Quia blasphemia ex pura malitia procedit. Magno namque

D. Chrysost Hom. in Psal. 95

In c. 52. Isaiæ.

Tract de Spir. blas.

superioris diei. Prava consuetudo bona consuetudine vincatur, consuetudo jurandi consuetudine orandi: 3. quoties lingua profert juramentum, toties flecte genua, dic orationem dominicam: *ad aliam consuetudinem demigra: multum enim pravalet consuetudo, & jura didicit immutare natura.* 4. Si nimis reperis difficilè jurandi consuetudinem repellere, quoties tibi subrepit jurare, da assem pauperibus, vel si es egenus nec possis largiri, pecunias; 5. *ab omnibus & singulis tibi conjunctis, hoc postula beneficium, ut te jurantem arguant, ut te confundant omnes.* His remediis facile lingua domatur, superatur jurandi consuetudo. Nam 6. *quis quaeso labor, juramentum fugere? nunquid sudor & aerumna? Satis est tantummodo velle, & actum est.* 7. Jurandi consuetudinem à multis religiosis superatam novimus. 8. *Multo difficiliora expediunt homines, nullam inde retributionem sperantes;* ut Antiochenorum probatur exemplo: *Civitatis Antiochenae balnea nunc rex obstruxit, & jussit neminem lavari, & legem transgredi ausus est nemo, aut factum incusare, aut consuetudinem praetexere.* Post tot cōdensatas rationes indignatur D. Chrysostomus adversus Christianos qui se jurandi consuetudinem superare non posse queruntur *Ne mihi aliquis jurandi consuetudinem praetendat: propter hoc enim indignor & irascor, quoniam talem vincimus consuetudinem: si enim consuetudinem jurandi non vincimus, quomodo concupiscentiam vincemus, cujus radix habet à natura principium?* Tandem 10. ut Christianum hortatur D. Augustinus: *Iurationem cave, quantum potes, quia consuetudine jurandi in perjurium saepe caditur.*

D. Chrysost. ibid. — D. Chrysost. Hom. 14. ad Pop — Hom. 19. ad Pop. — Epist. 89 ad Hilar.

II. PARS

Quamquam perjurii apud vos unusquisque purus est; Christianos omnes à perjurio immunes voluit esse Christus: *ideo dictum est ne juremus, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare peccatum immane est: à quo longe nos esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit: quamvis tamen dictum sit ne juremus, nusquam tamen in Scripturis legi meminerimus, ne ab alio jurationem accipiamus.* Ut autem juratio sit licita, debet habere discretionem, veritatem, & aequitatem. Primo discretionem, ut fiat ex causa rationabili: secundo veritatem, ut fiat de re vera: tertio aequitatem, ut fiat de re justa. Juramentum sit primo discretum seu deliberatum, ut quis non juret nisi propter necessitatem: secundo verum, ut jurans in conscientia sua firmiter sciat, vel credat verum esse quod jurat: tertio justum, ut illud pro quo vel de quo quis jurat, non sit peccatum sive mortale, sive veniale. Tres illas juramenti conditiones exprimit his verbis Jeremias Propheta: *Iurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & justitia.* In veritate, ne scilicet juretur falsum: in justitia, ne juretur injustum & malum: in judicio, ne juretur temere, sine magna necessitate, aut utilitate: (Judicio enim caret juramentum incautum, veritate juramentum mendax, justitia juramentum iniquum.) *Animadvertendum est quod jusjurandum hos habeat comites: veritatem, judicium, & justitiam: quasi defuerint jam non est juramentum, sed perjurium.*

Tertul. l. 1. ad Nat 10. — D. Aug. Epist. 154. ad Publicolam. — Cap 4. — D. Thom. 22. q. 89. a. 3 — D. Hieron in c. 4. Hierem.

Tribus

Tribus igitur modis committitur perjurium. Primò, quando deest veritas: idcircò dicitur mendacium juramento firmatum. Perjurium etenim est juramentum perversum, juramenti autem perversitas constituitur ex mendacio, quod evacuat veritatem, quæ est proprius juramenti finis. Secundò, perjurium committitur, quando deest æquitas: eo enim ipso quo quis jurat illicitum, falsitatem incurrit, quia obligatur ad contrarium faciendum; puta si juret se adulterium aut homicidium faciendum. Tertiò, quando deest judicium seu discretio, quia indiscretè jurans sese exponit periculo incidendi in falsitatem: at *perjurium peccatum esse, & grande peccatum nemo dubitat.* D.Aug. Serm 28 de Verb. Apost.

In perjurium autem tribus modis præsertim labuntur homines: 1. jurandi consuetudine. 2. mentiendi libidine. 3. terrenorum cupidine.

1. *Cæterùm consuetudinis vitium est, me Hercule dicere, accedente ignorantiâ quorumdam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem.* Tert.l.de Idol.20 Quòd si illos redarguit Tertullianus, qui per Herculem jurant, quantò criminosiores sunt qui per Deum pejerant? *Sine ulla dubitatione minus malum est per falsum Deum jurare veraciter, quàm per verum Deum fallaciter: quantò enim per quod juratur magis sanctum est, tantò magis est pœnale perjurium.* D.Aug. ep.154.ad Publicolam. Neque Dei sanctitatem verentur, neque ejus pertimescunt justitiam qui ex jurandi consuetudine cadunt in perjurium. Consuetudo namque jurandi *semper perjurio propinquatur.* D.Aug. ep.89 ad Hilar. Perjurium, quod ex prava jurandi consuetudine committitur, à Christianis arcere volens Dominus ait: *Dico vobis nolite jurare omninò, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniamus, & ex facilitate ad consuetudinem, ex consuetudine in perjurium decidatur.* D.Aug. ep.154 ad Publicolã. Paulus Apostolus Domini mandato obtemperans in suis sermonibus nunquam juravit, ne jurandi consuetudine incideret in perjurium: *Itaque & Apostolus in sermonibus, quos habuisse narratur, nunquam juravit, ne jurandi consuetudine aliquando vel nesciens in perjurium laberetur: In Scripturis autem ubi est consideratio major atque perpensior, pluribus locis juràsse invenitur, ne quisquam putaret etiam verum jurando peccari, sed potius intelligeret humanæ fragilitatis corda non jurando tutius à perjurio conservari.* D. Aug. l. 19. contra Faustum c.23 Neque ex eo quod in suis epistolis jurat Paulus, jurandi occasionem sumere debent Christiani: quin è converso eò quòd in suis sermonibus nunquam juravit Apostolus, abstinere tenentur à juramento, ne jurationibus assueti pejerent, mendaciter & falsò jurantes: *Sed non ideò quia in suis litteris juravit Apostolus, vir in veritate firmissimus, ludus nobis debet esse juratio, multò enim tutius, quantum ad nos attinet, nunquam juramus: ut sit in ore nostro est, est; non, non; sicut Dominus monet: non quia peccatum est jurare verum, sed quia gravissimum peccatum est jurare falsum: quod citius cadit, qui jurare consuevit.* D Aug ep. 86.ad Hilar.

2. *Mendacij scalis* sublatum in cœlum Romulum dubitare potest nemo Christianus. Proculus illum ad superos ascendentem etiam pejerans asseruit. Tert. l. 4 adv. Marc. 7. Ut autem animadvertit Tertullianus: *tam liberè atque manifestè coram populo non pejeraret contemplator Proculus in cœlum recepti, nisi contemneret* L. 1. ad Nat. 10

 quos

quos dejeraret, quàm ipse, quàm ij, qui ei pejerare permittunt. Quòd si tam pejerantem Proculum, quàm Quirites Proculum per falsos deos ad perjurium provocantes culpat Tertullianus; quia hoc non potuit fieri nisi in deorum contemptum, quantum à fortiori culpandi sunt Christiani verum Deum contemnentes, sive pejerent, sive ad perjurium provocent? Pejerantes graviter peccant; tum quia perjurium Deus expressè vetat: *Non pejerabis in nomine meo*; pejerans autem insolenter divinum transgreditur mandatum: tum quia perjurium importat Dei irreverentiam. Si autem peccatum ex genere suo veniale, in Dei contemptum commissum, efficitur mortale; nonne perjurium est mortale & grave peccatum, ex sua natura importans Dei irreverentiam & contemptum? Pejerans namque vocans Deum in testem falsitatis, innuit, vel quòd veritatem non cognoscat, vel quòd falsitatem testari velit: *Videtis quàm ista detestanda sit bellua, & ab humanis rebus sit exterminanda.* Loquitur de pejerante D. Augustinus. Provocans etiam ad perjurium graviter peccat, & velut homicida habetur à D. Augustino: nam perjurus *de suo perjurio se interimit*; ad perjurium verò temerè provocans *manum interficientis impressit*, id est, spiritualis ejus interfectionis causa fuit, quia impulit eum ut suo perjurio sese interficeret, non secus ac ille qui alterius manum ad corporalem ipsius occisionem impelleret vel admoveret. Et quàmvis Judex seu persona publica non peccet exigens juramentum ab aliquo, sive sciat ipsum jurare falsum, sive verum: tum quia non tam ipse juramentum exigit, quàm alter, ad cujus instantiam exigit: tum quia id postulat ordo juris; persona tamen particularis & publica ad juramentum provocans hominem, quem certò scit pejeraturum & falsò juraturum, graviter peccat.

Levit. 19

Serm. 28 de Verb. Apost.

Quanta Judæorum cæcitas, qui nullam sibi perjurii conscientiam faciunt, ni jurent manu impositâ supra librum legis: quòd si alio ritu jurent, audacter falsum jurent! Quare imprudenter, magnaque cum Christianorum injuria magistratus & judices, in rebus forensibus Judæos, ad jusjurandum contra Christianos admittunt. Judæorum falsitates & perjuria, intelligentes Norimbergenses, ad nullum eos admittebant juramentum, nisi prius manu ad librum legis admotâ: sed quanta Christianorum perversitas, qui persæpè falsò jurant etiam admotâ manu super Evangelia! Inter Scripturæ sacræ libros principem obtinent Evangelia auctoritatem; in cæteris enim Scripturis per Prophetas aut Apostolos loquutus est Deus: at in Evangeliis persæpè per seipsum loquitur Christus Dominus. Unde licet in cunctis sacræ Scripturæ libris canonicis infallibilis contineatur veritas, quandam majorem sibi vendicant Evangelia auctoritatem; & ob hanc causam olim jurantes manu tangentes novum Testamentum, per Evangelia jurabant. Hic ritus hac ætate etiam apud Christianos observatur, quem ferre non valens D. Chrysostomus graviter reprehendit sacerdotes, qui suo tempore porrigebant Evangelia jurantibus: *Audite vos Clerici, qui jurantibus Evangelia sancta porrigitis, quomodo potestis ab illo juramento esse securi, qui semen perjurij datis?*

Hom. 12 in Matth.

datis? Porrò Evangelia erant olim, & nunc sunt, juramenti sanctitas & auctoritas, non falsitatis occasio, & perjurii semen: idcirco nequeunt esse perjurii semen, nisi veritas possit esse falsa; D. tamen Chrysostomus opportunâ planè hyperbole, idem reputat esse instrumentum jurationis & perjurii semen: unde cavet ne ipsum Evangelium, quod est summa veritas, & juramenti sanctitas, fiat quasi falsitatis occasio, & perjurii semen; *sed expedita virtus veritatis paucis amat, multa mendacio erunt necessaria.* Quamplurimi super Evangelia jurâre affectant, ut sub specie pietatis facilius sua mendacia & perjuria occultent. Homo pejerans velut humanitatem dediscens, inhumanitatem acquirit, ut bellè ait D. Damascenus: *Qui rem falsam interposito juramento confirmat, is malum inhumanitatis lucrum, hoc est, perjurium acquirit*; inhumanos assumens mores, dum sub divina assumptione mentitur. Humana natura ad veritatem propendet, quando Deum velut fidei suæ obsidem adsciscit: at pejerans humanitatem velut exuens, inhumanitatem induit, suoque perjurio supplicium inhumanum, perjurii inhumanitati congruum accersit. At Christianus perjurus non solùm humanitatem dediscit, sed adhuc Christianæ religioni renuntiat, & à Christo se separat: *Quisquis jusjurandum pejerans violat, à Christi se corpore, quasi per quoddam abscissionis dissidium separat, & à redemptionis humanæ mysteriis alienat. Hoc cum Deo interpositâ conditione pacifcitur, ut si promissa non impleat, à Deo, vel sancto Evangelio ulterius non juvetur. Et sicut tunc cùm initiatus est Christo, abrenuntiaverat diabolo, & pompis ejus; ita velut retrogradus ac transfuga sic Deo & Evangelio ejus abrenuntiat, ut in eum quasi sua quodam conditionis fœdere de cætero non confidat.* Quàm criminosus Christianus qui suo perjurio Evangelio renuntiat, Deum negat, à Christo se separat! Quàm punitionem meretur perjurus, qui per Evangelii veritatem, falsitatem affirmare non formidat, cunctaque religionis rejicit mysteria! Id præfatus Cardinalis fusè demonstrat elucidans quænam sint septem illa signacula, quibus sigillatus erat liber ille scriptus intùs & foris, quem in sua Apocalypsi vidit dilectus Discipulus: *Quæ sunt autem illa, quibus liber Evangelicus obsignatus dicitur, nisi septem illa sacramenta, quibus utique ordo dominicæ dispensationis impletur? videlicet Incarnatio Domini, Nativitas, Passio, Resurrectio, ad cœlos Ascensio, deinde Iudicium, postea Regnum? Quisquis ergo perjurat, studiosè perpendat, quia ita sibi septem sigilla Evangelicæ narrationis occludit; ut nec Incarnatio Domini, neque Nativitas, neq; Passio, vel Resurrectio, aut Ascensio, Iudicium quoque, vel Regnum, sibi proficere aliquatenus possit. Omnia scilicet hæc à se procul abjicit, & quantum ad se, in nihilum redigit, qui dum jusjurandum violat cum adjutorio Evangelii, abrenuntiat nihilominus auxilio Dei.* Quot mala perjurus cumulat! divinæ gratiæ renuntiat, Evangelium violat, cuncta Christi mysteria profanat, sibique inutilia reddit; imò quantum est ex se, totum Christianismum ad nihilum redigit.

Tert l. 2 adv. marc. 29

L 3. Paral. 17

Pet Dam. l.8.ep.10

Cap 5

Tot mala, quę perjurium consequuntur, impedire volens Salvator, toto divinitatis imperio præcipit Christiano: *Non pejerabis*, id est, falsum non jurabis. Matth. 5

Quod

Quòd Christus prohibeat perjurium, non est mirum: quia etiam in veteri lege inhibitum erat; Dominus verò vetando falsum juramentum plus imperat: quapropter Anastasius Nyssenus Salvatoris præceptum sic intelligit: *Non pejurabis; dictum est enim non jurandum omninò*: quasi idem sit non pejerare, & omninò non jurare; & è converso idem sit jurare ac pejerare. Saltem juramentum est origo perjurii. Ut enim ait laudatus supra D. Chrysostomus: *nisi juramentum interdicatur, non possunt amputari perjuria; ex juramento enim perjurium generatur.* Hominum namque juramentum valdè est perjurio affine, jurantem persæpè ad falsum inducens juramentum. Sicut *falsum loqui non potest, qui non loquitur; ita pejerare non potest, qui non jurat,* Et ob hanc causam Christianis inhibet Christus etiam juramentum: *Non quia mala est vera juratio, sed ne in perjurium incidatur facilitate jurandi: qui enim jurat, non solùm verum, sed etiam falsum jurare potest; qui autem non jurat, à perjurio longè est.* Idcircò [quia pejerare grave peccatum; sed longius remotus est à falsum jurando qui nec jurare consuevit, quàm qui verum jurare proclivis est: maluit nos Dominus & non jurantes non recedere à vero, quàm verum jurantes appropinquare perjurio.] Christiane [vis ergo longè esse à perjurio? noli jurare; ne mendacium jures, jurare noli: ipsa est angustia, perjurium præcipitium est. Qui jurat, juxta est; qui non jurat, longè est; peccat & graviter qui falsum jurat; non peccat qui verum jurat, propè tamen est ad peccatum, qui non jurat, longè est peccato.] At proh dolor! quantumvis *gravissimum peccatum sit jurare falsum*, plures tamen Christiani falso jurant, & terrenorum cupidine in perjurium cadunt.

Quæst. 4 c. 4 — D. Aug. l. 1. de Ser. Dom. in Mont. 30 — D. Aug. l. q. in Deuter. q. 12 — D. Aug. l. 19 contra Faust. 23 — D. Aug. Serm. 28 de Verb. Apost. — D Aug. ep. 89. ad Hilar.

3. *Consentiunt enim ipsi nihil esse quod dejerant: imò insuper & præmio afficiunt, quia publicè contempserit perjurij vindices,* Loquitur de Quiritibus Tertullianus, qui pejerantem Proculum abundè muneraverunt. Verùm si Proculus non fuit punitus à falsis diis qui non erant, Christianus pejerans vindicis Dei non effugit manus, suique perjurii luit pœnas. Cunctæ nationes adversus perjuros statuerunt pœnas. Illos Ægyptii ultimo puniebant supplicio, veluti duplicis sceleris reos: violatæ scilicet pietatis in Deum, eversæque fidei ad humanam societatem necessariæ. Romani, Livio teste, perjuros de saxo Tarpeio dejiciebant: Judæi, ut asseverat Philo, hoc scelus vel morte ipsâ, vel verberibus puniebant. Carolus Magnus manum perjuris amputandam decreverat. In Jure Canonico perjurii habentur infames, & à ferendo testimonio arcentur. Hesiodus quoque perjuros ignominiâ mulctat. [Qui dicendo testimonium sponte pejeraverit, irremediabiliter læsus est, & posteritas ejus inde facta est obscurior.] Quintas adhuc cujusque mensis dies vitari monet, quasi periculosas, difficiles, ab incommodis obnoxias, quia in iis [obambulant furiæ perjuria commissa vindicantes] Sed omissis fabulis verè de perjuriis ulciscitur Deus: nam ut ratiocinatur D. Augustinus: *Vita corporis anima est, vita animæ Deus est: moritur corpus cùm recedit anima, moritur anima cùm recedit Deus: recedit anima cùm corpus percu-*

Tert. l. 1 ad Nat. 10 — Joan. Bohem. l. 1. de Morib. omn. gent. c. 3 — L. de Juram. & Relig. — Legib capitul. c. 10 — In Decretis causa 6 q. 1. c. Infames. — L. 1. de Ergis & Diebus vers. 266 — L. 2. vers. 38 — Ser. 28. de Verb. Ap.

percutitur gladio, & putas quia non recedit Deus cùm anima ipsa feritur pejuro? Vis videre quia mortuus est qui perjurus est? Lege Scripturam: Os quod mentitur, occidit animam. Sap. 1 *Sed tu præsentem putas ultorem Deum, si ille, qui te juratione falsâ decepit, continuò expiret: Sed hoc si fiat, expiravit caro ipsius, hoc est, expiravit excluso spiritu quo vivebat caro; sed pejeravit, exclusit spiritum quo vivebat anima: sed animam miseram sine Deo videre non potes. Crede ergo, adhibe oculos fidei; nemo perjurus impunitus, prorsus nemo, cum illo est pœna sua, si haberet in cubili suo tortorem carnis suæ, punitus esset: habet in secreto cordis sui tortorem conscientiam suam, & impunitus vocatur. Quia ipse Deus, per quem jurat, invisibilis est, ideò feritur pœna invisibili.* Tempus autem veniet, quo occultum perjurium manifestabitur, & pejerans palam & publicè punietur, ut proprio ore asseverat ipsemet Deus: *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maledicis, adulteris, & perjuris.* Malach. 5 Quænam sunt scelera, quæ ob pudorem & periculum patrare non audent homines; puta veneficium, quod lex tanquam capitale damnat & punit; adulterium, quod fœminæ quantumvis impudicæ in publico committere non audent, ipsæque libidinum publicarum victimæ, omnes venalis pudicitiæ submovent testes; perjurium, quo res falsa juramento confirmatur: quod nullatenus facerent perjuri, si res esset aperta. Quia verò pejerans sub divina attestatione mentitur, Deumque irreverenter in falsitatis advocat testem, Deus qui occulta quæque clarè cognoscit, ut mendacem & fallacem puniat perjurum, accedet ad judicium, non tantum ut falsitatis, & mendacii, & irreverentiæ in ipsum commissæ vindex; sed etiam ut testis, & testis velox, ut absque ulla interposita mora occultum perjuri manifestetur crimen, de eaque luat pœnas: *Testis velox, qui modo tardus videor, dum differo.* Inde pœnæ, qua plectetur perjurus, acerbitatem primò propalabit perjurii propudium, quod occultum putabat. Secundò erit testis falsitatis, quam Dei testimonio auctorare voluit pejerans. Tertiò erit testis velox, quia absque ulla dilatione pejerantis divulgabit mendacium: tandem de suo mendacio, falsitate, irreverentia acerbissimè puniet.

Quis pœnalem perjurii non metuat acerbitatem? quis? qui terrenorum æstuante cupiditate, quibus probè competunt Dei querelæ adversus Judæos: Audite hæc domus Jacob, qui vocamini nomine Israël: *qui juratis in nomine Domini, & Dei Israël: recordamini mei non in veritate, neque in justitia.* Jerem. 48 Israëlitæ Dei penitus obliti, tantummodo Dei recordantur ad jurandum, quod falsum & injustum est, ut rapinas, usuras, iniquos contractus, dolos, ac fraudes, sanctius adstruere valeant; & ut fatur D. Chrysostomus apud Antonium in Melissa: *Sicophantæ mendacium vendunt; alios alii fallentes juramenta consumunt, & solummodo inter jurandum Dei meminerunt.* Serm de jurejur. Quot sunt hac ætate fraudulentis Israëlitis similes, qui in cæteris Dei immemores, & velut athei absque ulla Dei commemoratione viventes, Dei duntaxat recordantur dum pejerant, dum alios fraudare & decipere volunt: Tunc *armant se ad latrocinia* Salv. l. 4 de prov.

nia per Christi nomen, auctorem quodammodo sui sceleris Deum faciunt, illum in sui latrocinii testem adhibentes. Socrates sacramentum oblatum duabus de causis firmandum esse dicebat: [Vel ut teipsum turpi suspicione liberes: vel ut amicos ex magnis periculis eripias:] *pecuniarum verò gratia etsi justam causam haberes, non per Deum jurandum dicebat.* Eadem dicebat Isocrates, juramentū duntaxat permittens, ut quis se crimine, vel amicum gravi periculo liberaret, *non autem ob pecuniam.* Basilio Magno teste ad Demonicum Clinias Pythagoræ familiaris, maluit tria talenta pro mulcta solvere, quàm jurando mulctam evadere. Quid ad hæc respondebunt Christiani? non pro tribus talentis, non pro uno talento, sed pro uno aureo, sæpè sæpius pro re minoris momenti pejerantes? Nam ut obplorat D. Aug. *Falsa juratio ab ore non discedit, sed frequentatur, & plura sunt plerumque juramenta quàm verba. Si discutiat homo quoties juret per totum diem, quoties se vulneret, quoties gladio linguæ se feriat & transfigat: quis in illo locus invenitur sanus?* Et quod est lugendum, persæpè pejerat vel pro debito non solvendo, vel pro injusto lucro comparando. Lysander tyrannus dicere solebat, pueros tesseris, viros oportere circunvenire juramentis. Dogma tyranni illius ad praxim redigunt plures Christiani, fraudulenter & falsò jurantes, quibus cùm nullum sit numen, nulla conscientia, nulla etiam est religio, nulla juramenti fides. Christiane, *quia grave peccatum est pejerare, compendium tibi dedit Scriptura dicens: Noli jurare*: & tu ita terrenis es addictus, ut lucri gratiâ jures, pejeres, & quod est horribile dictu, blasphemes?

Stobæ ser. 25 — *Serm. de util. ex lib. Gent.* — *Serm. 28 de Verb. Apost.* — *Plutarch. in Laconicis.* — *D. Aug. ibid.*

III. PARS

Sicut de quo quid capit dici, sine blasphemia dicitur: ita quod non capit, blasphemia est, si dicatur. Blasphemia namque ex nominis significatione, est dictum nocens, quo alterius honor minuitur, & fama læditur. Sumitur autē blasphemia impropriè, & propriè. Impropriè, pro diffamatione hominis studiosi: quo sensu ait Apostolus: *Blasphemamur & obsecramus*, quomodo olim Gentiles Christianos juxta disciplinam fidei viventes blasphemabant: *Blasphemiam martyrij affinem, quæ tunc me testatur Christianum, cùm propter disciplinam detestatur; benedictio est nominis, maledictio custodita disciplinæ.* Blasphemia propriè sumitur, quando Deus, & res quæ ad illum pertinent, infamantur apud homines; quomodo blasphemia dicitur ab Angelico Doctore, *alicujus bonitatis derogatio, & præcipuè divinæ.* Hanc descriptionem mutuatus est S. Doctor à D. Aug. sic de blasphemia differente: *Blasphemia est, cùm aliqua mala dicuntur de bonis. Itaq; vulgò blasphemia non accipitur nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namq; dubitari potest, Deus verò sine controversia bonus est.* Blasphemare itaque, ait Aymo, est [contumeliam seu convitium aliquod proferre in injuriam Creatoris.] Seu, ut vult Richardus à S. Victore: *Quid est blasphemia nisi vituperatio divina?* Quatuor autem præsertim modis vituperatur Deus: 1. Cùm ei tribuitur quod non convenit. sic blasphemârunt Antropomorphitæ Deum corporeum credentes; Manichæi, auctorem peccati proclamantes; Calvinistæ, ei crudelitatem tribuentes; Judæi, Christi miracula in Beelzebub

Tert. l. adv. Prax. 29 — *1 Cor. 4* — *Tert. l. de Idol. 4* — *22. q. 1. a. 1* — *Lib. 2. de Mor. Manich. 11* — *Tract. de Spir. blasphem.*

facta

facta calumniantes. 2. Cùm removetur à Deo quod illi essentialiter convenit. Sic blasphemaverunt Sabelliani personarum distinctionem confundentes; Ariani, Filio consubstantialitatem cum Patre denegantes; Macedoniani, Spiritui sancto divinitatem eripientes; Manichæi, Deum visibilium Creatorem agnoscere nolentes; Epicuræi, de incuria & defectu providentiæ accusantes. 3. Cùm creaturę tribuitur quod est Dei proprium. Sic blasphemârunt Basilides & Menander, mundum istum inferiorem ab Angelis creatum somniantes: Magi quoque qui in virtute diaboli miracula operari præsumunt. 4. Cùm blasphemantur membra sacratissima Christi, Deiparæ dotes, Sancti in cœlo regnantes; injuria namque & contumelia illis irrogata in Deum redundat: *Quod cum magno horrore blasphemiæ & pronuntiandum, & legendum est, & audiendum.* Ter. l. adv. Valent. 18 Probi Christiani horrent dum legunt, vel audiunt blasphemias quas impii in Deum ejaculantur: *Horrebo planè sputeum blasphemiæ flatum de haeretico ore fœtentem.* Tertull. Scorp. 7 Quàm autem sit fœtens, horrenda, & scelerosa blasphemia, comprobatur ex 1. Dei offensi magnitudine. 2. cæterorum criminum comparatione. 3. acerba blasphemantium punitione.

¶ Impius *penes quem Deus omnipotens blasphemijs lancinatur.* Tert. l. 1 adv. marc. 1. Tantò gravius peccat, quantò major est divina majestas; culpa enim ex qualitate offensi minuitur aut incrementatur. Offensa Nobili illata major est, quàm illata plebeio; magis peccat injurians Principem ex regia stirpe ortum, quàm aggrediens Nobilem; & convitia Regi facta sunt criminosiora, quàm ea quæ insequuntur Principes. Inde colligenda est blasphemiæ enormitas, qua vituperatur Deus: *Rex regum ob summitatem magnitudinis, & subjectionem cæterorum graduum.* Tert. l. 1. adv. marc. 4. Refert in sua canonica B. Judas Apostolus, quòd cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ. Versio Tigurina legit: *Non est ausus illi notam impingere maledicti.* Vatablus vertit: *Non est ausus convitium illi facere.* Jure merito poterat S. Michaël diabolo maledictum & convitium ingerere: tum quia est delicti auctor, Angelus apostata, Deo rebellis; tum quia injustè illi resistebat, & tamen à maledicto & convitio abstinuit Princeps militiæ cœlestis: quia, ut ait Didimus, consideravit non diaboli culpam & malitiam, sed naturam ejus à Deo acceptam: & impius Dei majestatem nullo modo considerans, eum blasphemare audet. Impie *quem blasphemâsti, contra quem exaltâsti vocem tuam?* L. 4. Reg. 19 Contumeliam irrogas Creatori tuo, qui te de nihilo produxit, & ad sui formavit imaginem; vituperas conservatorem tuum, sine cujus potentia redires in nihilum, de quo creatus es; supremum tuum Dominum, cujus mandata & leges custodire debes; benefactorem tuum, qui tibi tot largitus est naturæ, fortunæ, & gratiæ dona; Redemptorem tuum, qui pro te fudit sanguinem, & cruentam crucis subiit mortem. Patrem tuum, qui te in baptismate adoptavit in filium; Deum tuum, quē tuis blasphemiis aggrederis.

Ex D. Thoma quinque modis Deus potest offendi: 1. in suis bonis. 2. in sua familia. 3. in sua humanitate. 4. in suo esse sacramentali. 5. in sua divinitate.

te. Peccatores creaturis abutentes offendunt eum in suis bonis, Gentiles & tyranni offenderunt eum in sua familia, persequentes & morte punientes Martyres; Judæi in sua humanitate, quam crucifixerunt; Calvinistæ in esse sacramentali, cujus veritatem negant; plures adhuc hæretici in sua divinitate, cui eripere perfectiones, & tribuere defectus moliuntur: At blasphemator in cunctis Deum offendit: in suis creaturis, quas maledicit, & diabolo mancipat; in sua familia, Sanctos in cœlo regnantes depretians, convitians, vituperans; in sua humanitate, caput, ventrem, plagas, aliaque ejus membra prophanans: *Flagellatur Deus flagellis Iudæorum, flagellatur blasphemys falsorum Christianorum.* Addit Liranus: *Sicut tunc conspuitur salivis infidelium, ita nunc opprobrijs exhonoratur falsorum fidelium, & colaphis, id est, blasphemijs eorum caditur.* In suo esse sacramentali, per sacrum ejus corpus jurans; in sua divinitate, ei mortem inferre tentans: *Lingua blasphemantis est gladius scindens, & discerpens Deum, si posit in plures partes.* Quapropter blasphemus atrociusDeum aggreditur, quàm tyranni, Judæi, ac Calvinistæ. Tyranni sunt duntaxat aggressi servos, blasphemator supremum illorum Dominum; Judæi persecuti sunt Christum adhuc mortalem, & in terra cum mortalibus conversantem: blasphemator illum aggreditur jam immortalem, & in cœlis regnantem: *Magis peccant blasphemantes Deum triumphantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt eum ambulantem in terris.* Calvinistæ Eucharistiæ negant veritatem, quam impossibilem existimant: at blasphemator Deum negare non valens, & per ejus mortem jurans, reus est Deicidii. Quapropter Deus in prolatam primam blasphemiam, promulgavit pœnam homicidii ejusmodi blasphemo infligendam: *Meritò blasphemo homicidij legem aptavit, quia blasphemator cùm Deum interficere non posit, lingua ferit.* Ejus impiam crudelitatem declarat bellè Propheta Job: *Cucurrit adversus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est,* sagittasque jaculatur, quibus Deo mortem inferret, ni ejus obstaret immortalitas. Et quemadmodum ait D. Thomas: Si quis sagittam ejacularetur circa cor Regis, quæ non vulneraret Regem, neque mortem inferret; quia impedivit lorica quâ opertus est; nihilominus emittens sagittam esset regicidii reus, & ut talis puniretur non secus ac si occidisset Regem, quem quantum est ex se, occidere est molitus: sic blasphemator reus est Deicidii. Nam, ut concludit Angelicus Doctor: *Qui blasphemat, sagittam mittit contra Deum, quantum est ex se intendens Deum destruere.* Deumq; destruere tentans cuncta quæ sunt in mundo destruere tentat, quæ in nihilum reducerentur, si per impossibile Deus eorum destrueretur. Quanta blasphematoris crudelitas! quanta atrocitas! qui Deo volens inferre necem, vult consequenter destruere cœlum, elementa, mixta, cunctas creaturas, inanimatas, vegetativas, & irrationales, cunctos homines, & Angelos, justorum gratiam, Beatorum gloriam, Mariam Deiparam, Christi humanitatem, & generatim cuncta creata, quæ existere nequeunt nisi Dei potentiâ conserventur. Horre Christiane blasphemiam, cujus atrocitas comprobatur tum Dei offensi magnitudine, tum cæterorum criminum comparatione.

D Aug. Tract. 9 in Joan. In c. 18 Matth. S. Bernardin. Sen. to. 1. Ser. 41. a. 2. c. 4

D. Aug. in c. 16. matt.

Levit. 24 Theodor. q. 33

Cap. 15

22. q. 21. a. 4. ad 1. & q. 47. c. 1

2. Omnis

2. *Omnis malitia atque blasphemia ingenia* agnosco in pluribus blasphemis. Ingenia scilicet impietatis, vanitatis, desperationis, fallacitatis, quæ sunt quatuor blasphemiæ incentiva. Nonnulli ex ingenio impietatis blasphemant, quos gentiles denotarunt per gigantes armatos, ut Jovem de suo solio detruderent: ingenio vanitatis (quasi blasphemia sit fortitudinis & magnanimitatis insigne) similes Græco illi Duci, qui cœlum sua lancea tangere asseverabat. Alii ingenio desperationis dum illis aliquod occurrit damnum, ad instar Juliani apostatæ, qui in bello Persico, divinitus lancea inter costas percussus, sanguinem suum manu in cœlum jaculatus dixit: *Exple iram tuam, Galilae, vicisti, vicisti*; tandem ingenio fallacitatis. Eques vitiosum equum absque ullo defectu mille blasphemiis testabitur. Mercator fraudes quas molitur blasphemiis occultare tentabit. Ex D. autem Augustino (pejus est blasphemare quam pejerare, quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Tanto est inexcusabilior blasphemus quanto magis ea quæ blasphemando asserit, falsa novit esse vel credit.) Christianus blasphemus assuetus facile in hæresim, infidelitatem & atheismum labitur. *Verus Dei cultor ille est, cujus fides inter adversa non deficit, cujus lingua benedicere nomen Domini sui in omni angustiarum tempore, in omni tribulationum plaga, non desinit*: at blasphemus tantum abest, ut divinum nomen in angustiis benedicat, quin illud fœtenti suo ore devenustat, divinamque violans legem, impietatis verba propalat: *Qui peccat legem Dei violat: at qui blasphemat, adversus divinum nomen impietatem admittit*, à Deo deficit, fidem amittit, & in hæresim, infidelitatem & atheismum cadit: *Caterum ethnici & haretici, quotidie ex blasphemia emergunt*: Cæteri peccatores quantumvis atrocia committant peccata, in Christianismo permanent, quia suis sceleribus divina quidem transgrediuntur mandata, Dei amittunt benevolentiam, charitatem perdunt, non tamen fidem, quam inviolabiliter conservant: at blasphemator se Christianum negat, à Deo deficit, simulque cum charitate fidem perdit: & ut fatur Origenes, *exijt à veritate, exijt à timore Dei, à charitate, à fide*: exire autem à fide, est deserere fidem, quam susceperat in baptismo.

Sozom. l. 6. c. 1

Lib. cont. Mendac. c. 19.

S. Gaudent. præfat. in Exod.

D. Damasc. in parall. c. 59

Tert. l. de Pud. 13

Hom. 14. in Levit.

Verum concesso quod blasphemator non exeat & non deficiat à fide: *Multiplex est differentia peccatorum, qua committuntur in Deum & in homines: nihil tamen scelestius blasphemia*, quæ sua atrocitate cuncta alia peccata longe superat, & ut docet sanctus Hieronymus; *omne quippe peccatum, blasphemiâ levius est*; & hoc multiplici de causa: 1. Quia alia peccata ut plurimum sunt vel contra peccantem, vel contra proximum: Nam ut ratiocinatur Richardus à sancto Victore; *Quadam hominum peccata specialiter pertinent ad corruptelam propriam, sicut ebrietas & stupra; quadam specialiter ad injuriam proximi, sicut homicidia & furta: quadam specialiter ad contumeliam divinam, quemadmodum blasphemia: sed quis nesciat quod contumelia Creatoris sit detestabilior cateris?* 2. Quia blasphemia ex pura malitia procedit. Magno namque

D. Chrysost Hom. in Psal. 95

In c. 52. Isaiæ.

Tract de Spir. blasf.

 Grego-

In cap. 34. Job. Gregorio teste *peccatum tribus modis committitur: nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur: & gravius quidem infirmitate quam ignorantia; sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur.* Peccatum enim ex ignorantia vel infirmitate commissum, est aliquo modo involuntarium, unde quamdam excusationis rationem habet, neque est contra Spiritum sanctum: at peccatum ex malitia, nullam habet excusationis caussam, quia est plane voluntarium: etenim peccans ex malitia, peccat ex electione, qui autem peccat ex electione, adhæret peccato quod eligit, eiq; complacet, peccatq; in Spiritum sanctum, quasi ex industria derogans divinæ bonitati, quæ appropriatur Spiritui sancto. Blasphemator autem peccat non ex ignorantia, neque ex infirmitate, sed ex mera malitia: *Malignitate ergo blasphemia præ cæteris est pessima: est autem in hoc genere sceleratissimum, & in quo malitia crescit ad summum, quando quis in Dei vituperiis delectatur, & in eis gloriatur: ad hoc enim quisque aspirat, quod valde affectat, multumque desiderat: Quid videtur aliud spiritus blasphemiæ, quam affectatio & desiderium vituperationis divinæ?* 3. Peccatum tanto est levius, quanto majus habet motivum: at ex adverso tanto gravius quanto minus habet motivum. Quod si nullum habet motivum, gravissimum est, quia ex peccantium pinguedine, non macie procedit. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis:* Ubi D. Augustinus: *Sunt mali, sed macie mali, ideo mali quia exiguitate quadam necessitatis affecti. Pauper furtum facit ex macie, dives abundans diripit res alienas, hujus iniquitas processit ex adipe.* Blasphemia autem non ex macie, sed ex adipe blasphemantis procedit, qui nulla necessitate, nullo motivo ad blasphemandum inducit. Quodvis aliud peccatum aliquod habet motivum. Quid enim superbum ad superbiam movet? honoris altitudo: quid epulonem ad gulam? cibi & potus jucunditas: quid libidinosum ad venereas voluptates? carnis delectatio: quid inimicum ad vindictam? ultionis satisfactio: quid desidem ad acediam? requies corporis? Idcirco istiusmodi peccatores ad peccatum aliquo motivo inducuntur, aliquamque boni saltem apparentis speciem intendunt, ut inertes corporis quietem; inimicantes, ultionis appetitum; libidinosi, carnis delectationem; gulosi, cibi & potus jucunditatem; superbi, dignitatem & honorem; quæ omnia absque Dei injuria vellent posse obtinere: non enim per se ex primario, sed duntaxat per accidens & secundario intendunt Dei offensam: at blasphemator nullo incentivo ad blasphemiam movetur; neque ullam speciem boni etiam apparentis intendit; sed per se & primario Dei injuriam & vituperium respicit. 4. Quia blasphemia est peccatum irremissibile: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Advertendum tamen est, omne peccatum sub diverso respectu esse remissibile & irremissibile. Remissibile trina potissimum ratione: 1. Ratione omnipotentiæ Creatoris: *Omnipotenti medico nullus insanabilis languor occurrit.* 2. Ratione immensæ misericordiæ Redemptoris, qui sanguinem fudit *ad eos liberandos, qui essent etiam despe-*

Richard. à S. Victor.

Ps. 72.

Matth. 12

D. Aug. in Ps. 102.

D. Aug. in Ps. 67.

desperatissimi peccatores. 3. Ratione liberi arbitrii viatoris, qui quandiu vivit potest cum gratiæ auxilio consentire bono: *de nullo enim desperandum est, quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit.* Peccatum etiam tripliciter est irremissibile. Negative, privative, contrarie. 1. Negative: quia impossibile est remitti, eo quod ille qui peccavit mortuus est in impœnitentia finali; estque in termino damnationis, nempe in inferno ubi nulla est redemptio. 2. Privative, non quod nullo modo remittatur, sed quia inhabile est remitti, ratione detestabilis malitiæ, ob quam peccatum ex se nullam habet excusationem, neque ullo modo est dignum quod remittatur. 3. Contrarie, quia irrationabile est remitti ratione obstinationis, vel repugnantiæ, quia excludit, contemnit, & abjicit omnia quæ valent illud remittere: sicut enim morbus est mortalis, quando tollit virtutem naturæ, inducit cibi fastidium, Medici contemnit consilium, sic peccatum est irremissibile, quod excludit, abjicit, & contemnit ea per quæ fit remissio peccatorum. Blasphemia autem non est irremissibilis negative, quia blasphemator non est in termino, sed in via: neque etiam privative & contrarie absolute, per omnipotentiam Creatoris, & summam misericordiam Redemptoris: Deus enim sua omnipotentia, & Christus summa sua misericordia desperatissimos quosque aliquando convertit: sed ut plurimum & de via ordinaria spiritus blasphemiæ est peccatum privative, & contrarie irremissibile. Privative, ob blasphemantis malitiam, qui sibi complacens in blasphemia peccat in Spiritum sanctum. Contrarie, quia Dei gratiam contemnit. Quo sensu *in isto & in futuro ævo crimen irremissibile est blasphemia.* Cujus atrocitas 5. ex ejus duratione colligitur. *Peccatum tanto est gravius, quanto durabilius.* Blasphemia autem per totam retro æternitatem durabit in inferno: damnati namque de Dei misericordia desperantes, neque unquam pœnas æternas evadere valentes, in continuas blasphemias erumpent. Charitas est nobilior fide, spe, cæterisque virtutibus, quia nunquam excidit; *cætera evacuabuntur, consummabuntur,* at charitas permanet in cœlo. Incepit in via, consummatur in patria: Blasphemia etiam est gravius peccatum, quia incipit in terra, in inferno in æternum durabit. In terra est quidem ambitio, avaritia, luxuria, in inferno autem nequaquam: aliter differendum est de blasphemia, quæ in terra habuit initium, & in inferno non habebit finem. Sicut sancti post resurrectionem non solum mentaliter, sed etiam vocabiliter Deum in cœlo laudabunt: *Exaltationes Dei in gutture eorum*: hæc autem laus vocabilis non est meritoria, sed ad præmium beatitudinis pertinet, tanquam appendix quædam, & pars accidentalis, seu accessoria fœlicitatis: ita damnati *blasphemabunt Deum cœli præ doloribus suis*; damnatorum autem blasphemia sive mentalis, sive vocalis, non erit demeritoria, sed pœnalis tanquam appendix quædam, & pars calamitatis ipsorum. 6. Tandem blasphemiæ atrocitas ex acerba blasphemantium punitione comprobatur.

3. Deus namque severe punit *jam de fide in blasphemiam mersos.* Trinaque mulctantur pœna; scilicet in vita, in morte, & post mortem. 1. In vita, ut constat

D. Aug. Ser 11. de Verb. Dō.

Tert. l. de Pud. 13

D. Thom. 22. q. 186. a. 2

1. Cor. 13

Tert. l. de Pat. 12

Apoc. 16

Tert. l. de Pud. 13

Sozom. l. 2. cap. 28 constat ex Ario & Olympio: Arrius in Dei filium blasphemus, alvum purgaturus, viscera effudit & expiravit. Olympius etiam Arianus Episcopus Carthaginensis, cum in balneo Trinitatem publice blasphemaret, tribus percussus jaculis tanquam fulminibus consumptus est. Taceo Nestorios, Julianos apostatas, cæterosque quos Deus etiam in hac vita punivit: tanta est etenim blasphemiæ atrocitas, ut Justiniano Imperatore teste, nunquam Deus illam sinat inultam, sed peste, fame, terræ motibus, aliisque gravioribus plagis divinitus immissis ulciscatur. Nicolaus Boetius refert quod Robertus Hugonis Capetii filius, Galliarum rex in civitate Aurelianensi ante Crucifixi imaginem pro pace regni orans, ab ipsa imagine audivit, extirpandas esse blasphemias, si vellet pace potiri. Blasphematores à populo Judaico in lege Mosaica, lapidari Deus præceperat, *ut omnes timerent, quod omnis in uno populus vindicasset.* Et licet in lege Evangelica non lapidentur blasphemi, multoties tamen morte puniti sunt, ut suprema senatuum arresta demonstrant. In Authenticis Justiniani, ultimò supplicio tradi jubentur, qui vel Dei capillum lingua blasphema nominarint. Philippus Augustus à Deo datus, edicto palam edito constituit, ut in lacum vel flumen (citra mortem) mergerentur blasphemi. Sanctus Ludovicus statuit ut candens lamina blasphemantium inureretur frontibus: neque quavis supplicatione dimoveri potuit, quin civis Parisiensis blasphemus illam subiret pœnam, dicens, (eamdem se libenter perpessurum, si tam horrendum blasphemiæ scelus è suo regno posset hoc modo deturbare.) Si illa pœna mulctarentur blasphemantes, non audirentur hac tempestate tot blasphemiæ: sed si impii in vita non luunt tanti criminis pœnas, in morte à Deo puniuntur, impœnitentes scelerosam efflantes animam. *Illis enim venia negatur, qui de fide in blasphemiam impegerunt.* Ex omnibus blasphematoribus, quos refert Scriptura, nullus legitur egisse pœnitentiam: Ut enim ait S Bernardinus Senensis, (blasphemus propter ejus ingratitudinem in puncto mortis non recordatur pœnitendi se, & in isto modo remanet damnatus, quia est extra gratiam Dei.) In isto misero statu cum sint Dei gratia denudati, Sanctorum orationibus destituti blasphematores inter salutis desperationem & infirmitatis anxietatem, misera eorum anima comprehenditur à dæmonibus: quomodo S. Bernardinus istud Threnorum intelligit: *Omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias.*) Apprehenderunt blasphematoris animam quasi inter duos muros: Sunt autem isti muri, murus peccatorum, & murus infirmitatis. Murus peccatorum arcet eum ab ingressu cœli; murus vero infirmitatis arcet eum ab hoc mundo, sive à corpore, & in hac angustia comprehendunt eum dæmones, & in infernum demergunt.) Cujus memorabile refert Gregorius Magnus exemplum. (Quidam vir cunctis in urbe notissimus filium habuit annorum quinque, quem nimis carnaliter diligens remisse nutriebat: atque idem parvulus, quod dictu grave est, mox ut ejus animo aliquid obstitisset, majestatem Dei blasphemare consueverat: qui ante triennium mortalitate percussus, venit ad mortem: cumque eum

Marginal notes: Sozom. l. 2. cap. 28 / Paul Diacon. l. 15. in Anastas. / in Authenticis Novella 77. / In Pragmat. Sanct. decil 101 / Levit. 24. / Salv. l. 4. de provid. / §. Præterea. / Gaguin. / Tert. l. de Pud. 13. / Tom. 4. Ser. 33 / Cap. 1. / Tom. 1. Ser. 41. / L. 4 Dialog. 18

eum pater illius in sinu teneret, sicut hi testati sunt qui præsentes fuerunt, m-
lignos ad se venisse spiritus trementibus oculis aspiciens, clamare cœpit. Obsta
pater, Obsta pater qui clamans, declinavit faciem ut se ab eis in sinu patris ab-
sconderet: quem cum ille trementem requireret quid videret, puer adjunxit,
Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt; qui cum hoc dixisset, ma-
jestatis nomen protinus blasphemavit, & animam reddidit. Ut enim omni-
potens Deus ostenderet pro quo reatu talibus traditus fuisset executoribus;
unde viventem pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare,
ut qui diu per divinitatis patientiam blasphemus vixerat, quandoquidem per
divinitatis judicium blasphemaret & moreretur; quatenus reatum suum pater
agnosceret, qui parvuli filii animam negligens, non parvulum peccatorem
ignibus nutriisset.) Quod si pueri quinque annorum animam rapuerunt dæ-
mones, quanto magis adultos *blasphemia totos homines in possessionem ipsi sata-* Tert. l. de
næ tradidisse meruit; ut post mortem 3. patiantur supplicia blasphemiis con- Pud. 13
venientia? Nam *qui addit super peccata sua, blasphemiam in sermonibus suis,* Job. 34
provocat Deum ad judicium: In inferno namque ultra pœnam damni, ultra
pœnam ignis, *ibi dracones blasphemantium labia vorant, & serpentes diris mor-* Cassian. 3.
sibus, miserorum pectora lacerant. Merito post resurrectionem cruciabitur cor p. Confess.
in quo blasphemiæ conceptæ sunt, & vorabuntur labia quæ impias protule- Theolog.
runt blasphemias. Christiani, ut intolerabilia illa valeamus vitare supplicia,
blasphemia nobis omnino devitanda est; imitandi sunt non dæmones aut dam- Tert. l. de
nati, qui in inferno crebras blasphemias in Deum ejaculantur, sed Angeli & Idol. 14
Beati, qui in cœlo Dei laudes continuo decantant.

LUXURIA.

SCHOLIUM.

Luxuria 1. enormitas declaratur : 2. Quot bona dissipet Luxuria, demonstratur : 3. De crudelitate, Luxuria culpatur : 4. Ostenditur quam facile homo in Luxuriam labatur : 5. Quam difficile à Luxuria convertatur : 6. Quam severe à Deo Luxuria puniatur.

CONCIO PRIMA.

Tert. l. 2. de Cult. fœm. 12

ILla civitas valida, quæ super montes septem & plurimas aquas præsidet. Prostitutæ appellationem à Deo meruit: Sed quali habitu appellationi suæ comparata est? Sedet certe in purpura & coccino, & auro, & lapide pretioso.* Alludit Tertullianus ad visionem, quam habuit Joannes in insula Pathmos, & quam in sua Apocalypsi refert dilectus Discipulus. (Et vidi mulierem sedentem supra bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem : & mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis; habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus, & in fronte ejus nomen scriptum, *Mysterium*: Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ.) 1. Sub nomine Babylon seu meretricis magnæ, cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui habitant terram de vino prostitutionis, Romam ethnicam describit Evangelista. *Sic & Babylon apud Ioannem nostrum, Romanæ urbis figura est: proinde & magnæ, & regno superbiæ, & Sanctorum debellatricis.* Idem aliorsum docet Doctor sententiarum gravitate insignis. Cui arridens D. Augustinus, Romam, Babyloniam secundam, occidentalem, & Babyloniæ primæ & orientalis filiam nuncupat : *Condita est Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis.* 2. Babylon seu meretrix illa magna plena erat nominibus

Apoc. 17

Tert. lib. adv. Jud. 9
L. 3. adv. Marc. 13.
L. 8. Civ. 22

minibus blasphemiæ, quia sua fidelitate & impietate Deum blasphemabat: & per blasphemiam Deæ & æternæ sibi nomen arrogabat. *Secundum Apocalypsim Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis, scriptum est nomen blasphemiæ, id est Roma æterna.* 3. Roma ethnica meretricis instar purpura, auro, & gemmis superbe vestita incedebat. *Quam maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi!* 4. Poculum aureum in manu tenebat: nam sub pompa mundanæ fœlicitatis, sub specie Venereæ voluptatis idololatriam, lasciviam, cunctis propinabat gentibus. *Nemo venenum temperat felle & elleboro, sed conditis pulmentis, & bene saporatis, plurimum dulcibus id mali injicit.* Poculum illud plenum erat abominatione & immunditia. Alludit ad veneficas & meretrices, quæ in aureo calice amasiis propinant philtra ex rebus immundis & abominandis composita, scilicet ex cineribus bufonum, ranarum, serpentum. *Proinde habe ac si stillicidia mellis, de ranunculo venenato.* 6. Mater fornicationum & abominationum terræ vocabatur, id est idololatriæ, superstitionum & scelerum; & ut fatur Tertullianus *superstitionis elogio.* Tandem 7. deferebat in fronte nomen scriptum, *Mysterium*: Alludit ad lupanar & fornices, in quibus cellæ, meretricum nomine scribebantur, quæ cognoscebantur *in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis.* Subjungit Philosophus moralis quod meretrix famosa, non tantum in cella, sed etiam in fronte præferebat nomen & elogium impudicitiæ. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cella tua titulus; nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti, & manus quæ d u datura erat sacra, capturas tulit.* Quia vero *frequentior est omni superstitione luxuria*; cuncta quæ de Babylone seu Roma refert Evangelista, probe luxuriæ competunt, eaque quivis nullo negotio poterit aptare. Vera autem *Luxuriæ denotatio* est *mysterium*: sed mysterium 1. iniquitatis: 2. impietatis: 3. impudicitiæ & inhonestatis.

D. Hier. Epist. 151. ad Algasiã q. 13 | Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 12 | Tert. l. de Spect. 27. | Tert. ibid. | Lib. adv. Jud. 9 | Tert. l. de Pud. 1 | Controv. 1 | Tert. l. de Idol. 8 | Tert. l. de Cor. Mil. 10

I. PARS.

Adeo etiam inter Philosophos magnum habet privilegium impuritas. De ethnicis Philosophis fatur Tertullianus, qui fere omnes fuerunt impudicitiæ deditι, ut de singulis sigillatim refert per decem libros Diogenes Laertius: imo nefando Sodomiæ scelere dedecorati, cum plerique *philosophiam exornaverint amore puerorum*: præsertim Socrates & Plato, infami illo vitio fuerunt contaminati. De Socrate quidem tradit Philo Judæus: quin & Laertius in ejus vita, testatur illum accusatum & morte damnatum; tum quod deos patrios respueret & nova dæmonia induceret; tum quod contra fas & jus, juvenes corrumperet. Idem vitium etiam Platoni adscribunt Gellius & Plutarchus; licet ab hoc facinore eum vindicare totis viribus moliatur Cardinalis Bessarion: & quia, ut docet Tertullianus, gentiles Philosophi sunt hæreticorum patriarchæ: *Difficile est invenire hæreticum qui diligat castitatem*, ait D. Hieronymus, imo qui non sit impudicitiæ addictus: D. namque Hieronymo teste nullus fuit hæresiarcha qui amasiam non habuerit: Simon Magus habuit Helenam meretricem; Nicolaus Antiochenus choros duxit fœmineos, Apelles Philomelem; Montanus Maximillam; Elpidius

Tert. l. de An. 54 | Tert. ibid. | L. 2 de Vit Contẽpl. | L. 18. c. 1 | L. de Educat. liber. | Lib. 4. in Calumn. Plat. 2. | Lib. de An. 3 | Lib. 2. in Olee 9. | Epist. 1. ad Ctesiphõtem.

Apagen; Priscillianus Galliam; Lutherus quoque *tanto scelere pollutus* votum
Tert. l. de Pud. 13 castitatis violans, quod in Augustiniano Ordine solemniter emiserat, habuit Catharinam, concubitum non minus vitæ necessarium, quam cibum asseverans; volensque vocandam ancillam, si uxor conjugale recusaret
Tert. l. de Pud. 15 debitum: Et quamvis Deus *ad interdictionem omnis pudicitiæ*, de non mœchando in decalogo dederit præceptum, & insuper alienæ uxoris concupis-
Tert. l. de Pœn. 3 centiam prohibuerit: *cum adulterum non eum solum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset, verum etiam illum qui aspectus concupiscentia contaminasset*: attamen contra expressam Scripturæ auctoritatem, quæ impudicitiam damnat; adversus Dei mandatum, qui lasciviam non solum opere consummatam, sed etiam mente & voluntate conceptam, vetat; invenitur in Christiana religione luxuriæ patronus, qui saltem simplicem for-
Tert. l. de Pud. 16 nicationem licitam propugnat. *Quis iste est assertor audacissimus omnis impudicitiæ, mœchorum & fornicatorum plane fidelissimus advocatus, quibus honorandis suscepit hanc causam adversus Spiritum sanctum?* Ut autem hanc causam tueatur, luxuriam à peccato immunem prædicat: verum ut illi objectat
Tert. l. de Pud. 19 Tertullianus, *ita nihil jam superest quam ut neges mœchiam & fornicatio-*
Lib. de Pud. 15 *nem mortalia esse delicta.* Quod quam falso constat ex Apostolo, quem Tertullianus vocitat *impuritatis omnis execratorem*: impuritatem autem non execraretur Paulus, nisi ex sua natura esset mortale peccatum. Quam grave delictum sit impudicitia, declarat aliorsum vas electionis, illam nuncupans
2. Thess. 2. *mysterium iniquitatis.* Et meritò, quia 1. Luxuriæ nomine malum & peccatum intelligitur: 2. Luxuria, cuncta generatim vitia complectitur: 3. per Luxuriam, omne quod est in mundo offenditur.

Tert. l. de Pud. 1. 1. *Nec enim fornicatio & mœchia de modicis, sed de maximis delictis deputabuntur; cum ea sint quæ culmen criminum teneant, nobis maxima aut summa sic quoque præcaventur.* Belle Tertullianus luxuriam inter maxima delicta connumerat, cum pari elogio illam Job decantet: (Si deceptum est cor meum
Cap. 3 super muliere, scortum alterius sit uxor mea;) *hoc enim nefas est, & iniquitas maxima.* Filii quoque Jacob de stupro sorori Dinæ à principe Sichemitarum illato, vindictam sumpserunt, Emori, ejusque subditis necem inferentes.
Hom. 59. in Gen. Quia ut ait D. Chrysostomus, *turpitudinem maximam, hoc factum reputabant.* Luxuriam adhuc *culmen criminum* nuncupat Tertullianus; quia ut fa-
Gen. 20 tur etiam gentilis Abimelech, adulterium est *peccatum grande.* Et ut fatur
Hom. 9 de Fest. Pasch. Cyrillus Alexandrinus, *pessimum malorum.* Quod profunde demonstrat Ter-
Lib. de Pudic. 5 tullianus ex loco, quem in tabulis divinæ legis tenet hoc præceptum, Non mœchaberis? *Ergo mœchia, quod etiam fornicationis est res, secundum opus criminis quanti æstimanda sit sceleris, prima lex Dei præstò est. Siquidem post interdictam deorum superstitionem, ipsorumque idolorum fabricationem; post commendatam sabbati venerationem; post imperatam in parentes secundam à Deo religionem; nullum alind in talibus titulis firmandis monendisque substru-*

xit

xit preceptum, quàm, Non mœchaberis. Mœchię enormitatem declarat ipsemet Deus apud Tertullianum, illius interdictionem mandans immediatè post imperatam primam in Deum, & secundam in parentes religionem: *Post spiritualem enim castitatem sanctitatemq́; corporalis sequebatur integritas: & hanc itaque munivit, hostem ejus probibendo mœchiam? Quale delictum jam intellige, cujus cobibitionem post idololatriæ ordinavit? Nihil secundum longinquat à primo; nihil tam proximum primo, quàm secundum; quod fit ex primo, aliud quodammodo primum est: itaque mœchia affinis idololatriæ.* 2. Quàm gravis sit mœchia, demonstrat eam in enormitate etiam homicidio præferens: *Eo amplius præmittens, non mœchaberis; adjungit, non occides. Ordinavit itaque mœchiam, quam homicidio anteponit.* Homicidium autem gravissimum est peccatum, vitam proximo, quæ est maximum naturæ bonum, auferens. 3. Ex loco, quo Deus mœchiam disposuit, nimirum inter idololatriam & homicidium, ejus malitiam ostentat, medium siquidem participat de extremis: *In prima itaque fronte sanctissimæ legis, in primis titulis cœlestis edicti, principalium utique delictorum proscriptione signata, de loco modum, de ordine statum, de confinio meritum cujusque dignoscas. Est & mali dignitas, quod in summo aut in medio pessimorum collocatur. Pompam quandam atque suggestum aspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, tum comitatum homicidij subsequentis: inter duos apices facinorum eminentissimos sine dubio digna consedit, & per medium eorum, quasi vacantem locum pari criminis auctoritate complerit.* 4. Ita concorporavit mœchiam cum homicidio & idololatria, ut una & eadem tantorum criminum videatur iniquitas. *Quis eam talibus lateribus inclusam, talibus costis circumfultam, à cohærentium corpore divellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu, ut solam eam secernat? Nonne hinc idololatria, inde homicidium detinebunt; & si qua vox fuerit, reclamabunt: Noster hic cuneus est, nostra compago: ab idololatria metamur, illa distinguente conjungimur illi de medio emicanti adunamur; concorporavit nos Scriptura divina, litteræ ipsæ glutina nostra sunt, jam nec ipsa sine nobis potest?* Apostoli, Dei & Domini imitantes exemplum, idololatriam, homicidium, & mœchiam, tanquam gravissima scelera singulariter prohibent: *Necesse est abstineri à sacrificijs, à fornicationibus, & à sanguine; sufficit & hic servatum esse mœchiæ & fornicationi, locum honoris, inter idololatriam & homicidium: interdictum enim sanguinis, multò magis humani intelligemus. Porrò qualia videri volunt Apostoli crimina, quæ sola in observatione de lege pristina excerpunt, quæ sola necessariò abstinenda præscribunt; non quòd alia permittant, sed quia hæc sola proponant.* Tert. l. de Pud. 12 Velut atrociora & exitiosiora, præsertim mœchia, quam Scriptura sacra nomine mali, & malitiæ denotat: quomodo nonnulli ultimam istam orationis dominicæ petitionem, *sed devehe nos à malo*, intelligunt. Theophylactus petitionem de malo dæmonis explicat; D. Augustinus de voluptate carnis interpretatur, ad quam suis tentationibus nos inducere nititur dæmon. Eadem est mens Hugonis à S. Victore: *Hæc est septima petitio, quæ contra vitium luxuria*

Tert. l. ad Orat. 8
In cap. 6 Matth. ep. 121

L.2.Alleg.c.14 *xuriæ apponitur, ecce ad te clamamus captivi, qui te contempsimus liberi; libera nos à malo. Malum est hoc Domine, non sicut cætera mala, crudelius persequitur, profundius nocet, efficacius lædit.* Castus quoque Joseph adulterium pro Gen.39 malo accipit; salacis namque dominæ recusans amplexum, ait: *Quomodo possum hoc malum facere?* quasi malum & adulterium sinonyma sint. Quare, In c.12 Eccles. ut animadvertit Olimpiodorus Salomon, *malignitatem carnis accipit pro omni peccato.* Ut enim de semetipso fatur Sapiens: *Penè fui in omni malo,* Prov.5 dum me in obscœnæ libidinis volutavi cœno. Subjungit Olimpiodorus: *Nam & Apostolus opera carnis vocat opera peccati, præcipua vero malignitas carnis est libido.* Quod innuit etiam Moyses manifestare volens diluvii cau- Tert.l.de Pud.15 sam, quo divina justitia humanum genus *tanto immunditiarum gurgiti* immersum punire decrevit: impudicitiam, quæ Deum ad vindictam provoca- Gen.6 verat, malitiam & malum absoluiè nuncupat: *Videns quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominum intenta esset ad malum;* nimirum ad luxuriam, quæ generico malitiæ & mali nomine denotatur, quia ad omne malum inducit, cæteraque vitia velut includit.

Tert.l. de Pal.3 2. *Vetus jam hydræ sanguis in sagittis excludebatur, insultante luxuriâ, ut post monstra transfixa coronam forsitan fuerent.* Loquitur de Hercule Tertullianus, qui Omphalis amore captus, cupidinis sagittis sauciatus, herois fortitudinem in servi demissi vilitatem commutavit, seseque pellicis veste induit. *Turpius libido virum cultu transfiguravit.* Omphales verò ex sagittis, quibus hydram monstrum septiforme debellârat Hercules, diadema composuit, ut Tert.l.de Cor.Mil.14 de Hercule gloriosius triumpharet, & suam impudicitiam ostentaret. *Quid enim est in capite fœminæ corona, quàm summa lascivia nota, quàm extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ?* Diadema, quo coronabatur scortum, erat compositum ex sagittis in sanguine monstri cruentatis; quia, ut fatur L de Pud.4 Tertullianus, Venereæ voluptates *non sunt delicta, sed monstra.* Hydra septem habebat capita, quia luxuria est *hydra multorum capitum,* septem com- Euseb. Cæsar.l.1 Præpar. Evang.2 plectens species; nimirum simplicem fornicationem, stuprum, adulterium, sacrilegium, incestum, raptum, peccatum contra naturam. 1. Simplex fornicatio, (sic dicta à fornice, seu arcu triumphali, ubi Romæ luxuriantes meretrices habitabant, vel quia sub fornicibus meretrices fornicari consueverant; erant autem fornices loca ad modum arcuum ædificata) est concubitus illicitus inter personas diversi sexûs, solutas & liberas, nullatenus sanguine vel affinitate conjunctas, neque ullo vinculo sive conjugii, sive voti solemnis, sive clericalis ordinis ligatas. Quòd criminosa sit fornicatio, ostenrat Ter- Tert.l.de Pud.19 tullianus illam inter graviora & exitiosa scelera computans: *Sunt graviora & exitiosa delicta, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique mœchia & fornicatio.* 2. Stuprum est illicita defloratio virginis sub parentum Tert.Apol.10 cura & potestate existentis. *Ab stupris, & ab omni post matrimonium excessu* Tert l.de Pud.1 Christianos immunes desiderat Tertullianus. At proh dolor! quamplures hac tempestate *meram & veram integritatem carnis obtruncant?* Constu-

pian-

prantes virgines tantò scelerosius , quantò pretiosior & irrecuperabilior est
deflorata virginitas. 3. Adulterium est alieni thori violatio,sive ambo adul-
terantes sint matrimonio conjuncti,sive unus duntaxat : *Adulterium in ma-* Tert. l. de
trimonio crimen est non leve,sed gravissimum,ut aliorsum fusè demonstratum Mon. 9
est. Adulterii adhuc enormitas colligitur , eò quòd dividat unionem carnis Ter.Prædic. tom.8
viri & fœminæ à Deo per conjugii vinculum factam; ideoque subjungit Ter- Tract.de
tullianus : *Videamus enim quid sit matrimonium apud Deum,& ita cognoscemus* Adulter.
quid sit æquè adulterium. Matrimonium est,cùm Deus jung t duos in unam car-
nem,aut junctos deprehendens in eadem carne,conjunctionem signavit : Adulte-
rium est,cùm quoquo modo disjunctis duobus,alia caro,imò aliena miscetur. Quo
major est conjugum unio,eò gravius est adulterium illam dividens. 4. Sa-
crilegium est,cùm persona Deo specialiter sacrata luxuriatur, sive sit voto re-
ligionis addicta,sive sacro aliquo Ordine inaugurata. Quòd cùm sit violatio
rei Deo sacratæ,Deique irreverentiam importet,criminosissimum est; qua-
propter *disciplina Apostolorum propriè quidē instruit,ac determinat principaliter* Tert. l. de
sanctitatis omnis erga templum Dei antistitem,& ubiq; de Ecclesia eradicantem Pud 20
omne sacrilegium pudicitiæ. 5. Incestus, est consanguineorum vel affinium
venereus abusus. Ut autem ratiocinatur D. Augustinus , adulterii malum L. de Ad-
vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu ; pejus est enim cum affine ulter.
aut consanguinea,quàm cum alterius uxore concumbere. Affinium & con-
sanguineorum concubitum vocat Tertullianus , *sceleratam libidinem forni-* L. de Pud.
cationis incesto onustam. Jupiter à Poëtis decantatur , *impudicus in extraneos,* 13
incestus in suos. Ethnici Jovis exemplo eruditi , incestuosi quoque fuerunt: Tert. l. 2
proinde incesti qui magis,quam quos ipse Iupiter docuit? & quod est lugendum ad Nat. 13
magis,hoc vitium viget apud multos Christianos , *libidine ab incesto robora-* Tert. Apol. 10
ta. 6. Raptus , propriè est violentus concubitus virginis raptæ de manu Tert. l. 2. ad
parentum,factâ prius violentiâ virgini,aut parentibus ejus : quomodo *Ro-* Nat. 13
mulus alienas virgines dolo rapuit. Attamen Raptus in genere luxuriæ abso- Tert. l. ad Nat. 9
lutè sumptus illicitum importat concubitum per violentiam factam;sive quæ Tert l. de
rapitur sit conjugata, aut vidua, aut virgo, aut propinqua. *Violantur fœmina* Pud. 22
in tenebris ex usu libidinum motu : unde Raptus aliquando conjunctus est
adulterio,ut quando rapitur uxorata ; aliquando stupro,ut cùm rapitur vir-
go ; aliquando incestui,ut cùm rapitur consanguinea ; aliquando simplici
fornicationi , ut cùm rapitur soluta , quæ nec virgo , nec propinqua est.
Quàm gravis & exitiosus sit Raptus , constat ex bello inito inter Trojanos
& Græcos,ob raptum Helenæ; ex Sichimitarum cædibus,ob raptum Dinæ;
& etiam ex inimicitiis,litibus,rixis, & homicidiis, quæ per sæpè videmus in-
ter Christianos : *Ex eo itaque itur in furias,& animos, & discordias.* Tandem Tert. l. de
7. Peccatum contra naturam quatuor modis committitur. Primò, sine con- Spect. 16
cubitu, ut cùm per *titillatam carnem* delectationis venereæ voluptatis causâ Tert. Apol. 10
procuratur pollutio,diciturque Mollities. Secundò , quando *libidine ferâ* fit Tert. l. de
concubitus cum animali alterius speciei ab homine , nuncupaturque Bestia- Pud. 22
litas.

litas. Tertiò, quando vir cum uxore congreditur in debito vase, sed non debito modo; uxor enim quæ debet esse patiens, modum naturæ pervertens, habetur agens, & viro abutitur. Ut enim ait Philosophus moralis: *Fœmina cùm virorum licentiam æquaverint, libidine nec maribus cedunt, pati nata: adeò perversum commentæ genus impudicitiæ, viros ineunt.* Ab hoc scelere Christianum vindicat Tertullianus: [*Christianus ad sexum, nec fœmina mutat.* Hoc etiam immunditiæ genus ab uxoratis arcere nititur Apostolus, tanquam honori & castitati matrimonii contrarium: *Scire unumquemque suum vas in honore tractare: Quomodo? dum non in libidine quæ gentes: libido autem nec apud gentes matrimonio adscribitur, sed extraordinarijs, & non naturalibus, & portentosis. Sanctitas est luxuriæ, turpitudini quoque, & immunditiæ contraria, quæ non matrimonium excludit sed libidinem; quæ vas nostrum in honore matrimonij tractet.* Quartò, peccatum contra naturam complectitur *reliquas libidinum furias, impias, & in corpora, & in sexus, ultra jura naturæ*: Quando scilicet fit concubitus cum alio speciei humanæ, sed non ad debitum sexum: ut mas cum mari, fœmina cum fœmina; vocaturque sodomia, quæ principaliter est inter mares. Hoc vitio dehonestatos Gentiles refert Apostolus: *Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Explanatis septem luxuriæ speciebus, seu, ut fatur Tertull. *omnibus luxuriæ speciebus*, significatis per septem hydræ capita, seu per septem capita bestiæ, cui insidebat meretrix magna.

Epist. 95

Apol. 46

Tert. l. 5 adv. marc. 15

Tert. l. de Pud. 4

Rom 1

L. de Jejun. 12

Dicamus quòd septem bestiæ & hydræ capita denotant cuncta generatim vitia, quorum luxuria est origo: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ut autem animadvertit S Zeno Veronensis, *cupido vocari à luxuriosis sibi cultoribus cœpit*; quapropter non aberrabit à vero, qui dixerit: Radix omnium malorum est cupido, seu impudicitia. Et ut fatur Cassianus apud D. Bonaventuram, *Radix omnis peccati luxuria est*; quia, ut philosophatur Oleaster, [sunt vitia quædam sic colligata, ut quàmprimum unum admittas, aliud te invadere necessum sit. Trahit luxuria, & libidinis ardor ad omnia quę vult, etiamsi maxima vitia sint & peccata.] Cui concordat Angelicus Doctor sic ratiocinans: [Vitium capitale est, quod habet finem multum appetibilem, ita quòd ex ejus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda] Carnis autem voluptas vehementer allicit homines, qui ut venereis incendiis, quibus ardent, satisfaciant, atrocissima quæque committunt peccata. Ideò vocatur à D. Chrysost. *voluptas fornax scelerum, fodina nequitiæ, alveus vitiorum, philtrum improbitatis.* Quod innuit Apostolus, qui postquàm asseruit: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*; statim fructus, qui ex mala illa arbore procedunt, dinumerat, suntque *idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, ira, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.* Quasi dicat: Tædiosum

1. Tim. 6

L. 1. de Fide, Ser. 2

In côpar. Theolog. l. 3. c. 13

In cap. 25 Num.

2. 2. q. 153 a. 4

Hom. 15 ad pop.

Galat. 5

ſum eſſet cuncta referre mala, quæ à luxuria dimanant. Tot & tanta ſunt, ut ex pravis illis germinibus ortam ſilvam velit Tertullianus: *Si vis omnem notitiam Apoſtoli ebibere, ut intelligas quantâ ſecuri cenſura, omnem ſilvam libidinum cædat, & eradicet, & excaudicet.* (L.de Pud. 16) Mirum eſt quòd *voluptas ſit vitiorum metropolis*; nimirum quòd ſit inter vitia, quod ſit metropolis in provincia aut in regno: (Clem. A. l. 2 lib. 2 Strom.) majus adhuc quòd *procreatrix omnium malorum ſit luxuria*; quaſi ab illa velut à fonte diffluant, vel tanquam à radice pullulent. Quod ex hoc modo loquendi Scripturæ: [corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate] rectè colligitur. Unius luxuriæ fit mentio, & omnis terra dicitur iniquitate repleta. Libido reliquorum criminum fœcunda eſt, & univerſorum criminum matrix: idcircò dum libido recenſetur, perinde eſt ac ſi reliqua ſpeciatim recenſerentur vitia. [Ex malo enim opere, quaſi ex fonte quodam multa etiam alia ſuboriuntur peccata; & ideò dicit: Malitia hominum; nam ubi ſcortatio & luxuria, veriſimile eſt & ebrietatem, & crapulam, & magnam injuſtitiam, & avaritiam, & innumera alia naſci mala.] (D.Chryſoſt. Hom. 22. in Gen.) Eodem modo ratiocinatur Richardus à S. Victore: [Malitia corruptio totius animi, ſpirituale eſt vitium, & ſpiritualium fons & origo vitiorum. (Apoc. c. 1) Sunt ergo duo maxima vitia, malorum omnium cauſa, malitia & luxuria. Intùs eſt malitia, foris eſt luxuria; malitia in corde, luxuria in carne.] Et quaſi non ſufficiat quòd *luxuria ſit ſeminarium & origo vitiorum*; adhuc ex D. Ambroſio eſt *libido reliquorum vitiorum educatrix.* (D. Ambr. l. de El. & Jejun. 19) Tanta comitata prole velut numeroſo ſtipata exercitu, id omne quod eſt in rerum natura, inſolenter offendit. (Orat. pro Satiro Frat.)

3. Quot injuſtitias, quot iniquitates libidinoſus *ingenita luxuria nomine admiſit*, omnia entia, quæ exiſtunt in mundo, offendens. (Tert. l. de Cor. Mil.) Nam 1. offendit Deum: *Nonne divinitas conſtupratur?* (Tert Apol. 14) Corpus, quod eſt Dei opus, per luxuriam corrumpitur: anima, quæ eſt Dei imago, dedecoratur, imaginis autem dedecus tranſit in prototypi contumeliã, non ſecus ac Rex in ſua effigie contemnitur & offenditur. 2. Sanctiſſimam Trinitatem; tum quia eſt prima virgo, ut decantat in ſuis carminibus Gregorius Nazianzenus; tum quia, ut fatur Balduinus: *vita carnalis in totius Trinitatis contumeliam tranſit; injuria ſiquidem Patris eſt, quòd Filius conculcatur; injuria Filij, quòd ſanguis ejus quaſi polluitur; injuria Spiritûs ſancti, quòd gratia contemnitur.* (Apud Tilmann. in c. 3 Philip.) 3. Verbi humanationem, quâ ſibi univit mediâ ſuâ humanitate etiam noſtra corpora: *An neſcitis quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti?* (1. Cor. 6) (Oecum.) Luxurioſus autem tollens membra Chriſti facit membra meretricis. [Vide autem quòd non dixerit, membra Chriſti jungam meretrici; ſed quod horribilius erat, nempe tollere à Chriſto eadem ipſius membra, & efficere ut ſint ſcorti.] 4. Offendit Angelos, quorum puritatem dedignatur. (D. Aug l. 1. de Virg.) Etenim *qui eam conſervavit, Angelus eſt; qui perdidit, diabolus eſt.* 5. Baptiſmi ſacramentum, in quo renatus eſt, ait D. Cypr. ex pudicitia & Spiritu S. (Tert l. de Pud 18) 6. Eccleſiam, quæ eſt *ſine macula fornicationis ut ſponſa Chriſti*. (Tert. l. de Pud. 6) 7. Divinam legem, quæ eſt *lex tota c ſt tatu & p d it a* 8. Animam ſuam, cui mortem infert: *Mœchum & fornicatorē quis non mortuum* (Tert. l. de Pud. 7)

statim admissi pronuntiabit? 9. Conjugem, cui datam in matrimonio fidem frangit. 10. Corpus suum, quod sceleroseè contaminat: *Qui adulteratur, in corpus suum delinquit.* Tandem 11. cunctas creaturas in semetipso velut in compendio contentas: *Omnia dixeris, cùm id dixeris, quod ex omnibus constat.* Quia verò aliorsum fusè demonstratum est, quàm injuriosa sit impudicitia Deo, Trinitati, Spiritui sancto, Christo, Incarnationi, Baptismo, Eucharistiæ, Ecclesiæ, ipsique libidinoso, ne actum agamus, sufficiat demonstrâsse impudicitiam esse mysterium iniquitatis.

Tert. l. de Monog. 9
Tert. l. de vel. virg. 4
Tert. Præ-dic. tom. 1
Tract. de Adulter. 2
Tract. de Carn.

II. PARS.

Gentiles *impij deprehenduntur*: Tum quia neglecto vero Deo idola coluerunt; tum quia impietatem voluptate adumbrare & propugnare moliti sunt: *Posteà placuit impietatem voluptate adumbrare.* Tum quia diebus solemnibus Deorum cultui sacratis, & Imperatorū honori dicatis coronati prodibant in publicum, ut liberius impudicitiæ vacarent: *Coronas quoq; magis luxuria, quàm solemnitas erogat.* Tum quia impudicos legebāt libros, in quibus scriptæ erant cunctæ impudicorum numinum obscœnitates: *Sed & histrionum littera omnem fœditatem eorum designant.* Tum quia immunda Poëtarum cantica *præcinebantur ob impietatem.* Tum quia etiam in templis adulteria mente concipiebant, & sæpè sæpius opere consummabant: *Cæterum si adjiciam, quæ non minus conscientia omnium recognoscent, in templis adulteria componi; inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque ædituorum & sacerdotum tabernaculis, sub ijsdem vittis, & apicibus, & purpuris, thure fragrante, libidinem expungi.* Tum in omnem ebullientes libidinem, in Deorum contumeliam & dedecus, ut illis exprobrat Tertullianus: *Cætera lasciviæ ingenia, etiam voluptatibus vestris, per deorum dedecus operantur.* At proh dolor! nonne cuncta, quæ de Ethnicis retulimus, pluribus possunt objici Christianis, *ob consimilem impietatem?* 1. Gentiles impietatem voluptate adumbrabant, & pravi Christiani sub umbra pietatis venereas occultant voluptates, accedentes ad sacro-sanctum Eucharistiæ sacramentum, ne habeantur impudici: *Consecrat filium Veneris*; loquitur de Jove Tertullianus. Impudici Christiani impuro ore sumunt Filium Virginis, & corpus illud sanctum, & pietati sacratum, per sumentium impuritatem & impietatem fit *impietatis hostia.* 2. Gentiles diebus festis procedebant coronati, ut liberiùs luxuriæ vacarent, & Christianæ mulieres incedunt superbè indutæ, nudantque *corpus impurum, & ad istam artem effœminatione productum.* 3. Gentiles impuros legebant libros, in quibus falsorum Deorum scriptæ erant fœditates: & Christiani in suis cellis impuras detinent picturas, venereos legunt libros, revocantque ad memoriam cuncta quæ impia & profana gentilitas de falsis protulit numinibus: *Quorum formant adulteria in simulacris; quorum fornicationes imaginibus mandant; quorum titulant incesta picturis; quorum crudelitates commendant libris; quorum impietates personant tragœdijs.* 4. Gentiles impudicas pangebant cantilenas, lascivis intererant choreis: Christiani quoque & lascivè cantant, & impudicè saltant, præsertim diebus festis & dominicis. *Hoc loco tractandum oportet de festis diebus, & alijs ex-*

Tert. l. 1 ad Nat. 10
Tert. l. de Spect. 11
Tert. l. de Idol. 8
Tert. Apol. 14
Tertull. l. adv. Jud. 11
Tert. Apol. 30
Apol. 14
Tert. l. 3 adv. Marc. 13
Lib. 2. ad Nat. 9
Tert. l. 1 ad Nat. 15.
Tert. Apol. 14
Chrysol. Ser. 155
Tert. l. de Idol. 13

traordinariis solemnitatibus, quas interdum lasciviæ subscribimus, adversus fidei disciplinam, communicantes nationibus, in idoloticis rebus. 5. Gentiles in templis adulteria vel mente concipiebant, vel opere consummabant: & Christiani Ecclesias assignant lenonibus & lenis, ut libidinis pertractent negotia; in Ecclesiis impudicè satiant oculos, venereos habent sermones, ne quid dicam amplius. *Malorum morum licentia pietas erit; occasio luxuriæ religio deputabitur.* 6. Gentiles cætera lasciviæ ingenia per Deorum dedecus operabantur, *in quo etiam irreligiosi deprehenduntur:* Christiani suis voluptatibus Christum dedecorantes, & veri Dei majestatem offendentes: *Nonne violatur majestas?* tantò scelerosiores, quantò verior est quam colunt divinitas, quantò sanctior & purior quam profitentur religio: *Minus impii Ethnici, minus peccatores, minus hostes Christi.* Sunt equidem multi Christiani Ethnicis longè *pudicitiores, honorem divinitatis recordati*: verùm sunt adhuc multo plures *impii, & sacrilegi, & irreligiosi*, qui suis impudicitiis Deum offendunt, Christum iterum crucifigunt, *refigentes cruci in semetipsos filium Dei, & dedecorantes*; Ecclesias contaminant, dies festos & dominicos prophanant, Sanctos in cœlo regnantes vituperant: & *cum talibus tam horrendis, & omnem impietatem supergressis*, admodum meretricis magnæ deferunt in fronte mysterium. Aaron venerationis gratiâ gestabat in fronte Dei nomen: & ipsi ut suam denotent impietatem, in fronte deferunt impudicitiam, quam meritò *impiam luxuriam* vocitat Tert. quia 1. in hæresim cadit. 2. in idololatriâ ducit. 3. in atheismum projicit.

Tert: Apol: 35 — Tert l. 2 ad Nat 9 — Tert. Apolog. 14 — Tert. l de Idol 3 — Ter. l adv. Valent. 34 — Tert. Apol. 13 — Tert. l. de Pud 20 — Tert. l. 1 ad Nat. 3 — L de Pud. 14

1. *Paulus & hæreses inter carnalia crimina numerat.* Certissimo namque Patrum testimonio hæretici ferè omnes fuerunt luxuriæ vitio addicti: & ut refert de sua ætate D. Cyprianus: [Insaniunt prorsus, ardent desiderio fœminarum, & obscœnitatibus hinnientes, malunt mori, quàm à lateribus mulierum aliquâ disjunctione divelli, ut ad explendam suæ aviditatis ingluviem puncto temporis non sint sine fœminea voluptate.] Idem asseverat D. Hieronymus alloquens Jovinianum: [Quòd multi acquiescunt sententiæ tuæ, judicium voluptatis est; & pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ incendio nutrias. Basilides magister luxuriæ, & turpissimorum complexuum post tot annos in Jovinianum, quasi in Euphorbum transformatus est.] Gnosticorum obscœnitates eloquenter describit Minutius Fœlix: [Ad epulas solemni die coëunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexûs omnis homines, & omnis ætatis. Illis post multas epulas ubi convivium caluit, & incestæ libidinis fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est jactu offulæ ultra spatium lineæ, quâ vinctus est, ad impetum & saltum provocatur; sic everso atque extincto conscio lumine, impudentibus tenebris, nexus nefandæ cupiditatis involvunt.] Idipsum de Carpocratianis asserit Clemens Alexandrinus, qui ad defensionem promiscuæ & infandæ libidinis sacrilegè abutebantur hâc Christi sententiâ: *Omni autem petenti te tribue.* His similes sunt nonnulli Anabaptistæ & Adamitæ, quorum parens est Lutherus, qui totos dies in conviviis, compotationibus, & cubilibus insu-

Tert. l. de Præscr. Hæret: 6 — L. de Singul. Cler. — L 2 adv. Jov. — In Octav. — L. 3. Strō. — Luc. 6

Tom. 5 Ser. Wittenb fol. 119

mebat, impudenter confitens: *quàm non est in meis viribus situm ut vir sim, tam non est mei juris, ut absq; muliere sim: & fœmina sociari tam est necessariũ, quam edere & bibere.* Qui Veneres Calvini scire desiderat, legat Bolsecum in ejus vita. Zwinglius in litteris ad cunctas Helveticæ Reipublicæ civitates, de semetipso testatur: [Se æstu libidinis, & carnis cupiditatibus sic fuisse accensum, ut carnis libidinosa studia animo suo versari, in his solis omnes cogitationes suas insumpserit, hoc meditatus sit, totusque in eo fuerit, ut carnis furori satisfaceret.] Taceo cæterorum fœditates, ut referam Lutherum de illis judicium ferentem: *Sicut credunt, ita vivunt; sunt & manent sues, credunt sicut sues, & sicut sues moriuntur.* Lutherus mendacio assuetus, verè hæreticorum declarat obscœnitates. Christiane, vide quomodo libido *sues ex hominibus facit; imò etiam multò majores: sus enim in luto volvitur, & stercore nutritur; luxuriosus verò abominabilem magis sibi mensam construit, iniquas commixtiones excogitans, & os, oculos, aures, & cætera simpliciter sensuum instrumenta, amarissimas voluptatis conficit cloacas.*

In 1. Cor. 15

S. Chrysost. hó. 58 in Matth.

Tert. l. adv. Jud. 11
D. Aug. l. 3. cont. Epist. Parmen.
Tert. l. 1 adv. Marc. 19
Tert. l. de Præscr. Hæret. 32
Tert. l. de Præsc. Hæret. 41
D. Greg. l. 26. Mor. 12
Tert. l. de Præsc. Hæret. 40
D. Athan. Orat. cót. Idol.
Tert. l. 3 adv. Marc. 13
Tert. l. 1 ad Nat. 15
L. de Jejun. 17
Tert. l. de Jejun. 1

Ex his constat, homines luxuriæ deditos, *postquam impleverunt impietates suas*, & in lasciviæ sese volutaverunt cœno, facilè labi in hæresim; & cùm *impiæ hæreses* sint, nefandasque carnis sectentur voluptates. 2. Libidinosi à veritate in errorem lapsi, *indurantur in hæresim*, & sese in impudicitiæ & impietatis cœnum immergunt: *Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est?* Tandem 3. monstruosa libido est pœna infidelitatis, hæresis & impietatis ipsorum: Tum quia ubi non est gratia, ibi non est castitas, sed concupiscentia; ubi non est fides, ibi non est gratia: fides in hæreticis non est. Tum quia sicut humilitas est castitatis efficacissimum remedium, imò & præmium; ita superbiæ pœna est libido: hæretici autem *omnes tument*, suntque superbiæ vento inflati; hæc est enim justa Dei ordinatio, ut si mens Deo, iisque quibus debet, se subdat, etiam subditum sibi suum habeat corpus; sin Deo, ejusque vicariis nolit subdi, etiam suum corpus rebelle sentiat: *Sic sic elati justâ fuerant retributione feriendi, ut quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando usq; ad jumentorum similitudinem devolvantur.* Tum quia hæreses idololatriam sapiunt, *neque à diabolo immissa spiritualia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria distare hæreses, cùm & auctoru & operis ejusdem sint, cujus idololatria.* Idololatriæ auctor est diabolus, opus autem idololatriæ est lascivia: *Et penè omnes civitates omnibus libidinibus scatent, ob immanitatem morum, quam in suis Diis conspiciunt: neque est in hoc genere Deorum quem castum appelles.* Auctor quoque hæresis diabolus est, impudicitia etiam est opus hæresis *ut ignominiosa ob idololatriam.* Tum quia gulæ comes est libido: *Voracitas impudica est*; & ut fatur Tertullianus, *appendices gulæ lascivia atque luxuria: quam societatem Apostolus sciens, cùm præmisisset: Non in ebrietatibus, nec in comessationibus; adjunxit: Nec in cubilibus & impudicitiis*, quæ ex quadam velut necessitate sequuntur ex comessationibus, & ebrietatibus: *Monstrum scilicet haberetur libido sine gula, cùm duo hæc*

tam

tam unita atque concreata sint, ut si disjungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent: Specta corpus, & una regio est: denique pro dispositione membrorum, ordo vitiorum; prior venter, & statim cætera sagina substructa lascivia est: per edacitatem salacitas transit. Hæretici autem præsertim hujusce tempestatis gulæ & carnium edacitati vacant, ut de suis Lutheranis queritur Smidelinus. (Ut totus mundus agnoscat eos non esse papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum operum nullum exercent penitus: jejunii loco comessationibus & perpotationibus nocte dieque vacant: ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglutiunt & excoriant: precationes vertunt in juramenta, blasphemias in divini nominis execrationes, idque tam perdite, ut ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur: demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio: atque hoc universum vitæ genus ab illis Evangelicum vocatur institutum.) Idem fert de Evangelicis testimonium Erasmus. (Circumspice populum istum Evangelicum, & observa num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quam faciant ii quos detestamini. Profer mihi quem istud Evangelium, ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum: ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.) Tum quia castitas à castigando juxta D. Thomam nuncupata, servari nequit nisi luxuria corporis castigatione coerceatur. *Ardentes diaboli sagittæ, jejuniorum & vigiliarum rigore extinguendæ sunt.* Hæretici autem mortificationes respuunt, *jejunia oderunt*; & ita indulgentes gulæ, colunt Venerem. Nec mirum, quia luxuria ad idololatriam ducit.

Conc. 4. in c. 21. Luc.

Ep. ad Vulturium An. Dom. 1529.

22. q. 151. a. 1.

D. Hier. Ep. ad Furiam.

Tert. l. de Jejun. 1

2. *Nam & idololatria mœchiæ nomine & fornicationis sæpe populo exprobrata, etiam forte conjungitur illi.* Persæpe in sacris paginis propudioso fornicationis & adulterii nomine idololatria denotatur: Sic enim Jeremias Propheta conqueritur: *Et facilitate fornicationis suæ contaminavit terram, & mœchata est cum lapide & ligno.* Mirissimum sane, quod idololatria dum exculto ligno & lapidi divinos defert honores, scortationis propudio denotetur. Quænam est cognatio idololatriæ cum mœchia? Quodnam gentilitatis cum libidine commercium? Hujus societatis autem quadruplicem invenio rationem: Tum quia idololatria à libidine exordium mutuat: tum quia luxuria idololatriam conservat: tum quia idololatria lasciviendi occasionem subministrat: tum quia luxuria ad idololatriam conducit & viam parat. Idololatria à lascivia sumpsit exordium: libidinosi namque in Deam consecraverunt *Voluptam, quæ à voluptate appellata est, & Libentinam cui nomen est à libidine*; de Romanis fatur D. Augustinus; qui ut ait Nolanus Antistes, *barbaras libidines sacraverunt Romani.* D. quoque Anastasius idololatriæ investigans originem, eam à lascivia institutam asseverat: *Idololatria instituta est desiderio eorum, qui stupris & propudiis pleni, figmentis repræsentantur.* Eadem est mens S. Zenonis, qui de impudicitia sic edisserit: *Deos ipsa genuit, ipsa intulit mūdo: ipsa*

Cap. 3

D. Aug. l. 4. Civ. 8

D. Paulin. Epist. 11

Orat. cont. Idola.

L. 1. Ser. 7.

ipsa Iovem innumerabilibus, variis, magnisque criminibus maximum fecit: ipsa Herculem facibus libidinum turpiter vicit, quem terribilis turba monstrorum superare non potuit. Impudica numina sibi finxerunt luxuriosi, ut libidini (exemplo deorum) consecratæ liberius vacarent. Nam ut subjungit Veronensis
Hom. 9. de Fest. Pasch. Antistes, *ad exprimendam vim impudicitiæ visa sunt necessaria, ut sciat unusquisque ad idololatriam pertinere luxuriam.* Quibus subscribit Alexandrinus Clemens: *Nempe voluptatis libido, nec aliud quicquam idololatriæ morbum effecit: à qua sumpsit originem:* & 2. insuper habet præsidium & conservationem: Nam ut fatur belle ad propositum S. Zeno, de impudicitia loquens: *In idolis Dea est; in cultoribus eorum ministra:* Virgines namque Babylonicæ, Siræ, Medæ, Persicæ, Lydiæ, Græcæ, ut Veneri suos deferrent cultus, meretricatum agebant, seseque cunctis indiscriminatim prostituebant. De Chaldæis
Cap 6. puellis prope Veneris ædem prostitutis sic scribit Baruch Propheta. (Mulieres autem circundatæ funibus in viis sedent: cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte, dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quod ea
Lib. 1 non sit digna habita sicut ipsa, neque funis ejus disruptus sit.) Herodotus tradit Babylonias & Cyprias virgines ante matrimonium sic coluisse Venerem, ut ad templum ejus sederent, suamque pudicitiam exponerent, ut qui primo obvius vellet, eis abuteretur. Strabo agens de sacris Persarum, Medorum, &
Lib. 11 Armenorum, sic loquitur de Anatride. (Hæc est Venus in oriente culta, Armenorum idolum; illustrissimi ejus nationis, filias suas virgines ei dedicant, ac lex est ut longo tempore apud Deam constupratæ, deinde nuptui dentur,
Lib. 8 nemine earum conjugium dedignante.) De Corinthiis virginibus idipsum refert Strabo. (Fanum Veneris Corinthiæ ita fuit locuples, ut plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ, viri mulieresque dedicarunt.) Idem de Phœnissis refert D. Athanasius: (Olim certe Phœ-
Orat. cõt. Idola. nissæ mulieres ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus suum quæstum, persuasæ meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem rerum inde nasci.) Viri quæque mulierum æmulantes turpitudinem omnimoda se fœditate turpabant.) Nam ut subjungit D. Athanasius, (Viri quoque abdicato sexu nec se amplius mares esse ferentes, mulierem naturam affectaverunt, tanquam ita honorifica grataque matri deorum facturi essent: omnes autem in turpissimis vivunt, & certamen inter se pravitatis suscipere videntur.) Tantæ ac tali impudicitiæ 3. occasionem subministrat idololatria; quam sic loquentem
L. de Pud. 5 inducit Tertullianus: *Ego quidem idololatriæ sæpissime mœchiæ occasionem subministro. Sciunt luci mei, & mei montes, & viva aqua, ipsaque in urbibus templa, quantum evertendæ pudicitiæ procuremus.* Quapropter Deus eligens Ge-
Jud. 6 deonem ad tollendam de medio populi quæ multum incaluerat idololatriam, hoc dedit illi præceptum: *Destrues aram Baal; & nemus, quod circa aram est, succende:* quia homines idololatriæ dediti densissimas arbores cir-
Abul. q. 34 ca altaria & templa deorum plantare consueverant, *ut expleto sacrificio vacarent libidini inter ipsas arbores, & hoc maxime in sacrificio Priapi.* Et ob eandem

ratio-

rationem Deus in Deuteron. prohibuerat, ne quis juxta altaria in ejus honorem erecta plantare arbores præsumeret, scilicet ad tollendam omnem lasciviendi occasionem quæ persæpe sub specie pietatis & divini cultus captatur. Tandem 4. luxuria ad idololatriam ducit, ideoque ab Apostolo, ut animadvertit D. Anselmus, (idolorum quoque servitus inter opera carnis numeratur, quia nonnunquam ob amorem mulierum committitur; sicut in Salomone propter alienigenas mulieres; & à filiis Israel, in Sethim per filias Moab.) In c. 5. ad Galat.

Duplex prodit exemplum. Primum quidem Salomonis, quem ab idololatria vindicare nititur D. Augustinus. (Salomon vir tantæ sapientiæ, nunquid nam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret. Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum, non consensu inductus, sed cessit obstrictus, nec Salomonem credibile est, errore putasse idolis esse serviendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum.) Verum sive errore deceptus, sive fœmineis deliciis allectus, templum idolis erexit, & *qui prius templum Deo construxerat assiduitate libidinis, etiam perfidia substratus idolis construere templa non timuit*; & de facto in idololatriam lapsus est: Nam ut asseverat Tertullianus, *Salomoni etiam ira Dei accessit, post luxuriam & idololatriam: suscitavit enim illi sathan hostem Idumæorum.* Lib. 11. de Gen. ad litt. 42 D. Greg. l. 13. Mor. 17 L. 3. adv. Marc. 20.

Secundum Israelitarum adducit exemplum: *In Arithmis cum divertisset Israel apud Setbim, abeunt libidinatum, ad filias Moab, invitantur ad idola, ut & spiritu fornicarentur.* Celebris est illa historia quæ Numerorum recensetur libro. Israelitæ namque sæpe sæpius de Moabitis & Madianitis victores, à suis hostibus tandem superati sunt. Quos cum Balaam consilio Moabitæ & Madianitæ mulieres ad libidinem provocassent, ad idololatriam quoque induxerunt: & ut fatur Basilius Seleucus; *cum Madianitas acies devicissent, capti sunt amore muliebri, & in pretium intemperantiæ idolorum veneratio ab iis reposcebatur.* Hanc Israelitarum prævaricationem eloquenter exaggerat S. Ephren: *Nosse cupis quam gravis & periculosa sit fornicatio? quos occidere nequiverunt in eremo morsus serpentum, hos Madianitarum fornicatio prostravit, & per fornicationem etiam idolorum victimam comedere non recusavit.* Balaam ariolus vocatus à Balac rege Moab, ut malediceret Hebræis, ex Ægypto in terram Chanaam per fines Moab tendentibus; cum Deo prohibente non posset Hebræis maledicere, quin potius eis benedicere cogeretur, suggessit Balac regi ut ad castra Hebræorum mitteret puellas Moabitides speciosas, quæ eos invitarent ad fornicandum, ea conditione & pretio, ut prius idolothyta, id est carnes idolis immolatas comederent, earumque idola venerarentur; Utrumque præstiterunt Hebræi; nam & idolothyta manducaverunt, & Moabitarum deos adoraverunt, & cum puellis Moabitis fornicati sunt. *Manducavit populus & bibit, & surrexerunt ludere: intellige sanctæ Scripturæ verecundiam;* Tertull. Scorp. 4 Cap. 25 Orat. 5 Paræn. 37. cap. 9 Tert. l. de jejun. 6

cundiam: ludum nisi impudicum non denotasset. Verum tantorum criminum
Tertull. Scorp. 4 luerunt pœnas Hebræi: nam *ob hanc quoque eidololatriam mœchiæ sororum viginti tria millia, domesticis obtruncata gladiis, devinata trucidata erant.* Ad illum Hebræorum lapsum alludens D. Antonius Paduanus, Christianos ab impudicitia arcet, ne labantur in idololatriam. *Debemus fugere fornicationem, quia dicit Dominus: Si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: Deus alienus hominem à Deo alienans est Luxuria,* quæ ducit ad hæresim, ad idololatriam, & ad atheismum.

Dom. post Pasch. Ps. 80.

Tert. l. de Pud. 22 3. Plerique etenim luxuriosi Deum *piaculariter negaverunt*: qui enim nefando illi sunt dediti vitio ut plurimum sunt athei, licet exterius se habere religionem simulent: in corde suo Deum non credunt, neque metuunt, neque aliud quid suis cogitationibus volvunt, quam venereas carnis voluptates.
Sap. 2 Unde apud Sapientem sic fantur: (Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra) Ubi Glossa: *Vox hæc perditorum est, qui tanquam bruta animalia quæ præsentia sunt amant, & futura despiciunt; nec post hanc vitam, requiem æternam sperant: unde non secus ac ipsi athei subdunt: Venite ergo, & fruamur bonis.* Luxuriosus *longe a Domino moribus, inter errores & illecebras, & libidines sæculi*, à virtute in vitium labitur, à veritate in errorem; à religione in impietatem & atheismum: unde vera impietatis & atheismi nota est lascivia. Quod probe sciens Abraham Propheta cōmorans in aula Abimelech regis Geraræ cogitavit secum, dicens:
Tert. l. de Pud. 9
Gen. 20 *Forsitan non est timor Dei in loco isto:* Septuaginta legunt: *Forsitan non est cultus Dei.* Abraham conspiciens regem ejusque proceres luxuriæ addictos, prudenter suspicatur in illo palatio non esse Dei timorem, neque ullum Dei cultum, adeo religioni contraria est libido: Qui enim probroso illo consparcatus est vitio, Deum non credit, neque ejus justitiam pertimescit, neque futura præmia sperat. Idcirco D. Hieronymus istud Jeremiæ elucidans: (Non sedi
Cap. 15 cum concilio ludentium,) sic deprecatur: *Deus præstet nobis non cedere concilio ludentium, & eorum qui futura non cogitant.* Neque Deum coluit, neque futura cogitavit Herodias, incestuose lasciviens, suumque incestum Joannis sanguine cruentans, quam ob furorem libidinis atheam existimat Basilius Seleucus, *Herodiadis tripudium nobis hodie inculcat Evangeliorum vox, & atheæ mulieris illius pandit insaniam.* Idem de suis discipulis fert Lutherus judicium,
Orat. 18.
In Convival. Luth. Serm. pag. 244: quos, ut refert Aurifaber unus ex illis. Epicuræos & atheos proclamat: (Scholæ suæ discipulos magna ex parte Epicuræos esse, & hoc solum quærere ut bonos dies habeant: in papatu talia nebulonum portenta non inveniri: vocari Evangelicos reformatos, cum reipsa potius incarnati dæmones esse videantur, ut si cuilibet cœtum aliquem nebulonum, dissolutorum, rebellium, & fraudulentorum hominum intueri, civitatem aliquam Evangelicam ingredi debeat: vix inter Paganos, Judæos, Turcas, reperiri adeo contumaces, apud quos omnis honestas, & quidquid est virtutum, penitus interierit, neque ullius peccati ratio habeatur.) Heu! quo producit impudicitia! ad hæresim, & ad atheismum. Quanta cura fugiendum est tale monstrum, quod

in profundum impietatis barathrum præcipitat? Christiane, *si qua te carnis vacillatio, animi avocatio, oculi evagatio, de tenore decusserit*, cogita Dei præsentiam, cogita cœli gloriam, cogita intolerabilem gehennæ pœnam, hac cogitatione tentationi resistes, *carnem spiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans*, omneque illud cautè vitans, quod potest inducere in lasciviam, quæ est mysterium impudentiæ & inhonestatis. Tert. l. de Pud. 10 Tert. ibid.

Bellè Tertullianus asseverat, *mentum flavum in fronte consistere, prioremque esse pudoris, quàm corporis plagam.* Impudentia est libidinis insigne, sicut pudor est castitatis nota: *Verecundia quæ facit ingenuam frontem*, denotat tum animi, tum corporis puritatē; at inverecundia, quæ apparet in fronte, designat utriusque immunditiam. Etenim ejusmodi impudentes *resignârunt pudorem spiritûs*, corpusque in obscœno voluptatis volutârunt cœno; ex gustata autem & assueta libidine frons ad impudentiam duratur: *Delicti durior frons est ab ipso, & in ipso delicto, impudentiam docta.* Quòd Gentiles, qui fœdam profitentur religionem, & impudica colunt numina, luxuriæ vacent, suamque libidinem in fronte impudenter deferant, non est adeò mirum: at nonne est lugendum quòd Christiani, qui puritatis doctorem & exemplar venerantur Christum, *quibus magis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit*, sint luxuriæ dediti, suamque impudicitiam in fronte venerando crucis signo honorata, impudenter demonstrent? *Vexillum crucis idolorum templa destruxerat, è regione luxuria subvertere nititur fortitudinem crucis:* & libidinosi Imperatoris illius æmulantur impietatem, qui supra Calvarium, in quo crucifixus fuerat Christus, & ubi crux delitescebat, erexit Veneris statuam. Impudicos illos crucis Christi inimicos proclamat cum lacrymis Paulus; & meritò: [Qui rei mortis Christi sunt, non sicut auctores vel factores, vel ministri mortis Christi, sed sicut mortis contemptores; qui sacramentum dispensationis in se evacuant, consilium altissimi irritantes; qui cœlesti benedictione & ineffabili gloriâ indignos se faciunt; qui in deliciis agentes mysterium crucis irrident; qui Filium Dei conculcant, & sanguinem Testamenti pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, & Spiritui gratiæ contumeliam faciunt.] Impuros illos & impudentes Christianos, Christi, ejusque crucis, & Martyrum inimicos, contemptores, irrisores, & persecutores, multis insequitur D. Augustinus: *Martyres jam coronati sunt, nos adhuc periclitamur, non quia tales nos persecutiones urgent, quales illos urgebant; sed fortasse pejores in omnibus generibus tantorum scandalorum. Nostra enim tempora magis abundant illo væ, quod clamavit Dominus: Væ mundo à scandalis. Nunc ergo jam Christo in cœlo sedente, jam glorificato, jam subjectis cervicibus Regum jugo ejus, & suppositis eorū frontibus signo ejus, jam nullo remanente qui palam Christianis audeat insultare; adhuc tamen inter organa & symphoniacos gemimus, adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus & ferro non possunt, eos suâ luxuriâ persequuntur.* Bellè, quamvis longiusculè, D. Augustinus persecutionem Christo, suisque Martyribus à libidinosis Christianis factam declarat. Attendenda sunt ea, quæ sub- III. PARS Serm. 9 D. Aug. in Ps. 68 Tert. l. de vel. Virg. 11 Tert. l. de vel. Virg. 2 Tert. l. de Bap. 17 D. Hier. l. 2. contra Jovin. Philipp. 2 Balduin apud Tilman. In proœmi Ps. 69 Math. 18

jungit: *Atque utinam Paganos tantùm toleraremus, esset qualecunque solatium exp. Here eos qui nondum cruce Christi signati sunt, quando signentur, quando ejus authoritate alligati desinant furere: videmus etiam in fronte portantes signum ejus, simul in ipsa fronte portare impudicitiam luxuriarum: & hac est persecutio nostra, & inter hac gemimus.* Si unquam probi Christiani habuerunt gemendi & flendi occasionem; si unquam impudici Christianam persecuti sunt disciplinam, maximè hac ætate, in qua supra frontem cruce signatam deferunt mysterium impudentiæ & inhonestatis, præsertim 1. lenocinia nundinantes. 2. meretricatum negotiantes. 3. scandalosè mœchantes.

1. Primipilos Christianos de castitate commendans Tertullianus, illos à Gentilibus discriminat, qui amicis suas prostituebant uxores: *Omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores: in isto solo consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant. Ex illa credo & majorum & sapientissimorum disciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, quas in matrimonio duxerant liberorum causâ & alibi creandorum: nescio quidem an invitas. Quid enim de castitate curarent, quas mariti tam facilè donaverant? O sapientia Attica! ô Romana gravitatis exemplum! lenones, Philosophus & Censor!* De lenocinio arguit Catonem, qui Martiam uxorem suam Hortensio tradiderat, ut ex illa generaret filios, quam posteà reassumpsit. De eodem negotio Socratem culpat: Neque dunraxat Græcus philosophus, & Romanus censor, ex amicitia lenocinati sunt; sed quàmplures alii uxorum lenocinia tractabant, quas divitibus potestatibus subjiciebant, vel ut gulæ indulgerent, vel ut lucrum captarent, vel ut eorum hæredes fierent. *Docuit & suos diabolus patientiam propriam. Illam dico, quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes uxorum potestatibus subjicit; patientes rivalium, & divitum, & invitatorum.* Patientes rivalium maritos dote venales, qui quæstum vel pensionem, & reditum annuum accipiebant à rivalibus; patientes divitum, heredipetas, divitum orbitatibus insidiantes; patientes invitatorum, parasitos, qui apud invitatores lautè epulabant. De quibus Plutarchus: [Multi concubitus socios passi sunt alios, non cum scortis modò; sed etiam uxores his suas prostituentes:] quas Cyrillus Alexandrinus *quæstuarias uxores* nuncupat. Utinam non reperiantur hoc tempore Christiani parentes, qui filiarum, vel mariti, qui uxorum tractent lenocinia, qui eas rivalibus divitibus, & invitatoribus subjiciant, ut eorum vel mensæ assideant, vel facultates accipiant, vel favores mutuentur. *Nec fœmina sexu mitigantur secundùm pudorem.* Fœminæ, quibus magis quàm hominibus naturalis videtur pudor, impudenter adhuc lenocinia negotiantur, tantò criminosiores, quantò innocuas puellas diabolicâ calliditate prostituunt: *Aspice lupas popularium libidinum nundinas, ipsas quoque frictrices, & si præstat oculos abducere ab ejusmodi propudiis occisa in publico castitatis, aspice tamen vel sublimis, jam matronas videbis.* Lenas vocat lupas, quia persæpè insontes filias devo-

Apocal. 39

Tert. l. de Pat. 3

In cap. 3. Amos.

Tert. l. 1 adv. marc. 29

Tert. l. de Pall. 4

tant,& efficiunt criminosas,earumque occidunt& devorant castitatem: Fictrices,quia fingunt se earum amicas,ut facilius eas fallant: Matronas,quia matronarum simulant gravitatem,quâ eis sit liberior ad puellas & fœminas, quas corrumpere volunt,accessus. Et quamvis *impudicitia sit detestanda, obscœnum ludibrium reddens ministris suis*; attamen lenocinia nundinantes à magnatibus benignè excipiuntur, & opulenter ditantur. Quantum Christiani hujusce temporis à primipilis distant Christianis,qui non divitibus,sed egenis suas erogabãt facultates: *Planè confitebor,quinam si fortè verè de sterilitate Christianorum conqueri possunt: primi erunt lenones,perductores,aquarioli.* Lenones quæstuaria mancipia habentes, vel ex filiabus & uxoribus hunc quæstum exercentes; productores,fœminas ad lupanar ducentes; aquarioli, lenonum famuli,aquam necessariam ferentes ad balneum,in quo scortantes post mœchiam lavabantur: *His infructuosos esse,magnus fructus est*;nunc autem lenonibus fructuosi sunt plures Christiani, præsertim pellices impudenter meretricatum negotiantes.

D.Cypr. l.de Bon. Pudic.

Tertull. Apol. 43

Tert. ibid.

2. Meretrix *sexum pudoris exterminans*, habet scriptum in fronte impudentiæ & inhonestatis mysterium: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Benè ponitur frons meretricis in impudentiæ argumentum; nam pellicatum agentes verecundiam deponunt: *Sic frons duratur,sic pudor teritur,sic solvitur.* Deposito autem pudore prorumpunt *in eruptiones lasciviarum*, non secus ac torrens fracto muro,qui ejus aquas detinebat. Mulieres pudicæ *turpia pudori habent*,nimirum venereas voluptates; *quid enim turpius impudicitijs*? pellices verò *amputantes non summam superficiem, sed intimam effigiem pudoris ipsius*: impudenter lasciviam negotiantur: mulieres castæ tum patentem, tum occultam horrent infamiam; unde sic fantur: *Abdicamus occulta dedecoris, non dedecoris tantùm, sed & sceleris manifestum*; abdicare est respuere, procul, longè projicere: meretrices verò neque occultam horrent turpitudinem, neque manifestam pertimescunt infamiã; unde de Christianis castè viventibus sic fantur: *Puritatem nos fugimus,illi amant; fornicatio apud illos crimen atque discrimen est, apud nos decus.*Nec mirum si scorta non horrent *occultorũ facinorum infamiam*,nec publicum fugiunt dedecus, *cùm libidinum impiarum inverecundiam procurent.* Mulieres castæ tanquam *sacerdotes pudicitiæ*, non vagantur, sed domi figunt pedes: meretrices verò in publicum prodeunt,*ut publicæ voluptatis hostiæ sint*; & quod est deflendum magis: *Ipsa etiam prostibula,publicæ libidinis hostiæ proferuntur* in publicum,simul cum castis mulieribus conversantur, eodem modo vestiuntur, neque ab illis alio signo quàm impudicitiâ & impudentiâ discernuntur. Præceperat olim Deus: *Non erit meretrix de filiabus Israël,nec scortator*: monet lex 1.filios & filias caveant à scortatione. 2. ne parentes filias suas scortari & prostitui permittant. 3. ut magistratus lupanaria & publicam scortationem non patiantur. Subjungit: *Non offeres mercedem prostibuli,nec pretium canis in domo Domini*: ubi D Hieronymus, *pulchrè canis & meretrix copulan-*

Tert.l.de Spect.16

Esa.3

Tert l.de vel. Virg. 14

Tert.Apol.39

Tert.l.1 ad Nat.1

Tert.l.de Pud 18

Tert l. de Pud.1

Tert.l.de Pud.15

Salv.l.7 de guber. Dei.

Tert Apol.6

Tertull.

Tert.l.2 de cult.fœ.12

Tert.l.de Spect 19

Tert.l.de Spect.16

Deuter 23

pulan-

Tert. l. de Spect. 17 *pulantur, quia utrumq; animal pronum est ad libidines,* utrumque ob turpitudinem & impudentiam abominantur homines. Faxit Deus ut *ipsa illa pudoris sui interemptrices, de gestibus suis ad lucem & populum expavescentes, semel anno erubescant,* pudoreque adhuc afficiantur scandalosè scortantes.

Lib. adv. Hermog. 1 3. Meritò Tertullianus redarguit Hermogenem, qui *impudentiam constantiam reputat.* Hermogenes æmulatur inverecundiam; criminosus Christianus qui scandalosè peccat, est *pudenter impudens* ; ut bellè ad propositum ait S. Epist. 3 Paulinus. Qui sunt hujusmodi, cudunt arma quibus adversus Deum, adversus semetipsos, & adversus proximum dimicent. Adversus Deum prælia cogitant, Ps. 139 *qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia.* Adversus semetipsos arma vertunt, & propriis sese confodientes sagittis inter corruentes Jerem. 6 cadunt: *Confusi sunt quia abominationē fecerunt; quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: quam ob causam cadent inter ruentes.* Neque Ps. 36 duntaxat adversus Deum cuderunt arma, aut adversus semetipsos verterunt jacula; sed adhuc adversus proximum *gladium evaginaverunt peccatores.* Modum autem, quo adversus proximum ensem evaginant peccatores, acutè declarat Origenes: Hom. 2 in Ps. 36 *Quomodo autem putandi sunt peccatores evaginare gladium? dum jam impudenter, & absque ullo verecundia velamento iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt, aut reverentur, nec tanquam in vagina nequitiam suam recondunt & contegunt, sed superbo & elato spiritu velut gladium quendam denudant.* Christianam virginem velut in arce collocat Tertullianus, ut valeat L. de vel. Virg. 15 corporis & animi servare puritatem : *Circunduc vallum verecundiæ murum sexui tuo strue.* Illam adhuc armatam desiderat, sed armis pudoris clypeatam & loricatam: *Indue armaturam pudoris.* Verùm uti pudore armatur, pugnat, Orig. ibid. & vincit castitas; ita libido impudentiâ armatur, & decertat: *Sicut enim sunt quædam arma Dei, in quibus esse dicitur lorica justitiæ, & gladius spiritus, & scutum fidei; ita etiam sunt arma diaboli, quibus indutus homo peccator sine fronte, in caput suum rebellare non erubescit,* scilicet in Deum, cujus leges transgreditur, Salv. l. 4. de guber. Dei majestatemque contemnit. Unde tanta delinquendi impudicitia, *nisi fortasse credimus, sapienter nos Deum spernere, & hoc ipsum quòd Christi mandata contemnimus, summam prudentiam judicamus?*

Tert. l. de Car. Chr. 5 Impudentem peccatorem, quem *non pudet, quia pudendum est,* ipso dæmone Serm. 1. in Septuag. pejorem existimat D. Bern. *Utinam soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis, atque aliis modis!* Quia efficacius ac sæpius ad peccandum prava hominum exempla, quàm dæmonum incitamenta perducunt, eoq; efficacius 22. q. 100 a. 2 ad 7 quò qui peccat, major habetur. Nam, ut ait Doctor Angelicus, [peccatum tantò in aliqua persona est gravius, quantò majorem obtinet locum.] Hujus Lib. 6. de Sacerd. pulchram subministrat D. Chrysost. rationem: *Vulgarium hominum delicta, veluti in tenebris commissa, suos auctores solùm perdunt, cæterùm hominis illustris & vulgo cogniti delictum commune omnibus damnum affert.* Delicti hujus enormitas ex quadruplici capite mutuatur Salvianus. 1. Quia præbet hæreti-

cis

cis & gentilibus occasionem insultandi in auctores, potissimum si sint Ecclesiastici, *Ubi est Catholica lex quam credunt? ubi sunt pietatis & castitatis præcepta, quæ discunt? Evangelia legunt, & impudici sunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt* 2. Christianam disciplinam deprenant apud infideles, qui ex Christianorum pravitate, religionem pravam existimant, *talis profecto secta est, quales & sectatores.* 3. Ipsummet Christū gentiliū ludibrio exponunt, qui ex depravatis discipulorum moribus, magistri inferunt nequitiam: *Quomodo enim bonus magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos? Vide Christianos quid agant, & evidenter potes de Christo scire quid doceat.* 4. Ex damno quod pravum affert exemplum, quia scandalose peccans *multos secum præcipitat in mortem: & necesse erit, ut sit pro tantis reus, quantos secum traxerit in reatum.* Utinam qui in alios authoritatem sive spiritualem, sive temporalem exercent, ad magnum attenderent Gregorium. *Scire debent qui præsunt, quod tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt: quia pereuntium animarum sanguis requiretur de manibus eorum.* Quantum iniquorum principum exempla noceant, non ignoravit eloquentiæ Romanæ princeps: (Perniciose merentur de Republica vitiosi principes qui non solum vitia concipiunt ipsi: sed & infundunt in civitatem: neque solum obsunt quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent.) Solon subditos principum umbras vocitabat; ut enim umbræ figuras corporis ita hi principum adumbrant: & uti speculum ridenti arridet, flet cum flente, gestientis repræsentat & refert gestus, ita vulgus in se mores exprimit principis: qualis rex talis populus; ut Henrici octavi Anglorum regis comprobatur exemplo, qui cum Anna Bolena adulterans à fide & religione decidit, & secum totum fere populum, & majorem Ecclesiasticorum partem in hæresim traxit. Profecto *principis error, multos involvit: & tantum obest quantum præest.*

Lib. 4. de Prov.

Lib. 3. de Leg.

D. Bern. Epist. 127.

Plinius Trajanum de castitate commendat: *Quid enim præstabilius, aut pulchrius Dei munus, quam castus, & sanctus, & Deo simillimus princeps?* Verum si Trajanus de pudicitia ab ejus encomiaste laudatur, plures fuere ethnici reges, & imperatores Romani, de impudenti lascivia dedecorati. *Physconem & Sardanapalum tacendum est, qui nisi insignes libidinum, alias reges nemo nosset: Tacendum autem, ne quid & illi de Cæsaribus quibusdam vestris submussitent, pariter propudiosis; ne canina forte constantia mandatum sit, impuriorem Phiscone, & molliorem Sardanapalo Cæsarem sui signare, & quidem subneronem.* Loquitur de Domitiano Neronis inhumanitatem & lasciviam æmulante. Nec mirum si ethnici principes de libidine & impudentia commendantur, cum eorum etiam dii à Poetis adulteri, incesti & virginum raptores decantentur; ut ethnicis exprobrat Tertullianus Christi nativitatem ab omni immunditia liberans. *Hujus igitur gratiæ, disciplinæque arbiter & magister illuminator atque deductor generis humani De filius annuntiabatur: non quidem ita genitus, ut erubescat in filii nomine, aut de patris semine: non de sororis incesto, nec de stupro filiæ,*

Tert. l. de Pall. 4.

Apoll. 21

filia, aut conjugis aliena, Deum patrem passus est squamatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, aut in aurum conversum: Iovis enim ista sunt numina vestri. Verum omissis falsorum deorum fabulis, & gentilium imperatorum lasciviis, lugendum est quod inter Christianos reperiantur etiam magnates impudenter lascivientes, malumque exemplum præbentes hominibus bonis

Tert. l. de vel. Virg. 3

& publicis, qui merito *queruntur, scandalo sibi esse petulantiam & impudentiam* eorum.

Gentiles olim falso accusabant Christianos, quod in suis cœtibus antelu-

Apol. 7.

canis haberent *eversores luminum canes*; promiscueque fornicationes, adulteria, & incesta perpetrarent: quapropter vocitabant *lenones tenebras*; quia illis favebant in committendis tot nefandis sceleribus: Ethnicis ironice re-

Tert. l. 1. ad Nat. 16

spondent fideles: *Verum jam laudate consilium incesti verecundi, quod adulteram noctem commenti sumus, ne aut lucem, aut veram noctem contaminaremus.* Hanc cautelam vos in vestris impudicitiis non observatis, quin immo neque nocti, neque diei, neque luci ullam reverentiam præstatis, sed omnimodam cōmittitis impuritatem; nōn de nocte, sed de die; non in tenebris, sed in luce;

Tert. ibid.

non in occulto, sed palam & toto conscio cœlo. *Cæterum incesta vestra, pro sua libertate, & luce omni, & nocte omni, & tota cæli conscientia fruuntur, totoque conscio cælo operantur.* At prō dolor! multi sunt scelerosi Christiani, qui-

Tert. l. de pud. 18

bus competunt ea quæ falso gentiles fidelibus imponunt, & ea quæ fideles ethnicis vere objiciunt, qui lasciviunt & in tenebris & in luce: *quæ enim in occulto fiunt turpe est dicere.* Fœdiora sunt adhuc quæ palam impudenter operantur: nunquam neque in occulto, neque manifeste patranda sunt turpia. Verum si non caste, tamen caute: & ut fatur D. Augustinus, supposito quod mœchentur, faciant rem *turpem, non turpiter*: impudentes autem faciunt

D. Aug. l. 14 Ciu. 16

rem turpem turpiter, quia absque ulla verecundia, & *quia de rebus loquimur nunc pudendis, impedit loquentem pudor, etsi non deficiat cogitatio.* A quibus tunc cogitationem tunc sermonem avocamus, ut consideremus quid facien-

Tert. l. de pud. 13

dum est *Christiano ethnicorum impudentiam supergresso*, ut à fœdis libidinibus

Tertull. Apol. 2.

abstineat. Certe nullum aptius illi possumus præbere remedium præter *pœnitentiam, deplorationem, pudorem, timorem.* De tot nefandis criminibus vere pœniteat, patrata facinora lugeat, impudentem fuisse pudeat, Dei justitiam timeat, ad ejus misericordiam confugiat; Sanctorum in cœlo regnantium auxilium imploret.

CON-

CONCIO SECUNDA.

INter nequitias nulla est *tam exitiosa*, ac impudicitia. Quod innuere videtur Evangelium de prodigo loquens, qui *dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose*. D. etenim Bonaventura per substantiæ dissipationem intelligit cunctorum consumptionem bonorum. *His enim peccatis non solum dissipantur animæ vires sed etiam corporis membra, & divitiæ temporales ac per hoc dissipatur tota hominis substantia, scilicet rerum, membrorum, & morum.* Tria sunt bonorum genera quæ in hac vita homo potest consequi: scilicet fortunæ, naturæ, & gratiæ: at luxuria adeo est exitiosa, ut dissipet cuncta bona, 1. fortunæ 2. naturæ: 3. gratiæ. Tert. l. de Idol. 1 Luc. 15 Diæt. Sal. tit. 1. c. 9

Luxuria *devoratoria* est, quia dissipat fortunæ bona. Tria sunt potissimum fortunæ bona, nimirum divitiarum copia, honor seu fama, bona corporis valetudo. Luxuria autem, 1. divitias devorat: 2. famam denigrat: 3. bonam corporis valetudinem infirmat. I. PARS. Tert. ibid.

1. Terrenas facultates per substantiam denotat Tertullianus, ethnicos de defectu dilectionis redarguens. *Ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem.* Hæc familiaris substantia, venerea consumitur voluptate, ut prodigi comprobatur exemplo, qui post lasciviam egestate oppressus clamat: Fame pereo. *Luxuriæ ventris fames apponitur, ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi pœna in reatus exerserat.* Quam multi sunt juvenes prodigo similes, quibus parentes amplas reliquerant facultates, qui tamen ad extremam rediguntur egestatem, non ob Xenodochia exstructa; non ob Ecclesias opulenter ditatas & ornatas; non ob eleemosynas pauperibus erogatas; non ob aliqua misericordiæ & charitatis opera: sed ob luxuriam quæ *pecuniam tollit*, domos evertit, villas consumit; Et, ut ait D. Bonaventura, *hominem ad maximam paupertatem ducit.* Tertullianus sic de universali mundi consumptione fatur: *Tanta seculi vetustas, & tot ejus nativitates, uno igne haurientur.* Quot videmus quotidie domos vetustate nobiles, divitiis abundantes, quas devorat luxuria; quæ *ignis est usque ad perditionem devorans & omnia eradicans genimina?* Parentes, avi, atavi, proavi, laboraverunt forsitan injuste, ut profunda familiæ jacerent fundamenta, quæ filius impudicus penitus evertit: *Qui congregat injuste, aliis congregat, & in bonis illius, alius luxuriabitur*, & luxuriando depauperabitur. Jacob Rubeni filii sui lasciviam hac maledictione mulctavit: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Hæc namque est proportio inter aquam & lasciviam, quod sicut aqua è vase vitreo effusa, nihil in eo relinquit odoris, saporis, aut substantiæ: sic venerea voluptas, cunctas opes tollit à libidinoso, nihilque ei relinquit præter egestatem. *Ad talem pervenit terminum fugiendæ voluptatis effusio.* Unde cæteræ tribus Israel Apol. 39 Chrysol. Ser. 1 Hug. à S. Vict. l. 4. de Inst. Monach. 10 Lib. de Spect. 30 Job. 31 Eccles. 14 Gen. 49 Chrysol. Serm. 1

opu-

opulenter ditatæ sunt; Ruben sicut aqua effusus est, & ob incestum unius momenti, fuit paupertie mulctatus. *Quam vili de causa homines maxima bona perdunt! Nonne Ruben omnia primogenitura bona amisit brevissima voluptatis turpissima mercede?* Ut quis amasiæ captet benevolentiam, largienda sunt ampla munera, paranda lauta convivia, pretiosa indumenta & supellectilia offerenda: impudici amores ut plurimum comitati sunt dissidiis, inimicitiis, ex quibus sequuntur lites, duella, homicidia, aliaque ejusmodi, quæ ditissimos efficiunt inopes. *Qui nutrit scortum, perdet substantiam.* Ideo Terentius lascivam fœminam belle nuncupat *fundi calamitatem*; quia ob illam amasius fundum vendit, facultates consumit, famam perdit.

D. Aug. l. de Honest. Mulier. c. 3

Prov. 29

2. Inter fortunæ bona honor primum sibi vindicat gradum: idcirco Ethica quæ bonum dividit in utile, delectabile & honestum, honestum utili, & delectabili præfert, eo quod homo juxta valorem existimans *in solo bonoris nomine inces at*, neque ullum quavis de causa deponat: ad quod ab ipsomet stimulatur Deo. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri pretiosi & magni.* Tanti faciendus est honor, ut licet Regulares qui ad metam aspirant perfectionis evangelicæ, sequendo consilia, propriam abdicarint voluntatem, terrenas abjecerint facultates, carnis respuerint voluptates, non tamen renuntiarunt honori, quem toto conatu conservare satagunt: *Tunc fœlicem te esse judica, cum poteris in publico vivere*, & cum honore conversari inter mortales. At homo lasciviens honorem nihili pendens, *sepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini, crescit infamia*, sepelitur famæ. *Omnibus fere ingenita est famæ cupido.* Innatam hanc famæ cupidinem Veneris cupido avellit, & vir, pòtissimum mulier luxuriæ dedita, *fama sua ornamenta deponit*, 2. Perit gloriæ, quam ei parentes & generis nobilitate, & virtutum splendore velut hæreditario jure reliquerant: cui probe competunt verba quibus Salomonem alloquitur Ecclesiasticus: *Inclinasti femora tua mulieribus; potestatem habuisti in corpore tuo; dedisti maculam in gloria tua*; multi etiam nobiles à sua degenerantes nobilitate, cum pulchris fœminis ignobilibus ineunt matrimonia. Mulieres quoque *& genere nobiles, & re beata, passim ignobilibus & mediocribus conjunguntur ad Luxuriam & licentiam inventis.* Plures adhuc avitum dedecorantes sanguinem, inde lasciviendi captant licentiam, unde servandæ castitatis sumere debebant incitamentum. quod obplorat D. Cyprianus: *Avita generosi sanguinis memoria, in quosdam licentia lascivia est ministra.* 3. Manet turpitudini, etenim inter peccata nullum tantam habet turpitudinem, nec majorem incutere debet verecundiam quam impudicitia: quapropter Susannæ parentes filiam ab impudicitiæ calumniis vindicatam conspicientes: *Laudaverunt Deum pro filia sua Susanna*; non quia liberata est de manu presbyterorum & de nece quam ei inferre satagebant senes impudici; sed *quia non est inventa in ea res turpis.* Sic cognatarum mulierum impudicitia totam incestat familiam, parentum dedecorans gloriam, & filiis pudorem ingenerans. Quam vere dixit Regius Vates: (Filia Babylonis misera.) Meretrix nomine babylonis denotatur.

Tert. l. de Idol. 17

Eccles. 41.

Sen. Ep. 43

Chrysol. Serm. 1

Tert. l. de Test. An. 4

Tert. l. de An. 33

Cap. 47

Tert. l. 2 ad Ux. 8

L. de Bon. pudic.

Dan. 13

Psal. 136

Filia Babylonis misera: misera utique, quia Babylonis filia est. Probrosam illam D.Amb l. 2 de Pœnit. 13.
mulierem increpat Chrysologus: *Tantam gloriam tantâ turpitudine commutâsti.* Tandem 4. crescit infamia: *Turpitudinem & ignominiam congregat sibi,* Ser. 3.
& opprobrium ejus non delebitur; non solùm dum vivit, quia in existimatione Prov. 6
hominum habebitur infamis; non solùm in sua successione & generatione, suam infamans prosapiam: sed etiam in inferno, ubi perpetuâ ignominiâ punietur. Quomodo intelligit istud Jeremiæ Hugo Card. [In tempore furoris tui abutere eis.] *Populo enim suo, qui natus erat ad gloriam, abutitur Dominus* Cap. 8
illum captivando, quia illo utitur ad aliud, quàm ad quod natus est. Sic erit de infernalibus: quia enim abusi sunt rebus Domini, id est, corpore suo & animâ, ideò & Dominus eis abutetur in pœna, & quos creavit ad gloriam, consumet ignominiâ. Neque solùm ignominiâ plectuntur lascivientes, sed etiam bonam amittunt corporis valetudinem, & probrosis laborant infirmitatibus.

3. *Viderit adhuc impudens infirmitas carnis.* Homo lascivias suas trinâ potissimum ratione tueri præsumit: nimirum carnis infirmitate, corporis venustate, & juvenili ætate. Tert. l. de Mon. 3
1. Carnis infirmitate: *Dum quæ sunt spiritûs non placent, ea quæ sunt carnis placebunt, ut contraria spiritui.* 2. Corporis venustate: *quæ decoris messem requirit.* Tert. l. de Mon. 1
Est autem, ut animadvertit Tertullianus, sæpenumerò *usus & fructus pulchritudinis, luxuria.* 3. Juvenili ætate, quæ *ætatis officia defendit.* Tert. l. 1 ad Uxor. 4
Verùm multoties Deus prætextatam carnis infirmitatem verâ corporis infirmitate castigat, pulchritudinem in deformitatem commutat, Lib. 2. de Cult. fœ. 3
& luxuriosos in juventute vitâ privat. 1. Corporis infirmitates sunt appendices impudicitiæ: *Quid de corporis voluptatibus loquar? quantos illæ morbos, quasi quendam fructum nequitiæ, fruentium solent referre corporibus?* Boet. l 3 de Consol. Phil. prof. 7
Quod ipsemet denotat Salvator, voluptates per spinas significans: [Ne mireris si nomine spinarum delicias appellavit, acerbissimos dolores corpori inferentes: Luc 8
Quemadmodum acuti vepres, undecunque capiuntur atque constringuntur, manus cruentant; eodem modo deliciæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt.] D.Chrysost. Hom. 43. in Matthæum.
Et ita bona corporis valetudo in infirmitatem & ægritudinem commutatur, *plerumque accepta salus per vitia carnis exploditur.* D Greg. l. 3. Past. 3
Aliter disserendum de lascivia ac de castitate: [Castitas est securitas mentis, sanitas corporis; unde & aliquos Gentilium Gymnicos legimus perpetuam Veneris abstinentiam exercuisse, ne virtutem libidine frangerent: luxuriosa namque vita citò carnem debilitat, fractamque celeriter ducit ad senectutem.] D.Isid. p. 2 sent. 40
Libidinem *epilepsiam* nuncupat Clemens Alexandrinus. L. 2. Pædag 10
Libidinosi, ut sapientiores docent medici, laborant cerebro, morbo comitiali torquentur, fiuntque epileptici, uti etiam experientiâ constat. Quodnam autem morbi genus tam ærumnosum, tam horrendum, ac comitialis morbus? Invadit enim principem hominis partem, nempe cerebrum, illi vitium affert, furorem excitat, sensum adimit, vitamque interrumpit: ut proinde meritò epilepticum dixeris vivum cadaver; cadaver quidem, quia viduatur sensu; vivum autem, quia fœdo tremore, & artuum concussione ad mortem us-

In cap.1 Eccles. que miserè vivit. Quot corporis ægritudines ex luxuria nascantur, dinumerat nonnemo. Nimirum, [Exsolutio virium, cruditates stomachi, sensuum hebetudo; tremor & dolor articulorum, dolor renum, cerebri, capitis; dolor laterum, ilium, cordis, hepatis, pulmonis, dentium; oris graveolentia, alopecia, id est, capillorum defluxio, palpebrarum demissio, cæcitas, sputum sanguinis, ulcera, febris hectica, phtysis, apoplexia, paralysis, epilepsia, fœda scabies, atque omnia mala;] quæ meritò patitur lasciviens: *Putredo in ossibus ejus,* Prov.12 *qui confusione res dignas fecit*; & quia pulchritudo in concinna partium dispositione cum vivido colore consistit, tot ægritudines quæ distorquent membra corporis, & pallorem causant, decorem devenustant; faciem anteà decoram, deformem, odiosam & horridam efficiunt: & post morbos probrosos & inhonestos mortem afferunt: *Servis libidini, & quasi pinguis bos ita in mortem* D. Hiero. ep.48 *propriam saginaris.* Quod Evangelicus assevetat Propheta: *Iuvenes in infirmitate sua cadunt.* Etenim *exitus mortis sine dubio aut materiarum, aut regionum, aut viarum vitalium eversio est: Materiarum, ut fellis, ut sanguinis: Regionum, ut cordis, ut jecoris: Viarum, ut venarum, ut arteriarum.* Mala autem quæ consequuntur impudicitiam, omnia illa evertunt, & consequenter afferunt mortem, quæ est violentior juvenibus venereis assuetis voluptatibus: *Multò violentior mors, quæ tunc mori affert, cùm jucundius vivere est in voluptate.* Hæc fortunæ damna affert luxuria, quæ, ait D. Hieronymus: *corpus debilitat, & quasi semper ipsum morte destruit, famam denigrat, marsupia evacuat, furta instruit, homicidia causat*, multaque alia damna cumulat, quæ dissipant bona tum fortunæ, tum naturæ.

Isa.49

Tert. l. de An.53

Tert. ib.

Epist. ad Dam.

II PARS. Homo est anima & caro, *cùm ex hac duplicis substantiæ congregatione confectus sit.* Secundùm corpus cum rebus materialibus convenit, & in genere bestiarum collocatur; secundùm animam cum entibus spiritualibus convenit, & in ordine Angelorum constituitur. Secundùm corpus discriminatur ab Angelis, & cum bestiis sociatur; secundùm animam sociatur cum supernis spiritibus, & à bestiis distinguitur. Anima est præcipua hominis pars: etenim *quis non anima dabit summam omnem, cujus nomine mentio totius hominis titulata est?* Anima qua denotatur & nobilitatur homo, multas habet dotes, quibus cæteris animantibus longè antistat. Inter quas tres in præsentiarum duntaxat considero. Nimirum spiritualitatem, rationalitatem, & cœlestem nobilitatem. Per tres illas animæ dotes homo discriminatur à belluis, quæ sunt non spirituales, sed carnales; non rationales, sed sensuales seu passionales, si ita fari liceat; non origine cœlestes, sed totæ luteæ & terrestres. Ut homo animæ spiritualis, rationalis, & cœlestis sustineat dignitatem, & à belluis secernatur, debet ducere vitam spiritualem, rationalem, & cœlestem. Attamen ex Hildeberto *nihil æquè noxium est homini, quàm voluptatis admissio;* totum naturæ dissipans bonum. Quapropter bellè Cassiodorus *depopulatricem generis humani, luxuriam* appellat: quia projicit hominem in maximam vilitatem; & ut fatur Doctor Seraphicus, *hominem, qui similis est Deo, & Angelis,*

Tert. l. de Pœn.3

Tert. l. de An.13

Epist.38

L.11. Var. Epist.3

Diæt. Sal. Tit.1.c.9

gelis,facit esse parem brutis. Quam adhuc *paralysim animorum* vocitat D.Paulinus; qui enim laxatur libidine,animalem & bestialem ducit vitam, hominisque amittit munia. Libido namque 1. animam spiritualem in carnem transformat. 2. animam rationalem ratione viduat. 3. impedit,ne anima cœlestem suam originem aspiciat. Epist.11

1. *Qui adulteratur,in corpus suum delinquit.* Hunc locum mutuatum ab Apostolo tantillum mutavit Tert. Sic enim fatur Paulus: [Qui fornicatur, in corpus suum peccat.] Neque in suum corpus duntaxat delinquit fornicator, sed etiam in honorem suum, quem devenustat; in animam, quam gratiâ denudat,& morti mancipat. *Nam & in Proverbiis Salomon: Mœchus autem per indigentiam sensuum, perditionem animæ suæ acquirit, dolores & dehonestationes sustinet, ignominia ejus non abolebitur in ævum.* Cur ergo libidinosus non dicitur peccare in famam & honorem suum,in gratiam & animam suam;sed duntaxat in corpus suum? Quia,ut expendit S.Bruno Carthusianorum institutor,*ipsa anima transit eo actu in ipsam carnalitatem.* Cui consonat quod de libidinosis fatur Guillelmus Parisiensis Antistes: *Toti animales efficiuntur in opere hujusmodi,vel toti caro.* Quomodo adhuc Apostolum elucidat Glossa. *Fornicationis in opere totus homo absorbetur à carne,ut jam dici non possit animus suus esse,sed simul totus homo possit dici caro.* Imò ipsemet Deus à libidinoso discedit ea de causa,quia caro est. [Non permanebit spiritus meus in homine in æternum,quia caro est.] *Quasi dicat:Ego substantiam ex carne & anima illis dedi; ipsi autem quasi solâ carne circundati, ita virtutes animi negligunt,& solã carnem sectantur. Vidisti quòd ob malitiam,carnem eos vocat, & non hominem.* Luxuria autem est illa malitia, illa nequitia, *ob quam carnales notamur.* Quasi homo arcanâ luxuriæ metamorphosi animam spiritualem, quæ præcipuè integratur,degener abjectè dediscat; vel quasi anima à semetipsa desciens,degeneret in carnem. Homo à luxuria non posset nuncupari caro & carnalis, nisi spiritualis anima per luxuriam degeneraret in carnem. Sic per luxuriam corporascit spiritus hominis, sic impudicus animus *in carne carnaliter agens,* concarnescit cum carne, & jam fornicator non homo ex corpore & anima compositus,sed tantùm caro nominetur à Deo.*Qui carnis operibus se totos dedunt,& animæ substantiâ abutuntur, & quasi solâ carne circundati carent animâ,sic vitam suam absumunt. Quemadmodum autem Paulus dixit: Vos non estis in carne,eò quòd carnalia despiciebant,sic de illis dictum est: eò quòd ipsi sunt carnes; nam licet animam rationalem haberent potiorem sui partem,perinde tamen vivebant ac si solâ carne constarent.* Homines ita erant Veneri & luxuriæ addicti,adeò vivebant *secundùm calentes carnis concupiscentias*,ut caro dicantur, ac si solâ carne constarent: scilicet *per carnalium appetitionem,& spiritualium recusationem.* Et ob hanc causam Noë homo vocatur à Scriptura sacra], hoc nomine libidinosos indignos judicante Spiritu sancto: [Noë vir justus atque perfectus] Septuaginta legunt,*Noë homo justus.* Hanc traductionem legens D Chrysostomus de Patriarcha sic fatur: *Noë homo,inde etiam natura com-*

Tert.l.de Mon.9 · 1.Cor.6 · Tert.l.de Pud.18 · De Vitiis & peccat. c.15 · Gen.6 · D.Chrysost. · Tert.l.de An.40 · Tert.l. de An.11 · D.Chrysost. hom. 22 in Gen. · Tert. l.de Exh. Cast. 10 · Tert.l.de Jejun.3 · Gen.6 · Hom.23 in Gen.

mune nomen pro laude justi usurpatum ; nam quia cæteri ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse hominis, iste in tanto populo hominis imaginem servavit.

In Caten. ad c. 8 Exod. Hominem lasciviæ deditum animal dubium vocat Gregorius Nyssenus, quia de ejus natura dubitatur; neque evidenter deduci potest, an componatur ex spiritu æquè ac ex carne; an sit animal rationale, an irrationale & pecus. *Verè namque sordida luxuriosaq; vita dubium quoddam animal est. Homo naturâ est, qui ita vivit ; electione verò porcus, pecudeq; sordidior.* Verùm omni dubitationis exclusâ ratione, impudicus brutos sapit motus, & pecus potest nuncupari. Brutum etenim stabulatur, ex Philone autem Judæo venerea voluptas more pecudis brutæ stabulatur: *Super pectus tuum & ventrem gradieru; circa has enim partes stabulatur affectus hic.* Quemadmodum qui castitatem incontaminatam custodit, est verus homo, quia vitam rationalem ducit, carnemque subjicit spiritui, *occidens in se concupiscentiam libidinis* : ita qui libidini vacat, spiritum carni, animam corpori subjiciens negat hominem spiritu compositum, & brutum fatetur pecus. Quod impudico exprobrat Strabus Fuldensis: *Tibi dominationem rationis creator dedit, tibi præcepta continentiæ, tanquam in bestias inferiores, jura concessit : tenes quod pecus non potest, & speras quod non potest pecus: laboras in continendo, non pecus; si opus fatigat merces consolatur ; quod si contempseris, & imaginem Dei quæ in te est, posthabueris, victus cupiditate, tanquam dimisso homine, pecus eris.* Desuescit hominem, assumit pecus, qui de libidine pecuinos exprimit mores; ex præcelso hominis fastigio sese præcipitat, in brutam pecudem ignobiliter degenerat. *A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam*, animam spiritualem efficiens carnalem, animam rationalem ratione viduans.

1. Alleg. — Tert. l. de Exh. Cast. 11 — In c. 9. Exod. — Chrysol. Ser. 2

2. *Nos definimus animam immortalem, simplicem, dominatricem, rationalem*; non enim à corpore, sed ab anima dicitur homo rationale animal. *In homine optimum quid est ratio: hâc antecedit animalia, Deum sequitur.* Ratione homo Deum sequitur, qui est rationalis auctor, qui omnia ratione disposuit: *Quippe res Dei ratio.* Ratione homo antecedit animalia, quæ eâ carent. Ratione adhuc in sua essentia constituitur, & à cæteris creaturis discriminatur; non enim ab illis distinguitur per gradum entis qui reperitur in cunctis rebus sive substantialibus, sive accidentalibus. Neque per substantiam, cœli namque elementa & mixta sunt substantiæ; neque per vitam, nam herbæ, flores, & arbores vivunt; neque per sensuum operationes, in quibus à pluribus superatur pecudibus. *Ratio ergo perfecta proprium hominis est*, à qua animal rationale nuncupatur; quo nomine sacra Scriptura illum duntaxat appellat, qui agit non per passionem, quæ est propria brutorum; sed per rationem, quæ est illi peculiaris. *Sciendum quòd hominem non vulgari loquendi formâ rationale animal vocat; sed per excellentiam eum, qui vere suo respondet nomini, ejectis ex animo immansuetis, rabidis, ferinisq; vitiorum affectibus.* Qui enim à passione movetur, belluinos æmulatur motus, & indignus habetur hominis nomine: Moyse-

Tert. l. de An. 22 — Seneca ep. 77 — Tert. l. de Pœn. 1 — Seneca. — Phil. Jud. lib. de Abrah.

Moyses sic hominis refert formationem. (Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ,& inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,& factus est homo in animam viventem.) Divini oris spiraculo homo animatur,efflatur anima rationalis,& de rationis privilegio Dei assimilatur, & tamen dicitur tantum factus in animam viventem. An non idem dici potest de cæteris animantibus,qua ratione illis præfertur,si æque ac ille quodvis jumentum factum sit in animam viventem? Nonne Deus cum voluit formare hominem, dixit: (Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris,volatilibus cœli, & bestiis universæ?) *Quare ergo tantum honori hujus facturæ detractum est,hoc solum dicente Scriptura Et factus est homo in animam viventem? Videlicet,quia qui factus est homo, rationali dono non bene usus est, & honorem suum non intellexit, sed comparatus est jumentis; recte illi jam formato,à scriptore quasi detractum est illud,quo superior est jumentis.* Homo qui factus est in animam rationalem,dicitur factus in animam viventem, quasi ob non bonum rationis usum,rationem dediscat,& brutis animantibus similis evadat. Gen. 2 Rupert.l.2 in Gen.22

At inter omnia vitia nullum adeo hominem deteriat ac luxuria: quæ 1. carni subjicit spiritum: 2. obtenebrat animam: 3. animam intellectu viduat: 4.animæ mentem excæcat: 5.ducit ad insaniam & infatuat: 6. hominem rumulat & bestiis assimilat. Luxuria 1.*dejicit in pessimam servitutem:facit quod vilior & turpior pars quæ est in homine, dominetur ei.* Partes quæ hominem in sua natura constituunt,ab invicem dissident: caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. *Quid concupiscit caro,quā quæ magis caro is sunt?* nimirum impudicitiam, lasciviam. Et quamvis congruum sit naturæ rerum,divinæ dispositioni, justitiæ æquitati, ut caro serviat spiritui, spiritus dominetur in carnem: *Sed & magis animam invehi atque dominari credendum est,ut magis Deo proximam*;tamen contra juris æquitatem, Dei dispositionem,naturæ ordinem, caro usurpat in libidinoso dominium in spiritum; & *per dominos sensus* homo à sua nobilitate degenerans servit cupidini: quæ 2.*sensus hebetat*,& obtenebrat animam,*dum per sensus, solus omnium homo animal rationale dignoscitur intelligentiæ capax.* Ut autem ait D. Thomas à Villa Nova,libido,*sensus hebetat,intellectum obnubilat*,qui in sua notitia dependet à sensibus. Quomodo autem luxuriam hebetet sensus & obnubilet animum;variis similitudinibus declarant Patres.D. Augustinus apud Bernardinum Senensem ponit exemplum nebulæ, quæ solis obumbrat lucem. (Luxuria carnalis destruit cognitioné, sicut nebula in vere impedit claritatem solis.)Subjungit fumi exemplum qui totam obscurat domum.(Sicut fumus resolvitur ab igne,& totam domum obtenebrat & denigrat,ita ab igne concupiscentiæ resolvitur fumus, qui obnubilat rationem.) Utramque similitudinem complectitur D.Ambrosius: (Dum in quadam fumus delinquendi libidine, nebulis quibusdam insipientiæ mens obducitur, & fumo quodam iniquitatis oculi ejus caligant, ne videat eorum quæ concupiscit deformitatem.) D Bon. Diæt. Sal. Tit.1. c.9 Tert. l. de Monog. 1 Tert. l. de Res. 7 Tert. l. de An. 17. D Bernar. tom.1 Ser. 18.a 2 c.2. Tert. l. de An 17 Ser. de S. Ildeph. Tom. 4. Ser.21. Lib. 2. de Mer.c.5. L.2. Stró.

Ni dicamus cum Clemente Alexandrino: quod (quemadmodum exhalationes quæ à terra, & ex lacunis & voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & umbroſam vertiginem, ita etiam carnalium cupiditatum vapores, malam animæ inurunt habitudinem.) Vapores maris, terræ exhalationes, cœli obumbrant ſerenitatem, dieique offuſcant claritatem. Inordinati quoque appetitus qui inſurgunt à carne, ita animam obtenebrant, ut quæ ſunt lucis,
D. Chryſoſt. Hom. 11. in 1. Cor veritatis & pietatis nequeat intueri. *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, ſicut nubes & caligo corporis oculis, ita cum illa eripuerit mentem & perſpiciendi facultatem, nihil ſinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem*: quid enim videret anima 3. intellectu viduata? *Quidam vel modico tempore viduant animam intellectu.*
Tert. l. de An. 19
Anima viduatur intellectu & ratione, inordinato cujuslibet paſſionis motu, potiſſimum Veneris paſſione: nam, ut
L. 14 part. c. 10
docet Galienus, *nimia Venus mentis ſpaſmum affert.* Ideo Venerem quaſi *ſine mente* dictam cenſuit Plato: nec immerito, cum 4 menti afferat cæcitatem: prima namque luxuriæ filia eſt cæcitas mentis.
Hug. à S. Vict. l. de Beſtiis c. 3
(Corvus primum in cadaveribus oculos petit; corvus autem eſt diabolus, qui in cadaveribus primo oculos petit, quia in hominibus carnalibus intellectum diſcretionis extinguit, extincto diſcretionis intellectu ſenſum mentis evertit.)
In Pſ. 68
Quod præfiguratum vult Hugo Cardinalis per Samſonem, quem impudicus Dalilæ amor tradidit Philiſtæis, à quibus fuit excæcatus. (Primum excæcat diabolus, ne cognoſcant viam veritatis, vel lucem, quod ſignificatum eſt per hoc quod Philiſtiim excæcaverunt Samſonem.) Seu, ut fatur D. Chryſoſtomus: (ſicut latrones & murorum effoſſores, quando volunt aliquid pretioſum rapere, lucerna extincta hoc faciunt: ita etiam in nobis facit libido : eſt enim in nobis perpetuo ardens lumen rationis: ille igitur ſpiritus nequitiæ, magno impetu irruens flammam illam extinguit, & protinus diripit, ſpoliatque omnia quæ ſunt recondita.)
Hom. 15. in 1. Cor.
Ut prodigi comprobatur exemplo, qui laſciviendo accepta à patre portione ſubſtantiæ denudatus & ſpoliatus eſt. *Et quæ eſt iſta portio? quæ eſt? Habitus, ſermo, ſcientia, ratio, judicium, quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt.*
Chryſol. Ser. 5
Quomodo Titus Boſtrenſis intelligit iſtud Lucæ: (Diſſipavit ſubſtantiam vivendo luxurioſe:) *unde denominatus eſt prodigus diſſipans ſubſtantiam ſuam, id eſt intellectum.*
Cap. 15
Prodigus vivendo luxurioſe non tam diſſipavit cenſum, quam intellectum, qui per luxuriam fuit excæcatus: quam ideo D. Paulinus nuncupat *intemperantiæ cæcitatem*; quia orbat animam intellectu & mentis oculis.
Epiſt. 12
Et quemadmodum qui corporeis excæcatur oculis, non videt ea quæ ſunt ſupra & circa ſe, quæ ſunt ante vel poſt ſe; non abſimiliter luxurioſus oculis mentis orbatus non videt cœlum quod eſt ſupra ſe, nec infernum qui eſt ſubtus ſe, neque infamiam quam relinquit poſt ſe, neque Deum qui eſt ante ſe.
D. Amb. l. de Abrah. cap. 6
Cæca eſt omnis libido, & quod eſt ante ſe, non videt: ſed ſicut cæcus abſque ductore incedens labitur, ita libidinoſus *ſibi ipſi oculos eruit, & deſtitutus lumine mentis in foveam iniquitatis agitur præceps.*
Clē. Alex. l. 6. in Joā. c. 21
Nec mirum quia 5. per laſciviam effectus eſt inſanus, & ſtulteſcit. Nam *aſpiratio dæ-*
Tertull. Apol. 22

monum mentis quoque corruptelas agit, amentiis fœdis. Ita evertit mentem cupido, ut dixerit Stoicus: (Amare & sapere vix Deo conceditur.) Veteres quoque gentiles teste Philosopho Venerem appellabant amentiæ præfectam, Cupidinem ejus asseclam oculo tenus velatum depingebant, Minervam vero, & Musas quas summa sapientia & virginitate dotatas fingebant, venerabantur. Verum fabulis omissis quantum lascivia ad insaniam conducat, declarat Thamar recusans stuprum, ad amasium suum dicens: *Noli facere stultitiam hanc.* Stultitiam libidinem appellat, quia scilicet sapit stultitiam. O quot homines sapientia insignes, quos lascivia ad insaniam redegit! Ad manum est duorum senum historia, qui Susannæ amore capti, (surrexerunt & occurrerunt ad eam impetu passionis, quæ fertur ad præceps, ad insaniamque convertit: Dolis complicata venus, furata est mentem valde sapientum.) Tanta est luxuriæ vis, ut sapientes etiam de sapientiæ throno deponat. *Mulieres apostatare faciunt sapientes*: Mulieres eos à prudentia sua, dignitate, virtute, fide, veritate, quod est sapientiæ negotium, avertunt. Subjungit Siracides: *Et arguent sensatos.* Tigurina vertunt: *Sugillantque sapientes.* Sic libido sapientes scientiarum veritatibus imbutos, ignorantiæ arguit, eorum jam stultitiam suggillat, & tanquam ignatos, insanos & vecordes subsannat. Quod Salomonis comprobatur exemplo, cui tantam contulerat Deus sapientiam, ut nullus antea fuerit illi homo similis: & licet plures quos conscripsit libros sint canonici, Prophetæ tamen non honoratur vocabulo, ob lasciviam qua fuit dedecoratus. *Non enim Propheta à nobis Salomon vocatur, neque Evangelista; sed vir potius delicate enutritus, & propter delicias mentem parum constantem habens.* Subjungit Ecclesiasticus: *Et qui se jungit fornicariis, erit nequam.* Ut constat ex eodem Salomone, qui (cum jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos,) & lasciviendo religionem simul cum sapientia tumulavit: (His enim qui in deliciis, & luxuria, vitam ducunt, sensus ipsis tardi, graves, obtusi, & quodammodo consepulti:) Cum sensibus autem 6. sepelitur ratio, & homo bestiis assimilatur. *Mentem obtundunt libidines.* Luxuria namque (privat hominem omni ratione, & sicut animalia bruta turpiter infatuat:) Quam bestialem & irrationalem hominem efficiat lascivia, belle declarat. D. Hieronymus: *Voluptas de rationali homine brutum efficit, ut ganeas, & lupanaria, & libidinum lustra sectetur.* Lasciviens non est rationale animal, sed brutum irrationale, quia in illo mortua & tumulata est ratio. Negat hominem, qui Venerem colit; nam *dum voluptas vincit, exulat ratio.* Luxuria rationis extinctio est: & ut fatur Philosophus Moralis, *mortifera ingeniis luxuria est*; exultante autem ratione, extincto intellectus lumine, cadaverascit libidinosus. *Qui fornicatur Deo est omnino mortuus, & à ratione tanquam à spiritu, ut cadaver, relictus est.* Cadaver rationis est homo intemperans; nam hominis vita ratio est, & ita mœchus ratione, ut vita, functus, est rationis cadaver; neque plus vitæ rationalis in illo est, quam in cadavere deformi. Verum quo magis luxuriosi mortui sunt rationi & humanitati, eo magis vivunt passioni & brutalitati;

Arist. l. 2. Reth. c. 24
L. 2. Reg. 13
Dion. Carthus.
Ecclés. 19
Cyr. Alex. l. 7. cont. Julian.
L. 3. Reg. 11
D. Chrysost Hom. Quod nemo lædi- tur.
Tert. l. de An. 20
D Bon. Diæt. Sal.
In c. 4. Osee
Phil. Jud. l. 2. Alleg.
Clé. Alex. l. 2. Strom. 10
Ephes. 2

L. de Pud. 17 talitati: *Facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* Tertullianus legit: *Facientes concupiscentias & voluntates carnis*, in plurali; non voluntates animæ & spiritus, sed voluntates carnis, explentes carnales appetitus. Pro ly *cogitationum* hoc est, explicat Theophylactus, *nihil spirituale sentientes*: D. Ambrosius vertit *consiliorum*: D. Hieronymus *mentium*. At cur carni adscribit Apostolus cogitationem, mentem, consilium, cum potius libido hominem consilii, D. Aug l. 4 cont. Jul. mentis, & cogitationis inopem reddat? *Non potest stare voluptas corporis, cum cognitione*; quia libidinosus varias concupiscentiæ species & modos imaginatur, concipit, effingit: tantoque ardore concupita prosequitur, ut nullatenus attendat ad cœlestem animæ originem & dignitatem.

Tert. l. de An. 3 3. *Animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus.* Magnum sane est discrimen inter hominem & bestiam; 1. Anima bruti non est de nihilo creata, sed de potentia materiæ per generationem educta; anima vero hominis non est per generationem educta de aliquo subjecto, sed à Deo per creationem de nihilo. 2. Bellua cum sit tota materialis & corporea, neque sit ad Dei imaginem, non est capax beatitudinis, idcirco dum moritur totum ejus esse ex corpore & anima sentiente compositum destruitur. Homo vero cujus anima est spiritualis, & immortalis, & ad Dei creata imaginem est beatitudinis capax; cum corpore non moritur anima, sed si fuerit innocua, post separationem à corpore tendit ad cœlum, quod est sedes æternæ fœlicitatis. 3. Bellua incapax rationis, libertatis, & fœlicitatis, est etiam incapax actuum religionis: Homo vero cognitione & libertate præditus, ad cœlestem beatitudinē ordinatus, religionis officiis debet incumbere, quibus & Deum honoret, & æternam salutem sibi comparet. Libidinosus à tot prærogativis degenerans bestialemque ducens vitam, 1. superna non sapit: 2. immortalem beatitudinem non quærit: 3. Deum religione & pietate non colit. 1. Homo *ut mancipium sapientiæ*, quæ sunt supra se debet considerare, neque *plenam a que perfectam sapientiam obtinebit*, nisi cœlestia mundique auctorem contempletur, cum etiam juxta gentiles Philosophos sapientia altissimarum rerum notitiam importet. Verum impudicitiæ *à sapientia mentem detrahunt.* Luxuria adeo libidinosum *mentis impotem, & totius rationis expertem facit*, *jugique concupiscentia inebriat*, ut nequaquam ei superna contemplari permittat. *Carnalis homo mentem ad contemplationem minime excitatam habens, vel potius in carnis affectu, tanquam in carne defossam gerens spirituale veritatis lumen percipere nequit.* (In solem intende: cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est, pariter præsens ubique interest, & miseretur omnibus;) Nusquam enim *claritudo violatur.* Deus quoque auctor naturæ, lux indeficiens ubique majestatis suæ spargit radios; *quia semper illuxit.* Et ut fatur Tertullianus, *tantu operibus, notitiam sui armavit*: Deum tamen universitatis conditorem, in suis effectibus visibiliter splendescentem non conspiciunt libidinosi, quia *sapientia per luxuriam dissipatur. Proinde Propheta ait: Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ut bruta non sursum sed deorsum conspiciunt, ita homines luxuriæ

Tert. l. 2. ad Nat. 2 — Laur. Just. l. de Lign. Vit. — Clim. grad. 15 — D. Damasc. l. 3. Parall. 33 — Minut. Fœl. Octa. — Tert. l. 2 adv. Marc. 2. — Lib. 1. adv. Marc. 11 — Bern. Sen. to. 3. Ser. de Desid. Ver. a. 3. c. 3

dediti

deditì bestiarum more non superna sapiunt. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsa eorum semper incurva.* Ut impudicorum senum comprobatur exemplo, qui Susannæ sauciati amore *everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum.* Conspectus pulchræ fœminæ, ejusque nitor, libidinosos senes ad conspiciendum cœlum cæcavit: Cæcitas à cœli aspectu, libidinis stipendium est, luxuriosus qui oculos suos statuit declinare in obscœnitatis cœnum, cœli viduatur intuitu. Homo lasciviens bestialemque vitam ducens: 2. immortalem non quærit beatitudinem: Anima humana à Deo creata, immortalitate donata, *scit se peregrinam in terris agere: cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere:* quapropter ad cœlestem fœlicitatem naturaliter fertur, libidinosus naturali animæ inclinationi vim inferens, cœlestem non cogitat nec amat beatitudinem, quam ob causam recte comparatur porco, ait Bernardinus Senensis: (Si enim porcus ex una parte videret luti volutabrum, & ex alia parte, lectum rosarum positum, eligeret in volutabro luti resolvi, quam in rosarum lecto: Sic tales immunditiæ luxuriam, deliciis paradisi proponunt.) Quod probe scientes immundi spiritus postulant à Christo eos ab energumeno ejiciente, licentiam ingredi porcos. (Ingrediuntur autem dæmones, eos videlicet, qui irrationabiliter conversantur, & in cœno voluptatum volutantur.) Nam ut eloquenter fatur Chrysologus; *qui voluptatibus corporis male dulcibus inhiant, pascunt dæmones, qui semper corporum vitiis saginantur & sordibus, quia sicut Domino qui se jungit, unus spiritus est, ita qui se jungit diabolo est dæmon unus.* Et cum dæmon sit pietatis incapax, libidinosus cum eo unus diabolus effectus, nullis 3. religionis & virtutis vacat officiis. *Religionis suæ sacerdotem* hominem effecit Deus, ut eum pietate colat, & virtutem sectando ei famuletur; homo autem libidinosus, negat se religionis sacerdotem, neque ullis pietatis & virtutis vacat operibus: luxuria namque *ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem.* Timore colitur Deus, & Christiani qui Deum metuunt, castitatem servant, *habentes gubernacula disciplinæ, & timoris, legem & prophetas:* at libidinosus gubernacula disciplinæ excutiens *Deum non timet, æterni supplicij memoriam nihil existimat, orationem execratur.* Veræ religionis homines ubique Dei venerantur præsentiam, maxime in Ecclesiis divino cultui sacratis; libidinosus neque etiam in templis, Dei reveretur majestatem: *Eo apponitur & irreverentiæ crimen.* Nam dum tremendum Missæ offertur mysterium, nihil de Deo cogitat, neque ullam Christo reverentiam præstat. (Elevetur corpus Christi in Ecclesia, & sit ibi amasia luxuriosi, potius respicit ibi amasium, quam corpus Christi pretiosum. Similiter si prædicet Prædicator, & sit ibi amans & amata, nihil horum quæ de paradisi deliciis dicuntur, audietur ab eis.) Religio Deo debita Christianos stimulat ad venerandos Sanctos gratia illustres, gloria fulgentes, qui in vita sua fideliter Deo servierunt, vel constanter mortem & martyrium subierunt, *ex testimonio religionis, & prælio confessionis, pro justitia & sacramento:* homo autem lasciviæ deditus, non laudat

Psal. 68.
Tertull. Apol. 1
Euthym. in Matth.
Ser. 5
Tert. l. de Res. 9
Chrysol. Serm. 2
Tert. l. de Pud. 7.
Climac. grad. 15
Tert. l. de Orat. 12
Bern. Sen. to. 4. Ser. 21
Tertull. Scorp. 2

Thom. à Vill Nov. de S. Ildep. dat neque honorat Deum in Sanctis suis. *Libidinosus utique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur & diligit.* Illorum pietatem condemnat, miracula fabulas existimat, virtutes depretiat, & ab eorum puritate impudenter & impie se separat. Quod denotatum vult D. Ambrosius per prodigum, qui peregre profectus est in regionem longinquam. Lib. 7. in Luc. *Quid longinquius, quam à se recedere, nec regionibus, sed moribus separari; studiis discretum esse, non terris; & quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, divortia habere Sanctorum;* neque ullis incumbere pietatis operibus, necessariis ut æterna adipiscatur salus? Tert. lib. adv. Valent. 30 *Sed nobis quidem vasi excesserimus in aliquo disciplinæ jugum, si obtorpuerimus in operibus justitiæ atque sanctitatis.* Homines libidinosi pro nihilo æternam ducentes salutem, bonis non vacant operibus. Laur. Just. l. de Lig. Vit. *Ipsæ quoque voluptates, animæ impediunt salutem, oblivionem Dei inducunt, sterilitatem bonorum operum afferunt*, & ad vitia allicientes, bona gratiæ dissipant, & eripiunt.

III. PARS. Luxuria *omnia ad nihilum redactura est*, nimirum gratiæ & sanctitatis bona. Quanta afferat damna, dinumerat Hugo Victorinus: Lib. 4. de Inst. Mon. 10 (Luxuria pecuniam tollit, famam deflorat, corpus inquinat, corpori morbum paralysis ingerit, & cæcitatem oculis, animam inficit, gratuita tollit.) Quot bona dissipantur per libidinem! Sex damna quæ secum trahit, recenset doctor Seraphicus: Diæt. Sal. tit. 1. c. 9 *Damna luxuriæ sunt sex: primo, hominem ducit ad maximam paupertatem, aufert gratiam & gloriam, & propriam substantiam.* Cæteris brevitatis causa omissis, adverte quod nomine substantiæ intelliguntur interdum bona fortunæ, quæ substantia familiaris nuncupantur à Tertulliano; interdum bona naturæ: Ex D. namque Hieronymo Epist. ad Damasc. *substantia Dei est omne quod vivimus, sapimus, cogitamus:* aliquando bona gratiæ, quo sensu ait D. Augustinus: Ser. 1. de Verb. Apo *Nulla hujus mundi major substantia, quam est fides Catholica, quæ fideles justificat, justos augmentat, regnis cœlestibus præparat.* Bona igitur gratiæ per substantiam denotata, sunt in triplici differentia. Quædam spectant ad gloriam & æternam salutem: quædam ad sanctitatem & virtutem; quædam ad veritatem & fidem. Fides intellectum cœlesti lumine illustrat; sanctitas justum meritis ditat; gloria bene operatum remunerat. Libido autem totam illam substantiam dissipat, trinum illud gratiæ bonum annihilat: 1. gloriam & salutem: 2. sanctitatem & virtutem: 3. fidem & veritatem.

L. de Pud. 8 1. *Beati qui ex præceptis agunt, ut in lignum vitæ habeant potestatem, & in portas ad introeundum in sanctam civitatem: Canis, veneficus, fornicator, homicida, foras: utique qui non ex præceptis agant.* Recenset Tertullianus eos qui ingressuri sunt in sanctam civitatem, & in cœlo interminabili potientur beatitudine, & qui à paradiso ejicientur, & æternæ fœlicitatis patientur jacturam. Observantes divina præcepta, immo talis gloriæ mercedem recipient, transgredientes divinam legem, cœlestis beatitudinis habebuntur indigni; Tert. l. de Exh. Cast. 11 quapropter in paradisum intrabunt qui caste vixerunt, *occidentes in se concupiscentiam libidinis, & totum illud quod intra paradisum non potuit admitti.* De paradiso ejicientur homicidæ, qui proximi fuderunt sanguinem, & animabus

suis,

suis, per peccatum intulerunt necem; venefici, qui fratres suos veneno toxicaverunt, fornicatores qui tanquam canes & bruta turpitudines operati sunt: Rationem autem subministrat D. Bernardinus Senensis cur homines carnales bestialiter viventes, ab æterna excludentur beatitudine. (Illa curia cœlestis, ne diminuta remaneat, debet repleri per creaturas rationabiles; luxuria autem inter alia peccata, maxime destruit rationem, & per peccatum luxuriæ maxime adeptio patriæ cœlestis impeditur, quia per luxuriam homo efficitur bestia, & bestiæ non sunt factæ ad habendam vitam æternam.) Multiplici igitur de causa libidinosi, è cœlo exulant: Tum quia in bruta degenerarunt: Tum quod cœli puritas, & munditia non patitur vitii & peccati immunditiam: *Apparet communi naturæ hominum, & delicta, concupiscentias carnis deputare.* Quam criminosa sit libido, inde colligitur, quia est *gluten delictorum:* Et ut fatur D. Anselmus; *magnum & principale vitium est fornicatio, de qua tot mortifera pestes prodeunt.* Tum quia cœli janua patet duntaxat observatoribus divinæ legis, quæ mœchiam corde conceptam, & opere consummatam vetat: Tum quia Apostolus libidinosos à cœlesti regno excludit. *Quid Galatæ legunt? Manifesta sunt opera carnis: Quænam ista? Imprimis posuit fornicationem, immunditiam, lasciviam, quæ prædico vobis sicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non sunt consecuturi æternitate.* Tum quia cœlestis Hierusalem, *tota candida de sanctitate describitur:* cuncti ejus cives sunt Sancti: libidinosi autem destruunt.

Tom. 1. Serm. de Luxur.

Tert. l. 5. adv. Marc. 17

Hug Vict. l. 1. Miscel. tit. 198

In c 5. Gal

Tert. l. de Pud. 17

Tert. l. 1. ad Ux. 7

2. *Magnam substantiam sanctitatis* annihilantes in semetipsis gratiæ sanctificantis donum, & dissipantes merita quæ bonis operibus adepti fuerant. Osee assumpsit sibi in uxorem fornicariam *Gomer filiam Debellaim.* Observat Vatablus quod *Gomer significat consumptionem, & Debellaim palatas duas, quibus animæ & corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem.* Libido namque consumit 1. gratiam & sanctitatem: 2. charitatem & virtutem: 3. meritum & bonorum operum valorem. 1. Consumit gratiam & sanctitatem, quæ cum peccato mortali compati nequit: luxuria autem est tam grande peccatum, ut eam Apostolus cum fraude & idololatria conjungat. *Si quis frater nominatur in vobis fornicator aut idololatres, (quid enim tam conjunctum?) aut fraudulator, (quid enim tam propinquum?) cum talibus ne cibum quidem sumere, nedum Eucharistiam.* Ob consumptionem illam gratiæ & sanctitatis, luxuria vocatur à Jobo *ignis usque ad perditionem devorans.* Nam ut ait D. Thomas Valentinus antistes, (nihil in homine quem possidet, ignis hic relinquit inustum, & si fuerit quispiam in juventure sua, omnium virtutum decore præfulgidus, & velut paradisus Dei, vernantibus undique & fragrantibus gratiarum liliis dealbetur, si semel intima ejus hic penetraverit rogus, totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam, ex amœno paradiso in desertum horridum, ex Angelo redigit in belluam,) & ex Dei filio facit diaboli servum. Subjungit S. Thomas à Villa-Nova: (Quando perniciosior cæteris sit luxuria, ex hoc poteris comprehendere, quia nullum secum commorari

Tert. l. de Exh. Cast. 10

Osee 1

Tert. l. de Pud. 18

Cap 31

De S. Ildeph.

rari bonum, nullam secum patitur adesse virtutem.) 2. Charitatem virtutum reginam destruens. *Si luxuriari volueritis, nunquam charitatem habere poteritis: charitas enim est virtus, qua consummatio & perfectio aliarum virtutum dicitur, sicut luxuria destructio: nam nulla virtus, nulla bonitas, nulla sapientia cum luxuria stare potest, nulla justitia, sed omnis perversitas in ea regnat.* Quid tam ei iosum & noxium quam omnes pariter virtutes atterere, devorare, consumere? Universalem hanc devastationem facit libido, quæ *omnes animæ virtutes corrumpit*: & 3. cuncta generatim merita dissipat & consumit. Quandiu viator adultus est gratia sanctificante præditus mereri potest, quia *meritorium factus est mundus*: libido autem cuncta congregata merita devorat. Quomodo ignem de quo fatur Jobus intelligit D. Hieronymus: *Ignis est incentivæ libidinis, omnia bona virtutum devorans, atque universa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.* Quod adhuc denotatum vult D. Hieronymus per Regium Prophetam dicentem: (Dedit ærugini fructus eorum.) Hæc autem ærugo totam messem, & omnes ejus fructus devorans, est libido, *Ærugo libido est, hæc omnia bona dispergit. O luxuria pessima virtutum destructio!* Non est omittendus Magnus Gregorius eodem fere modo Jobi versans & expendens locum: (Omnia eradicans genimina.) *Quia nimirum reatus hujus facinoris, non solum usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem vorat, & quia quamvis alia fuerint opera bona, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur.* Et quia quandiu homo est in statu peccati mortalis, non potest edere opus æternæ fœlicitatis dignum, libidinosus salacitate inquinatus nullum potest facere opus cœli meritorum: ut ex prodigo demonstrat D. Ambrosius; qui (postquam omnia consumpsisset, facta est fames.) *Non epularum, sed bonorum operum, atque virtutum.* Imo ut animadvertit Chrysologus ipsemet prodigus *intellexit lapsum: sensit ruinam, jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico.* Quam deploranda impudici conditio quem libido devastat! Nam *sicut ignis devastat vestem, & libido animam*, devorans gratiam & sanctitatem, consumens omnimodam virtutem & charitatem, annihilans bona opera quæ merebantur gloriam & fœlicitatem, & redigens illum ad bene agendi inopiam & egestatem: *Nam ista pœna parva æstimanda est, quod menti libido dominatur, spoliatamque virtutis opulentia, per diversa inopem, indigentemque trahit*; Et postquam illam gratia, virtute & meritis denudavit, fide & veritate spoliat?

D. Aug. 1 Ser 47. ad Frat. — D. Bern. de inter. Dom. c. 29 — Tert. lib. adv. Valent. 1 — Ps. 77 — L. 2. Mor. 9 — Luc. 15 — Serm. 2 — D. Aug. in Ps. 57 — D. Aug. l. 1. de lib. Arb. 11

3. *Qui enim delinquit non in lumine est, sed in tenebris.* Cuncta scelera peccantium obnubilant mentes, sed fidem non destruunt. *Ubi autem quis cœperit luxuriari, incipit deviare à fide vera; ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia.* Inde duo colligit D. Ambrosius: Unum: *Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini.* Alterum: *qui autem se ingurgitaverit atque immerserit hujusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit.* Scilicet hæretici, qui à Deo & à fide defecerunt, luxuriæ volutabro sunt immersi. Catho-

Tert. l. de Pud. 18 — D. Amb. l. 4. Epist. 30.

Catholici quoque lasciviæ dediti, sunt in periculo cadendi de fide in hæresim, & persæpè de facto labuntur. Luxuria adeò est propria hæreticorum, ut hæresis per mulierem meretriciam in sacris paginis denotetur, *quod hæreses notant? Illos notat etiam nomen mulieris*, quomodo Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus intelligit istud Proverbiorum: [Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio;] *in quo hæretica pravitas denotatur.* D. quoque Augustinus, per bestiam illam, cui Joannes meretricem magnam insidenté repræsentat, hæreticorum salaciam & perfidiam significari existimat. *Bestia corpus est impiorum, & significat perfidiam hæreticorum.* Hæretici ita sunt cum meretricibus conjuncti & convisceati, ut D. Epiphanius hæreticorum malleus dicere ausus sit: *Omnis hæresis mala, mulier est;* quia una sine altera non reperitur, utriusque consortium nobis vitandum proponitur: Hæreticorum fugienda est societas, ne avertant à religione: *Devita frater charissime consuetudinem hominum hæreticorum ac libidinosorum, nihil fidele loquentium.* Meretricum fugiendum est commercium, ne seducant cor, & inducant in impietatem & hæresim: *Non ingrediminí ad eas, certissimè enim avertent corda vestra*: ut Henrici octavi Angliæ regis demonstrat perfidia. Princeps ille ex parentibus Catholicis natus, in fide nutritus & eruditus, tanto veræ religionis amore succensus, ut orthodoxos adversus Lutherum composuerit libros, obtinueritque à Summis Pontificibus defensoris Ecclesiæ titulum: verùm *postquam in carnem suam lapsus est*, & cum Anna Bolena meretrice mœchatus, repudiatâ Catharinâ Arragoniâ legitimâ conjuge scortum illud sibi matrimonio, [potius adulterio] copulavit, Summis Pontificibus tale ac tantum facinus respuentibus, à vera fide defecit, & Ecclesiæ Catholicæ, quam anteà propugnaverat, hostis infensissimus evasit. *Sic erat homo peccati servus, erat captivus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat crim num compeditus. Sic malis dominis talibus tantisq́, exhibebat homo malam & miseram servitutem.*

Rupert l. 4 in Eccles. Cap. 7
L. 2. in Eccles. c. 13
Hom. 13 in Apoc.
L. 3. adv. Hæret.
S Ephrem to. 2 c. 8. de Virt.
L. 3. Reg. 2
Tert. l. de Præscr. Hæret. 51
Chrysol. Serm. 6

En quò trahit homines & Christianos lascivia, quot & quanta illis affert damna. Quod ipsimet fantur libidinosi: *Substantiam patris totam luxuriosè dispersimus nos vivendo:* nimirum terrenas facultates, famæ & honoris ornamenta, corporis valetudinem & decorem, animæ puritatem & dignitatem, gratiam & sanctitatem, fidem & veritatem, gloriam & felicitatem, cuncta generatim fortunæ, naturæ, & gratiæ dona, quibus miserè moritur libidinosus. *Luxuriosorum vita quasi quotidie moriens effertur*, ut obscœno voluptatum fruatur ludibrio: qui, ut acutè fatur S. Zeno Veronensis, *portant funera sua*; scilicet mortuæ animæ, mortuæ libertatis, mortuæ rationis. Addit præfatus Antistes, tot *vivas exequias* celebrant, quot sanctitates, virtutes, & bona opera in lasciviæ tumulant sepulchro. Vide Christiane si justum sit ut pro ducenda bestiali vita, incurrenda sit mors famæ, fidei, veritatis, gratiæ, & gloriæ. *Quamquam in hujusmodi cum fide sua conloqui debet unusquisque, ejusque vires consulere*: ponens ex una parte voluptatem carnis obscœnam, probrosam,

Chrysol. Serm. 3
S. Maxim. Ser. 01.
Serm. de Pat.
Tert. l. de Exh. Cast. 1.

exitiosam, momentaneam : & ex alia parte omnium bonorum jacturam. Consulat fidem, cum ea conloquatur, consultata fides respondebit respuendam carnis voluptatem, quæ tantum affert damnum. Impudicorum lapsus debet nos efficere cautos, *ne bonum patrem, ne pium genitorem deserentes,*
Chrysol. *vivendo luxuriosè substantiam totam salutis dispendimus & vitæ, omnibusque consumptis famem spei gravissimam perferamus, & sic desperationis auctori diabolo jam tradamur, & ille nos mittat ad pascendos porcos, eos videlicet qui æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum.* Tria sunt necessariò præstanda, ut quis per lasciviam mortuus valeat resurgere, & egredi de tumulo in quo jacebat. Primo agnoscenda est deplo-
Chrysol. Ser. 2 randa casûs miseria, ad instar prodigi : *Hic ergo adolescentior quia perdiderat quod erat naturæ, judicat se quod est gratiæ non mereri : Fac me sicut unum de mercenariis tuis; & hoc petit qui penes extraneum servam senserat libertatem.* Secundò, adeunda est pœnitentia, quæ Veneri inferens mortem, mortuam
D.Prosp. de Vita Contêp. c. 21 animam, mortua opera revocabit ad vitam : *Quid est mori peccato, nisi damnandis operibus omninò non vivere, nihil concupiscere carnaliter? Ut sicut qui mortuus est carne, nullius pudicitiam callidâ circumventione corrumpit, non luxuriæ carnis inservit, non ad societatem turpium turpitudinis amor invitat :* ita qui mortuus est peccato, mortuus est etiam concupiscentiæ carnali, mortuus Veneris illecebris, remotus ab impudicitiæ immunditiis. Tertiò, advocanda
Dub.Cyp. lib.Sing. Cler. est in auxilium animæ & corporis puritas : *Castitatis retinaculis omnis obscœnitas frænatur, & compedibus ejus calces furentis libidinis statuuntur; in hanc velut in scopulos franguntur impetus qualescumque sanguinis inundantis; & in illa sedatur spumans humoris insania corporalis : quæ dum sibi substrahit adminicula concupiscentiæ, mortua membra sua cognoscitur bajulare.* Homo castitate velut præsidio munitus, est mortuus & vivens : mortuus impudicitiæ mortuus infamiæ, mortuus nequitiæ; vivens verò honestati, virtuti, gratiæ, gloriæ.

CONCIO TERTIA.

Tert. l. 1 ad Nat. 15 S. Zeno de Fide. Spe, & Char. Lib. 1 de Cain. Abel 5.

SEmper *sævitia cum impudicitia concordat* : & ob hanc causam Cupido seu venereus amor pingitur *telis facibusque instructus, quòd illicitis ardoribus semper conjunctus est gladius.* Quàm exitiosa, criminosa, & sæva sit libido, bellè, quàmvis prolixè, declarat D. Ambrosius : [Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum : nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, usuque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis extingui non potest; & ideò ait Apostolus : Fugite fornicationem; ut veluti fugâ tanquam furiosæ dominæ declinare sævitiam,

tiam, & è tetro servitio exire possitis.] Vides quomodo libido dicatur à S. Ambrosio *saevus & malus*; quia instigat ad saevitiam: *furiosa domina*, quia iram, odium, & furorem inspirat: 1. Amorem in odium convertens. 2. crudeliter sanguinem fundens. 3. nec sibi, nec propinquis quibusque parcens.

Impudicus persæpè *saeva libidinibus* agitatur. Duplex est libido: una gloriæ, quo modo ex mente Tertulliani Gentiles philosophi erant *gloria solius libidinosi*: alia voluptatis quæ, ut docet D. Augustinus, *totum commovet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto*. Utraque est compendium & epitome cæterorum vitiorum. In libidine gloriæ cuncta vitia compendiata refert D. Chrysostomus: eadem in libidine voluptatis abbreviata demonstrat S. Zeno. Verùm omissâ utriusque dinumeratione duæ ejusmodi libidines in violentia conveniunt, & in ira & odio assimilantur. Et quidem gloriæ libido, ait D. Chrysostomus *cæteris est affectibus violentior; hinc odium, bella, pugna*. Libido quoque voluptatis, ait S. Zeno, *armatur precibus, armatur & irâ*: immutans 1. blanditiem in iracundiam. 2. amorem in inimicitiam. 3. Veneris dulcedinem in crudelitatem & sæviriam. I. PARS. Tert. Apol. 22 Apol. L. 14. Civit. 16 Hom 27 in Joan. Serm. de Pud.

1. Qui verè amat, debet personam amatam *lenitate, quiete, & pace tractare; non bile, non irâ, non dolore inquietare*; Libidinosus tamen sæpè sæpius lenitatem in iram convertit. Plato postquàm triplicis amoris differentiam ostendit, subdit: *Tres isti amores tria nomina sortiuntur. Contemplativi hominis amor divinus; activi, humanus; voluptuosi, ferinus dicitur*. Profectò voluptuosus libidinis amor vulgò putatur brutus, belluinus, pecuinus, cùm mutæ pecudis instar cæcâ Veneris appetentiâ sufflammatus ad carnis exæstuat voluptates. At non dicitur à Platone amenter pecuinus, sed immaniter ferinus; quia non solùm belluæ sapit stoliditatem, sed feræ redolet immititatem. Homo namque lascivus *se ad brutæ animantis indolem transformâsse dicitur, cui vitiosâ imitatione affinem se reddidit ac familiarem: quocirca non in nobis una se collatebrant fera*: fera autem à feritate nuncupata prona est ad iracundiam. Inhibuit olim Deus populo Israëlitico, ne reptilia comederet, eò quòd supra pectus & ventrem gradiantur. Verùm ut obplorat Philo Judæus [nonnulli homines his nequiores, non contenti solius concupiscentiæ genere, acquirunt insuper germanum ejus affectum iracundiam, ut confirmatis brutis animæ partibus, mentem omninò delerent: quod enim verbis de serpente dictum est, revera de quovis bruto, & affectibus suis dedito homine divinum est oraculum: Super pectus & ventrem ingredieris; nam circa pectus ira est, in ventre concupiscentia: cæterùm insipiens super utraque semper ingreditur, iram & concupiscentiam, nunquam cessando, ex quo aurigam ac præsidem rationem rejecit.] Lascivus rationis abjiciens præsidentiam, super pectus & ventrem ad modum bruti & feræ graditur: super ventrem, dum concupiscentiæ prosequitur voluptates; super pectus, dum iracundiæ agitatur motibus. Idem argumentum tractat aliorsum Philo Judæus, animadvertens quòd *quando præsto est materia copiaque voluptatis circa ventrem, qua* Tert. l. de Spect. 15 Ficin. in Conviv. Platon. D. Basil. Hom. 11 in Hexam. L. de Migrat. Abram. L. 2. Allego.

Ni dicamus cum Clemente Alexandrino: quod (quemadmodum exhalationes quæ à terra, & ex lacunis & voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & umbrosam vertiginem, ita etiam carnalium cupiditatum vapores, malam animæ inurunt habitudinem.) Vapores maris, terræ exhalationes, cœli obumbrant serenitatem, dieique offuscant claritatem. Inordinati quoque appetitus qui insurgunt à carne, ita animam obtenebrant, ut quæ sunt lucis,
D. Chrysost. Hom. 11. in 1. Cor. veritatis & pietatis nequeat intueri. *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, sicut nubes & caligo corporis oculis, ita cum illa eripuerit mentem & perspiciendi facultatem, nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem:* quid enim videret anima 3. intellectu viduata? *Quidam vel modico*
Tert. l. de An. 19 *tempore viduant animam intellectu.* Anima viduatur intellectu & ratione, inordinato cujuslibet passionis motu, potissimum Veneris passione: nam, ut
L. 14 part. c. 10 docet Galienus, *nimia Venus mentis spasmum affert.* Ideo Venerem quasi *sine mente* dictam censuit Plato: nec immerito, cum 4 menti afferat cæcitatem:
Hug. à S. Vict. l. de Bestiis c. 3 prima namque luxuriæ filia est cæcitas mentis. (Corvus primum in cadaveribus oculos petit; corvus autem est diabolus, qui in cadaveribus primo oculos petit, quia in hominibus carnalibus intellectum discretionis extinguit, extin-
In Ps. 68 cto discretionis intellectu sensum mentis evertit.) Quod præfiguratum vult Hugo Cardinalis per Samsonem, quem impudicus Dalilæ amor tradidit Philistæis, à quibus fuit excæcatus. (Primum excæcat diabolus, ne cognoscant viam veritatis, vel lucem, quod significatum est per hoc quod Philistiim excæcaverunt Samsonem.) Seu, ut fatur D. Chrysostomus: (sicut latrones & mu-
Hom. 15. in 1. Cor. rorum effossores, quando volunt aliquid pretiosum rapere, lucerna extincta hoc faciunt: ita etiam in nobis facit libido: est enim in nobis perpetuo ardens lumen rationis: ille igitur spiritus nequitiæ, magno impetu irruens flammam illam extinguit, & protinus diripit, spoliatque omnia quæ sunt recondita.) Ut prodigi comprobatur exemplo, qui lasciviendo accepta à patre por-
Chrysol. Ser. 5 tione substantiæ denudatus & spoliatus est. *Et quæ est ista portio? quæ est? Habitus, sermo, scientia, ratio, judicium, quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt.* Quomodo Titus Bostrensis intelligit istud Lu-
Cap. 15 cæ: (Dissipavit substantiam vivendo luxuriose:) *unde denominatus est prodigus dissipans substantiam suam, id est intellectum.* Prodigus vivendo luxuriose non tam dissipavit censum, quam intellectum, qui per luxuriam fuit excæcatus:
Epist. 12 quam ideo D. Paulinus nuncupat *intemperantiæ cæcitatem*; quia orbat animam intellectu & mentis oculis. Et quemadmodum qui corporeis excæcatur oculis, non videt ea quæ sunt supra & circa se, quæ sunt ante vel post se; non
D. Amb. l. de Abrah. cap. 6 absimiliter luxuriosus oculis mentis orbatus non videt cœlum quod est supra se, nec infernum qui est subtus se, neque infamiam quam relinquit post se,
Clem. Alex. l. 6. in Joã. c. 21 neque Deum qui est ante se. *Cæca est omnis libido, & quod est ante se, non videt:* sed sicut cæcus absque ductore incedens labitur, ita libidinosus *sibi ipsi oculos eruit, & destitutus lumine mentis in foveam iniquitatis agitur præceps.* Nec mi-
Tertull. Apol. 22 rum quia 5. per lasciviam effectus est insanus, & stultescit. Nam *aspiratio dæ-*

monum

monum mentis quoque corruptelas agit, amentiis fœdis. Ita evertit mentem cupido, ut dixerit Stoicus: (Amare & sapere vix Deo conceditur.) Veteres quoque gentiles teste Philosopho Venerem appellabant amentiæ præfectam, Cupidinem ejus asseclam oculo tenus velatum depingebant, Minervam vero, & Musas quas summa sapientia & virginitate dotatas fingebant, venerabantur. Verum fabulis omissis quantum lascivia ad insaniam conducat, declarat Thamar recusans stuprum, ad amasium suum dicens: *Noli facere stultitiam hanc.* Stultitiam libidinem appellat, quia scilicet sapit stultitiam. O quot homines sapientia insignes, quos lascivia ad insaniam redegit! Ad manum est duorum senum historia, qui Susannæ amore capti, (surrexerunt & occurrerunt ad eam impetu passionis, quæ fertur ad præceps, ad insaniamque convertit: Dolis complicata venus, furata est mentem valde sapientum.) Tanta est luxuriæ vis, ut sapientes etiam de sapientiæ throno deponat. *Mulieres apostatare faciunt sapientes:* Mulieres eos à prudentia sua, dignitate, virtute, fide, veritate, quod est sapientiæ negotium, avertunt. Subjungit Siracides: *Et arguent sensatos.* Tigurina vertunt: *Sugillantque sapientes.* Sic libido sapientes scientiarum veritatibus imbutos, ignorantiæ arguit, eorum jam stultitiam sugillat, & tanquam ignaros, insanos & vecordes subsannat. Quod Salomonis comprobatur exemplo, cui tantam contulerat Deus sapientiam, ut nullus aetate fuerit illi homo similis: & licet plures quos conscripsit libros sint canonici, Prophetæ tamen non honoratur vocabulo, ob lasciviam qua fuit dedecoratus. *Non enim Propheta à nobis Salomon vocatur, neque Evangelista; sed vir potius deliciis enutritus, & propter delicias mentem parum constantem habens.* Subjungit Ecclesiasticus: *Et qui se jungit fornicariis, erit nequam.* Ut constat ex eodem Salomone, qui (cum jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos,) & lasciviendo religionem simul cum sapientia tumulavit: (His enim qui in deliciis, & luxuria, vitam ducunt, sensus ipsis tardi, graves, obtusi, & quodammodo consepulti:) Cum sensibus autem sepelitur ratio, & homo bestiis assimilatur. *Mentem obtundunt libidines.* Luxuria namque (privat hominem omni ratione, & sicut animalia bruta turpiter infatuat.) Quam bestialem & irrationalem hominem efficiat lascivia, belle declarat. D. Hieronymus: *Voluptas de rationali homine brutum efficit, ut ganeas, & lupanaria, & libidinum lustra sectetur.* Lasciviens non est rationale animal, sed brutum irrationale, quia in illo mortua & tumulata est ratio. Negat hominem, qui Venerem colit; nam *dum voluptas vincit, exulat ratio.* Luxuria rationis extinctio est: & ut fatur Philosophus Moralis, *mortifera ingeniis luxuria est*; exultante autem ratione, extincto intellectus lumine, cadaverascit libidinosus. *Qui fornicatur Deo est omnino mortuus, & à ratione tanquam à spiritu, ut cadaver, relictus est.* Cadaver rationis est homo intemperans; nam hominis vita ratio est, & ita mœchus ratione, ut vita, functus, est rationis cadaver; neque plus vitæ rationalis in illo est, quam in cadavere deformi. Verum quo magis luxuriosi mortui sunt rationi & humanitati, eo magis vivunt passioni & brutalitati;

Arist. l. 2. Reth. c. 24

L. 2. Reg. 13

Dion. Carthus.

Eccles. 19

Cyr. Alex. l. 7. cont. Julian.

L. 3. Reg. 11

D. Chrysost. Hom. Quod nemo lædit-tur.

Tert. l. de An. 20

D. Bon. Diæt. Sal.

In c. 4. Osee

Phil. Jud. l. 2. Alleg.

Clē. Alex. l. 2. Strom. 10

Ephes. 2

talitati: *Facientes voluntatem carnis, & cogitationum.* Tertullianus legit: *Facientes concupiscentias & voluntates carnis*, in plurali; non voluntates animæ & spiritus, sed voluntates carnis, explentes carnales appetitus. Pro ly *cogitationum* hoc est, explicat Theophylactus, *nihil spirituale sentientes*: D. Ambrosius vertit *consiliorum*: D. Hieronymus *mentium*. At cur carni adscribit Apostolus cogitationem, mentem, consilium, cum potius libido hominem consilii, mentis, & cogitationis inopem reddat? *Non potest stare voluptas corporis, cum cognitione*; quia libidinosus varias concupiscentiæ species & modos imaginatur, concipit, effingit: tantoque ardore concupita prosequitur, ut nullatenus attendat ad cœlestem animæ originem & dignitatem.

L. de Pud. 17

D. Aug. l. 4 cont. Jul.

3. *Animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus.* Magnum sane est discrimen inter hominem & bestiam; 1. Anima bruti non est de nihilo creata, sed de potentia materiæ per generationem educta; anima vero hominis non est per generationem educta de aliquo subjecto, sed à Deo per creationem de nihilo. 2. Bellua cum sit tota materialis & corporea, neque sit ad Dei imaginem, non est capax beatitudinis, idcirco dum moritur totum ejus esse ex corpore & anima sentiente compositum destruitur. Homo vero cujus anima est spiritualis, & immortalis, & ad Dei creata imaginem est beatitudinis capax; cum corpore non moritur anima, sed si fuerit innocua, post separationem à corpore tendit ad cœlum, quod est sedes æternæ fœlicitatis. 3. Bellua incapax rationis, libertatis, & fœlicitatis, est etiam incapax actuum religionis: Homo vero cognitione & libertate præditus, ad cœlestem beatitudinē ordinatus, religionis officiis debet incumbere, quibus & Deum honoret, & æternam salutem sibi comparet. Libidinosus à tot prærogativis degenerans bestialemque ducens vitam, 1. superna non sapit: 2. immortalem beatitudinem non quærit: 3. Deum religione & pietate non colit. 1. Homo *ut mancipium sapientiæ*, quæ sunt supra se debet considerare, neque *plenam atque perfectam sapientiam obtinebit*, nisi cœlestia mundique auctorem contempletur, cum etiam juxta gentiles Philosophos sapientia altissimarum rerum notitiam importet: Verum impudicitiæ *à sapientia mentem detrahunt*. Luxuria adeo libidinosum *mentis impotem, & totius rationis expertem facit*, *jugique concupiscentia inebriat*, ut nequaquam ei superna contemplari permittat. *Carnalis homo mentem ad contemplationem minime excitatam habēns, vel potius in carnis affectu, tanquam in carne defossam gerens spirituale veritatis lumen percipere nequit.* (In solem intende: cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est, pariter præsens ubique interest, & miseretur omnibus:) Nusquam enim *claritudo violatur*. Deus quoque auctor naturæ, lux indeficiens ubique majestatis suæ spargit radios; *quia semper illuxit*. Et ut fatur Tertullianus, *tantu operibus, notitiam sui armavit*: Deum tamen universitatis conditorem, in suis effectibus visibiliter splendescentem non conspiciunt libidinosi, quia *sapientia per luxuriam dissipatur. Proinde Propheta ait: Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ut bruta non sursum sed deorsum conspiciunt, ita homines luxuriæ dediti

Tert. l. de An. 3

Tert. l. 2. ad Nat. 2
Laur. Just. l. de Lign. Vit.
Clim. grad. 15
D. Damasc. l. 3. Parall. 33
Minut. Fœl. Octa.
Tert. l. 2 adv. Marc. 2.
Lib 1. adv. Marc. 11
Bern. Sen. to. 3. Ser. de Desid. Ver. a. 3. c. 3

dediti bestiarum more non superna sapiunt. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsa eorum semper incurva.* Ut impudicorum senum comprobatur exemplo, qui Susannæ sauciati amore *everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum.* Conspectus pulchræ fœminæ, ejusque amor, libidinosos senes ad conspiciendum cœlum cæcavit: Cæcitas à cœli aspectu, libidinis stipendium est, luxuriosus qui oculos suos statuit declinare in obscœnitatis cœnum, cœli viduatur intuitu. Homo lasciviens bestialemque vitam ducens: 2. immortalem non quærit beatitudinem: Anima humana à Deo creata, immortalitate donata, *scit se peregrinam in terris agere: cæterum genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere:* quapropter ad cœlestem fœlicitatem naturaliter fertur, libidinosus naturali animæ inclinationi vim inferens, cœlestem non cogitat nec amat beatitudinem, quam ob causam rectè comparatur porco, ait Bernardinus Senensis: (Si enim porcus ex una parte videret luti volutabrum, & ex alia parte, lectum rosarum positum, eligeret in volutabro luti resolvi, quam in rosarum lecto: Sic tales immunditiæ luxuriam, deliciis paradisi proponunt.) Quod probe scientes immundi spiritus postulant à Christo eos ab energumeno ejiciente, licentiam ingredi porcos. (Ingrediuntur autem dæmones, eos videlicet, qui irrationabiliter conversantur, & in cœno voluptatum volutantur.) Nam ut eloquenter fatur Chrysologus; *qui voluptatibus corporis male dulcibus inhiant, pascunt dæmones, qui semper corporum vitiis saginantur & sordibus, quia sicut Domino qui se jungit, unus spiritus est, ita qui se jungit diabolo est dæmon unus.* Et cum dæmon sit pietatis incapax, libidinosus cum eo unus diabolus effectus, nullis 3. religionis & virtutis vacat officiis. *Religionis suæ sacerdotem* hominem effecit Deus, ut eum pietate colat, & virtutem sectando ei famuletur; homo autem libidinosus, negat se religionis sacerdotem, neque ullis pietatis & virtutis vacat operibus: luxuria namque *ad vitia cor deponit, premit mentem, ne supernam valeat sentire pietatem.* Timore colitur Deus, & Christiani qui Deum metuunt, castitatem servant, *habentes gubernacula disciplinæ, & timoris, legem & prophetas*: at libidinosus gubernacula disciplinæ excutiens *Deum non timet, æterni supplicii memoriam nihil existimat, orationem execratur.* Veræ religionis homines ubique Dei venerantur præsentiam, maxime in Ecclesiis divino cultui sacratis; libidinosus neque etiam in templis, Dei reveretur majestatem: *Eo apponitur & irreverentiæ crimen.* Nam dum tremendum Missæ offertur mysterium, nihil de Deo cogitat, neque ullam Christo reverentiam præstat. (Elevetur corpus Christi in Ecclesia, & sit ibi amasia luxuriosi, potius respicit ibi amasium, quam corpus Christi pretiosum. Similiter si prædicet Prædicator, & sit ibi amans & amata, nihil horum quæ de paradisi deliciis dicuntur, audietur ab eis.) Religio Deo debita Christianos stimulat ad venerandos Sanctos gratia illustres, gloria fulgentes, qui in vita sua fideliter Deo servierunt, vel constanter mortem & martyrium subierunt, *ex testimonio religionis, & prælio confessionis, pro justitia & sacramento:* homo autem lasciviæ deditus, non laudat

Psal. 68. Tertull. Apol. 1. Euthym. in Matth. Ser 5. Tert. l. de Resf. 9. Chrysol. Serm. 2. Tert. l. de pud 7. Climac. grad. 15. Tert. l. de Orat. 12. Bern. Sen. to. 4. Ser. 21. Tertull. Scorp. 2.

Thom. à Vill. Nov. de S. Ildep. dat neque honorat Deum in Sanctis suis. *Libidinosus utique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur & diligit.* Illorum pietatem condemnat, miracula fabulas existimat, virtutes depretiat, & ab eorum puritate impudenter & impie se separat. Quod denotatum vult D. Ambrosius per prodigum, qui peregre profectus est in regionem longinquam.

Lib. 7. in Luc. *Quid longinquius, quam à se recedere, nec regionibus, sed moribus separari; studiis discretum esse, non terris; & quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, divortia habere Sanctorum;* neque ullis incumbere pietatis operibus, necessariis ut æterna adipiscatur salus?

Tert. lib. adv. Valent. 30 *Sed nobis quidem vae, si excesserimus in aliquo disciplinæ jugum, si obtorpuerimus in operibus justitiæ atque sanctitatis.* Homines libidinosi pro nihilo æternam ducentes salutem, bonis non vacant operibus.

Laur. Just. l. de Lig. Vit. *Ipsæ quoque voluptates, animæ impediunt salutem, oblivionem Dei inducunt, sterilitatem bonorum operum afferunt,* & ad vitia allicientes, bona gratiæ dissipant, & eripiunt.

III. PARS. Luxuria *omnia ad nihilum redactura est,* nimirum gratiæ & sanctitatis bona.

Lib. 4. de Inst. Mon. 10 Quanta afferat damna, dinumerat Hugo Victorinus: (Luxuria pecuniam tollit, famam deflorat, corpus inquinat, corpori morbum paralysis ingerit, & cæcitatem oculis, animam inficit, gratuita tollit.) Quot bona dissipantur per libidinem! Sex damna quæ secum trahit, recenset doctor Seraphicus:

Diæt. Sal. tit. 1. c. 9 *Damna luxuriæ sunt sex: primo, hominem ducit ad maximam paupertatem, aufert gratiam & gloriam, & propriam substantiam.* Cæteris brevitatis causa omissis, adverte quod nomine substantiæ intelliguntur interdum bona fortunæ, quæ substantia familiaris nuncupantur à Tertulliano; interdum bona naturæ:

Epist. ad Damasc. Ex D. namque Hieronymo *substantia Dei est omne quod vivimus, sapimus, cogitamus:* aliquando bona gratiæ, quo sensu ait D. Augustinus:

Ser. 1. de Verb. Apo *Nulla hujus mundi major substantia, quam est fides Catholica, quæ fideles justificat, justos augmentat, regnis cœlestibus præparat.* Bona igitur gratiæ per substantiam denotata, sunt in triplici differentia. Quædam spectant ad gloriam & æternam salutem; quædam ad sanctitatem & virtutem; quædam ad veritatem & fidem. Fides intellectum cœlesti lumine illustrat; sanctitas justum meritis ditat; gloria bene operatum remunerat. Libido autem totam illam substantiam dissipat, trinum illud gratiæ bonum annihilat: 1. gloriam & salutem: 2. sanctitatem & virtutem: 3. fidem & veritatem.

L. de Pud. 8 1. *Beati qui ex præceptis agunt, ut in lignum vitæ habeant potestatem, & in portas ad introeundum in sanctam civitatem: Canis, veneficus, fornicator, homicida, foras: utique qui non ex præceptis agant.* Recenset Tertullianus eos qui ingressuri sunt in sanctam civitatem, & in cœlo interminabili potientur beatitudine, & qui à paradiso ejicientur, & æternæ fœlicitatis patientur jacturam. Observantes divina præcepta, immo talis gloriæ mercedem recipient, transgredientes divinam legem, cœlestis beatitudinis habebuntur indigni;

Tert. l. de Exh. Cast. 11 quapropter in paradisum intrabunt qui caste vixerunt, *occidentes in se concupiscentiam libidinis, & totum illud quod intra paradisum non potuit admitti.* De paradiso ejicientur homicidæ, qui proximi fuderunt sanguinem, & animabus

suis,

suis, per peccatum intulerunt necem; venefici, qui fratres suos veneno toxicaverunt, fornicatores qui tanquam canes & bruta turpitudines operati sunt: Rationem autem subministrat D. Bernardinus Senensis cur homines carnales bestialiter viventes, ab æterna excludentur beatitudine. (Illa curia cœlestis, ne diminuta remaneat, debet repleri per creaturas rationabiles; luxuria autem inter alia peccata, maxime destruit rationem, & per peccatum luxuriæ maxime adeptio patriæ cœlestis impeditur, quia per luxuriam homo efficitur bestia, & bestiæ non sunt factæ ad habendam vitam æternam.) Multiplici igitur de causa libidinosi, è cœlo exulant: Tum quia in bruta degenerarunt: Tum quod cœli puritas, & munditia non patitur vitii & peccati immunditiam: *Apparet communi natura hominum, & delicta, concupiscentias carnis deputare.* Quam criminosa sit libido, inde colligitur, quia est *gluten delictorum:* Et ut fatur D. Anselmus; *magnum & principale vitium est fornicatio, de qua tot mortifera pestes prodeunt.* Tum quia cœli janua patet duntaxat observatoribus divinæ legis, quæ mœchiam corde conceptam, & opere consummatam vetat: Tum quia Apostolus libidinosos à cœlesti regno excludit. *Quid Galata legunt? Manifesta sunt opera carnis: Quænam ista? Imprimis posuit fornicationem, immunditiam, lasciviam, quæ prædico vobis sicut prædixi, quod qui talia agunt, regnum Dei non sunt consecuturi æternitate.* Tum quia cœlestis Hierusalem, *tota candida de sanctitate describitur*: cuncti ejus cives sunt Sancti: libidinosi autem destruunt.

Tom. 1. Serm. de Luxur.

Tert. l. 5. adv. Marc. 17

Hug Vict. l. 1. Miscel. tit. 198

In c 5. Gal

Tert. l. de Pud. 17

Tert. l. 1. ad Ux. 7

2. *Magnam substantiam sanctitatis* annihilantes in semetipsis gratiæ sanctificantis donum, & dissipantes merita quæ bonis operibus adepti fuerant. Osee assumpsit sibi in uxorem fornicariam *Gomer filiam Debellaim.* Observat Vatablus quod *Gomer significat consumptionem, & Debellaim palatas duas, quibus animæ & corporis voluptates intelliguntur, quæ pariunt consumptionem.* Libido namque consumit 1. gratiam & sanctitatem: 2. charitatem & virtutem: 3. meritum & bonorum operum valorem. 1. Consumit gratiam & sanctitatem, quæ cum peccato mortali compati nequit: luxuria autem est tam grande peccatum, ut eam Apostolus cum fraude & idololatria conjungat. *Si qui frater nominatur in vobis fornicator aut idololatres, (quid enim tam conjunctum?) aut fraudulator, (quid enim tam propinquum?) cum talibus ne cibum quidem sumere, nedum Eucharistiam.* Ob consumptionem illam gratiæ & sanctitatis, luxuria vocatur à Jobo *ignis usque ad perditionem devorans.* Nam ut ait D. Thomas Valentinus antistes, (nihil in homine quem possidet, ignis hic relinquit inustum, & si fuerit quispiam in juventute sua, omnium virtutum decore præfulgidus, & velut paradisus Dei, vernantibus undique & fragrantibus gratiarum liliis dealbetur, si semel intima ejus hic penetraverit rogus, totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam, ex amœno paradiso in desertum horridum, ex Angelo reddit in belluam,) & ex Dei filio facit diaboli servum. Subjungit S. Thomas à Villa-Nova: (Quando perniciosior cæteris sit luxuria, ex hoc poteris comprehendere, quia nullum secum commorari

Tert. l. de Exh. Cast. 10

Osee 1

Tert. l. de Pud. 18

Cap 31

De S. Ildeph.

rari bonum, nullam secum patitur adesse virtutem.) 2. Charitatem virtutum reginam destruens. [D. Aug. l. Ser 47. ad Frat.] *Si luxuriari volueritis, nunquam charitatem habere poteritis: charitas enim est virtus, qua consummatio & perfectio aliarum virtutum dicitur, sicut luxuria destructio: nam nulla virtus, nulla bonitas, nulla sapientia cum luxuria stare potest, nulla justitia, sed omnis perversitas in ea regnat.* Quid tam exitiosum & noxium quam omnes pariter virtutes atterere, devorare, consumere? Universalem hanc devastationem facit libido, quæ *omnes animæ virtutes corrumpit:* [D Bern. de inter. Dom. c 29] & 3. cuncta generatim merita dissipat & consumit. Quandiu viator adultus est gratia sanctificante præditus mereri potest, quia *meritorium factus est mundus*: [Tert. lib. adv. Valent. 1] libido autem cuncta congregata merita devorat. Quomodo ignem de quo fatur Jobus intelligit D. Hieronymus: *Ignis est incentivæ libidinis, omnia bona virtutum devorans, atque universa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.* Quod adhuc denotatum vult D. Hieronymus per Regium Prophetam dicentem: [Ps. 77] (Dedit ærugini fructus eorum.) Hæc autem ærugo totam messem, & omnes ejus fructus devorans, est libido, [L. 2. Mor. 9] *Ærugo libido est, hæc omnia bona dispergit. O luxuria pessima virtutum destructio!* Non est omittendus Magnus Gregorius eodem fere modo Jobi versans & expendens locum: (Omnia eradicans genimina.) *Quia nimirum reatus hujus facinoris, non solum usque ad inquinationem maculat, sed usque ad perditionem vorat, & quia quamvis alia fuerint opera bona, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur.* Et quia quandiu homo est in statu peccati mortalis, non potest edere opus æternæ fœlicitatis dignum, libidinosus salacitate inquinatus nullum potest facere opus cœli meritorum: ut ex prodigo demonstrat D. Ambrosius; [Luc. 15] qui (postquam omnia consumpsisset, facta est fames.) [Serm. 2] *Non epularum, sed bonorum operum, atque virtutum.* Imo ut animadvertit Chrysologus, ipsemet prodigus *intellexit lapsum: sensit ruinam, jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico.* Quam deploranda impudici conditio quem libido devastat! [D. Aug. in Ps. 57] Nam *sicut ignis devastat vestem, & libido animam.* devorans gratiam & sanctitatem, consumens omnimodam virtutem & charitatem, annihilans bona opera quæ merebantur gloriam & fœlicitatem, & redigens illum ad bene agendi inopiam & egestatem: [D. Aug. l. 1. de lib. Arb. 11] *Nam ista pœna parva æstimanda est, quod menti libido dominatur, spoliatamque virtutis opulentia, per diversa inopem, indigentemque trahit;* Et postquam illam gratia, virtute & meritis denudavit, fide & veritate spoliat?

[Tert. l. de Pud. 18] 3. *Qui enim delinquit non in lumine est, sed in tenebris.* Cuncta scelera peccantium obnubilant mentes, sed fidem non destruunt. [D. Amb. l. 4. Epist. 30.] *Ubi autem quis cœperit luxuriari, incipit deviare à fide vera; ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia.* Inde duo colligit D. Ambrosius: Unum: *Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini.* Alterum: *qui autem se ingurgitaverit atque immerserit hujusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit.* Scilicet hæretici, qui à Deo & à fide defecerunt, luxuriæ volutabro sunt immersi. Catho-

Catholici quoque lasciviæ dediti, sunt in periculo cadendi de fide in hæresim, & persæpè de facto labuntur. Luxuria adeò est propria hæreticorum, ut hæresis per mulierem meretriciam in sacris paginis denotetur, *quod hæreses notant? Illos notat etiam nomen mulieris*, quomodo Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus intelligit istud Proverbiorum: [Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio;] *in quo hæretica pravitas denotatur.* D. quoque Augustinus, per bestiam illam, cui Joannes meretricem magnam insedentẽ repræsentat, hæreticorum salaciam & perfidiam significari existimat. *Bestia corpus est impiorum, & significat perfidiam hæreticorum.* Hæretici ita sunt cum meretricibus conjuncti & conviscerati, ut D. Epiphanius hæreticorum malleus dicere ausus sit: *Omnis hæresis mala, mulier est*; quia una sine altera non reperitur, utriusque consortium nobis vitandum proponitur: Hæreticorum fugienda est societas, ne avertant à religione: *Devita frater charissime consuetudinem hominum hæreticorum ac libidinosorum, nihil fidele loquentium.* Meretricum fugiendum est commercium, ne seducant cor, & inducant in impietatem & hæresim: *Non ingredimini ad eas, certissimè enim avertent corda vestra*: ut Henrici octavi Angliæ regis demonstrat perfidia. Princeps ille ex parentibus Catholicis natus, in fide nutritus & eruditus, tanto veræ religionis amore succensus, ut orthodoxos adversus Lutherum composuerit libros, obtinueritque à Summis Pontificibus defensoris Ecclesiæ titulum: verùm *postquam in carnem suam lapsus est*, & cum Anna Bolena meretrice mœchatus, repudiatâ Catharinâ Arragoniâ legitimâ conjuge scortum illud sibi matrimonio, [potius adulterio] copulavit, Summis Pontificibus tale ac tantum facinus respuentibus, à vera fide defecit, & Ecclesiæ Catholicæ, quam anteà propugnaverat, hostis infensissimus evasit. Sic *erat homo peccati servus, erat captivus mortis, erat mancipium dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus. Sic malis dominis talibus tantisq́; exhibebat homo malam & miseram servitutem.*

Rupert l. 4 in Eccles. Cap. 7
L. 2. in Eccles. c. 13
Hom. 13 in Apoc.
L. 3. adv. Hæret.
S Ephrem to. 2 c. 8. de Virt.
L. 3. Reg. 2
Tert. l. de Præscr. Hæret. 51
Chrysol. Serm. 6

En quò trahit homines & Christianos lascivia, quot & quanta illis affert damna. Quod ipsimet fantur libidinosi: *Substantiam patris totam luxuriosè dispersimus nos vivendo*: nimirum terrenas facultates, famæ & honoris ornamenta, corporis valetudinem & decorem, animæ puritatem & dignitatem, gratiam & sanctitatem, fidem & veritatem, gloriam & felicitatem, cuncta generatim fortunæ, naturæ, & gratiæ dona, quibus miserè moritur libidinosus. *Luxuriosorum vita quasi quotidie moriens effertur*, ut obscœno voluptatum fruatur ludibrio: qui, ut acutè fatur S. Zeno Veronensis, *portant funera sua*; scilicet mortuæ animæ, mortuæ libertatis, mortuæ rationis. Addit præfatus Antistes, tot *vivas exequias* celebrant, quot sanctitates, virtutes, & bona opera in lasciviæ tumulant sepulchro. Vide Christiane si justum sit ut pro ducenda bestiali vita, incurrenda sit mors famæ, fidei, veritatis, gratiæ, & gloriæ. *Quamquam in hujusmodi cum fide sua colloqui debet unusquisque, ejusque vires consulere*: ponens ex una parte voluptatem carnis obscœnam, probrosam,

Chrysol. Serm. 3
S. Maxim. Ser. 61.
Serm. de Pat.
Tert. l. de Exh. Cast. 1.

tiam, & è tetro servitio exire possitis.] Vides quomodo libido dicatur à S. Ambrosio *saevus stimulus*; quia instigat ad saevitiam: *furiosa domina*, quia iram, odium, & furorem inspirat: 1. Amorem in odium convertens. 2. crudeliter sanguinem fundens. 3. nec sibi, nec propinquis quibusque parcens.

Impudicus persaepè *saevis libidinibus* agitatur. Duplex est libido: una gloriae, quo modo ex mente Tertulliani Gentiles philosophi erant *gloriae solius libidinosi*: alia voluptatis quae, ut docet D. Augustinus, *totum commovet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto*. Utraque est compendium & epitome caeterorum vitiorum. In libidine gloriae cuncta vitia compendiata refert D. Chrysostomus: eadem in libidine voluptatis abbreviata demonstrat S. Zeno. Verùm omissâ utriusque dinumeratione duae ejusmodi libidines in violentia conveniunt, & in ira & odio assimilantur. Et quidem gloriae libido, ait D. Chrysostomus *caeteris est affectibus violentior; hinc odium, bella, pugna.* Libido quoque voluptatis, ait S. Zeno, *armatur precibus, armatur & irâ*: immutans 1. blanditiem in iracundiam. 2. amorem in inimicitiam. 3. Veneris dulcedinem in crudelitatem & saeviriam.

I. PARS. Tert. Apol. 22 Apol. L. 14. Civit. 16 Hom. 27 in Joan. Serm. de Pud.

1. Qui verè amat, debet personam amatam *lenitate, quiete, & pace tractare; non bile, non irâ, non dolore inquietare*; Libidinosus tamen saepè saepius lenitatem in iram convertit. Plato postquam triplicis amoris differentiam ostendit, subdit: *Tres isti amores tria nomina sortiuntur. Contemplativi hominis amor divinus; activi, humanus; voluptuosi, ferinus dicitur.* Profectò voluptuosus libidinis amor vulgò putatur brutus, belluinus, pecuinus, cùm mutae pecudis instar caecâ Veneris appetentiâ sufflammatus ad carnis exaestuat voluptates. At non dicitur à Platone amentet pecuinus, sed immaniter ferinus; quia non solùm belluae sapit stoliditatem, sed ferae redolet immititatem. Homo namque lascivus *se ad brutae animantis indolem transformâsse dicitur, cui vitiosâ imitatione affinem se reddidit ac familiarem: quocirca non in nobis una se collatebrant fera*: fera autem à feritate nuncupata prona est ad iracundiam. Inhibuit olim Deus populo Israëlitico, ne reptilia comederet, eò quòd supra pectus & ventrem gradiantur. Verùm ut obplorat Philo Judaeus [nonnulli homines his nequiores, non contenti solius concupiscentiae genere, acquisierunt insuper germanum ejus affectum iracundiam, ut confirmatis brutis animae partibus, mentem omninò delerent: quod enim verbis de serpente dictum est, revera de quovis bruto, & affectibus suis dedito homine divinum est oraculum: Super pectus & ventrem ingredieris; nam circa pectus ira est, in ventre concupiscentia: caeterùm insipiens super utraque semper ingreditur, iram & concupiscentiam, nunquam cessando, ex quo aurigam ac praesidem rationem rejecit.] Lascivus rationis abjiciens praesidentiam, super pectus & ventrem ad modum bruti & ferae graditur: super ventrem, dum concupiscentiae prosequitur voluptates; super pectus, dum iracundiae agitatur motibus. Idem argumentum tractat aliorsum Philo Judaeus, animadvertens quòd *quando praesto est materia copiaque voluptatis circa ventrem,*

Tert. l. de Spect. 15 Ficin. in Conviv. Platon. D. Basil. Hom. 11 in Hexam. L. de Migrat. Abram. L. 2. Alleg.

qua

quæ sub ventrem sita sunt: tunc stabulatur affectus qui est circa pectus; ira enim multum non movet libidinosum, quia scilicet carnis potitur voluptatibus, *quando autem his caret circa pectus ubi sedes iræ est stabulatur affectus*: nimirum quando venereo frustratur amore, affectus iræ, quæ est circa pectus, illum agitat:
Phil. Jud. *Amatores enim voluptatum si his destituantur, irascuntur, exasperantur.*
Prov. 15 Græci codices hanc sententiam Salomonis: [Vir iracundus provocat rixas,] sic legunt: *Vir inhonestus.* Quasi vir iracundus idem sit ac vir inhonestus. Verùm quid iracundiæ cum inhonestate? Lasciva inhonestas, tota in blanditiis est, tota deliciis vacat; iracundia verò blanditiarum exors, inimicorum meditatur ruinam: quænam potest esse inhonestatis cum iracundia conjunctio, quæ tantoperè ab invicem distant? Hujus perpulchram accipe à Cassiodoro rationem:
L. 6. Var. Virt. *Ubi furoris insederit virus, libidinis quoque necessariò est incendium penetrans; quia tam ira quàm libido ignis sunt, & inflammant cor: unde ab una ad aliam facilis est transitus.*

Rab. l. 7. c. 3 / D. Aug. Ser. 6. de Comm. / Apol. 22 / D Chrysost. in c. 39. Gen. / D. Prosper 1 p. prædic. c. 28

O quàm facilè libidinis blandities commutatur in iram! *& quibus est vita luxuriosa & impudica, iras non devitant*; ut dominæ Joseph comprobatur exemplo. *Adolescentem libido persequitur*; Tertulliano teste *aspiratio dæmonum mentis corruptelas agit furoribus sævis*; ut patet in lasciva illa muliere: nam *pudicum juvenem patrona appetit impudica, ut diabolus, qui in eum decem fratres armaverat, contra eum armaret & fœminam.* Parum fuit diabolo adversus Joseph amorem armâsse fraternum, nisi adhuc in castum juvenem impurum lascivæ fœminæ armâsset amorem. *O impudica mulier, ardens amans, vulnus alit venis, & cæco carpitur igne: amat, & persequitur; concupiscit, & sævit; & quia ei ad stuprum non consentit, trucidandum eum statuit, quærítq; perire quem diligit.* Dæmon, qui eam venereo sufflammârat ardore, ad iram concitat, & ad recusati stupri vindictam armat:
Basil Sel. Orat. 8 *Luxuria verò dux diabolus unà cum mulierculà devictus, aliò rursus arma vertit, amorem in iram convertit, & ex impudenti desiderio procudit arma, linguamq; accusatricem suscitat.* Ecce Veneris blandities convertitur in iram, & tenera dilectio concupiscentiæ lenocinio sic exasperatur & ferocit, ut in impudentis officina desiderii arma ad ultionem procudantur, indeque peramans Josephi domina strages sævè meditatur, ubi blanditias lascivientis luxuriæ nuper cogitabat; & lingua, quę impuri fuit interpres amoris, fit criminis falsò impositi accusatrix.
Gen. 39 Cùmque vidisset inverecunda mulier fugientis Josephi pallium in suis manibus, seseque à dilecto adolescente contemptam, familiam clamando convocat, & tanquam attentati adulterii reum accusat Josephum: in argumentum fidei marito domum revertenti retentam ostentat vestem, & ad suppositi criminis ultioné provocat. [His auditis dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valdè, tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus.] Impudicæ illius mulieris malitiam detestans Chrysostomus, Josephi innocentiam commendans sic disserit: *Hæc modo se habet malitia; semper contra virtutem pugnat, & ei sua peccata affricare & impingere vult, id quod & hac*

hac faciunt, adolescentem quasi intemperantem criminans, & se continentiæ larvâ induit, & dicit propter hoc, & illum vestem reliquisse. Quàm verè dicit Ecclesiasticus: *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Cap. 25 Græca versio pro ly *mulieris* legit *inimici*: quasi mulier vires reciprocet cum inimico. Non solùm mulier dum odit, inimicitiam demonstrat; sed etiam cùm amat, vires inimici gerit, & inimicas alit iras Veneris blandities: sic dæmon sævas aspirat libidines, Veneris blanditias convertens in iracundiam, & amorem immutans in odium.

2. *De iniquitate odij* meritò culpatur Ammon. Iniquus fuit Ammonis amor lascivè sororem suam diligens, & per vim ei stuprum inferens; sed fuit adhuc multò magis *odium injustum*; constupratam sororem odio habens, & contumeliosè de domo, & à facie sua ejiciens; *ita ut majus esset odium amore, quo anteà dilexerat.* Ex amoris magnitudine mutuanda est odii magnitudo. Tantus fuit amor quo Ammon Thamarem diligebat, ut ejus nimietatem ferre non valens graviter ægrotârit; & tamen non prius puellam tanto ardore dilectam cognovit, quin vehemens ille amor in majus odium sit commutatus; adeò est infidelis & inconstans scelerosus Veneris amor. Ut enim eloquenter fatur S. Zeno: *Impudicitia injicit amorem, paulò pòst odium de amore factura.* Blanda amoris teneritudo in durum commutatur odium, & Ammon post ardentissimum Thamaris amorem, post violatam sororem venustissimã, post puellam fastidio plus quàm stupro dehonestatam, simul cum Thamare seipsum odivit. Ad quod alludere videtur Veronensis Antistes ajens: *Impudicitia post negotium perpetratum odit & seipsam, cum illo quem vicerit.* Ardens Ammonis amor, & expetita avidius impudicitia, non tantùm in cupitę Thamaris fastidium & odium; sed adhuc in suiipsius fastidium & odium immutata est: & Ammon violenter sororem constuprans, & constupratam impudentius de domo propulsans, sibi vindictam paravit, & ad necem suam properavit. Violata namque & expulsa Thamar, spargens cinerem capiti suo, scissâ tunicâ talari, impositisque manibus super caput suum ibat clamans; cui occurrens Absalon germanus frater dixit ei: Nunquid Ammon concubuit tecum? Porrò non est locutus Absalon ad Ammon, nec malum, nec bonum; oderat enim Absalon Ammon eò quòd violâsset Thamar sororẽ suam. Tandem Absolon opportunitatem nactus, Ammoni necem intulit, vindictam sumens de stupro, de odio, & de sororis repulsa. Vide quàm citò amor in odium degeneret, & Veneris dulcedo commutetur in Martis sævitiam & crudelitatem.

Tert. Apol. 1
Tert. L. de Spect. 16
l. 2 Reg 13
Serm. de Pud.

3. Amor *tranquillitate, non furore* est tractandus; venerea tamen libido sæva est, rosas in spinas, suavitates in sævitias convertens. Cupido sæva est, & quò magis crescit cupido, eò magis crescit sævitia. Libido ac crudelitas tantâ fœderatione sociantur, ut neque etiam vocabulo dissocientur: unde hanc impiorum vocem: *Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ.* Græca versio legit, *insolentiæ.* Sap. 2 Vatablus, *petulantiæ*; alii verò, & melius ad propositum, *ferociæ nostræ,* ut

ut quidquid luxuria & ferocia postulaverint, id exequamur. Luxuria venereas voluptates insolenter quærat; ferocia verò crudeliter sæviat, adversus omnes qui fruendæ voluptati obsistunt. *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra.* Subjungunt: *Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.* Verùm hæc posteriora verba cum præcedentibus non benè concordant: & impii in suis cogitationibus parum sibi cohærere videntur. Quid coronis floridè roseis, quid herbaceæ pratorum lasciviæ, quid blandè luxurianti libidini cum oppressione justi? Porrò crudelitas comes est luxuriæ: nec conditioni, nec sexui, nec ætati parcit sæva libido. Quod probè

In Psal. agnoscens D. Augustinus ait: *Ibi latius luxuria ista describitur: Coronemus nos rosis antequam marcescant: Per istam descriptam latius luxuriam, quid sequatur? opprimamus justum. Lenia videbantur jam dudum loqui, coronemus nos rosis antequam marcescant. Quid delicatius, quid lenius? de lenitate cruces, gladios? noli mirari, lenes sunt & radices spinarum: si quis eas contrectet, non pungitur, sed quò pungeris, inde nascitur.* In rosis latent spinarum radices, non pungunt, quia lenes sunt spinarum radices; hactenus spinæ non sunt, sed rosæ, quæ pulchritudine nitent, & suavitate fragrant; sed quia cum rosis nascuntur & adolescunt spinę, expecta tantisper, & pulchrum & lenè rosetum commutatum videbis in rude spinetum, quod attrectantium manus cruenter lacerat. Quid lenius luxuriâ? quid cupidine blandius? quid delicatius lasciviâ? Rosa est suavitate fragrans, sed spinarum radices habet, & quibus spinositas nascitur; & ubi primum libidinosi mitibus luxuriæ coronantur rosis, peracerbis spinarum armantur aculeis, ut crudeliter sæviant; rosæ in spinas commutantur, lenitas in asperitatem, blandities in crudelitatem, ut ex impudicis constat senibus, qui blandè peramatam de adulterio mendaciter calumniantur, ejusque necem crudelius persequuntur. Cùmque ad consistorium venisset populus, *venerunt & duo presbyteri, pleni iniquâ cogitatione adversus Susannam, ut interficerent eam*: & quod crudeliter excogitârunt & minati sunt, toto conatu implere moliti sunt. Messalina Imperatrix gladiatoris amore sauciata, amasii in arena occisi sanguinem hausit, & quod est adhuc horribilius, impudici illi senes Susannæ amore sauciati post ejus cædem & sanguinem an-

De Bon. Pud. helant. Quàm verè ait D. Cyprianus: *Cupiditatum infesta rabies.* Adeò libidini est agnata crudelitas, ut strages & excidia meditetur; adeò furit blandior

Chrysol. Serm. 127 cupiditas, ut in rabiem conversa charissima quæque infestet: *Audistis quanta sit nata de voluptate crudelitas*, sic est spinis armata luxuries ut acerbè pungat, & sanguinem crudeliter effundat.

III. PARS. *Ego quoque homicidium nonnunquam mœchiæ elaboro.* Sic fatur impudicitia

Tert. l. de Pud. 5 sese de homicidio commendans: non solùm quia libidinosi occidit animam;

Serm. 6 de Comm. *nam ubi libido, ibi homicidium; ubi homo cùm inquinatur, occiditur.* Non solùm adhuc, quia, ut docet D. Augustinus, *vult libido effundere sanguinem*, non est

Tert. l. de Idol. 2 autem *homicidium in sola sanguinis profusione, & in animæ ereptione reputandum*;

dum; sed etiam in voluntate effundendi sanguinem: *quæ facti origo est; ne tunc* Tert. l. de
quidem à culpa liberatur, cùm aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit: Pœn. 3
ipsa enim sibi imputatur, nec excusari potest per illam perficiendi infelicitatem,
operata quod suum fuerat. Non solùm ergo libido est homicidii rea, quia voluit effundere sanguinem, & non effudit; sed etiam quia de facto persæpè illum effundit. Quid tot Græcos & Trojanos ad bellum induxit adeò longum, ut per decem annos duraverit; adeò cruentum, ut innumeri milites duces & reges in illo occubuerint; adeò exitiosum, ut Ilium funditùs everterit? Paridis luxuria, qui Helenam Menelai Spartorum regis conjugem conspurcavit, & rapuit. Quid Agamemnoni Trojanorum debellatori necem intulit; Clitemnestræ uxoris lascivia. Quid Lucretiæ fudit sanguinem, & de Roma expulit Reges, Sextii, Tarquinii superbi nuncupati, filii libido. Quid in Gallia Regem interfecit? Fredegundæ impudicitia. Ut prophanas *omittam* Tert. l. de
tragœdias; sacræ paginæ trinum produnt exemplum effusi per luxuriam sanguinis, scilicet 1. principis Sichimitæ. 2. Joannis Baptistæ. 3. Uriæ. Pud. 5

1. *Mœchum idololatræ successorem, homicidæ antecessorem, utriusque collegam* repræsentat Tertullianus. Mœchus est idololatriæ successor: tum quia in divina lege post præcepta pietatis in Deum & in parentes, immediatè subjicitur mandatum mœchiam prohibens: tum quia ex idololatria orta est libido: tum quia fœda falsorum numinum repræsentatio & æmulatio inducit ad luxuriam: *Assistit idololatres, assistit homicida, in medio eorum assistit & mœchus.* Mœchus est homicidæ antecessor: tum quia Deus vetat mœchiam, priusquàm prohibeat homicidium: tum quia ut plurimum effusio sanguinis lasciviam sequitur. Quod innuit Nahum propheta fulminans maledictionem, & *væ civitati sanguinum*, id est, carnalium delectationum, ut explicat S. Bernardinus Senensis. Mox subjungit Vates: *Corruent in corporibus suis propter multitudinem fornicationum.* Post has comminationes adductas recenset Propheta homicidia, calamitates, & excidia, quæ fœdam sequuntur libidinem. *Vox flagelli, & vox impetûs rotæ, & equi ferventis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, nec est finis cadaverum.* Has strages adducit bellum, quod sæpè sæpius oritur à libidine: *Hæc sæpè indicit quietis gentibus bellum; hæc aliquoties robusta regna subvertit.* Quod Sichem comprobatur exemplo: nam ut refert D. Chrysostomus, *Hemor suam concupiscentiam opere complens fit patri, & toti civitati perditionis auctor.* Hæc historia in libro Geneseos continetur, ubi refertur quod Sichem Dinæ Jacobi patriarchæ filiæ amore captus [rapuit illam, & dormivit cum illa, ideòque conglutinata anima ejus cum ea;] ut sibi in sponsam postulaverit, duris etiam conditionibus sese subjecerit: nimirum circumcisionem ipse simul cum viris sibi subditis suscipiens, avitam religionem relinquens, & Israëliticam profitens; & licèt cunctas sibi propositas conditiones acceptaverit, & ad unguem adimpleverit; Dinæ tamen stuprum fuit causa desolationis, & exterminii cunctorum Sichimitarum. Filii namque Jacob illatam sorori vim

L. de Pud. c. 5 — Tert. ib. — Cap. 3 — Tom. 2 Ser. 18. a. 2. c. 2 — S. Zeno l. 1 Serm. 7 — Hom. 15 in Gen. — Cap. 34

vindicare volentes, *Hermon & Sichem pariter necaverunt, & interfectis omnibus depopulati sunt urbem.* Inde exclamat D. Augustinus : *O luxuria! per te pax destructa est, per te homicidium factum est*, per te Sichimitæ devastati sunt, per te Joannis Baptistæ effusus est sanguis,

Serm. 47 ad Frat.

2. *Ipse clausula legis & Prophetarum, nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosâ cade truncatur, in puellæ psaltica lucar.* Nec mirum, quia libido *hostis continentiæ frequenter veniens ad sanguinem.* Romano Philosopho teste Flaminius Prætor inter cœnam à meretrice rogatus, (quæ ajebat se hominem nunquam decollari vidisse) unum ex damnatis decollavit, ne quid se meretrix negaret vidisse. Itaque *virum nobilissimum, & tantis honoribus functum turpiter meretrix crudelem fecit.* In eodem triclinio video prætorem amantem, meretricem adamatam, & cædem cruentam. Lasciva meretrix sanguinem postulat, prætor libidinosus necem imperat, & sanguis decollati hominis ab utriusque luxuria dimanat. Idipsum conspicio in palatio Herodis. Regis libido, Herodiadis lascivia, decollant Joannem, & Præcursoris Messiæ fundunt sanguinem. *Vide autem qualiter crudelis est obscœna saltatrix, & qualiter mollis est Herodes.* Puella impudenter saltat; mater adulterio famosa consulit puellæ, ut Joannis caput poscat; & Herodes incestu infamis saltatrici annuens votis, majorem hominum capite truncat. Scelerosa trinitas, libidinosè armata, ad Joannis decollationem conspirat: impudica mater filiam ad petendum Joannis caput stimulat: *Disco caput apportetur, deliciemur oculis, quando dentibus minimè possumus: divellit nos à cubili regio, ipse proprio divellatur à capite; abstrahit me meis amoribus, quem ira gladium acuerit, recipiat.* 2. Filia impudenter saltans, matris sermonibus ad sævitiam sufflammata. Joannis sitit sanguinem: [at illa præmonita à matre sua: Da mihi, inquit, hîc in disco caput Joannis Baptistæ.] 3. Lascivus Herodes libidine malè suada ad arbitrium salacissimæ matris, & filiæ impudenter saltatricis, Joannem Baptistam Christi præcursorem, & Prophetarum maximum decollat; nam [misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco: & decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.]

Tertull. Scorp. 8
D. Cypr. de Bon. Pud.
Seneca l. 9 cõtrov. 2
D. Chryſoſt. hom 49 in Matthæum.
Basil Sel. Orat. 10
Marc. 6
Marc. 6.

Jezabel regina non minus crudelitate, quàm venustate & decore famosissima, innocuum Naboth ad mortem crudeliter & infidè damnat. Elias Dei mandato tum Jezabel, tum marito ejus Achab regi Israël minatur sanguinis effusionem, in pœnam mortis injustè Naboth inflictæ. In bello cæsus Achab defertur in Samariã, ubi sepelierunt regem [& laverunt currum ejus in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinẽ ejus, & habenas laverunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat.] Septuag. pro ly *canes*, vertunt *meretrices*; quæ ut animadvertit D. Ambrosius, lotæ sunt in sanguine ejus: *Quid sibi autẽ vult, quòd meretrices laverunt se in sanguine ejus, nisi fortè ut meretricia quadam in illa feritate fuisse Regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries.* Quasi ex tanta regis Achab, & reginæ Jezabel crudeli impiè sævitia, quâ insontem Naboth falso testimonio accusatum, atrociter peremerunt, eorum meretri-

3. Reg. 22
De Naboth c. 11

ciam

ciam libidinem inferat Mediolanensis antistes, ac si nihil nisi effusior lascivia, sic ferocire potuisset: Quod de sanguine Achab asseverat D. Ambrosius, in Joannis decollatione conspicitur: nam meretrices laverunt se in sanguine ejus, & quasi parum sit cruentas lavasse manus in innocuo illo sanguine, illum adhuc feraliter bibit libidinosa & incestuosa Herodias. *Esto mihi pars epularum Baptistæ caput: sitim sanguine restinguam, videam jugulatum epulandum apponi, potet ejus sanguine.* Satis non erat incestuosæ & lascivæ Herodiadi decollasse in carcere Baptistam, ad crudelitatis complementum voluit saltem oculis insontem ejus haurire sanguinem. *Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vocaretur.* Exeamus de ferina Herodis curia, ingrediamur Davidis palatium, ubi sanguis effunditur, dum Uriæ cędes machinatur. Basil. Seleuc. Orat. 10 D. Amb. l. 5. de Virg.

3. *David Uria cædem, tum causam ejus mœchiam, confessione purgavit.* Misso Joab ad bellum remansit David in Jerusalem, & accidit ut surgeret de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, viditque mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulchra valde. Misit ergo rex & requisivit quæ esset mulier: nuntiatumque est ei quod ipsa esset Bethsabee uxor Uriæ Hæthæi. Bethsabee amore captus rex ex casto fit adulter, ex mitissimo sævus, callida crudelitate, insontis Uriæ sanguinem fundens; nam strenuus ille miles, & infausti Bethsabee maritus, non tam Ammonitarum ferro cecidit quam Davidis adulterio. Quod quo modo sit factum Basilius Seleuciensis eloquenter declarat: *Cum enim dæmon animadvertisset Davidem à recto paululum oculos deflexisse, subito venustate mulieris objecta confixit:* cum enim regie David epulatus esset, ac meridiana sese oblectaret obambulatione; tunc diabolus animi curæque nervum remissum conspicatus, & mentem passionum aurigam diligenter succinctam, ac parvula quadam sui parte nudatam ab armis, *optimatem furtim cecidit, ipsis justi oculis usus pro telo.* Videns autem diabolus Davidem facti sui pudore confusum, & pudendum ulcus celare cupientem, pudorem vertit in alterius peccati materiam: *Scelus namque admissum oberrat scelus: quippe cæde adulterium conatus occultare, & cædis & adulterii deprehensus est artifex:* David voluptuose lasciviens sævitias spirat, & qui ante adulterium & mitiate & mansuetudine commendabatur, post venereas carnis blanditias, adeo feritate & sævitia agitatur ut Ammonitarum gladiis Uriam occiderit, neque ullum de debellato exercitu, tristitiæ & doloris signum demonstraverit. Tert. l. de Pud. 6 L. 2. Reg. 11 Orat. 17

Joab namque civitatem Rabba obsidente, universus ejus exercitus fuit ab inimicis prostratus. Nuntio de hac clade ad Davidem misso, ex præcepit ei ut hæc exercitus duci referret. *Hæc dices Ioab: Non te frangat ista res. Varius eventus est belli, nunc hunc, & nunc illum consumit gladius.* Qua ratione autem fieri potuit, ut rex victoriis assuetus, & de hostibus suis triumphare solitus, de tanta strage nullatenus fuerit commotus, sed militum jacturam nihili faciens, honorem suum & armorum gloriam tanquam rem ludicram & nullius momenti contemnens, respondebit Joab; *Non te frangat ista res:* Nimirum Da-

vid cum Bethsabea adulterans, audiensque à nuntio, quòd in tanta exercitûs strage Urias adulteræ maritus occubuerat: *Quin etiam servus tuus Vrias Hebræus mortuus est*, parum de hac re curavit, obtentâ sibi propositâ Uriæ nece, quo mortuo absque ullo obice amatæ Bethsabee poterat frui complexibus, tantopere lascivia Davidis perverterat indolem. David ad mansuetudinem
Ps. 131 pronus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*; David, qui infensissimo suo inimico multoties pepercit, doluitque quòd amputâsset oram chlamydis Saül: *Percussit cor suum David, eò quòd abscidisset oram chlamydis*
L. 1. Reg. 24 *Saul*; per libidinem ita mititatem exuit, & crudelitatem induit, ut fidelissimum Uriam in acie gladiis exposuerit, ejusque necem inhumanè procuraverit: *Factus est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit enormiter flexus, & qui prius ferire deprehensum persecutorem noluit, pòst devotum militem extinxit.* Hujus mutationis nulla fuit alia causa, quàm libido. Neque solùm *Venus militaris castrensibus flagitiis præsidet*, sed etiam domesticis sceleribus, nemini parcens.

D. Greg. l. 1. Past. c. 2.

Arnob. l. 4 adv. Gent.

III. PARS

Furoribus fœdis agitantur libidinosi *bestiarum furorem sitientes*; & sicut furens fera in omnes furit, neque etiam suis dominis parcit: ita *furores libidinum* cunctos indiscriminatim aggredientes, 1. ad parentum necem attentant, 2. amicos non secus ac inimicos enecant. 3. & proprios filios trucidant.

Tert. Apolog. 22. Chrysol. Ser 6

D. Ambr. l. 1. Hexā. 9.

1. *Libidinem parricidalem* quis non horreat? hanc tamen non horrescunt venerei amores. Nonne libido Ruben fuit parricidalis ascendens cubile Jacob patris sui? nonne libido filiarum Loth fuit parricidalis, quæ patrem inebriârunt, ut ab ipso constuprarentur? nonne parricidalis fuit libido Persarum cum suis matribus coëuntium: *Persas cum suis matribus misceri Ctesias refert.* Nonne est parricidalis libido vel puellæ, quæ nescientibus parentibus raptui occasionem subministrat; vel juvenis, qui contra patris voluntatem publicè & scandalosè mœchans, aut matrimonium clandestinum contrahens *patri causa mortis fuit*, tantâ eum afficiens tristitiâ, ut moriatur, animi amaritudinem & mœstitiam ferre non valens? Tandem nonne est parricidalis libido eorum, qui ad parentum obicem ponentium necem attentant: & *funebribus victimis* Veneri sacrificant? Crudelis Tullia ad solium regium ascendit, curru & equis calcans enecati parentis corpus, & ipsi omnem conculcantes pietatem ferro vel veneno parentibus eripiunt vitam, ut liberius Veneri vacent: *Concupiscentia libidinis mercedem, vel maximè parentum, filiorum, maritorum, uxorumque, in mortibus posuit.* O impiam & barbaricam blandæ libidinis sævitiam! Heu quot cædes luxuria atrociter edit! tota madet familia Veneris sanguine cruentata: *Quis possit accusare jam reliqua, si peccatis nomina putantur esse crudelia? negligitur levis reatus, cùm tragœdia criminis magna tonuerit.* Si libido furit in parentes, quid faciet in extraneos? & si libidinosus ut fruatur Venere, ad patris necem attentat, profectò amicos adhuc & propinquos non secus ac extraneos & inimicos enecat.

Tert. l. de Pud. 13

Tert. Apol. 10

Tert. l. 2 ad Nat. 14

Greg. Nazian. orat. pro Basil.

S. Zeno Ser. de Pud.

Cassiod. l. 2 Var. Ep. 4.

2. Audia-

2. Audiatur hæc supra reipsame libido: *Sciunt hodie venenarij, sciunt magi, quot pellicatus ulciscar, quot rivalitates defendam, quot custodes, quot delatores, quot conscios auferam.* In testes advocat, 1. venenarios, qui veneno toxicârunt vel uxorem, ut maritus cui fastidio erat, aliam duceret in conjugem, vel maritum uxori adulteræ onerosum. 2. Magos: venenarii enim seu venefici cum magis seu genethliacis olim confundebantur, qui alios pharmacis malisque lædebant artibus, suisque incantationibus etiam aliquando vitam eripiebânt. 3. Rivales, quos ad duella vocant libidinosi, quosque interimunt ut soli amasiâ potiantur. 4. Pellicatus punitos à viris, qui veneno vel ferro de adulteris conjugibus sumunt ultionem. 5. Custodes de medio sublatos, ne amplius invigilent ad custodiam uxoriæ castitatis. 6. Delatores domesticos, qui dominarum turpitudinem deferentes, crudeliter interimuntur. 7. Conscios criminum, quibus eripitur vita, ne cognita divulgent crimina. Tandem 8. subjungit, sunt inhumani & sævi parentes, *qui natos sibi filios enecent.* Tert. I. de Pud. 5

3. *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidij.* Hæc tela, quæ falsò in Christianos olim vibrabant Gentiles, hac ætate feriunt vel conjuges, qui in usu matrimonii semen effundunt, ut prolis impediant generationem; vel uxores & filias mœchantes, quę prolem extra matrimoniū conceptam perimunt, vel in utero ante partum, vel extra uterum post partum, ne earum dignoscatur turpitudo. Quàm verò sint scelerosi conjuges per seminis effusionem impedientes generationem prolis, adversus Marcionem demonstrat Tert: *Iam verò sementem generis humani compescere in totum, nescio an hoc quoque optimo Deo congruat.* Tantum abest ut generationis obex Deo placeat, quinimò ejus bonitati, sapientiæ, & providentiæ contrariatur. Bonitati, quæ sese ad intra & ad extra communicat: sapientię, quę ad propagationem generis humani matrimonium instituit: *Deus benedicendo connubium in propagationem generis humani, ipsum quoque fructum connubij promisit, qui de infantia primus est.* Providentiæ, quæ ex prolis generatione multa bona colligit. *At qui semen odit, fructum quoque ejus execretur necesse est.* Quadruplex autem oritur potissimum ex matrimonio fructus: ab eo namque natura habet individua ad speciei conservationem: parentes, liberos ad senectutis levamen; Ecclesia, filios qui ejus doctrinam doceant, leges custodiant, Sacramenta ministrent aut suscipiant, Doctores qui eam illustrent, Virgines quæ eam decorent, & Martyres qui constanter eam propugnent; cœlum, Beatos qui Angelorum impleant ruinas, Deique laudes in æternum decantent; conjuges verò emittentes semen, quantum est ex se, speciem humanam destruunt; semetipsos sustentaculo, Ecclesiam membris, & cœlum privant civibus & Beatis: quia si cæteri uxorati impedirent prolis generationem, non essent amplius in natura homines, in familia filii, in Ecclesia Christiani, neque in cœlo Beati. Siquidem *hominem vetat nasci, de quo nascitur auferendo.* Idcircò offendit naturam, Rempublicam, & religionem. Naturam, nam impediendo generationem ejus contrariatur fini: Rempublicam, vetando nasci homines sibi fortasse multum

Tert. Apol. 7
Tert: Apol. 7
L. 1. c. 2
Lib. 4. adv. marc. 21
Tert. ibid.
Tert. L. 1 adv. marc. 29

multum utiles futuros: Religionem, ponendo obstaculum conjugali bene-
Tert. ibid. dictioni. *Times forsi: an redundantiam sobolis, ne laboret plures liberando.* Persæpe generationem impedit mulier, vel ob servandam corporis venustatem; vel ad vitanda incommoda, quæ prægnantes, parturientes, & nutrientes, comitantur matres; vel ob labores & sumptus quos patitur in nutriendis & educandis pluribus liberis. Quavis autem ratione id faciat, ab homicidii reatu non est immunis.

Tert. Apol. 9

Homicidij festinatio prohibere non nasci, nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet: homo est & qui est futurus: etiam fructus omnis jam in semine est. Uxoratos extra vas semen emittentes homicidii reos pulchra ratione declarat Tertullianus, quos adhuc de sævitia & crudelitate culpat.

Lib. 1. adv. marc. 29

Non erit immanior duritia Pharaonis nascentium enecatrix; nam ille animas adimit, iste non dat; ille aufert de vita, iste non admittit in vitam: nihil apud ambos de homicidio differt, sub utroque homo interficitur, sub altero jam editus, sub altero edendus. Pungit Marcionem matrimonium tanquam malum & impudicitiæ negotium, damnantem; pungit adhuc conjugem in usu matrimonii semen emittentem, cujus crudelitatem Pharaonis sævitiæ comparat, adæquat, & præponit:

Lib. 4. adv. marc. 23

Ille sævior habendus Ægyptio Rege: nam Pharao non sinebat educari infantes, iste non nasci, auferens vitam illis etiam decem mensium in utero.

Nec minor est sævitia adulterantium conjugum, vel fornicantium viduarum & puellarum, quæ conceptam jam prolem, vel ante partum, vel post partum interimunt.

Tert. l. de vel. Virg. 14

Quanta circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur; scit Deus quod jam infantes & perfici & produci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu à matribus. Virgo namque, vidua, vel conjux (absente marito) scortata & prægnans, nihil non tentat ut uteri sui evacuet fructum, vel per potionem medicinalem, vel per sanguinis effusionem, vel per ventris compressionem, & licet nequeat semper impedire partum, fœtum tamen tripliciter debellat. Primo antequam sit animatus:

Tert. l. de Exh. Cast. 12

Quid ergo facies, si uxorem de tua conscientia impleverit? dissolvas medicaminibus conceptum, puto nobis non magis licere, nascentem nocere, quam natum Non licet etiam medicis absque gravissima causa, uxori prægnanti præbere remedia, primis prægnationis mensibus, imo nec quando conceptus dubius est; scilicet cum dubitatur an concepta in utero semina concreta sint.

Tert. Apol. 9

Nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Secundo ante partum, animatam prolem debellat crudelis mater:

Ter. l. adv. Valent. 14

Certè nec forma, nec facies ulla, defectura scilicet genitura. Loquitur Tertullianus de prole ante parturitionem de utero materno violenter extracta.

Tert. l. de An. 25

Inter arma medicorum & organon est, quo prius patefieri secreta coguntur, tortili temperamento: cum annulo cultro, quo intus membra caeduntur, anxio arbitrio; cum hebete unco, quo totum facinus extrahitur, violento puerperio: est etiam aeneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur, caeco latrocinio, utique viventis infantis peremptorium. Ante partum, in utero enecatur proles; vel ante parturitionis tempus ad exitum compellitur, medi-

corum

corum industria, qui infantem interimunt, ut matrum conservent vitam, *& in ipso adhuc utero infans trucidatur, cùm in exitu obliquatus denegat partum, matricida, nisi moriturus.* Tertiò, natam prolem debellat sæva mater, eique post partum crudeliter adimit vitã: *Sciunt obstetrices, quot adulteri conceptus trucidantur*; obstetrices sævo huic facinori opem & auxilium præbentes divinâ frustrantur benedictione, quam habuerunt in Ægypto obstetrices adversus inhumanum Regis edictum; partus Hebræos protegentes: *Deus adeò diligit parvulos, ut apud Aegyptum benefecerit obstetricibus protegentibus partus Hebraeos periclitantes edicto Pharaonis.* Quantum sit scelus matris, his tribus modis prolem crudeliter debellantis, inde colligitur, quia in Deum, in semetipsam, & in prolem delinquit. In Deum, quia mandatum ejus homicidium vetans contemnit. In semetipsam; tum quia gravissimum crimen committit; tum quia multoties infame supplicium sibi inurit: *Nam & Moysis lex tunc abortûs reum talionibus judicat; cùm jam hominis est causa; cùm jam illi vita & mortis status deputatur.* Hac etiam tempestate mulier prolem interimens ignominioso mulctatur supplicio. Tandem in prolem delinquit, cui vitam adimit, & infert mortem tum corporis, tum animæ; quia cùm originale contraxerit peccatum, impedit ne ab illo per baptismum emundetur, gratia donetur, gloriâque perfruatur: estque causa vel occasio, cur divinâ frustretur visione, pœnamque damni in æternum sustineat. Tot damna, quæ consequuntur prolem ante baptismum enecatam, à tanto facinore debent deterrere matres: & Christianus, cujus nomen *de suavitate vel benignitate compositum est*, tenetur fugere libidinis sævitiam & crudelitatem, ut probè suo respondeat nomini, & promissam mitibus possidere valeat hæreditatem cœlestem.

Tert. l. de Pud. 5

Tert. l. 4 adv. marc. 23

Tert. l. de An. 37

Tert. Apol. 3

CONCIO QUARTA.

Christiana pudicitia omnia de cœlo trahit; & naturam per lavacrum regenerationis; & disciplinam per instrumentum prædicationis; & censuram per judicia ex utroque Testamento; & coacta constantius, ex metu & voto æterni ignis & regni. Quatuor sunt potissimum, quæ pudicitiam Christianam totam cœlestem demonstrant, & Christianos ad ejus amorem & custodiam stimulant. Primò, Baptismi sacramentum, in quo homo regeneratus est; & ut fatur Tertullianus, *Caro emergit jam non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fimo; sed ex aqua pura & Spiritu sancto.* Et ob hanc causam, ut animadvertit S. Clemens Romanus, ad Baptismi materiam assumpta est aqua: *ut in aqua regenerati ignem vetustæ vanitatis extinguerent. Prima enim nostra nativitas, per ignem concupiscentiæ descendit, & ideò dispensatione divinâ secunda hæc per aquam introducitur, ut restinguat ignis naturam.* Ad quod secundò disciplina dirigitur, quæ libidinem destruere, & pudicitiam stabilire doctrinâ

Tert. l. de Pud. 1

L. de Pud. 6.

L. 9. Recog.

& præ-

& prædicatione nititur. Cæteris Scripturis omissis, *aspice epistolas Apostoli, omnes pro pudicitia, pro castitate, pro sanctitate prætendunt, omnes in luxuriæ, & lascivia, & libidinis negotia jaculantur.* Tertiò, utrumque Testamentum, vetus & novum castitatem præcipit, impudicitiam damnat. In veteri namque lege continetur speciale præceptum: *Utique non mœchaberis.* Vetata autem mœchia, lege divinâ in Decalogo contenta: *Et nunc novo Testamento interdicto, etiam cumulatiore præcepto prohibetur. Pro, Non mœchaberis: Qui viderit ad concupiscentiam, jam mœchatus est in corde suo.* Tandem quartò, castis cœlestem proponit beatitudinem, impudicis verò ignem æternum, ut eos ad pudicitiam servandam tantæ mercedis spe sufflammet, & à libidine tanti supplicii metu amoveat: *Quid Galatæ legunt? Manifesta sunt opera carnis. Quænam ista? Imprimis posuit fornicationem, immunditiam, lasciviam, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non sunt consecuturi æternitate.* Neque duntaxat libidinosi à cœlesti ejiciuntur regno, sed adhuc in gehennam in æternum passuri projiciuntur. *Timidis autem, & incredulis, & propudiosis, & fornicatoribus, & homicidis, & veneficis, & idololatris, particula in stagno ignis & sulphuris: quod est mors secunda.* Tot condensatæ rationes quàmvis efficacissimæ, non possunt plerosque à luxuria dimovere Christianos, qui cœli regnum & inferni tormentum nihili ducentes, divina mandata transgredientes, toties prædicatam Christi disciplinam dediscentes, cœlestem castitatis originem dedecorantes, in omnem ebulliunt libidinem. Verùm cùm Apostolus *ingesserit de aversatione immunditiarum, de amputatione macularum, de exhortatione sanctimoniarum,* in præsentiarum considerandum est varium luxuriæ, 1. peccatum. 2. incitamentum. 3. remedium.

Tert. l. de Pud. 6 — Tert l. de Pud. 17 — Tert. l. de Pud. 18 — Tert. l. de Pud. 15

Quocumque in loco, domi, peregrè, trans freta, comes est libido. Ubique lasciviunt homines: lascivia *non aspernatur tuguria, non reveretur palatia. Utinam sola cœnobia fugiat.* Omni etiam tempore diu noctuque luxuriantur: Venus namque *venerandam se procurat in templis, hilarem in theatris, importunam in publicis, opportunam in quibuscumque secretis.* Uterque sexus *adversus principalem Christiani nominis disciplinam* delinquit. Omni adhuc ætate, tum apud juvenes, tum apud senes viget luxuria. *Vitii pueritatem* agnoscit Tertullianus apud S. Maximum: *Senectutis temperantia, non temperantia, sed intemperantia imbecillitas est.* Et ut fatur Chrysologus, ob carnis peccata, *& per passiones infirmatur infantia, pueritia trahitur, adolescentia insanit, juventus & senectus multis luctibus cumulantur: ipsæ sunt quæ totam hominis vitam inimico conturbante, comitantur ad lapsum.* Tandem teste S. Zenone libidinis vitium toti dominatur mundo: *Veneris igne quotidie totus exæstuat mundus, pestiferisque voluptatibus ita corrupta sunt omnia, ut rectè sapientibus exsecrabilis esse videatur.* Salomon in libro Ecclesiastes supra hanc materiam ita fatur: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Verùm, ut Seraphicus annotat Bonaventura [hyperbole est, & vult dicere quòd paucissimos invenit viros, in quibus concupiscentia non regnaret: sed ipse mulieres nul-

Tert. Apolog. 10 — D. Bern. de inter. Dom. c. 29 — S. Zeno Ser. de Pud. — Tert. l. de Pud. 1 — Lib. 2 ad Nat. 9 — Serm. 2 — Serm. 112 — Ser. de Fide, Spe, & Char. — Cap. 7.

nullas invenit. Nec mirum;] quia [brevis omnis malitia super malitiam mulierum.] Plus audet D. Thomas à Villa Nova, & S. Remigii authoritate munitus audacter pronuntiat: *Demptis parvulis, ex adultis propter hoc vitium pauci salvantur; adeò hæc pestis grassatur in genus humanum*, ut major hominum pars hoc vitio delinquat, aut 1. opere. aut 2. sermone. aut 3. cogitatione. De S. Ildeph.

2. Quod multi opere luxuriam consummârint, suprà demonstratum est, septem ejus dinumerando species, quarum præcipuas exemplis deducit Tertullianus, nempe adulterium in Uriæ cæde; *tum causam ejus, mœchiam*, scilicet Davidis cum Bethsabea: *Incesta*, ut constat ex Loth, qui vino ebrius proprias constupravit filias: *fornicationes cum incesto*, ut ex Juda comprobatur, qui Thamar socrum suam incestuosè cognovit: *turpes de prostitutione nuptias*, ut patet in Osee, qui meretricem assumpsit. Taceo de cæteris impudicitiæ operibus, quibus hac tempestate contaminatur mundus. Multi namque *in hanc tingunt intemperantiam, ex temperantia in fornicationem baptizant, voluptatibus & vitijs esse indulgendum decernentes.* At quid sibi vult Stromathæus, asseverans quòd plerique ex temperantia in fornicationem baptizant? Baptisma namque est sacramentum largiens gratiam, imprimens characterem, fidelemque ab infideli discriminans; fornicatio verò gratiam destruit, idololatriam sapit, electumque à præscito distinguit. Verùm intemperantiæ baptismus in hoc cum baptismi sacramento convenit: quòd sicut iste animæ largitur vitam, ita ille confert mortem; sicut iste inducit ad virtutem & bona opera, ita ille ad vitia & criminosa facinora; tandem sicut iste fidelem ab infideli discriminat, ita ille verum Christianum à fucato distinguit, qui voluptatibus indulgendum decernens religionem dedidicit, & idololatriam sapit, quæ non est pudicitiæ disciplina: *Sed viderit seculi pudicitia cum seculo ipso, cum suo ingenio si nascebatur, cum suo studio si erudiebatur, cum suo servitio si cogebatur.* Apud idololatras pudicitia non nascebatur, quia carebant baptismate; non erudiebatur, quia Philosophi erant impudicitiæ dediti, & mulierum docebant communitatem; tantum abest, ut legibus cogeretur; quin immò impudicitia falsorum numinum exemplo auctorata, liberè & impunè tanquam res honesta committebatur. Plures Christiani Ethnicorum more viventes immunditiæ vacant, quæ *eò usque jam exolevit, ut non ejuratio, sed moderatio libidinum pudicitia credatur; usque satis castus habeatur qui minus castus fuerit*, & luxuriam impuro sermone demonstraverit. Tert. l. de Pud. 6; Clem. Alex. l. 3. Strom.; Tert. l. de Pud. 1; Tert. ibid.

2. Nam proferunt *verba pudoris inimica*, quæ animi denotant immunditiã. Etenim [ex abundantia cordis os loquitur.] Verbum etenim est mentis interpres & nuntius cordis: [unde ut bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, ita malus de malo thesauro cordis sui profert mala.] Et quemadmodum Christianus pudicus *colloquia Deo digna sectatur*; ita impudicus lascivos profert sermones, qui sunt *humanæ conversationis inquinamentum*: quia sæpè sæpius non solùm aures, sed etiam animas audientium contaminant; *Non scitis, quòd modicum fermentum totam desipiat conspersionem?* Tert. l. 1 ad Uxor. 8; Matth. 12; Tert. l. 1 ad Ux. 8; Tert. l. de Cor. Mil. 11

Tert. l. de Pud. 13 *honem?* Satis nota est natura fermenti, à quo massa intumescit, incalescit, imò & acescit. Est autem *fornicatio non modicum, sed grande fermentum*, quod
Tertull. tum corpori, tum animæ ingerit calorem. Libidinosus Veneris æstuans calore adhuc
Prov. 5 *fermentabitur labiis*, blandis sermonibus, & amatoriis verbis spirans libidines. Adeò cavendum est ab obscœnis verbis, ut inhibet Apostolus, ne vel luxuriæ nomen, seu verbum minus pudicum inveniatur in ore
Ephes. 5 Christiani: *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis*, ne vel nominatione rei venereæ, Veneris ignibus exuratur, luxuriæ ignibus audientes urat & sufflammet. Et licèt Evangelistæ, utpote in gratia & sanctitate confirmati, absque ullo lasciviendi periculo potuerint impudicæ mulieris usurpare nomen, Matthæus tamen Bethsabee nomen reticuit, & dixit tantùm:
Cap. 1 *ex ea qua fuit Vria*. Lucas quoque prætermittens obscœnæ mulieris nomen,
Cap. 7 dixit: *Erat mulier in civitate peccatrix*. Joannes adhuc Samaritanæ omittens
Cap. 8 nomen ait duntaxat: *Mulier quædam Samaritana*. Imò ipsemet Christus de
Tert. l. de Mon. 8 pellicatu illam non redarguit, sed tantùm *Samaritanæ maritum negat, ut adulterum ostendat numerosum maritum*. Tantâ cautelâ utuntur Evangelistæ, imò & Christus, ne nomina inhonesta proferant; quia, ut fatur Gregorius Naz.
Orat. pro Basil. etiam *lingua scortatur*. Linguæ autem scortationem non pertimescunt, qui proferunt scelestas voces, quæ *ipsum aërem qui incubat, constuprant*, & linguæ
Tert. l. de Spect. 19 veneno toxicant: *ab immunditiarum contagione* infestantur, qui blandum in-
Tert. l. de Pud. 13 honestis sermonibus præbent auditum: *Quòd si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet?* cùm tam obscœna verba li-
Tert. l. de Spect. 17 benter tam audiens, quàm dicens, verbo & auditu scortentur; imò & cogitatione & voluntate lasciviant.

L. de Pud. 6. 3. *Quare an salva sit lex non mœchandi, cui accessit nec concupiscendi: origines quoque delictorum, id est, concupiscentias, & voluntates, non minus quàm facta condemnans*. Tria notatu dignissima dicit Tertullianus. Unum, quòd Christus Dominus tantum abest ut abstulerit præceptum non mœchandi, quòd in veteri Testamento vetabat mœchiam, quin imò voluntatem mœchandi
D. Greg. l. 21. Mor. 2 inhibuit: *Per Moysem luxuria perpetrata, per auctorem verò munditiæ luxuria cogitata damnatur*. Alterum, quòd voluntas est origo delictorum, à qua procedunt libinines opere consummatæ. Quod ipsemet asseverans Salvator ait:
Marc 7 *De corde exeunt cogitationes malæ*: ex his verò proficiscuntur *adulteria, forni-*
L. de Côtin. c. 2 *cationes, impudicitiæ*; quia, ut ratiocinatur D. Augustinus, *nihil est certè istorum malorum, quod cogitatio non antecedat mala*. Tertium, quòd pravæ cogitationes mœchiam & adulteria sæpè perficiunt: *Cogitatus sine carnis consensu*
Tert. l. de Mon. 10 *adulterium perficit*. Quomodo autem cogitatus perficiat adulterium, optimè declarat Tertullianus subjungens: *Habet secum animi licentiam, quæ omnia homini quæ non habet, imaginatio fructu repræsentat*. Quemadmodum cœli gaudia, quæ adhuc non possidemus, *quodammodo habemus per fidem spiritu*
Tert. l. de Spect. 30 *imaginante repræsentata*; ita mens imaginariè adulteratur, cum imaginata muliere cogitatione congrediens. Sensus namque repræsentant phantasiæ

mulie-

mulieris speciem phantasia intellectui, intellectus fœminæ considerat venustatem, in ea moratur, in ea delectatur, & adhibito voluntatis consensu, cogitatione, desiderio mœchatur. Quare Gregorius Naz *non corporum, sed animarum scortationem* pertimescebat: & Petrus Damianus quandam filiam de sua virginitate gloriantem, neque turpes cogitationes respuentem redarguit: *Quid enim prodest sol us carnis integritatem servare, & malignorum spirituum stupris mentis interiora corrumpere?* Mentis interiora malignorum spirituum stupris corrumpuntur, dum virgo cogitatione imaginatur stuprum, & mente & desiderio constupratur; quam admonet S. Nilus: *Pravas cogitationes semen diaboli existima.* Infernali hoc semine fœcundata mens cōstupratur, imaginario fructu sibi repræsentans stupri voluntatem. Pravas cogitationes nuncupat Drogo Hostiensis Cardinalis *reptilia*, *quæ somniorum suorum phantasiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris.* Easdem Petrus Damianus Cardinalis vocitat *irruentia corporearum phantasmata voluptatum.* Quos adhuc appellat *incantatos motus carnis, & fabulosos spiritus.* Hujusmodi libidinum phantasias, irruentia corporearum phantasmata voluptatum, incantatores motus carnis, fabulosos spiritus Venus *dea machinatrix*, seu potius dæmon operatur: tum objiciendo sensibus externis species venereas: tum imprimendo phantasiæ turpium voluptatum imagines: tum movendo temperamentum, & carnē titillantem ad lasciviam: tum illas figuras imaginatas & excogitatas proponendo voluntati, ut adhibeat consensum: *Ita diaboli opus unum est, tentare quod in te est, an velis: at ubi volueris sequitur ut sibi subjungat: non operans in te voluntatem, sed nactus occasionem voluntatis.*

Vide Tert. Prædic. tom. 1. Tract. de Adult. Conc. 1 Orat. 19 Serm. 46 In Paræn. De sacrā. Dō. Passi. Serm. 36 Pausan. l. 8 Tert. l. de Exh. Cast. c. 2

Eodem modo se habet dæmon erga filios Adam, quo se habuit erga primum illorum parentem: *Siquidem ille princeps & generis & delicti. Adam voluit, quod deliquit: neque enim diabolus voluntatem ei imposuit delinquendi, sed materiam voluntati subministravit.* Nam Evam adiit, oculis ejus vetiti pomi venustatē objecit; mediā Evā aggressus est Adamum: *Nec tunc istos protoplastos ad voluntatem delicti subegit; imò neque invitos, neque ignorantes quid Deus nollet.* Adamus enim potuit non acquiescere Evæ suasioni, mulier quoque potuit non consentire diaboli tentationi: in utrisque fuit libera voluntate, ait D. Augustinus, *ingestam cogitationem ac sensum respuere, aut cogitationi consensum præbere: debuit Eva non consentire, etsi non potuerit non sentire.* At proh dolor! sensit, consensit, & mente excipiens immissam per diabolum pravam cogitationem, hominem ad consentiendum allexit; homo verò libere consentiens mulieri, se & suos perdidit. Eâdem astutiâ callidus dæmon & jam nunc nepotum Adami obtinet consensum. Nam movendo imaginationem, impuram cogitationem ingerit Evæ, id est carni, quæ sensuali delectatione titillata, spiritum, utpote sponsum charissimum, trahit ad affectum. Itaque ut in ipso mundi exordio dæmon, Eva, & Adamus originalē conspirâ unt ad culpam; scilicet dæmon Evam tentans; Eva Adamum alliciens; Adamus liberè consentiens: sic & nunc diabolus, caro, & spiritus ad animi libidines

Tert. ib. Tertull. L. 3. de lib. Arb. 25

conſpirant. Diabolus, carnem fœdis imaginibus ſufflammans ; caro, ſuis blanditiis ſpiritum ad conſenſum alliciens ; & ſpiritus, liberè conſentiens, cogitatione & voluntate mœchans : *Adeò quod prohibetur adminiſtrare, ſatis periculosè animus ſibi repræſentat, & temerè per voluntatem expungit effectum: cujus voluntas cùm vis tanta ſit, cur non ſolatium ſuî ſaturans, pro facto cedat ?*

Tert. l. de Pœn. 3

Hanc voluntatis mœchiam tanquam criminoſam vetat Salvator. Quod præfiguratum vult Magnus Gregorius per præceptum Saülo regi factum, quo illi mandavit Deus ut ſeſe armaret adverſus Amalech, omneſque etiam lactantes in ore gladii interimeret, nec quidquam ex devicti hoſtis ſpoliis ſibi retineret, ſed cuncta generatim conflagraret, & in cineres redigeret : Saülus tamen Deo inobſequens, ex ſpoliis optima quæque ſervans à Deo graviter punitus eſt. Saülis æmulantur inobedientiam, qui opere quidem non mœchantur, ſed cogitatione & voluntate laſciviunt. [Quis eſt hic qui parcit Amalech, niſi qui aut in cogitatione, aut in ore, aut in carne, laſciviæ aliquid retinet ? Nam plerique turpitudinis opera non exercent, ſed linguam à turpi locutione non prohibent ; plerique per opus luxuriam vitant, per cogitationem non vitant ; quidam nihil turpe agunt, ſed quod actu refugiunt, corde concupiſcunt. Parcit ergo Amalech, qui blandimenta laſciviæ aut in locutione, aut per intentionem, aut per cogitationem retinet. Dicit itaque : Non parcas ei, quia de tam nequiſſimo vitio nihil accendi debet in mente, nihil permitti ardere in opere. Dicat ergo : Non parcas ei, ut omnes libidinoſi motus, omnes obſcœnæ locutiones prorſus perimantur in corpore. Dicit ergo: Non concupiſces ipſius aliquid, ut penitus eradicetur à cogitatione. Quid enim eſt libido, niſi ignis ? & quid de carne & mente exortæ virtutes, niſi flores ? quid item turpes cogitationes niſi paleæ ? Quis etiam neſciat quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, ex parva ſcintilla quæ remanet, omnes paleæ accenduntur ? Qui ergo virtutum flores in mente non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem ſcintillam nunquam poſſit ardere.]

L. 6. in 1. Reg. 15

Bellè, quàmvis prolixè, oſtendit Magnus Gregorius, quomodo à mente expellendæ ſunt turpes libidinis cogitationes : Tum quia à Deo prohibitæ : Tum quia ſunt ignes virtutes devaſtantes. Quocirca Baſilius Seleucus luxuriam appellat *peſtem vivacem*, quæ interiora depopulatur, & flammis voracibus conflagrat : Tum quia ſunt ſceleroſæ : *Reprobis mentibus magnum non eſt immunda cogitare ; ſed coram Deo peccatum parvum non eſt in templo Dei, id eſt, in regenerato ſpiritu immunda reponere:* Tum quia eas objicit dæmon, ut conſentientes cœli patiantur jacturam, ad inſtar protoparentum, quibus *diabolus porrigit pomum, & ſurripit paradiſum :* Tum quia animam fœdant, contaminant, & fœtidam præſtant: *Si benè & juſtè judicas, incomparabiliter graviorem putorem reddunt cogitationes luxurioſæ quàm cloaca ; quia iſti fœtores animarum ſunt, illi corporum.* Tum quia ab anima Spiritum ſanctum expellunt: *Nam cùm omnes templum Dei ſimus, illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto, ejus tem-*

Orat. 5
Gregor. Magnus ibid.
D. Bern. grad. 1. ſuperb.
Cæſar. Arel. Hom. 6
Ter. l. 2 de cult. fœ. 1

templi aeditua & antistita pudicitia est, quae nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Tum quia Spiritûs sancti templum polluunt, ejusque indignationem & animadversionem provocant. Nam & Apostolus *primus omnium templum Dei dedicavit: Non scitis vos templū Dei esse, & in vobis Dominum habitare: qui & templo condendo, purificandoq; aeditualem legem scripsit: Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus, templum enim sanctum est, quod estis vos?* Tum quia ad inferni supplicia damnantur: *Totus mudus damnabitur, nisi haec quae sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Tertul. de Pud. 16 D. Aug. l. 12. Trin. 12

Attamen quàmvis foedae cogitationes sint scelerosae, gratiam destruant à coelo exulent, Dei templum polluant, Spiritum sanctum ejiciant, Dei animadversionem incurrant, ad tartara deducant; multi tamen sive ruri, sive in domo, sive solitarii, sive in coetu conversantes, sive in foro, sive in templo, libidines animo volutant, ad instar eorum quos aquis diluvii de terra delevit Dominus: eò quòd, ait sacer textus, [Cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.] Hebraea lectio habet: *omne figmentum cogitationum tantùm intentum esset ad malum.* In hoc enim solo vacabant ut foedas libidinis conciperent imagines, in formandis voluptatis figmentis cunctas adhibebant mentis cogitationes, *subservire facientes affectionibus rationem, ut etiam excogitent alias nequitiae ideas; & hoc non semel aut bis, sed per totam vitam.* Insano mentis abusu, pecuinis affectionibus ratio subserviebat, novas excogitans luxuriae ideas. In his figmentis non semel aut bis mens rationis utebatur ministerio, sed continuò & indesinenter; non quodam speciali in loco, sed ubique; non aliquo intervallo, sed semper & omni tempore; non in aliqua duntaxat aetate, sed per totum vitae spatium; non ex subreptione, sed ex advertentia & deliberatione; non aliqua cogitatio, sed cuncta cogitatio intenta erat ad malum: *Magna horum verborum emphasis. Non dicit, aliqua cogitatio, ut diverterent quandoque ad bonum; sed cuncta cogitatio: non ex subreptione, sed ex corde cogitabant; idque omni tempore, per singulas horas in hoc studium suum collocabant: nec semel & iterum, vel fortuitò, explantati à peccato, à malitia sibi temperabant, sed diligenter eam omni tempore exercebant.* Nonne carnales illos homines imitantur plures libidinosi Christiani, nihil aliud cogitantes, nulli rei studentes, nihil operantes, quod non dirigatur ad captandas & explendas venereas voluptates, ad quas multimodè incitantur. Gen. 6 Theodor. q. 47 S. Chrysost. hô. 22 in Gen.

II. PARS. *Nemo nolens fornicatur, nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa; nescit quodlibet cogi.* Quàmvis homo libertate praeditus, non coactè sed voluntariè lasciviat, ad luxuriam tamen allicitur: quod acutè deducit D. Bernardus de luxuriae curru sic disserens: *Quadriga volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitûs, mollitie vestium, otii soporisque resolutione: trahitur equis aequè duobus, prosperitate vitae, & rerum abundantia, & qui his praesident duo, ignavia torpor, & infida securitas.* Venerem velut in triumphali curru Tert. l. de Pud. 22 Serm. 39 in Cant.

rota-

D. Ambr. l. 1. de Pœn. 14
Ser. de Fallac. vitæ cult.
L. 2. de Cult. fœ 9
Orat. in Cypr.
Theodoretus Heraclætes in Cat. Græc. Pat.
In cap. 18 Ezech.
Cassian. l. 10. Inst. 23
Cap. 10
Tert. l. de Pud. 7

rotatam bellè repræsentat Bernardus, currûs quatuor rotas dinumerans, equos trahentes denotans, aurigas quoque nuncupans. Prima hujus rota, est ventris ingluvies: nam *pascitur libido conviviis, vino accenditur, ebrietate flammatur*. Secunda rota, est luxuriæ ignis libidinosis actibus sufflammatus. Ut autem ait ipsemet Bernardus: *Ipse ignis propriis fomenta consumit, nec nisi ipsâ consumptione fovetur*. Tertia rota, est vestium mollities, à qua Christianas mulieres dimovere nititur Tertullianus: *Ergo benedictæ, lenones & prostitutores habitus ne in vos admiseritis*. Quarta rota, est sopor seu corporis requies: namque Gregorio Nazianzeno teste, *est spiritus unus qui præcursor dicitur, qui nos è somno surgentes protinus excipit, hic primum nostrum cogitatum inquinare nititur*. Quadriga duobus trahitur equis; quorum unus est vitæ prosperitas, libidinosi namque *pro viatico iniquitatis habent prosperitatem*: alter est rerum abundantia. Ut enim ait Hugo Cardinalis: *Temporalis abundantia pulchra est ad videndum, & amatur, & amat ventrem; quia abundantia comes est luxuriæ*. Duo autem aurigæ Veneri præsident currui. Unus ignaviæ torpor: *Operans uno dæmone, otiosi multis pulsantur*, quibus inducuntur ad lasciviam. Quapropter inter causas luxuriæ Sodomorum, Ezechiel propheta ponit otium: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & otium*. Alter currûs venerei auriga, est infida securitas: *Securitas delicti, etiam libido est ejus*. Explanato autem Veneris curru D. Bernardi acumine excogitato, homo adhuc multimodè ad luxuriam inducitur; 1. Naturæ corruptione. 2. Diaboli tentatione. 3. Lasciviendi occasione.

Tert. l. de Pud. 6

1. *Lueserit ante Christum caro, adhuc in Adam deputabatur cum suo vitio, facile quod est speciosum concupiscens, inhærebat usquequaque libidinis virus*. Antequam protoparentes vetitum pomum comederent, nullum sentiebant venereæ pruriginis virus, ideoque nudi absque ulla verecundia incedebant; verùm statim ac impermissæ arboris gustârunt fructum, Veneris æstuârunt prurigine, intellexerunt se esse nudos, & pudoris causâ ad tegendam corporum nuditatem ficulnea folia carpserunt: *Nam & principes generis Adam & Eva quandiu intellectu carebant, nudi agebant; at ubi de arbore agnitionis gustaverunt, nihil primum senserunt, quàm erubescendum*. Libidinis virus, quo post originale delictum æstuârunt protoplasti, inhæret eorum nepotibus, qui ita concupiscentiæ æstuant ardoribus, quod, ut ait S. Clemens Romanus, *de quolibet homine dici potest: Nec est qui se abscondat à calore ejus*. Solus Christus per naturam, ejusque sanctissima Mater, per gratiam ab illo fomite fuerunt immunes; cæterorum autem nullus est, qui ab hoc igne aliquo modo vel non arserit, vel non calefactus, vel saltem fumigatus aut ustulatus non fuerit. *Nullum sine igne fulmen venit, sed hoc propriè igneum dicimus, quod manifesta ardoris vestigia imprimit, quod aut urit, aut infuscat*. Idipsum dici potest de concupiscentiæ igne, qui vel viscera nostra depascit, & consumit, vel inflammat, vel infuscat. Quapropter Apostolus vel de semetipso loquens, vel in se peccatoris personam ostendens, se ab Adamo, pretio pomi

Tert. l. de vel. Virg. 11
L. 9. Recog.
Sen l. qu. c. 40

pomi venundatum sub peccato declarat; deinde sese venundatum sub peccato, carnalem prædicat: *Ego autem carnalis homo venundatus sub peccato.* Adamus peccans carnalis effectus est, & carnales suos efficit posteros, eis simul cum natura vitiata communicans per generationes carnis concupiscentiam. Rom.7

Deus in veteri Testamento, ut homines à carnis deterreret vitio, præcepit ut circunciderentur in illa corporis parte, per quam carnis communicatur simul cum peccato originali concupiscentia: *Circuncisio ista non tam salutem pollicetur, quàm locum caputque criminis monstrat: Adam etenim cum hoc membro illicitum pomum decerpsit, sic in genus humanum jus mortis induxit: necessariò ergo luxurioso populo Deus hoc signum dedit, ut per locum matricalis culpæ quam denotat, etiam alia crimina fugienda cognoscat.* Adam nimis amans uxorem, ne illam renitendo contristaret, prævaricatus est, & ex primordiali delicto concupiscentiæ persensit rebellionem. Et quia Adam illicitum pomum decerpsit cum circuncisionis membro, exinde circuncisio dedicanda erat, quæ locum matricalis culpæ denotaret, quasi concupiscentia sit originalis delicti matricalis origo. Verùm si Adami concupiscentia fuit matricalis origo delicti, in Adami filiis matricalis culpa est origo concupiscentiæ; ad cujus temperandos æstus in novo Testamento, ultra sacramentum Baptismi in quo originalis deletur culpa, Christus nobis corpus suum præbet & sanguinem in sacrosancto Eucharistiæ mysterio. Ad hunc finem instituit Baptismi sacramentum, in quo, ut ait D. Cyprianus, renascimur ex pudicitia; ad hunc finem ordinavit adhuc Incarnationis mysterium, in quo humanam assumens naturam *antiquam plasmationem restauravit*, & mediâ suâ humanitate nos sibi univit; & quasi hæc non sufficiant, in Eucharistia corpus & sanguinem suum nobis manducandum & bibendum subministrat; & ut fatur Regius Vates, *mittit crystallum suam sicut buccellas.* D. Hilarius legit, *sicut frusta panis*: ubi & lux immensa, & Solis velut splendor, & crystalli nitor, à purissima Christi carne procedit, quæ etiam vim sui candoris ac lucis virtutem mirabiliter infundit in eos, qui devotè & piè ad sacram accedunt mensam: *In carne Christi occurrit paterna lux, & à carne cum rutila in nos venit, & sic homo devenit in incorruptelam.* Quod denotatum ait Hugo Cardinalis per aquam, quæ simul cum sanguine de latere Christi emanavit, & adhuc per aquam, quæ calici infunditur, *quia sitim cupiditatis & peccati extinguit.* Quod præfiguratum vult D. Paulinus per aquam in deserto de petra fluentem: *Illa petra, quæ nos inter hujus seculi deserta sitientes justitiam, sequaci fonte persequitur, & dulci potu refrigerat, ne carnalium cupiditatum æstibus peruramur.* Quid tam hominibus expetendum, quàm refici eucharistico potu, qui sitim cupiditatis extinguit, & carnalium cupiditatum æstum refrigerat? Homo ex carnis corruptione calet cupiditatum æstibus, & æstuante peccati fomite ad libidinem sufflammatur: sumat carnem Christi incorruptam, purum ejus bibat sanguinem, hoc sacrosancto cibo, cœlesti illo poculo cupidinis migratur æstus, concupiscentiæ refrigeratur ignis, ne carnalium voluptatum peruratur igne.

S. Zeno Serm. de Circunci.

S. Iren. l.5 c.32

Ps. 147

S. Iren. l.4. c.37

In c.6. Joan.

Epist.30

Sibi continentiam invident, qui cœlestem illum negligunt cibum, qui ab Eucharistico abstinent potu, qui sacram fastidientes Mensam, quæ concupiscentiæ fomitem refrigerat & mitigat, gulæ indulgent quæ libidinis ignem sufflammat. Nam *totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoribus æstuans; prameditatorium efficitur latrinarum, in quo nihil tam in proximo superfit, quàm ad lasciviam sapere.* Nam ut recognoscit etiam Ethnicus solâ naturali luce illustratus, *præmium summum ebrietatis, portentosa libido, ac jucundum nefas.* Ut constat exemplo Loth, qui vino ebrius duas filias incestuosè cognovit; & ut fatur Petrus Damianus, *pudoris munditiam vinum in solitudine unâ nocte suasit amittere, quam inter tot adulteros ipsa non potuit Sodoma violare.* Quemadmodum *sine Cerere & Baccho friget Venus*; ita Cerere & Baccho comitata calescit: *Sed Veneri & Libero convenit. Duo ista dæmonia conspirata & conjurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis.* Quare Petrus Damianus quosdam juvenes comessationibus & ebrietatibus assuetos sic alloquitur: *Fervent, fervent in ossibus bella, & tanquam vagus Vesuvius, vel Aethna, vaporati corporis vestri caminus, flammarum globos eructat.* Adeò natura corrupta, æstu concupiscentiæ succensa, escis stipata, vinis inundata, eructat libidinis globos, ad quod adhuc sufflammatur sufflante dæmonum tentatione.

Tert. l. de Jejun. 6 — Plin. l. 14 c. 22 — Opusc. 6 c. 23 — Terent. Act. 4. scen. 1 — Tert. l. de Spect. 10 — Opusc. 13 c. 1

2. Quorum *tot venena, quot genera*; *tot pernicies, quot & species*; tot flammæ, quot tentationes, quibus *mundas mentis nostræ cogitationes ardore libidinis accendunt.* Quandiu sumus in hoc mortali corpore, in sinu nostro deferimus concupiscentiæ ignem, inter prunas ambulamus: *Has prunas accendit diabolus suggestionibus pravis.* Idcircò nuncupatur *immundus spiritus*, quia immundas spirat cogitationes, & ad obscœna opera perpetranda sollicitat. Et ob eandem rationem *auctorem incontinentiæ diabolum esse Apostolus docet*: *Ne tentet, inquit, vos satbanas per incontinentiam vestram.* Licèt enim in omnibus aliis peccatorum generibus tentet, majori tamen industriâ & solicitudine de lascivia tentat: Tum quia magis sibi homines per luxuriam, quàm per alia subdit vitia: *Libidinosis plus dominatur.* Tum quia majori facilitate vincit; majori namque difficultate Veneris illecebris, quàm aliis passionibus resistitur: *Scit adversarius ille noster quanta sit vis hujus cupiditatis, quam quidam necessitatem dicere maluerunt*, quia ad illam naturali inclinatione allicimur: Tum quia plures victorias de hominibus per luxuriam reportat: *Ensis diaboli luxuria: heu quot illa interfecit romphæa! Non est aliud peccatum, quo toties diabolus victor existat.* Tum quia in libidinosis maximè inhabitat; & ut fatur Tertullianus: *totos homines in possessionem* sibi vindicat, animas & corpora eorum possidens. Animas quidem: nam *per fornicationem filij Dei fiunt filij diaboli.* Corpora etiam, quomodo incestuosum Apostolus tradidit *in possessionem satanæ.* Quod Archangelus Raphaël Tobiæ juniori declaravit, qui Saræ recusans conjugium, eò quòd dæmon septem illius occidisset sponsos, [Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium.

Tertull. Scorp. 1 — D. Greg. l. 2. Mo. 15 — Hug. Cardinal. c. 7 Prov. — Luc. 22 — D. Ambr. in Ps. 118 Oct. 16 — D. Bern. Ser. de S. Bened. — Lact. Firm. l. 3. c. 25 — Euseb. Emiss. ad Damas. — L. de Pud. 13 — D. Ambr. l. 2. de Abrah. 4 — Tert. l. de Pud. 14 — Tob. 6

monium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.] Tum maximè diaboli homines de libidine tentant, quia ex ipsis sumunt vires & arma quibus eos vincant: *Luxuriosis dæmones plus fautores existunt, dumq; in cæteris vitijs spiritus maligni deserviant, his tamen majori familiaritate junguntur, eisq; amplius juxta desiderium famulantur.* D. Isid. l. 2 Sent. 36

Tria sunt in homine, quorum ministerio *immundi spiritus* eum ad libidinē inducunt: scilicet caro, passiones, & sensus externi. *Citò natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam secum caro quæ semper in lapsu est*; caro concupiscentiæ ardore succensa, pudicitiæ insidiatur, *carnis insidijs se diabolus, & socium miseriæ, & ducem facit.* Diabolus carnis expers, sese humanarum libidinum socium exhibet, carne ipsiusmet hominis, libidinis peragens negotium. Itaque *adulterium qui perficit, diaboli portio est*; quia diabolus stimulo & carnis fomite illum ad adulterandum induxit. Et quia *passiones intrinsecus velut in radice carnis fixæ solidantur*, passionibus adhuc utitur dæmon ut hominem ad libidinem succendat, & propriis eum jaculis confodiat: *Iacula sunt inimici, omnes passiones carnales, quas intrinsecùs diabolus jaculatur in animam*, & ut majori impetu feriat, & *pestiferis corporis passionibus* magis inficiat, & ad libidinē sufflammet, utitur externorum sensuum ministerio, maximè oculorum. Etenim *oculis objicit irritabiles formas, suggerit fomenta*; nimirum concupiscentię accendit fomitem, objiciens oculis decoras fœminas ad libidinem concupiscentiam sufflammantes: *Arma diaboli sunt mulieres, sunt balistæ de longè infigentes.* Si quæramus à Patribus: Quid est mulier? respondet D. Hieronymus: *Diabolum mulierem accipimus*; quia eâ utitur diabolus tanquam luxuriæ tormento. Quid est mulier? respondet S. Joannes Damasc. *Causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio*; quia mulier diaboli causas agit, & dæmon in ea suaviter requiescit. Quid est mulier? respondet D. Hieronymus: *Ianua diaboli, via iniquitatis*; quia per eam accessum habet diabolus, & intrat in cor ut illud possideat. Quid est mulier? respondet D. Chrysostomus, *Antiquum diaboli organum.* Hoc organo in paradiso decepit Adamum, & in mundo innumeros homines superavit. Nam [per arma muliebria strenuissimos olim debellavit duces. Adam quippe de paradisi amœnitate dejeci; Loth in filiarum contulit stuprum; Samson in manu Philistim dedit; David in adulterii atque homicidii crimen induxit; Salomonem etiam sapientia perdita alienigenarū Deos thurificare coëgit; Apostolorum novissimè principem in magistri negatione prostravit; hominum quoq; redemptio mediante Pilati uxore, ne fieret, laboravit:] & etiam nunc ut mortales infestet libidinis peste, *fœmineis magis illecebris, quàm suis committit venenum*; quę animas toxicant, corpora ad luxuriā inflammant, & ad Venerē adducunt, prętertim si lasciviendi occurrat occasio.

Tert. l. de Pud. 5 / D. Cypr. l de Disci. & Bon. Pud. / D. Ambr. in Ps. 118 / Chrysol. Ser. 112 / Imperf. Homil. 1 in Matth. / D. Amb. l. 6. ep. 26 / Lact. l. 3 c. 23 / D. Bon. Diæt. Sal. c. 9 / In cap. 7 Eccles. / Parall. c. 761 / Epist. ad Ocean. / Hom. 3. de pœn. Job. / Laur. Just. de triūph. Ago. Chr. c. 13 / D. Chrysost. ibid.

3. *Quis occasionem licentiæ amplexetur*, nisi qui continentiam amittere desiderat? Licèt enim non semper de facto lasciviat, attamen sese lasciviendi expo- Tert. l. de Exh. Cast. 8.

Ecclef.3 exponit periculo, & *qui amat periculum, peribit in illo*. Eo enim ipso quo sese proximo exponit peccandi periculo, etsi exteriori actu peccatum non compleat, admittit mortale peccatum, quia manifesto sese exponit periculo, Dei amicitiam ejusque gratiam amittendi. Quemadmodum qui temerè & absque ratione se amittendi vitam exponit periculo, [ædes infectas adeundo, tenuem glaciem scandendo, cum leonibus ludendo,] vitam suam vilipendere dicitur; sic qui sese exponit periculo lethaliter peccandi, Deum contemnit, Tert. ibid. suamque animam vilipendit. Itaque *propter incontinentiæ periculum* vitanda est proxima lasciviendi occasio: periculum autem proximum illud est, quod experientiâ teste ut plurimum inducere solet in peccatum. Occasio quoque D.Greg in c.Negotium de pœn.vit. l.2.q.6 proxima ea est, *qua non possumus, vel certè non possumus sine difficultate, uti sine peccato*. Qui proximam peccandi occasionem vitare nolunt, peccant, verè non pœnitent, nec sunt absolvendi. Peccant; nam ut ratiocinatur D.Thomas, *qui vult causam, ex qua necessariò vel regulariter sequitur effectus, cupit virtualiter effectum*. Verè de peccato non pœnitent, quia peccati non tollunt l. de Dogmat.Ecclef.c.54 24.q.2 fomentum. Ex D.autem Augustino, *satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas exscindere*. Tandem absolvendi non sunt, ut constat ex capite Legatus, ubi Gelasius Papa admonet Faustum, *absolvendos non esse qui in errore & occasione peccandi suâ culpâ immersi sunt*.

Cunctorum peccatorum tollendæ sunt occasiones, præsertim dum lasciviendi adest periculum, quomodo passim Doctores intelligunt istud domi- Matth.5 Marc.9 nicum: *Si oculus, aut pes, aut manus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te*. Hoc autem Domini præceptum aut consilium non in sensu litterali, sed in morali intelligit Glossa: *quia non solùm peccata vitanda sunt, sed & occasiones* Hom.17 *peccatorum tollendæ*. D. verò Chrysostomus per manum abscindendam intelligit mulierem amicam, quæ aspectu, gestu, voce, consortio, contubernio, ad libidinem instigat. Abscinde eam, ejice ancillam, ejice pedissequam, om- Clem. Alex. l.3. Pædag.11 nem peccandi occasionem abscinde ne pereas: *Occasio turpitudinis causa est*. D.Ambrosius causam indigitans, cur puella virtutis studiosa, de castitate in Lib.2 de Pœn.8 lasciviam lapsa sit, respondet: *Fortè adolescentula capta est occasionibus, quæ delictorum fomites sunt*. Quot etiam viri pietate insignes *per luxuriæ occasionem* Ter l.2. de Cult.fœ.8 miserè lapsi sunt? Taceo Salomonem de sapientia commendatum, Davidem virum secundùm cor Dei existimatum, Samsonem tantâ fortitudine praeditum, ut solus Philisthinorum debellaret copias, ut lugeam cum D. Augustino casum multorum, qui in novo Testamento mundum justitiæ illustrabant splendoribus. [Experto crede, coram Deo non mentior: cedros libani, duces gregum hac peste cecidisse reperi: de quorum casu non magis suspicabar, quàm Hieronymi, vel Ambrosii.] Idipsum lamentatur D. Cyprianus, vel po- De singul. Cleric. tius Origenes: *Mentior si non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi & Clerici simul, & laici post confessionem victoriarumq́, calcata certamina, post magnalia & signa, vel mirabilia usquequaque monstrata noscuntur cum his omnibus naufragásse, cùm volunt in navi fragili navigare? Quantos*

leones

leones domuit una infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis effecit prædam. Longè sit pestis ista, & lues, & clandestina pernicies. O quàm inordinabilis fœmina propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium. Plura, potissimum quatuor notatu dignissima dicit dubius Cyprianus. Primò quòd mulieris vicinia est delictorum latrocinium: Tum quia mulier lascivè spectata deprædatur animam juxta istud Threnorum: [Oculus meus deprædatus est animam meam.] (Cap. 3) Tum quia oculus dum animam deprædatur, exercet libidinis latrocinium alienam concupiscens uxorem. Tum quia lascivia in latrocinii socios cætera advocat delicta: nam ut ipsemet fatur Cyprianus: *Semel dixerim omnis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum.* Secundò, inordinabilis fœminæ propinquitas jaculatur mortifera tela, cui arridens D. Basilius ait: (In c. 3. Esa.) *Fœmina jactu oculorum sagittam planè exitialem emittit.* Quòd si Tacito teste (De morib. German.) *primi in omnium prælius oculi vincuntur*; quantò magis in prælio castitatis? Quapropter Gregorius Nyss. visum nuncupat (Hom. 4 in Eccles.) *bellicum velut arietem*, qui primò quatit oculos, mox animum labefactat. Inde docet D. Augustinus, (Serm. 83 de Temp.) *prima adulterij oculorum tela sunt.* Christianum olim de oculorum modestia laudabat Tertullianus: (Apol. 46) *Christianus salvis oculis fœminas non videt; animo adversus libidinem cæcus est.* Ita oculorum comprimebat aspectum, ut non magis oculis abuteretur ad lasciviam, quàm si penitus orbus fuisset, & usu luminis destitutus. Hac autem ætate quàmplures ab illa modestia degenerantes *oculis fornicantur*, fiuntque, ut fatur Tert. *dæmonys penetrabiles*: nam (Gregor. Nyss. hò. 3. in Eccles.) tunc Christianus orci sagittis vulneratur ad mortem: *Si oculum impegerit libidinosè, & animam commoverit impudicè.* Bellè Magnus Basilius mulieris aspectum comparat cum basilisci visu, suo aspectu lethaliter toxicantis spectatores: (Lib. de Spect. 26) *Par est serpentis & libidinis indulgentia; nam ut occasionem invenerint, mortem statim afferunt.* Tertiò, mulieris conversationem nuncupat clandestinam (Tert. l. de Idol. 2) perniciem, luem, pestem: *De carbonibus scintilla disiliunt, de ferro rubigo nascitur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentia pestilentiam.* (S. Nilus de octo vitios. cogit.) De mortifera illa peste sic fatur D. Bernardus: [Hæc pestis quo præ cæteris vitiis est mihi familiarior, eò ad nocendum proclivior, & ad repellendum difficilior. Subtiliter intrat, mentem occupat, & nisi subitò repellatur, allicit & incendit, & quasi virus pestilentiæ per totum corpus paulatim se diffundit.] (D. Cypr. De Inter. Do. c. 19) Dum lues grassatur, fœtidos spirat odores; verùm *pejores immunditias exspirat mundus, libidines hominum.* (Tert. l. ad ad Mart.) Tempore pestis infestus aër inficit corpora: *libidinum vaporata momenta* inficiunt animas. (Tert. l. 1 de cult. fœ. 2) Adeò periculosa est pestis, ut ad illam evadendam à contagiosis locis fugiant mortales. Fœminarum conversationem, *periculosam pestem* vocitat D. Bonaventura, à qua fugere debent (De modo confit c. 1) qui nolunt mortiferâ toxicari labe: *Separamini obsecro, separamini à contagione pestifera.* (D. Cypr.) Ut Christianus ab hac contagione sit illæsus, *quasi contagium declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum.* (D. Ambr. l. 2. de Abrah. 8) Quartò, Cyprianus ex casu tot virorum illustrium, qui de castitate in lasciviam lapsi sunt, cautos & solicitos desiderat Christianos, ne similiter & ipsi cadant: Ni-

mium præceps est qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse.

Belle Tertullianus funambulo comparat Christianum, qui in propria virtute confidens, vel potius de præsumptione tumens, pudicitiam suam gravi exponit ruinæ periculo. *Age tu funambule pudicitiæ & castitatis, qui tenuissimum filum pendenti vestigio ingrederis.* Funambulus seu in aere supra funem incedens & saltans, ut plurimum ruit, & fracto corpore perit. Funambuli instar cadunt qui se lasciviendi exponunt periculo. *Quantum possumus nos à lubrico recedamus, in sicco quippe parum fortiter stamus.* Qua fronte captabimus *difficulter declinabiles* lasciviendi occasiones, nos qui adeo fragiles sumus, qui in nobismetipsis habemus concupiscentiæ fomitem? *Difficile quis venenum bibet & viret: verendum est dormienti in ripa, ne cadat:* & ut fatur D. Chrysostomus: *juxta præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit tamen, & sæpenumero ab ipso submersus tremore decidit: Ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens cum timore vivit, & in ipsa labitur sæpius.* Inde concludit D. Hieronymus: *Quid tibi necesse est, in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere? quis unquam mortalium apud viperam securus somnos capit, quæ etsi non percutiat, certe sollicitat,* timoreque indesinenter angit? Profecto *liberanda & violenter eripienda est de periculosis locis navis, ne inter scopulos & saxa frangatur; extrahenda est velociter de incendio sarcina, priusquam à flammis supervenientibus crémetur: nec evadere diabolum servus Dei poterit, qui se diaboli laqueis implicaverit.*

Hujus autem astuti serpentis laquei sunt: 1. *Lascivi aspectus, cum per eos cupiditas ineat prima pugnæ præludia;* intre autem hujus pugnæ præludia, pene vinci est. 2. *Mortifera conversatio atque confabulatio* viri cum muliere: nam *verba petulantis mulieris cupiditatum sunt retia,* quibus irretiuntur homines. 3. Tactus: nam ut subjungit Mediolanensis antistes, *manus ejus amoris nodus est.* Loquitur de muliere petulanti. D. quoque Hieronymus vere asseverat; *tactum & jocos esse moritura virginitatis principia.* Manus, quas Lactantius Firmianus appellat *rationis & sapientiæ ministras* ad obscœnum adhibent ministerium: &, ut cum indignatione & dolore ait Eusebius Emissenus, *homo deputat ad instrumenta nequitiæ, ornamenta naturæ.* 4. Venereæ cantilenæ quas *lethales suavitates* nuncupat sanctus Leo; quia, ut fatur Valerianus Episcopus Cemeliensis, *cum oblectant, sæviunt: cum blandiuntur, occidunt.* Easdem adhuc D. Chrysostomus vocitat *satanicas odas*; quia earum auctor est satanas, ut illarum suavitate & lenocinio homines ad lasciviam alliciat. Idcirco D. Hieronymus hortatur vitandam esse *cantoris diabolici venenatam dulcedinem;* & D. Cyprianus in blanditiis muliebribus nihil putat venenosius, quam cantum fœminæ delicata vocis inflexione modulatum, esseque *tolerabilius audire basiliscum sibilantem* quam mulierem modulate & suaviter canentem. At proh dolor! *quam multi cantica diabolica, amatoria, & turpia, ore decantant.* 5. Oscula, quæ Clemens Alexandrinus appellat *amatorias salutationes;* quia

L. de Pud. 10
Sen Epist. 116
D. Bern. de Inter. Dom. c. 29
D. Cypr. Hom 15 ad Pop.
Epist. 47.
D. Cypr. Ep. 62
Clē. Alex. l. 3. Pedag. 11
D. Joan. Damasc. in Prat. c. 76
D. Amb. l. de Pœn. 5
In Vit. D. Hilar.
L. de Opif. c. 10
Hom. 4. de Epiph.
Ser. 4. de jej. 7. Mēs.
Hom 6
In Ps. 117.
Epist. 9.
De Sing. Cler.
Cat. hom 20.

quia luxuriæ imprimunt irritamentum: In primitiva Ecclesia erat *pacis osculum, signaculum orationis*, quo ad invicem viri viros, fœminæ fœminas salutabant. *A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus*: nunc autem ad denotandum venereum amorem, vir fœminam osculatur, quæ *inter amplexus & oscula concalescit*; & facile in mœchiam & adulterium labitur. Ut enim ratiocinatur Eusebius Emissenus, *osculum pars adulterij est: per hoc enim crimini ostium, & mortis initium fit; etiamsi nondum in opere consummetur iniquitas, perfecta est jam in corde captivitas.* Tandem 6. ut subjungit Eusebius Emissenus, *periculosus est malæ conversationis usus, & irrevocabilis ad deteriora descensus*: quod non ignorans Hesiodus licet gentilis, ait Venerem homines ad lasciviam allicere per (virgineas confabulationes, & risus, & deceptiones, oblectationesque suaves, & amicitiam blanditiasque.) Et ut fatur Tertullianus, *ipsa virorum ac mulierum consessio; ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio, inter se, de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Nec mirum, (cum vi naturæ insitus sit quidam ignis,) cui materiam subministrat Venus, etenim *voluptas est veluti quidam hamus diaboli, ad perniciem nos trahens.* Quo periculosiora sunt lasciviæ irritamenta, eo majori sollicitudine sunt præcavenda, & cum libidinis negotia *ea sint quæ culmen criminum teneant, nobis maxima aut summa, sic quoque præcaventur*, adhibendo remedia illis irritamentis necessaria.

L. 2 Pæd. 11 Orat. 14 Just. Mart. Apol. 2. Tert. l. de vel. Virg. 14 Hom. 1. Q ad. in Theogon. Lib. de Spect. 23 Isid. Pelus. l. 1. Ep. 53. D. Basil. Hom. 4. de Pœn. Tert. l. de Pud. 1

Crimina manebunt, si remedia vacabunt: Et quia multa sunt incentiva libidinis; siquidem *in varias formas se mutat cupiditas, quæ plusquam Protheus marinus dæmon varius, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam figuram suscipit, & ad libidines, stupra, & adulteria allicit.* Tot lasciviæ fomenta multis & variis sunt restinguenda remediis. Grandis sane est virtutis, & *sollicitæ diligentiæ, in carne non carnaliter vivere, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem, Argi, ut fabulæ ferunt, centum oculis observare.* Adversus multiformis illius Prothei insidias, aliorsum multa subministravimus propugnacula: ne actum agamus, tria duntaxat in præsentiarum afferemus, 1. jejunium & mortificationem, adversus carnis corruptionem: 2. fidem & orationem, adversus diaboli tentationem: 3. fugam & sollicitudinem, adversus lasciviendi periculum & occasionem.

II. PARS. Tert. l. de Pud. 1 Clem. Alex. l. 3. Pæd. 2. D. Hier. Epist. 10. ad Furiam. Tertull. Præd. to. 2 Tract. de cast. conc. 1

1. Belleait ad propositum Tertullianus: *Rejecta sane gula, & spurcitia, lascivia est appendix gulæ*, qua sublata tollitur lascivia; per jejunium autem quo rejicitur gula, rejicitur etiam ejus appendix luxuria. Nam ut ratiocinatur D. Cyprianus, *jejuniis vitiorum sentina siccatur, concupiscentiæ languent, extinguitur ardentis Ætnæ incendium: jejunium omnem carnis rebellionem edomat, tyrannidem gulæ spoliat & exarmat.* Jejunium arma suppeditat, ad retundenda & restinguenda ignea libidinis tela, inflammata à gehenna, & à stygio hoste immissa. Sciscitatur Albertus Magnus, cur Ninivitæ non ad preces, non ad eleemosynas, non ad lachrymas & planctus duntaxat se contulerint, sed ad jejunium: Scilicet *jejunium prædicaverunt, ut fomenta*

Lib. 2. ad Nat. 8 De jejun. & tent. Chr.

22.q.47 a.1 *fomenta libidinis subtraherent.* D. quoque Thomas investigans rationes, ob quas jejunium institutum est; primum assignat *ad concupiscentias carnis reprimendas.* Admirandum sanè Josephi facinus dominæ blanditias & amores quotidie respuentis. Si quæramus à D. Augustino, unde adolescenti tanta virtus, tam admiranda constantia; respondebit: A jejunio. A die enim, quo integerrimus Joseph Putiphari ingressus est domum, carnis maceratione & assiduis jejuniis sese armavit adversus impudentis dominæ lasciviam; Gen: 49 Serm: 230 de Temp. [Nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur.] Unde *jejunium ita castissimi Ioseph mentem purgaverat, quòd carnem spiritui subjecerat, incontinentia nebulas dispersérat, libidinum ardores mortificaverat, & castitatis verum lumen accenderat.* Orat. 18 Hanc jejunii virtutem in B. Justina commendat Gregorius Naz. quæ vehementissimè ab amatore oppugnata, qui etiam mali spiritûs utebatur ministerio, triplex armorum arripuit genus: nempe orationem, jejunium, & chameuniam; quæ nuncupat antidota præstantissima, egregia medicamenta, alexipharmaca, quibus tuta consistit pudicitia: præsertim duo postrema adhibuit Virgo, quæ ad dolorem & molestiam carni inferendam pertinent; tum ut formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret: tum ut flammæ materiam subtraheret, & libidinis fomitem absumeret: tum ut per suî macerationem propitium sibi Deum redderet; neque Gell. Noct. Attica c.1 enim Deus ullâ re adeò conciliatur, *ut corporis ærumnâ & afflictione.*

Oppugnabat Sylla Pyræum Athenarum portum; contrà Archelaus turrim ligneam, defendendi gratiâ structam propugnabat: eduxit copias Sylla, & omni quâ potuit industriâ conatus est turrim illam, quæ interposita obstabat, accendere. Venit, accessit, ligna subdidit, submovit Græcos, ignem admovit, satis diu intenti, nunquam turrim incendere valuerunt: eâ quippe solertiâ Archelaus omnem ligni materiam alumine, quod ignis est patiens, undique obliniverat, ut flamma turrim circumplexa adurere non potuerit. Caro nostra materia concipiendis ignibus apta, castigationis alumine linienda est contra fœdas libidinis flāmas. D. Cyprianus, seu author libri de operibus cardinalibus Christi, Circuncisionem appellat *magnum mysterium* institutum à Deo, ut homines propriæ sectionis memores adverterent *ad cohibendos refrænandosque turpitudinum appetitus, necessarium esse sale corrosorio carnis perfricare pruritus, & semper recrudescentes desiccare putredines.* Et quia, ut fa- Serm: 24 tur Chrysologus, *in lumbis est tota corporis causa, ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsûs, humanæ fragilitatis occasio, tota in* Hom: 13 in Evang. *præcingendis lumbis mandatur cura.* Ut autem docet Magnus Gregorius: 22.q.151 a.1 [Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus] Animadvertit Angelicus Doctor castitatem *à castigando* fuisse nominatam, quia nequit illibata conservari, nisi adhibeatur castigatio corporis ad la- Tert. l. de Pud. 13 sciviam proni, quomodo Apostolus, *sed & ipse datum sibi ait sudem, Angelum satanæ, à quo colaphizaretur, ne extolleret:* rebellem tamen castigabat 1. Cor. 19 carnem, ut eam in officio detineret: (Ego igitur sic curro, non quasi

in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum & in servitutem redigo.) Paulus in jejuniis multis, in vigiliis, in fame & siti, in frigore & nuditate, carnem macerat, & asperitatibus vexat & domat: Quid autem velit Apostolus dum carnem castigando, aerem se non verberare ait, acute declarat Magnus Basilius: (Castigo corpus meum, non directe dixit, castigo vitia carnis, sed indirecte: & ita dæmonem confœderatum cum sensu nostro, qui in luto carnis delitescit, & tentare solet, peto, & illi plagas infero.) Dæmon cum sensu confœderatus, & in luto carnis delitescens, carnis castigatione persequitur, vapulat. Eodem modo Apostolum intelligit Magnus Gregorius: (Castigo corpus meum & servituti subjicio: unde præmiserat: Sic pugno non quasi aerem verberans, quia cum carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus, non aerem, sed immundos spiritus verberamus; & cum hoc quod est intra nos subjicimus, extra positis adversariis pugnos damus.) Non solum caro jejunio & castigatione domatur, subjicitur, sed adhuc dæmon percutitur, verberatur, & fide & oratione debellatur. L. de Virginit. Lib 30 Mor. 26

2. *Quoniam in ista specie carnis necessitas cogitatum movet, qua fere apud eamdem conscientiam fidei resistit, opus est fidei extrinsecus consilio; tanquam advocato adversus carnis necessitates.* Caro cum dæmone sociata ad luxuriam stimulat: adversus duos illos hostes inter se confœderatos duo etiam propugnacula opponenda sunt, carnis fomiti opponenda est fidei consultatio, dæmoni in carne delitescenti opponenda est ratio. Non enim castitatem possumus habere à nobis nec ab homine, sed à Deo. Non à nobis, quia est donum quod non à natura sed à gratia procedit: quod probe sciens D. Augustinus sic Deum deprecatur: *Continentiam jubes, da quod jubes.* Neque etiam ab homine quantumvis prædito aut generis nobilitate aut sermonis eloquentia, aut ingenii industria, aut quavis fortunæ & naturæ prærogativa: nam ut ratiocinatur D. Augustinus, est animi vecordis & stolidi credere *cum carne pulchrum faciat Deus hominem, animo castum ab homine fieri.* Igitur nemo potest à seipso habere castitatem, neque ab alio homine, sed à solo Deo; à quo piis precibus postulandum est continentiæ donum, maxime dum dæmon nos aggreditur. Tunc habenda est *sollicitudo tentationum, in postulatione tutela.* Divina postulanda est tutela in oratione; nam ut ait Gregorius Nyssenus, *Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est.* Hoc præsidium postulavit Apostolus, qui ut stimulum carnis reprimeret, Angelumque satanæ propulsare valeret, ter Dominum rogavit: imo ipsemet Salvator nos in tentationibus orandum docet; *Orate, dicens, ne tentemini.* Discipulis sciscitantibus cur diabolum non potuissent ejicere ab energumeno, respondit Dominus, *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire nisi in oratione & jejunio;* quasi oratio sit obstinatissimi dæmonis excantandi energia. Archangelus quoque Raphael nullum aliud remedium subministravit Tobiæ, præter orationem, ad enervandas diaboli vires. *Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies integros continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* Tert. l. de Exh. Cast. 1 Lib. 10 Conf. 29 Epist. 130. Tert. l. de Orat. 8 Orat. 1. de Orat. 2. Cor. 11 Marc. 9.

Habet potestatem dæmon in eos qui æstu libidinis inflammati, lasciviunt; cujusmodi fuerunt septem Saræ mariti: quo autem dæmonem libidinis instigatorem excantare possis, triduana oratione indiges.

Quantum necessaria sit ad castitatem oratio, probe demonstrant Davidis, Salomonis, & Judithæ exempla. Et quidem Regius Vates sic deprecatur: (Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.) Ubi Origenes: (Primum autem cor mundum creatur, deinde in ipso spiritus rectus innovatur in visceribus, deinde post hos duos spiritus, spiritu principali quis à Deo confirmatur, ut firmus & inconcussus permaneat.) Cor mundum, id est purum, & castum expostulat Propheta. Petit adhuc spiritum principalem; qui cordis munditiam in visceribus solidius confirmet, & adversus maligni spiritus tentationes muniat & roboret. Salomon quoque Davidis filius, cœlesti sapientia illustratus, & sua experientia doctus, prædicat continentiam à Deo esse in oratione postulandam. *Vt scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; adij Dominum, & deprecatus sum illum.* Tandem Judith suis orationibus, civitatem Bethuliam liberavit, & suam castitatem servavit: nam antequam adiret Holophernis tentorium, *ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum.* In oratorio suo pulchra fœmina congruis se accinxit armis ad tyrannum aggrediendum & debellandum. *Judith sanctissima, cujus precibus patuit cœlum, orationis arte arma victricia fabricavit,* quibus Holophernis caput amputavit, patriæ salutem & libertatem impetravit, & castitatem suam incontaminatam servavit. *Orationis favore castitas pudorem proprium servavit intactum,* ait D. Augustinus. Quemadmodum *gloriosa fœmina castitatem servavit oratio*, adversus salacis ducis lasciviam, ita oratio nos præstabit incolumes adversus spiritus immundi insidias. Verum, etsi Judithæ imitanda sit oratio, non semper aggrediendus est hostis; neque dandus est diabolo locus, temere nos exponendo cadendi periculis. Præsumptio sancto coercenda est timore, & fuga, occasio lasciviendi vitanda est.

(Psal. 50; Sap. 8; Judith. 9; D. Aug. Ser. 66. de Divers.; Ephes. 4)

3. *Timor fundamentum salutis est: præsumptio impedimentum timoris.* Qui enim timet, præcavet, neque temere sese exponit cadendi periculis; at *qui præsumit minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur.* Ille timendo, præcavendo, pericula fugiendo, securus est, neque incurrit salutis dispendium: iste non timendo, neque præcavendo, sed præsumendo, *non possidet tutam & firmam securitatem*, sed misere labitur, & salutis patitur jacturam. Adeo *infœlix & periculosa est præsumptio, ut multi dum se putabant vincere, victi sint*; at econtra timor adeo est fœlix, ut multi dum timebant superari, victores evaserunt. Fortitudine hostes vincere, obvium est, & vulgaribus prœliis familiare, at timore vincere, divinæ gratiæ denotat virtutem, quæ in infirmitate perficitur. *Magna compendia providentiæ,*

(Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 2; Tertull.; Tertull.; D. Aug. Ser. 250. de Temp.; D. Cyp. de Sing. Cler.)

ut aliquando fiat virtus & victoria per timorem. Qui audet non timere, gaudet superari; qui vero scit timere, is superare novit, & novo victoriæ genere, per timorem sibi comparat triumphum : & ob hanc causam prædicatur, (beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei;) seu ut expendit D. Cyprianus. (Beatus vir, qui veretur omnia per metum.) Inde Christianos hortatur S. Cyprianus, ut timidi sint ad occisionum fomenta, si intrepidi continentiam desiderant conservare. *Estote timidi, ut sitis intrepidi : & licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secundum verbum Apostoli, virtus in infirmitate perficitur.* Divinæ omnipotentiæ virtus maxime eluxit in Martyribus qui inermes & omni humano destituti præsidio, armatam tyrannorum superarunt potentiam, & nunc apparet in timidis Christianis qui lasciviæ occasiones pertimescentes victorias reportant per timorem. Quod eloquenter declarat D. Cyprianus : *Incomprehensibilis Dei pietas, secundum pugnas dedit & palmas, ut confitendo masculorum sævitiam superemus, & timendo fœminarum blandimenta vincamus ; dummodo & de virtute, & de infirmitate super nos Dominus glorias operetur, ut in omnibus & per omnia omnipotentem semetipse testetur, dividens differentias triumphorum.* Dominus sese omnipotentem ostentat, tum in Martyribus, tum in castis hominibus ; in utrisque virtus divina in infirmitate perficitur : in illis superans tyrannorum sævitiam, in istis vincens libidinis concupiscentiam: utriusque dividit triumphos; illis quia fortitudine & constantia vicerunt; istis, quia timore & fuga triumpharunt. In Martyribus non fuga sed præsentia, & occasio patiendi victoriam retulit ; at in re castitatis servandæ, & libidinis debellandæ, timor periculi, victoria est; occasionum fuga, triumphus est. Eccles. 25

In communibus bellis fuga ignominiosa est, & dedecoris plenissima, quia mollem & abjectum denotat animum, in quo nulla est in adeundis egregiis facinoribus constantia & fortitudo. *Malo miserandum quam erubescendum,* scilicet militem qui vulnera, imo & vitam probrosæ fugæ anteponat. Nam ut subjungit Tertullianus, *pulchrior est miles in prælio amissus quam in fuga salvus.* Quapropter Romani distinguebant inter vulnera aversa, & adversa, & militem à dorso vulneratum dedecorabant , honorabant vero eum qui fuerat ante & in facie vulneratus , & qui potius subiisset mortem , quam cessisset hosti. *Moriatur quoque modo, aut victor, aut victus.* Neque audiendus est Demosthenes qui ut fugam suam in Chersonensi prælio, aliquo prætextu palliaret, æmulis suis tale dedecus objicientibus, respondit : *Qui fugiebat rursus præliabitur ; ut & rursus forsitan fugiat.* Subjungit acute Tertullianus: Nam *quando vincet, qui cum fugerit, victus est ?* Aliter ratiocinandum est in castitatis prælio, in quo, ait Gregorius Nyssenus, *victrix est fuga ;* quam Christianis consulit Apostolus ut in illo certamine victores existant. *Fugite fornicationem.* Non dicit, ut animadvertit Theodoretus , odio habete & aversamini, sed fugite : *Quia cum omnibus vitiis resistendum esse prædixerat , contra libidinem non dixit resistite, sed fugite fornicationem : Ac si dixerit : Reliquis vitiis*

Tert. l. de Fug. in Pers. 10

Tert. ibid.

Lib. de Fug. in Pers. 10

1. Cor. 6

D. Aug. Ser. 250. de Temp.

tiis Deo adjuvante, debemus in præsenti resistere, libidinem fugiendo superare; sciens quam sit periculosum luxuriæ vitium, cui duntaxat fugiendo repugnandum est: *Non te vincat concupiscentia formæ; si non vincis, non congrediare peccatis, ne de te vitia coronentur.* Qui hæret in tentationibus illis excutiendis, quæ cum carne, quadam dulcedine, consentiunt, eas magis inurit in animo, & voluptatem vehementius accendit, ut non melius videatur remedium, quam fuga, quæ gloriosa est & honore dignissima, neque fugienti affert ignominiam, sed victoriam potius & triumphos conciliat: Quia *fœcunda virtutum est, non effœta meritorum.* De luxuriæ certamine idipsum merito potest dici, quod de Cannensi pugna refert Plinius, *unde fugisse, virtutis summum opus fuit,* stetisse vero fuit profligationis & captivitatis occasio, victoriæ vero & ut dicitur in Pandectis *libertatis cujusdam species, fugisse.* Non absimiliter in materia de qua agitur, ubi mansio dedecus casum & ruinam confert; at *fuga est trames innocentiæ, pietatis assumptio, via virtutis,* victoriæ insigne, triumphi gloria: *Sed infirmitatem quorumdam prospiciens Dominus pro sua humanitate nihilominus, & portum fugæ demonstravit: non enim idoneus erat etiam sine fuga tam turpi, & indigno, & servili præsidio, salvos facere quos sciret infirmos.*

D. Amb. Apol. 2. David. c. 3

D Ambr. de Fug. sæc. c. 6

L. 7. c. 28.

D. Ædil. L. 17.

D. Ambr. de Fug. sæc. c. 4

Tert. l. de Fug. in Persl. 7

Castissimus Joseph cum à salaci & impudenti domina ad stuprum alliceretur, & Veneris teneretur manibus; fuga pudicitiæ suæ consuluit, palliumque dimisit, ut innocentiæ servaret vestem. Admirandam illam Josephi victoriam eloquenter commendat Basilius Seleucus. *Fuga usus pro armis nudatur veste, ne nudetur temperantia.* Imo ipsemet Christus fugit, ut suo nos fugam doceret exemplo: *quia in persecutione melius est fugere quam negare. Deinde Petrus, quia fugere noluit abnegavit: Ioannes ne abnegaret aufugit.* Ut in persecutione potius fugiendum est quam negandum, ita in lasciviæ negotio, captanda est fuga, ne libido dominetur. Qui temere sese cadendi exponunt periculo, imitantur Petrum qui abnegavit, quia non fugit: qui vero fugiunt, imitantur Joannem qui fugit ne abnegaret, ita ipsi fugiunt ne cadant, & fugiendo victoriam reportant.

Orat. 8

Chrysol. Ser. 150.

CONCIO QUINTA.

Lugeam multos eorum, qui anteà deliquerunt, & pœnitentiam non egerunt super immunditia, quam admiserant fornicatione & vilitate. Inter veteres Philosophos soli Epicurei ita sectæ suæ erant addicti, ut nunquam ab illa transirent ad aliam. Cęteri quidem Philosophi relictâ, in qua eruditi fuerant, sectâ, alias facilè amplexabantur; Epicuri verò discipuli adeò jurabant in verba magistri, ut nunquam ejus abdicarent doctrinam, ea potissimum de causa, quia in venereis carnis voluptatibus ultimum constituebat finem: cæteri peccatores, superbi, avari, iracundi, invidi, sępè sępius de peccatis suis dolent, pœnitentiam agunt, convertuntur; at libidinosi *non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum.* Ita enim sunt in suis obdurati sceleribus, ut non solùm sit difficile, sed etiam velut impossibile ut revertantur ad Deum per veram pœnitentiam. Causam autem hujus difficultatis & impossibilitatis moralis subjungit Propheta: *Quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Inter omnia namque peccata nullum est ita pœnitentiæ contrarium, ac lascivia. Post esum pomi vetiti protoparentum aperti sunt oculi, nempe ad se concupiscendum; cognoverunt se esse nudos, per membrorum rebellionem; cùmque post nuditatem malè tectam audissent vocem Domini Dei in paradiso deambulantis ad auram post meridiem, absconderunt se à facie ejus: *Sed ubi se absconderunt? in medio ligni paradisi: quod enim medium habet unum lignum, in quo abscondi valeant corpora duorum hominum? Absconsionem ergo hîc oportet intelligi non tam corporis quàm animi, quem Deus maximè requirit. Quomodo secundùm animam absconderunt se in medio ligni? videlicet amando concupiscentia vitium, quod contraxerant per fructum ligni: nam quandiu peccator blandum amat vitium, tamdiu clausus & absconditus animus pressum tenet oris ostium, & ad Deum vocantem non egreditur per simplicem confessionis occursum.* Homo libidini immersus Deo vocanti non respondet, sese divinis oculis abscondere satagit; criminis sui maculas per oris confessionem non aperit; tempus ad pœnitentiam concessum in immunditia infeliciter impendit: *Et dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua,* quia blandum amans vitium. 1. post carnis voluptates semper anhelat. 2. à mulierum consortio non se separat. 3. Dei gratiam obstinatè recusat.

Tert. l. de Pud. 15. Laert. Osee 5. Gen. 3. Ruper. l. 3 in Gen. 18. Apoc. 2.

Nec immunditiam omnem amare jubemur. Tantum abest ut venereas carnis voluptates amare debeamus, quin imò illas odisse tenemur, utpote divinâ lege prohibitas; animæ nobilitati contrarias, & castitatis hostes infensissimas. Verùm homines luxuriæ dediti, 1. pudicitiam aversantur, *nihil ad castitatem, adamatores* Veneris. 2. animæ deprimunt nobilitatem; *nihil est enim quod tam miseræ servituti subjiciat hominem, quàm libido, atque ejusmodi cupiditates,* qua

I. PARS. Tert. l. de Spect. 17. Ter. l. 1 de cult. fœ. 2.

D.Amb.l. de Noe & Arca c.9 *quæ jugo quodam criminum gravi deprimunt miseram conscientiam, ut se nequeat attollere, utpote quæ libertatem innocentiæ amiserit.* Sic libido hominem deprimit, ut se nequeat 3. ad Deum attollere, neque ad eum reverti per pœnitentiam: Hug. Car. in c. 5. Osee. *Ecce quot mala facit luxuria; ex quo enim spiritus fornicationis possedit cor, statim recedit cogitatio Dei.* Et quia voluntas non fertur in incognitum, cor hominis carnalis nequit ad Deum converti, neque redire ad illum per veram pœnitentiam; quia homo libidinosus, 1. carnis duntaxat voluptates sapit. 2. lasciviendo, lascivias sapit. 3. assuetus Veneri, pœnitentiam rejicit.

Tert. l. de Spect. 2 3. *Nam mortem etiam stultus ut debitam non extimescit, voluptatem etiam sapiens ut tantam non contemnit, cùm alia non sit & stulto, & sapienti, vitæ gratia, nisi voluptas.* Quanta voluptatis vis, ut eam tum stulti, tum sapientes tanti faciant, ut ob illam, & mortem horreant, & vitam diligant, minusque metuant vitâ, quàm voluptate privari: quasi voluptas sit vitæ gratia, vivendi causa, neque ob alium finem homo videatur in mundo, quàm ut voluptate potiatur. Unde subjungit Tertullianus: *Plures denique invenias, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ avocet ab hac secta.* Uti autem ab exordio nascentis Ecclesiæ, periculum amittendæ voluptatis plures avocabat Gentiles à religione Christiana, sic & hac ætate plures Christianos voluptas avocat à fide, & ad Epicuri adducit scholam; carnalisque hujus Philosophi Sap. 2 profitentes doctrinam sic stultè fantur apud Sapientem: *Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, hæc est sors.* Quasi dicant, ut expendit Hugo Card. *Non plus habebimus de hac* Tert. l. de Jejun. 17 *vita; ecce illi monent ad voluptates & delitias*; quasi humana jucunditas sit causa vivendi, frustraque vivat, qui jucundè non vivit, cùm ad mundi blanditias, & carnis illecebras homo sit duntaxat in seculo positus. Subjungunt Epicuræi: Quia (exiguum est tempus vitæ nostræ) vacemus Veneri, *manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Qui sunt hujusmodi, ab humana dignitate degenerant, divinæ disciplinæ renuntiant, seseque impœnitentes demonstrant. Quod declarat Salvator ex hominibus carnalibus & lascivis, qui vive- Luc. 17 bant ante diluvium: nam *edebant, & bibebant, & uxores ducebant.* Gulæ au- Hom. 15 in Gen. tem & Veneris vacantes voluptatibus, 1. à natura degenerârunt humana; quare Noë commendat D. Chrysostomus, quia *quasi ex aliena natura constitutus, à communi omnium perditione est exemptus.* 2. Divinam contempserunt disciplinam, quam eis prædicaverat Enoch; neque 3. ex admonitione D. Chrysost. hom. 2. in Gen. Noë de suis sceleribus pœnitentiam egerunt. *Vidisti stupidas & sensu carentes animas? nihil eorum capiunt quæ spiritûs sunt, nullis moventur monitis, ac si rationes expertes sint*; & ut ait Romana Synodus sub Simmachio, *non possunt intueri diem judicij, dum nimia cupiditatis delectantur ardore.*

En verum multorum hominum specimen, qui hac tempestate, 1. brute- 22. q. 153 a. 5 scunt, & ab humana nobilitate degenerant: nam ut ratiocinatur Angelicus Doctor, [per vitium luxuriæ maximè appetitus inferior, scilicet concupisci-

bilis,

bilis, vehementer intendit suo objecto, scilicet de'ectabili, propter violentiam passionis & delectationis, & ideò consequens est, quòd per luxuriam superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas.] 2. Christianam disciplinam despiciunt: pietas namque & religio *agresti luxuriâ dominante silvescit*. Tandem 3. impudici exleges effecti, pœnitentiam, Dei memoriam, ejusque judicium procul à sua cogitatione projiciunt. Verùm, ut ait D. Augustinus, *irremediabile periculum est, sic aliquem vitijs & cupiditatibus frena laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum. Puto quia magna sit peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse judicij*. Adeò homo concupiscentiæ obscœnitatibus hebescit, torpescit, brutescit, ut rationem dediscens, divinam legem contemnens, Deum abnegans, finalis judicii memoriam perdens, luxurietur, & lasciviam indesinenter sitiat.

Chrysol. Ser. 132

Serm. 120 de Temp.

2. Christus Dominus *sitijt sub Samaritide*. In cruce adhuc clamavit, sitio. Vel, ut ait Rupertus, *ideò sitiens moritur, ut ostendat nihil esse in mundo quod sitim expleat*: vel ut denotet tot toleratos in passione labores, non extinxisse ardentem qua æstuabat patiendi sitim. His duabus rationibus homines libidinosi sitiunt venereas voluptates: Tum quia *luxuriosos satietas capere non potest; voluptas nescit expleri*. Tum quia quò magis luxuriantur, eò amplius sitiunt lasciviam: *Amor carnalis insatiabilis est, extinctus reaccenditur, & post copiam rursus inops fit*. Idcircò libidinosos denotatos vult Hugo Card. per hydropicum, de quo loquitur Lucas Evangelista: *Per hunc significantur luxuriosi, quia sicut hydropicus quantò plus bibit, tantò plus sitit; ita qui se luxuriæ immergit, amplius eam appetit*. Lascivus namque ipsam luxuriæ sitim bibit, quæ cùm sit *inexplebilis sitis*, nunquam satiat, sed ad novas captandas Veneris voluptates accendit; quare *fornicans fornicabitur*. Hujusmodi autem vocis geminatio continuam innuit fornicationem: nam futurum junctum participio, vel gerundio ejusdem verbi, significat apud Hebræos vehementiam, continuationem, & consuetudinem; quare cùm dicit Propheta, *fornicans fornicabitur*, indicat ardentem libidinis continuationem & consuetudinem; nam *libido usu accenditur*, cui diu assuetus libidinosus pœnitentiam rejicit.

Tert. l. de Car. Chr. 9.

Chrysol. Ser. 2

Idiota de Amore mulier. Cap. 14

D. Ambr. l. 1. de Cain & Abel 5

Osee 1

D. Ambr. l. 1. de Cain & Abel 5

3. Hominis libidinosi venereis voluptatibus assueti *caro jam cadaver* putridum, cujus fœtorem denotatum vult D. Augustinus per quatriduanum Lazarum. Dicit illi Martha: Domine jam quarta dies est, & fœtet. *Ultimum quatuor elementorum terra est. significat ergo fœtorem terrenorum peccatorum, id est, carnalium. Quòd autem exivit à monumento, animam significat recedentem à carnalibus delicijs. Quòd autem instits obvolutus, hoc est, quòd etiam à carnalibus recedentes, adhuc tamen in corpore constituti, alieni à carnalibus molestijs esse non possunt*. Exiens Lazarus à monumento, & putridi vitii fœtorem excutiens, significat per novam denuò vitam recessum à carnalibus deliciis. Quia tamen ad novam hanc vitam resurgit ligatus manus & pedes instits, non est ad incessum expeditus, & ulteriori lapsui est vicinus, quia adhuc carnalibus deliciis, quibus diu assueverat, titillatur. Quo sensu Clemens Alexandrinus

Tert. l. de Pud. 14

Lib. 83. qu. q. 65.

ruboris & viroris, *extrahi statim & abjici foras sensus mortiferos & cruentos, proq; illis politos, & in compaginem aptos & firmos substrui lapides, ut ita homo habilis Deo sit. Quòd si post recuperationem & reformationem rursus sacerdos animadverterit in eadem domo de pristinis causis aliquid maculis*, *immundam eam pronuntiarit, & jussit deponi materias & lapides, & omnem structuram ejus, & abjici in locum immundum. Sic erit homo, caro & anima, qui post baptisma & introitum sacerdotum reformatus, denuò resumit scabra & maculas carnis, & abjicitur extra civitatem in locum immundum*, *nec amplius readificatur in Ecclesia post ruinam.* Non est sine macula in hoc casu Tertulliani mens, nimis durè in maculas carnis invehens,, & ex indiscreto castitatis zelo, Christianis post baptismum lascivientibus denegans pœnitentiam: neque sibi constans, cùm aliorsum ad pœnitentiam invitet etiam Christianos in stuprum lapsos: *Verùm non statim succidendus ab substruendus est animus desperatione, si secunda quis pœnitentia debitor fuerit. Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari*, *sed non iterum liberari: neminem pudeat iterata valetudinis, iteranda medicina est.* Prosequitur hanc veritatem comprobans exemplo: *Offendisti, sed reconciliari adhuc potes; habes cui satisfacias, & quidem volentem. Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat: Stuprum, & idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat* : *& tamen omnes ad pœnitentiam commovet, sub comminationibus quidem* : *non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti.* Hæc retuli, non ut ab errore hac supra re vindicem Tertullianum: licèt eum Rigaltius virtutis amore asseveret peccâsse, unde sic fatur: [Hæreses Tertulliani quæ dicuntur, eæ vix aliud præcipiebant quàm martyria fortiora, jejunia ficciora, castimoniã sanctiorem. in quibus quidquid peccavit, id omne virtutis amore vehementiori peccâsse videatur.] Lib. de Pœn. 7 Cap. 8 In c.1.l. adv. Prax.

Bellè igitur Tertullianus vitium carnis per lepram adumbratum demonstrat: quemadmodum enim lepra est ægritudo quasi irremediabilis, ita libidinis scabies inter irremediabiles habetur morbos: *insanabilis fractura tua, pessima plaga tua* : Sic luxuriosum alloquitur Jeremias propheta. De leprosi curatione desperatur; idem debet ferri de homine luxuriæ assueto judicium: *Desperata est plaga ejus.* Homo diu salax, blandâ Veneris prurigine titillatus, dum hac scabie prurit, & leprâ voluptatis totus operitur, expers curationis vulgò putatur. Ut enim ait ad propositum Diadochus: *Anima quandiu expers curationis est, leprâ voluptatis tota operta*, *metum Dei non sentit*: neque spe præmii, neque supplicii timore movetur ad conversionem. Nec mirum, quia *impudicitia mater impœnitentia*; homo Veneri assuetus difficile convertitur, sed usque ad senectutem in luto carnis volutatur: *Plerique luxuriam corporis nec albenti erubuere canitie, & usque ad senectutis ætatem vitam produxêre maculosam.* Quapropter ex D. Bonaventura, [comparatur luxuriosus corvo, qui cadaveribus adhæsit. Sic facit luxuriosus, quia dimissâ arcâ continentiæ & castitatis adhæret cadaveribus, id est, delectationibus im- Cap. 30 Mich. 1 De Perfect. c. 17 D. Cypr. de Bon. Pud. D. Ambr. in Ps. 1 Diæt. Sal. c. 9

mundis;] quibus ita agglutinatur, ut vix ab eis possit avelli, quod ipsâ etiam experientiâ comprobatur: *Nonnullos novi, qui cùm juvenili ætate ad libidinem prolapsi essent, ad ipsam usque canitiem, mali consuetudine deliniti, in peccato perstiterunt.* Idipsum etiam nunc faciunt, qui sese à mulierum contubernio non separant.

D. Damasc. l. 3. paral. 28

II. PARS. *A fornicationibus observando rectè agitis, vectante vos Spiritu sancto.* Ut quis à gustatis Veneris voluptatibus abstineat, debet vehi à Spiritu S. adeò adversus libidinem sumus imbecilles & inermes: *Æquè facilitas amoris, quàm difficultas nocet. Facilitate capimur, cum difficultate certamus: itaque conscij nobis imbecillitatis nostræ quiescamus: nec vino infirmum animum committamus, nec formæ, nec ullis rebus blandè trahentibus.* Quantum possumus à lubrico recedamus: nos, inquam, qui etiam in sicco parum fortiter stamus. Quantumvis diu frænatos & morigeratos contineamus affectus, levis tamen concupiscendi occasiuncula periculosa est; *Nihil enim facilius quàm amor recrudescit, citò rebellat affectus; quocumque se verterit, pretium aliquod præsens occupationis suæ inveniet.* Rara in periculis continentia est; & prælibata libido rarissimè vitatur. Quare Regius Vates obscœni adulterii memor sic ad Deum supplex orat: [Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere meî.] Propheta assuetis libidinum illecebris blandius titillatus, *non dixit: Amove me à via iniquitatis; sed viam iniquitatis amove à me,* existimans perarduum ac propè impossibile, si adesset via libidinis, ut non incederet per illam: quia *non solùm lubrica, sed etiam procax, importuna, petulans est libido,* quæ dulci quadam violentiâ ad se allicit, & quos suis irretierit laqueis, ad Deum redire per pœnitentiam non sinit. Quod in nuptiali adumbratur convivio, ad quod à patre familias homines benevolè invitati, omnes ad unum ire inurbanè recusant. Alius villam nuper emptam causatur; alius quinque juga boum probanda; alius verò dixit: Uxorem duxi, & ideò non possum venire: *Quid per uxorem, nisi voluptas carnis accipitur?* Duo hîc animadvertenda sunt. Unum, quod alii duo qui invitati fuerant, civiliter responderunt, [Rogo te habe me excusatum,] tertius inverecundâ fronte respondet, nec excusationem postulat. [Per hunc designantur illi, qui se luxuriæ carnisque voluptatibus per omnia subjiciunt, qui excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliâ parvipendunt.] Aliud notatu dignissimum, quòd iste homo inurbanus apertè dixit: [Uxorem duxi; ideò non possum venire.] Assuetus voluptatibus carnis nequit ad Deum venire. Libido adeò potenter rapit concupiscentiam, & trahit voluntatem, quòd licèt libertatem & arbitrii indifferentiam omnino non tollat, ita tamen ad voluptates inclinat, ut vix ac ne vix quidem libidini non pronè adsentiat, & obsequenter ad nutum pareat. Ut enim ait D. Augustinus, *per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.* Hæc autem moralis necessitas, quæ libidinosum impotentem ad pœnitentiam facit, à tribus præsertim causis dimanat, A 1. carnis illecebris. 2. diaboli laqueis: 3. fœminæ blanditiis.

Tert. l. de Pud. 12
Seneca ep. 117
Seneca ep 70
D. Amb. in Ps. 118
D. Ambr. l. de Joseph c. 5
Luc. 14
D. Greg. hom. 36. in Evang.
Anselm. Enar. in Evang.
Lib. de Perfect. Justitiæ.

1. Ho-

1. Homines carnales ut se à mortificatione & operibus pœnitentiæ pœnalibus eximant, carnis causantur infirmitatem: *Solis illis caro infirma est; atquin nulla tam fortis caro, quàm quæ spiritum elidit*, mentis rationem obruit, & consensum voluntatis ita allicit, ut pudicitia prædicetur à Veronensi Antistite *beata, cùm allidit in pueris; beatior, cum adolescentibus lapsum feliciter timet; beatissima, cùm in juvenibus carnalia extinguere laborat incendia. Sanè in senibus ut est honoranda, ita admiranda non est; quia licèt sit victrix, tamen triumphi sui palmam senectutis cum vigore partitur.* Verùm licèt in senibus non æquè æstuet concupiscentia ac in juvenibus, senes tamen etiam in ætate frigida non sunt immunes à calore libidinis. Quapropter Cupido *ideò lineamento puerili depingitur, quia ejus lasciva lubricitas nec annis senilibus temperatur.* Deinde difficile est ut senes non sentiant concupiscentiæ stimulos, postquam in juvenili ætate Veneri laxârunt habenas. In senectute non exuitur libido, quæ ab adolescentia ita inviscerata est, ut pervenerit usque ad ossium medullas: *Ossa ejus implebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum ipso in pulvere dormient.* Tandem, quantumvis senectus potestatem abstulerit lasciviendi, non tollit tamen lasciviendi voluntatem & affectum: *Si quis à malis suis, fractâ jam ætate, vel cogente infirmitate, vel imminente morte destiterit; oblectamenta delicti perdidit, non reliquit: neque ille voluptatem deseruit, sed illum voluptas; illum, inquam, voluptas, necessitate, non virtute fugata, destituit.*

Tert. l. de Pud. 22

S. Zeno Ser. de Pud.

S Zeno Serm. de Pud.

Job. 20

Euseb. Emiss. Exhort. ad plebem.

Quàm difficile deseratur lasciviendi consuetudo, propriâ experientiâ doctus hic declarat D. Augustinus: *Ligatus eram non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate; velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me; quippe ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis, tenebat me obstrictum dura servitus;* quæ quàm potenter, constat; quia eum etiam jam ruptis vinculis liberum, in lapsum velut proclivem impellebat; unde subjungit: *Plusq́; valebat in me deterius inolitum, quàm melius insolitum.* Multum viget ad lasciviam agnatus concupiscentiæ fomes, & naturæ corruptæ illicium: at quasi consuetudo fit aut alter libidinis fomes, vel prioris incrementum, vocatur ab Augustino *carnis consuetudo.* Augustinus ante conversionem diu expertus & Veneris incentivum, & consuetudinis tyrannidem, ut denotet quanto impetu feratur ad venereas voluptates homo libidini assuetus, consuetudinem Veneri adjungit, & inveteratam lasciviam consuetudinem carnis vocitat. Plus audet Tertullianus, & æstuantem carnis concupiscentiam semel, iterum, & tertiò *carnis necessitatem* appellat: adeò carnis stimulus potenter pertrahit ad libidinem.

L. 8. Cõf. 5

L. 8. Conf. 11

L. 1. de q. Evang. c. 10.

Lib. de Exh. Cast. 1.

Et ne quis necessitatem simpliciter absolutam & physicam libertatem penitus destruentem intelligat, statim subjungit: *Quæ quidem carnis necessitas circumscribi potest*, & ita frangi, edomari, emolliri gratiæ lenocinio, ut voluntas non resiliat, nec Deo vocanti deneget consensum. Verùm *summa gratia*

Tert. l. de Spect. 17 *ejus* requiritur, ut libidinosum Veneri addictum & assuetum ad pœnitentiam adducat. Quod de semetipso fatetur Augustinus, qui *instantiâ divina gratiæ victus*, cui per quatuordecim annos restiterat, nihil ita plenam ejus retardabat
Tert. l. de an. 57 conversionem ac assuetæ voluptates. Quæ *descendentem quasi furtim vellicantes ut respicerem, retardabant; tamen me cunctantem abripere atque excutere ab*
L. 8. Conf. 15 *eis, cùm diceret mihi consuetudo violenta: Putasne sine istis poteris?* Idem sanctus Doctor post conversionem cautior effectus, eorum damnat stultitiam, qui ætati ac tempori nimium confidentes ita secum statuunt: Volumus quandiu sumus in juventute, & dum occasiones occurrunt, indulgere libidini; in senectute, quando deerunt potestas & opportunitas, pœnitentiam agemus.
Serm. 250 de Temp. *Sed dicet aliquis: Homo juvenis sum, facio quod me delectat, & postea pœnitentiam ago; hoc est dicere: Percutio me gladio crudeli, & postea ad medicum vado; & nescit quòd in unius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad sanitatem pristinam revocatur: qui enim adulterans dicit se postea pœnitentiam acturum, quare non timet ne eum subitum periculum superveniens rapiat, & pereat illi delectatio, & succedat illi damnatio?* Nam quomodo certus est in ultimam devenire senectutem, cùm nec unam duntaxat vitæ horam habeat in sua potestate? Quomodo pœnitebit sine potenti gratia, qua se præstitit obstinatione suâ indignum? Quomodo assuetam vincet libidinem, quæ amantes se usque ad senium comitatur? Quomodo domabit carnis concupiscentiam halitu & astutiis diaboli sufflammatam?

2. Atrocem dæmonum adversus homines hostilitatem bellè describit
Apol. 22 Tertullianus: *Operatio eorum est hominis eversio; sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium.* Bellum ab initio mundi hominibus declarârunt dæmones, omnemque eis nocendi adhuc sectantur occasionem:
D. Aug. in Ps. 98 *Est insita malevolentia quædam & pernicies nocendi istis malis spiritibus; gaudent de malo hominum; & de fallacia nostra, si nos fefellerint, pascuntur.* Dæ-
Quòd Deus non est author mali. monem vocat Tertullianus spiritualem malitiam: Basilius Magnus, *omnis mali promptuarium*: Gregorius Thaumaturgus, *malorum principem*: D. Chrysostomus malum per antonomasiam: *Cùm multi sint homines mali, solus*
Orat. 2. de an. *diabolus per excellentiam dicitur malus.* Mirâ autem dæmones potestate, subtilitate, velocitate, vigilantiâ, calliditate, multitudine pollent. 1. Potestate:
Hom. de tent. diab. *Multum spiritus viribus licet.* Apostolus dæmones vocat *rectores tenebrarum*
Tert. ib. *harum*: Tertullianus, *mundi tenentes*: Biblia Regia, *mundi potestates.* 2. Sub-
Ephes. 6 tilitate, qua penetrant corpora: *Suppetit illis ad utramque substantiam homi-*
Tert. ib. *nis adeundam subtilitas & tenuitas sua.* 3. Velocitate: *Omnis spiritus ales; hoc Angeli & dæmones.* 4. Vigilantiâ: quare Isidorus Pelusiota ait dæmo-
L. 1. epist. 164 nem ut nos decipiat, semper *insomnem esse*, in perpetuaque velut vigilia excubare. Cùmque celeritate admirabili dæmones omnibus adsint locis; nam ut subjungit Tertullianus: *momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est*: ubique pestilentiæ suæ effundunt virus. 5. Calliditate, astutissimæ nam-
2. Cor. 2 que sunt *satanæ cogitationes.* Vatablus legit: *assultus, & insidiosos congressus.*

Dia-

Diabolum nuncupat D. Hieronymus *versipellem*: D. Macarius *versutissimum*; qui, ut animadvertit D. Epiphanius, dicitur ab Scriptura sacra serpens; quia est omnium animantium *tortuosissimus*. Agnoscit adhuc Tertullianus *ingenia diaboli*: D. Hieronymus *multimoda diaboli ingenia*: D. Macarius *machinamenta*. Innumeris namque modis tanquam *machinis* nos aggreditur. 6. Multitudine: unde D. Hieronymus asseverat omnium Doctorum hanc esse opinionem, quod *omnis aër plenus sit contrariis fortitudinibus*. Regius quoque Vates probe sciens non unum aut paucos volitare dæmones, sed numerosissimas legiones alis igneis velocissime divagantes, pestem & exitum ubique spargentes, vocat *immissiones Angelorum malorum*: seu, ut Vatablus legit, *cacodæmonum incursiones*.

Et quia, ut fatur D. Gaudentius, *post adventum Christi duplicato contra hominum genus furore succenditur*. Diabolus circuit quærens quem devoret, *quorum non potest obtinere mortes, impetit mores*; illosque varie debellare nititur, juxta prædominantem uniuscujusque passionem. *Novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui ingerat gulæ illecebras, cui infundat virus invidiæ, cui apponat incitamenta luxuriæ. Et quæ illi accurior pascua est quam ut hominem a recogitatu veræ dignitatis avertat*. Potissimum bonos & studiosos aggreditur diabolus: *Esca enim ejus electa, neque ab illo inquiruntur nisi boni, quia se ultro ingerunt mali: post illos violenter currit*. Et quamvis satagat *omnibus hominibus pestem & exitium afferre*; attamen *acrius circa robustos diaboli certamen est, & majoribus copiis illos aggreditur*. Præsertim *virilem animum decipit, fortibus ingeniis illudit*: neque eum à quo victus est quietum relinquit, sed *fortiorem quemque magis aggreditur*: superantemque superare nititur: *armis quibus eliditur, surgit; & virtute qua dejicitur, dejicit*. Pernicissimus ille hostis malitiæ suæ otium nunquam facit. *Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, dum extinguitur*. Tandem innumeris fere utitur modis, quibus homines tentat, & suo imperio subdere conatur, *Lata atque diffusa est operatio mali, multiplicia spiritus incitamenta jaculantis*. Scelerum modos prope innumeros in animas jaculatur, nec frustra: Innumerabiles namque de hominibus reportat victorias. *Piget dicere, quot quotidie virgines ruant, quantos de suo gremio mater perdat Ecclesia: super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum, quot petras excavet, & habitet in foraminibus earum*.

At nunquam dæmones neque sæpius, neque gloriosius de hominibus triumphant, quam dum eos ad libidines provocant. *Eadem igitur obscuritate contagionis, adspiratio dæmonum, mentis quoque corruptelas agit, & amentiis fœdis, ac sævis libidinibus, cum erroribus variis*. Amentiis fœdis, & sævis libidinibus, libidinem afflant: afflata à dæmonibus libido, dæmonum instar, mentem occupat, & carnis concupiscentiam ad omnem lasciviam instigat. Quare, ut animadvertit D. Bernardus, diabolus homines *voluptatibus irretire laborat, & in eis includit multitudinem copiosam eorum*. Siquidem *Voluntas tanquam*

In c. 3. Gen. Hom. 17 Lib. 1. in Ephes. Psal. 169. In cap. 6. Ephes. D. Fulg. Ep. 3. ad Probam. In c. 6. Ephes. Pf. 77

Ser. 19. de Vill. iniq. S. Leo Ser. 6 de Epiph. S. Leo Ser. 7. de Nat. Tert. ibid.

Cæsar. Cyr. Alex. in c. 1. Abacuc. Ennod. in Vit. S. Ant. D. Epiph. l. 1. D. Cyp. Epist. 6. D. Fulg. Epist. 3. Tert. l. de Pœn. 7 Tert. l. de Pat. 11 D Hier. Epist. 22.

Tertull. Apol. 22. Ser. de S. And. Phil. Jud. l. de Opif. Mund.

quam lasciva meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores per quos illum seu hamo capiat. Sunt autem dæmones voluptatis conciliatores, qui hamo capiunt homines, vel mediis mulieribus; quas D. Hieronymus apud Tom. 4. Bernardinum Senensem vocitat *viscarium diaboli*, vel media propria cujusvis Ser. de luxur. 25 carne, quam igne concupiscentiæ accendit: quomodo Cardinalis Hugo expendit istud Ecclesiastici: (Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.) *Coluber est diabolus, quasi colens umbras. Caput colubri est prava suggestio dæmonis; mulier hic est sensualitas sive caro; ira mulieris, concupiscentia carnis.* Colubri nomine serpens intelligitur, qui in paradiso decepit Evam, nec cessat adhuc homines decipere pravis suggestionibus. Idoneum autem suggestionis organum est mulier, quæ est sensualitatis seu carnis sinonymum; ira autem mulieris quæ super omnem iram exardescit, est concupiscentia carnis, quam mulier accendit, & dæmon sufflammat. De qua, Job. 40 ut vult D. Bonaventura, Ecclesiastes: *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, dicitur uxor propter vehementem libidinis adhæsionem.* Lib. 2. Tartareus coluber seu (Behemoth sub umbra dormit in secreto calami, & in Sent. 39 locis humentibus.) Per calamum, ait S. Isidorus, inanis superbia, per loca vero humentia carnis denotatur luxuria. (Per hæc enim duo vitia diabolus humanum possidet genus, vel dum mentem in superbiam erigit, vel dum per luxuriam carnem corrumpit.)

Ps. 68 Qui immersus est in luxuriæ cœno, debet dicere cum Regio Vate: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Id est, virtus exeundi*, ut explicat Hugo Cardinalis. Quapropter idem Propheta magnam Dei decantat miseri- Ps. 29 cordiam quæ de profundo illum eduxit barathro. (Confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuam in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.) Ille autem infernus inferior, à quo de magna Dei misericordia liberatum se prædicat, non est alius quam adulterium cum Bethsabea com- P. Dam. l. 2. Epist. 5 missum. *Mens libidinis igne succensa, nonne tibi videtur infernus, in quo videlicet & diabolus habitat, & concupiscentiarum ignis æstuare non cessat?* Ad erigendos alios peccatores de lapsu, sufficit communis misericordia, sat est gratia generalis; at ut libidinosi quos diabolus possidet convertantur & educantur de inferno inferiori, magna requiritur misericordia, specialis gratia necessaria est. Ut Deus Israelitas multitudine innumerabiles liberet à captivitate Pharaonis, mittit Moysem & Aaron; ut autem Loth cum sua familia liberet à Sodomæ incendio, duorum Angelorum utitur ministerio. Duo fratres suf- Gen. 19 ficiunt ad innumeros liberandos homines, duo Angeli requiruntur ad unius Loth, quem non eruunt de Sodoma, nisi quadam quasi facta violentia. *Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus.* Quo denotatur potentissimæ gratiæ necessitas, ut homo libidini assuetus à diaboli liberetur tyrannide, & ad Can. 17. Deum per pœnitentiam convertatur. Nemo nescit quanta difficultate dæmones à corporibus expellantur: Diabolus non solum corpora sed etiam possidet

sidet eorum animas qui libidini vacant: quos Patres Concilii Ancyrani energumenos vocitant, voluntque pro illis fieri orationes, quod innuit etiam Ecclesia in Sanctorum Litaniis Deum si orans: *A spiritu fornicationis libera nos Domine.*

Magnum agnoscit D. Chrysostomus discrimen inter Chananæam & Magdalenam. Filia Chananeæ (male à dæmonio vexabatur.) Magdalena quoque possidebatur non ab uno, sed à septem dæmonibus. (De qua septem dæmonia ejecerat.) Utraque accurrit ad Christum, quæ de semetipso ait: (Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.) Chananea petit pro filia sua micas panis duntaxat quæ cadebant sub mensam Christi: Magdalena vero se Christo mensæ Pharisæi recumbenti adjunxit. Pro sananda filia Chananææ, una duntaxat mica sufficit, pro Magdalena totus panis requiritur. Nec mirum quia filia Chananææ ab uno tantum vexabatur dæmonio, Magdalena vero in civitate peccatrix à septem possessa dæmonibus opus habuit omnipotentia Salvatoris, ut ab illis liberaretur. *Cernens in mensa Dominum non quæsivit sicut Chananæa micas, sed ipsum panem vitæ amplexata est: Chananæa pro filia à dæmone vexata interpellabat, & dum seipsam canis nomine interpellari audiret, micas de mensa cadentes petiit, hæc vero non filiam à dæmonio vexatam habebat, sed totum corpus lasciviæ dæmonicæ deditum.* Hugo quoque à S. Victore animadvertit lascivam animam magis quam impiam quantumque à dæmone possideri; miraturque magnam Salvatoris benignitatem erga peccatricem mulierem à septem possessam dæmonibus. (Venit ergo Jesus & ita se omni mansuetudine exhibuit, ut peccatricem animam septem dæmoniis adulteram de manibus lapidantium eriperet.)

Matth. 15
Marc. 16
Joan. 6
Lib. 1 Miscel. 29

Societas quam homo lasciviæ deditus habet cum diabolo infensissimo Dei inimico, causa fuit cur Deum pœnituerit fecisse hominem: Multa alia patrarunt homines crimina, quæ nunquam Deum adduxerunt ad pœnitentiam, at videns Deus nefandas obscœnitates quibus terram corruperant mortales, (Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra.) Aliter hunc locum versat Gothfiidus apud Tilmannum, scilicet quasi dicat Deus: *Pœna me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, agereque pœnitentiam pro homine quem creavi: non potest hic calix transire nisi bibam illum*, denotans Christum crucis mortem peculiariter passurum ut homines ab obscœno voluptatis liberaret vitio, & in Calvario præ impœnitentibus libidinosis publicam ageret pœnitentiam. Et ob hanc causam die Veneri dicato patibulari voluit, ut expiaret suo sanguine crimina blanditiis Veneris commissa. Et licet cuncti peccatores suis sceleribus Christum crucifixerint, specialiter illum suspenderunt libidinosi; quomodo ipsiusmet Dei querelam intelligit Rupertus: (Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis.) Quinam exactores isti, & mulieres? (Exactores propter rapacitatem, mulieres propter passivam & sodomiticam libidinem; exactores isti, mulieres istæ, Scribæ & Pharisæi fuerunt, qui turpis lucri gratia, ut acciperent decimas & primitias, unde libidi-

Gen. 6
Isai. 3
Lib. 1. in Isa. 12

libidines suas explerent, populo persuaserunt ut crucifigerent Dei Filium.)

Non sine mysterio libidinosos nuncupat Apostolus inimicos crucis Christi: Tum quia, ut philosophatur Balduinus, *Si crux Christi voluptati adversatur, & voluptas cruci, qu modo excusari possunt voluptatu amatores, ut non judicentur crucis persecutores?* Tum quia de cruce Christi nullum fructum reportant: Tum quia animam suam pretioso Christi immaculati sanguine redemptam, pro vili & fœda turpitudine vendunt. *Recte quidem dicitur redemisse nos Christus, qui pretium nostri sanguinem suum dedit. Quid tale autem ut nos mercaretur, dedit? Ergo si videtur, ausculta, adulterium, pecunia diaboli est.* Tum quia spiritum Christi à suo corde rejiciunt, ut à dæmone possideantur: Tum quia impressam Dei imaginem de sua anima delent, ut diaboli characterem suscipiant. *Diaboli enim imago in eo est, & superscriptio: Commisisti adulterium, accepisti numisma diaboli.* Quasi carnis pellacia, & concupiscentiæ illecebra, quæ in adulterium trahit, sit diaboli imago & superscriptio, qua signatur adulterium, quod est diaboli numisma: Christiani *ne fraudemur à satana, quoniam non ignoramus injectiones ejus.* Fugiamus lasciviæ voluptates, & si volumus muniri adversus diaboli machinamenta, simus cum Christo confixi cruci, *& jam non habet malignus unde alliciat; non habet unde dejiciat. Nihil proficiet inimicus in eo, quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem.* At proh dolor! plerique Christiani cruces fugiunt, carnis voluptates sectantur, & quasi concupiscentiæ fomenta & diaboli incitamenta non sufficiant ad eos à pœnitentia, à Deo dimovendos, advocant mulierum illecebras, ut earum consortio firmius in impudicitia permaneant.

Apud Tilman. — Orig. hô. 15. in Gen. — Orig. — Tert. l. de Pud. 13 — D. Bern. Ser. de S. And.

Caro & mulier, duplex infirmitas. In mulierem sic acriter invehit Tertullianus: *Tu es diaboli janua; tu es arboris illius resignatrix; tu es divinæ legis prima desertrix; tu es quæ eum persuasisti quem diabolus aggredi non valuit; tu imaginem Dei hominem tam facile elisisti, propter tuum meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit.* Multa tela ejaculatur in fœminam, quæ est diaboli janua; &, ut fatur Joannes Damascenus, *diaboli consolatio*; quia dæmoni affert consolationem. Nunquam magis lætatur dæmon quam dum animas seducere & deprædari potest: est autem *mulier præparata ad capiendas animas.* Mulieris lenocinio utitur dæmon ut inescet homines, & suis retibus illaqueet. Adeo officiosa est dæmoni mulier, ut dicatur à Joanne Damasceno, *officina dæmonum.* Mulieris ministerio diabolus prostravit & principem generis humani Adamum, & Apostolorum principem Petrum. Adami lapsum, in quo ejus cecidit posteritas refert Ecclesiasticus: (A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.) Quem locum sic elucidat Origenes. *Aculeus peccati est forma fœminea, & mortis conditio non aliunde surrexit, nisi de muliebri substantia.* Magna emphasi dicit Origenes, quod forma fœminea facta est peccati aculeus, quasi impotens & inermis fuisset in paradiso terrestri callidus dæmon, nisi forma fœminea Adamum debellasset. Quod attente considerans Tertullianus, diaboli malitiæ mulieres illecebras præstruit, effica-

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 9 — Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 1. — L. Paral. c. 76 — Prov. 7 — 25 — De Sing. Cler.

efficacissime tentatis Adamum, quem dæmon rentare & allicere non præsumpsit. Cum Adami lapsu Petri causam confert Laurentius Justinianus: *Mulier qua male suadendo Adam de paradiso expulit, Apostolorum principem tentando de atrio dejecit.* Petro in atrio Caiphæ commorante accessit ad eum una ancilla. *Non armatos advocavit milites ut debellaret Apostolum: unius mulieris rcula lingua Christianæ militiæ devicit ducem.* Verum *quid sibi vult quod una cum prodit ancilla, cum viri utique eum magis potuerint cognoscere?* Multi aderant viri in aula pontificis, quibus ignotus non erat Petrus; cur potius Petrum una ancilla, quam aliquis ex tot viris aggreditur? Hanc quæstionem proponit & solvit Rabanus Maurus. *Ut iste sexus peccasse in necem Domini videretur, & iste sexus redimeretur per passionem Domini.* Lib. de Triumph. Ago. Chr. c. 8 Laur. Just. Raban. l. 7 in Matth.

Quam merito ait supra laudatus Laurentius Justinianus, *Sexus hic muliebris semper suspectus est! illo frequentissime abutitur dæmon.* Suspicatus namque diabolus Christum venisse *ad dissolvendum opera fœminæ,* moriturumque pro redemptione humani generis, cujus ruina à muliere sumpserat exordium, uti per ancillam effecit ut Petrus negaret Christum, ita per uxorem Pilati humanæ redemptionis impedire voluit beneficium. Verum frustra, quia Salvatoris misericordia diaboli superavit malitiam, fundens sanguinem, & mortem patiens ut opus fœminæ repararet. Tot damna, quæ acciderunt ex fœminarum consortio, timorem nobis ingenerare debent. *Per mulierem liberavit nos Christus, unde adhuc morimur, formidare debemus:* scilicet fœminarum blanditias, quæ adhuc afferunt mortem. *Tunc liberatio ipsa constabit in fœmina, si à nobis mors revincatur, quæ per fœminam venerat.* Passio Christi in illis est efficax qui fœminarum effugiunt contubernium, & effugiendo à morte animas liberant. *Ceterum si adhuc per mulierem circa nos scandala dominantur, liberationis Christi fecimus pro certo dispendium.* Qui periculum à mulieribus non timent, sed intrepidi sese exponunt occasionibus, Redemptionis dominicæ faciunt quodammodo dispendium. Quot sunt hac ætate, qui Passionis Christi jacturam faciunt, qui mortem animæ non metuunt, qui sese cadendi periculo imprudenter exponunt, qui misere in eadem domo cum muliere commorantur? *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur: inde mortales tenemur, nec timemus.* Clē. Alex. l. 3. Strom. Origen.

Ex Petro Damiano (in quodam monte orientis lapides sunt igniferi, qui masculus & fœmina nuncupantur, & dicuntur piripoli; qui nimirum cum à se invicem procul sunt, non accenduntur; si vero fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus, ne de conspecta forma flamma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed mentis frutera pervadat.) Quando stramen siccum est, facile ei ignis proximus adhærescit. Hac similitudine ostendat Chrysologus quam periculosus sit concupiscentiæ ignis, dum vir & mulier adinvicem nimis approximant. *Quod* L. 2. Ep 38

ignis arida segeti, hoc vitia corpori sunt humano, quæ sola securius separatione
Lib. 2. Ethic. 9 *vincuntur.* Inde concludit Philosophus: *Ut ergo Trojanorum senes erga Helenam sese habuerunt; sic & nos ad voluptatem ipsam esse affectos, in omnibusque illorum dicere vocem oportet*: nempe Foras, quamprimum exeat tam venusta fœmina tot tragœdiarum rea. Qui fœminas in domo sua retinent, impossibile judicat Bernardus, ut in lasciviam non labantur. *Cum fœmina semper esse, & non cognoscere fœminam, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes, & quod majus est vix credam tibi: Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ est in mensa; lectus tuus ad lectum ejus in camera; oculi tui ad illius oculos in colloquio; manus tua ad manus illius in opere: & continens vis putari?*

Ser. 65. in Cant

Christus Dominus ex proprietate divinæ personæ impeccabilis, nullo concupiscentiæ fomite ustulatus, ab omni lasciviendi periculo immunis, semel & iterum digito scribit in terra, ne intueatur adductam à Pharisæis adulteram mulierem: renuunt Pharisæi lapidare fœminam prostituti pudoris, unus post alium exeuntes remansit solus Jesus & mulier, cui dixit Salvator: Joan. 8 (Nemo te condemnavit? neque ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.) Nonne Christus Dominus, supremus omnium judex videtur favisse probrosæ mulieris peccato, impunitum relinquens publicum adulterium? Nemo te condemnavit. *Quid est Domine? faves ergo peccatis? Non ita; Attende quod sequitur: Vade, & noli amplius peccare.* Remanet Jesus solus cum adultera, non peccatis favens, nec libidinem fovens, quia non eam moratur, ut causam disceptet, & sententiam dicat, sed statim dimittit eam. Solus judex est Christus, sed non vult solus fœminam judicare. Solitudinem cum fœmina recusat, quem à periculo excusant divinitas, animæ fœlicitas, & gratiæ summa sanctitas; præstat impunitam omitti adulterii impudentiam, quam solum esse cum fœmina, & scrutari luxuriæ delicta. *Cum in Evangelio à Scribis & Doctoribus legis apud Dominum ista accusaretur adultera, avertit faciem suam Dominus, & declinavit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret: & maluit in pulvere scribere veniam, quam dare in carne sententiam.* Non sibi, sed nobis cavet Dominus; non timet sibi periculum, sed nobis præbet fugiendi periculi documentum: leves devitat occasiones, ut illas & nos ad tanti Præceptoris exemplum similiter evitemus.

D. Aug. Tract. 33. in Joan.

Chrysol. Ser. 115

Ex Cardinali Hugone *dicunt alij, quod secundo scripsit pœnitentiam mulieris.* Deus qui olim non adulterandi legem proprio digito scripsit in tabulis lapideis, nunc characteres imprimit pulveri, qui est merum venti ludibrium, ut denotet, quam sit labilis, inconstans, & instabilis pœnitentia ab hominibus libidinosis facta. Quod aperte declarat Apostolorum princeps: nam postquam produxit homines carnales, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti, subjungit: *Pellicientes animos instabiles*; quia non perseverant in pœnitentiæ proposito, sed magna cum facilitate ad detestata redeunt peccata. *Alia peccata forinsecus sunt, quæ post factum pœnitudinem habent, & licet invitet lucrum, mordet conscientia: sola libido etiam in ipso tempore pœnitendi,*

2. Epist. 2.

D. Hier. in 1. Cor. 6

præte-

præteritos stimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiva peccati, ut per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rursum sit materia peccandi. Imaginatio namque revocans ad memoriam gustatas voluptates, concupiscentiam sufflammat, carnem titillat, & in ipso pœnitentiæ tempore, præteritarum voluptatum complacentiam, aut novarum appetitum inspirat: *Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid ipse finis desiderandi, velut poma cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratia sua adulantur.* Veneris voluptates obscœnis phantasmatibus adhuc afflat diabolus. (Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.) Quem locum sic elucidat Liranus: *Cum immundus spiritus, id est, peccati carnalis appetitus exierit per virtutem pœnitentiæ, tunc si in ipsam regredi possit, assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*; ut quotidie multis accidit, qui post pœnitentiam, pristinarum voluptatum memoria de novo stimulati, non requiescunt donec in domum infamem denuo revertantur, aut concubinam reassumant, quam tempore pœnitentiæ dimiserant: idcirco fucata illorum pœnitentia, est mera impœnitentia, nec vere ad Deum convertuntur, cujus gratiam obstinate recusant.

Tert. l. de Pœn. 6

Luc. 11

III. PARS

Mœchiæ & fornicationis non drachma sed talentum; quibus exquirendis, non lucernæ spiculi lumine, sed totius solis lancea opus est. Ut quis convertatur ab impudicitia, tria quæ ad peccatum adhibuit, adhibere debet ad pœnitentiam; Nimirum cor quod Veneris concepit amores; oculos qui eos tacite insinuarunt: & os quod eos manifestavit: At libidinosus qui his tribus abusus est ad lasciviam, non utitur ad pœnitentiam. Nam 1. cor molle ad Veneris blanditias, ita obduratur ut ab illo gratia resiliat: 2. Oculus, qui aut dedit, aut suscepit, aut indicavit amorem, ita cæcatur ut peccati gravitatem non aspiciat: 3. Os quod declaravit amorem, ita obmutescit, ut ad confitendum peccatum labia non aperiat.

Tert. l. de Pud. 7.

1. Vir vel mulier lasciviens est *aure audiens & non audiens.* Aure audiens obscœnos sermones, quibus placidum præstat auditum; non audiens auditu cordis vocem Domini, sed *aspernamento audiens sermonem sanctum.* Nam ut fatur Ecclesiasticus; *verbum sapiens audivit luxuriosus, displicebit illi, & projiciet post tergum suum.* Quod in parabola feminis denotatur. Verbum Dei est semen, quod dum seminatur, aliud cecidit super terram: ex V. autem Beda, petra est duritia protervæ mentis, at Hugo Cardinalis per petram *imbecilles* vult denotatos. Quinam sunt isti imbecilles, qui petræ duritiam æmulantur, nisi in carnis imbecillitate laborant; qui imbecilli & molles sunt ad libidinis blanditias, & petræ duritiam imitantur ad resistendum gratiæ cœlestis impulsibus: & quo magis emolliuntur libidine, & carnis imbecillitate flaccescunt, eo magis ad gratiam, carnis mollitie obdurescunt; & quanto plus oculos habent apertos ad dandum vel recipiendum amorem, tanto plus ad divina cæcutiunt?

Tert. l. de Pud. 7

Tertull.

Cap. 21

In cap. 13. Matth.

2. Libidinosi *caeci sine Dei lumine* in impoenitentia persistunt. Ut enim ait D. Bernardinus Senensis per luxuriam homo impeditur reddere ad Deum, quia anima non potest redire & amare sine cognitione; juxta illud Augustini; (Invisa diligere possumus, incognita nequaquam, sed luxuria carnalis destruit cognitionem:) ad eum fere modum quo nebula in aere impedit claritatem solis: Sed quia in superioribus multa hac super re retulimus; superest tantum ut ostendamus luxuriosum non habere os ad confitendum peccatum.

Tert. l. de Poen. 1
Tom. 1. Ser. 21. de Luxur.

3. *Satisfactio confessione disponitur.* Luxuriosus in manifestando Veneris amore eloquens & verbosus, ad confitendam immunditiam os non aperit, nec lingua utitur. Non puduit de re impudenti, pudet de re honesta: non erubuit proferre sermones foetidos & obscoenos, & erubescit proferre verba pietatis & virtutis. *Plerosque tamen hoc opus aut suffugere, aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Christiane, si infauste cecidisti in libidinis caenum, non persevere sin immunditia, sed cito surge per conversionem, ne tardes converti; sed quantocius tuum confiteere peccatum; nam *Deus poenitentia mitigatur*, & vere poenitentes in sui amicitiam recipit, eisque largitur gratiam, quae tribuit jus ad coelestem foelicitatem.

Tert. l. de Poen 9
Tert. l. de Poen. 10
Tert. l. de Poen 9

CONCIO SEXTA.

S*Cortum meritorium fuit.* Non 1. fortunae, meretrices namque mulieres, cum omnibus divitiis quas meretricatu lucrantur, tandem depauperantur. Quod denotatum vult Theodoretus per mulierem illam apud Zachariam cui plumbum duntaxat supererat *in pretia Luxuriae.* Non 2, honoris, quem sua prostitutione dedecoravit, etsi interdum pellicatu ditatur: *Si merces pro libidine, nullius rei turpis merces decora est.* Non 3. gratiae & benevolentiae divinae; nam Dei animadversionem incurrit. Quod praefiguratum vult Magnus Gregorius per severam vindictam de Amalecitis sumptam. *Quid est quod Amalecitarum opera recensentur, nisi quia luxuriae inquinamenta, valde Deo odibilia sunt?* Ita odibilis est Deo luxuria, ut eam puniat, 1. regnorum excidio: 2. aeternae foelicitatis dispendio: 3. gehennae incendio.

Tert. l. 2. ad Nat. 9
Cap. 5
Tert. l. 2. ad Nat. 13
Tert. l. 1. de Cult. Foem 2
L. 6 in l. 4. Reg 14

I. PARS. *Severitas, debitum est justitia.* Loquitur Tertullianus non de severitate tyrannorum, quae ut plurimum est injustitiae debitum, quia saeviunt non ut justitiae tueantur partes, sed ut passioni suae faveant, & inclinationi, qua ad saevitiam feruntur, satisfaciant: sed loquitur de severitate qua Deus punit peccatores, quae nequit culpari, nisi divina damnetur justitia. *Bona igitur est severitas; quia justa, si bonus judex, id est justus.* Verū si unquam bonus ille judex justam & bonā severitatē suam demonstravit, maxime erga luxuriae vitium, quod punivit,

Tert. l. 2. adv. Marc. 16

1. uni-

1. universæ terræ diluvio. 2. Pentapolis incendio. 3. regnorum excidio.

1. *Totum orbem cataclismus abolevit.* Inter atrocissima supplicia, quibus justa Dei severitas punivit mortales, primum occurit universale diluvium. Considerat Bernardinus Senensis, post peccatum superbiæ, & rebellionem Luciferi & sequacium ejus, duas adhuc Angelorum partes in obedientia permansisse, fuisseque æternâ felicitate remuneratas; at verò per peccatum luxuriæ omnem carnem corrupisse viam suam, & demptâ duntaxat Noë familiâ ex octo animabus compositâ, innumeros ferè homines, qui tunc incolebant terram, fuisse immundo libidinis cœno immersos: quapropter *de nullo peccato legitur dixisse Deum, quòd pœnituit se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit.* Solam Noë familiam ab universali illa clade excepit, quam in arca à diluvio liberavit; in qua, ut animadvertit Joannes Damascenus, viri ab uxoribus separati, castitatem servârunt: *Separavit eos ab uxoribus, ut cum castitate pelagus & illud commune naufragium evitarent*: cæteri verò homines qui tunc erant in terra, in pœnam libidinis submersi sunt: *Apparuit cataclysmum scilicet, & retro fuisse propter incredulitatem & iniquitates hominum*, maximè propter luxuriam cui erant addicti: ad magnam immunditiam eluendam magna aquarum copia necessaria fuit, [Igitur rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.] *Et cataractæ cœli apertæ sunt, per hyperbolem accipiendum est, & sic esse dictum, ob insinuandam inundationis magnitudinem, quæ tanta fuit, ut firmamentum quod fecit Deus in medio aquarum, dissipatum esse videretur.* Cùm efferior mortalium punienda est libido, cœli firmamentum hyperbolicè inducitur, scissis velut fenestris aquarum gurgites largius profluens, quasi universalis terræ spurcitia emundari nequeat, nisi cœlum universis hiatibus eam inundet. Congruum fuit, ut *caro quæ rheumatibus & locis humentibus delectabiliter est immersa, tribulationis in profluvio, aquarum diluvio pœnaliter sit submersa.* Æquissimum quoque fuit ut Sodomæ habitatores, qui nefando Veneris exarserunt ardore, cœlesti fuerint ustulati incendio.

Tert. Apol. 40

Tom: 1 Serm: 11 a. 1

D. Hier.

L. 4. de Fide 25

Tert. l. ad Scap. 4

Rupert.

Philip. Abb. Bo. Spei de Obed: cleric: c. 6

2. *Sodomam & Gomorrham igneus imber excussit.* In vindicta, quam sumpsit Deus de Sodomis, sex sunt notatu dignissima, quæ quàm execrandum fuerit illorum crimen, evidenter demonstrant: 1. Deus illos punivit non per Angelos, sed immediate per semetipsum. Aderant tunc tres Angeli apud Sodomam, quorum quilibet valebat illâ incendio evertere. Ad enecandos centum octoginta millia militum exercitûs Assyriorum, Deus unius Angeli usus est ministerio: in ultimo quoque judicio *armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Verùm ut fatur Innocentius III. *Noluit Dominus cuiquam Angelorum vel hominum executionem hujus pœnæ committere, sed sibimet ipse vindictam hujus sceleris reservavit; ac proinde Moyses dicit: Pluit Dominus à Domino, id est, à seipso; nec misisse dicitur, sed pluisse, quatenus ipso verbo magnitudinem & abundantiam pœnæ denotaret*, simulque sceleris innueret enormitatem. Nam

Tert. Apol. 40

Gen. 19

Sap. 5.

L. 3. de Conf. 25

L 4. Mor. 10 — ut fatur Magnus Gregorius, *in ipsa qualitate ultionis notavit maculam criminis.* Qualitas autem ultionis est quòd immediatè à Deo facta sit. 2. Sordidissimum Sodomitarum nefas per ignem punivit Deus; jure merito luxuriæ flamma flammeo imbre ustulata est. *Diu profectò flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat, quo peribat; & ideò completis iniquitatibus suis arsit flammis criminum suorum: tam malè enim de Deo meruit, ut gehennam quæ in futuro judicio datur, etiam in hoc seculo sustineret.* Luxuriæ ignis gehennale incendium anticipat, & libidinis flamma adeò cognata est tartareæ flammæ, ut quæ cœpit in luxuria ardere, necesse sit in ardore gehennæ consummetur. 3. Ignem sulphureum pluit Dominus. Homo libidinosus [totus à pestifero illo igne devoratus est; nec illum quicquam præter flammas cogitare permittit: in igne solum velut salamandra nutritur.] Non sine mysterio addit Job: *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* Quale sit ejusmodi mysterium, elucidat Magnus Gregorius: *Sulphur quid aliud, quàm fomentum ignis est? quod tamen sic ignem nutrit, ut fœtorem gravissimum exhalet: quid itaque in sulphure nisi peccatum carnis accipimus, quod dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat?* Inde concludit Innocentius III. meritò Dominum pluisse super Sodomitas ignem & sulphur; *ignem super ardorem libidinis, sulphur super fœtorem luxuriæ, quatenus pœna similis esset culpæ.* 4. Sed quid est quod infimissimæ terrarum cavernæ gehennale illud non eructant incendium? cur non infernus gehennales evomit flammas cognatæ lasciviæ vindices? Quid cœlo cum gehennalis flammæ pluvia? Hoc dubium proponit, & acutè resolvit Rupertus: *Quare non qualemcunque ignem, sed ignem pluit sulphureum? Quia ergo talem carnis fœtorem miserant ad cœlum, rectè de cœlo fœtorem igneum, vel ignem fœtidum receperunt.* Sicut castitatis flos Angelos subolet, cœlum fragrat, ita fœtidus luxuriæ ardor cœlos fœtidè contaminat; quare ad luxuriæ vindictam non emergit ex inferno inoffenso gehennale incendium; sed ex offenso cœlo fœtida ardenter flamma acerbius evibratur, ut dignam de luxuria vindictam sumat. 5. Deus ipse illam ultionem quàm citissimè peregit, in temporis momento impudicam urbem evertit. Deus, qui cætera delicta sæpius solet cunctando castigare, in puniendo Sodoma nullam passus est moram; *Quæ subversa est in momento, & non cœperunt in ea manus.* Exaggerat Propheta brevitatem temporis, quo hoc supplicium inflixit Deus. Ac si dicat: Vix cœpit Sodomam castigare Deus. In Hebræo legitur: *Et non inceperunt in ea manus.* Adeò præproperè libidinosam illam urbem punivit Deus: ut cùm incepit pluere ignem, totam subitò deflagravit urbem. Tandem 6. *olet adhuc incendio terra:* ut homines ab obscœno luxuriæ caveant vitio attentè considerantes, Deum punivisse olim libidinem Sodomæ & Gomorrhæ incendio, & adhuc regnorum excidio.

Salv. l. 4. de Provid.

Thom. à Vill Nov. Ser. 2. de S Ildeph. Cap. 18

L 14. Moral. c. 10

Jerem. 4

Tert. Apol. 40

Tert. l. de Pud. 6 — 3. *Habemus vetustatis exempla, repræsentati judicii fornicationis.* Exemplum Israëlitarum adducit Tertullianus, quorum viginti quatuor millia ob libidinem enecati sunt: *Et utique sufficit tantum numerum viginti quatuor millium popu-*

populi fornicantis in filias Moab, unâ plagâ ruisse. Hebræa gens ex Ægypto profuga, ad terram promissionis properans cum filiabus Moab fornicata est; iratus autem Dominus ultra tot millia populi excisa, præcepit Moysi ut cunctos principes populi suspenderet contra solem in patibulis : *Punitio primò facta est in principibus per suspensionem , quia aliqui erant culpabiles in transgressione, & alij subditos reprimere negligendo.* D. Chrysostomus Abimelech regis Geraræ proponit exemplum. Abrahamus Chaldææ exul peregrinatur in Gerara Palæstinorum metropoli, & regia Abimelech urbe; dixitque de Sara uxore sua: Soror mea est; rex verò ob eximiam Saræ venustatem tulit eam in ginecæum, ut in uxorem acciperet. Deus in somnio Abimelech dixit : En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Confestim rex Abrahamum vocans dixit ei : *Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me , & super regnum meum peccatum grande?* Hîc peccatum pro pœna peccati accipit D. Chrysostomus. Quasi dicat Abimelech : *Non satis erat si ego punirer , omne regnum meum simul puniendum erat.* Esto rex Abimelech peccaverit maritatam Saram tollens in palatium , ejus tamen regnum in ea nihil peccavit : cur ergo regnum innoxium regiæ libidinis pœnâ mulctatur? Quia scilicet impudica Regis scelera potestate regiâ perpetrata non tantùm regem culpant, & gravioris mulctæ reum faciunt, sed acerbissima etiam supplicia in omne regnum adducunt. Ut Davidis comprobatur exemplo, cujus adulterium multos traxit ad pœnam; cui Nathan : *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum , eò quòd tuleris uxorem Vriæ Hethæi.* In pœnam tanti facinoris David non solùm templum Domino ædificare fuit judicatus indignus , non solùm Absalon ejus filius in palatio regio illius constupravit concubinas ; sed & ejus Regis subditi peste grassante depopulati sunt. Taceo Sichimitas ob Principis incontinentiam enecatos. Taceo multa regnorum excidia à Regum libidine adducta, juxta illud Amos : *Conteram tenentem sceptrum in domo voluptatis*, domus voluptatis est libido; ut dicam cum D. Augustino : *O luxuria! per te pax destructa est, per te homicidium factum est , per te civitates combusta sunt, per te omnia ferè mala facta sunt*, per te homines cœlestis regni patiuntur dispendium.

Liran. in c. 25. Numer.

Gen. 20

L. 2 Reg. 12

Cap.

Serm. 47 ad Frat.

II. PARS.

Si perit & fidelis elapsus in spectaculum scænica fœditatis : quantò magis à fortiori perit, qui fœditatem opere vel voluntate complet? Nam *etsi aliquo impediatur casu, ut non impleat voluntatem; nihilominus actionis crimine condemnatur à Domino, quia voluntas prava faciendi reputatur pro opere facti.* Quantum autem perdat homo de facto, vel desiderio lasciviens , in superioribus fusè demonstravimus; subjungimus nunc cum Doctore Seraphico : [Inter omnes peccatores luxuriosus veniet ad judicium pauperrimus; nam ipse vendidit, & destruxit quidquid habebat , scilicet famam, substantiam, gratiam, gloriam, Deum, & Sanctos.] Tria sunt potissimum in gloria, quorum patitur libidinosus jacturam, nempè cœli, æternæ hæreditatis, ipsiusmet Dei; siquidè lasciviendo 1. à cœlo exulat, 2. æternæ hæreditati renuntiat, 3. Deo se privat.

Tert. l. de Pud. 7

D. Aug. Serm. 150 de Temp.

1. Apo-

Lib. 3 adv. marc. 23

1. *Apostolus municipatum in cœlo esse pronuntians, alicui utique civitati cœlesti eum deputat, quam matrem nostram sursum designat.* Homo ad imaginem Dei factus à suo authore, ad cœlum ordinatus fuit. Christianus in baptismate divinam pactus similitudinem, civis supernæ Jerusalem constitutus est: homo autem libidinosus cœli mancipatu indignum se præbens à cœlo exulat; etenim cœlum à corruptione immune, *corruptio intrare non novit.* Aliorsum tres subministrabimus rationes ex Bernardino Senensi mutuatas, cur homo impudicitiâ spurcatus nequit cœli habere ingressum. D. Ambrosius explanans istud Geneseos [Omnis caro corruperat viam suam.] *Pulchre ait; quia homo viam naturæ suæ corrupit: nam via sua in paradiso erat in illo beatitudinum tramite.* Neque solùm viam naturæ suæ corrupit homo libidinosus, Deique imaginem in anima impressam dedecoravit, sed etiam divinam delevit similitudinem, animæque intulit mortem: quamobrem apud Antonium Paduanum [fornicatio dicitur quasi formæ necatio, id est, animæ ad similitudinem Dei formatæ] Et quia vita gratiæ est semen beatæ vitæ, fornicatio, quæ enecat animam, eique tollit vitam gratiæ, est etiam *vita illius* sempiternæ mors, ad quam homo & Christianus fuerat à Deo ordinatus: *Inter cætera; imò & ante cætera, mœchos & fornicatores, & molles, & masculorum concubitores, negans regnum consecuturos: quibus autem regnum adimitur, utique nec vita permittitur quæ inest regno;* luxuriosis autem adimitur tum cœli municipatus: unde libido dicitur ab Origene *expulsio paradisi,* tum vita beata, tum æterna hæreditas.

S. Zeno Serm. de Pud.

L. de Noe & Arca c. 5

Dom. 4. post Pasch.

Laur. Just. de Lig. Vit. c. 1

Tert l. de Pud. 16

Hom. 7. in Matth.

Tert. l. de Res. 58

2. Christiani *æternitatis candidati* acquisierunt in baptismo (in quo adoptantur à Deo) jus ad cœlestem hæreditatem; huic autem juri renuntiat Christianus libidini vacans: *Scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Tandem jacturam lamentans D. Augustinus exclamat: *O quanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas! ut animam quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat,* renuntietque æternæ hæreditati quam illi Christus suâ passione meruit. Angeli, qui, ut falsò voluit Tertullianus, descenderunt de cœlo ad filias hominum, *cogitabant interdum unde cecidissent, & post libidinum vaporata momenta suspirabant.* Et Christianus lasciviens non suspirat, etiamsi vaporata momentanea libido illum è cœlo ejiciat, æternâ hæreditate spoliet, Deique possessione privet?

Ephes. 5

Serm. 250 de Temp.

Lib. 2. de Cult. fœ. 2

3. Christianus sic fatur apud Tertullianum: *Spero à Christo regnum Dei æternæ & cœlestis possessionis.* Hæc autem possessio in visione Dei sita est; Dei autem possessione & visione privantur libidinosi: *Procreatrix omnium malorum luxuria, cui obnoxius nunquam videbit Deum.* Nam ut ratiocinatur D. Augustinus, Christi Domini auctoritate munitus: *Castitas sola est quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum; unde ipsa veritas ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, ac si è contrario diceret: Illi verò miseri sunt, quorum corda carnali sunt concupiscentiâ polluta, quia æternas mergun-*

Lib. 3. adv. marc. 23

Climac. grad. 15

Serm. 239 de Temp.

tur

tur in pœnas. Tum qu[illegible] damni sustinent in inferno, privati in æternum Dei visione: *Destruct[illegible] illi, [illegible]cedentes rerum natura; ultra nesciuntur à Deo, qui Deum s[illegible], morituri vita, & morti sine fine victuri.* Tum quia pœnâ sensûs [illegible] gehennalis flammæ ustulantur incendio: *Calor iste desiderij carnalis, fervorque libidinis temporalis, æternum gehennæ ignem, & ultricium flammarum æterna promulgavit incendia.* S Zeno Ser. super Attende tibi D.Paulin. ep 12

Ignis enim præcedet ante faciem ipsius, & exuret inimicos ejus, non solùm corpus, verùm & animas occidens in gehennam. Adventum Christi ad judicium declarat Tertullianus, & vindictam, quam ministerio ignis sumet de reproborum animabus & corporibus. Hâc pœnâ, quæ cunctis communis est præscitis, punientur etiam libidinosi. Verùm ultra illud generale supplicium eos adhuc punit Deus in seculo, in judicio, & in inferno. 1. in seculo, angustiis cruciat. 2. in judicio, ab electis separat. 3. in inferno, ignibus jugiter cremat. III PARS Tert. l. de Pud. 2

1. *Sed cùm Apostolus damnat dedendum satanæ, damnatoris Dei præco est:* quia etiam ex hac vita libidinosos punit Deus: tum permittens eos à dæmonibus possideri; tum eos angustiis crucians: *Amores turpes quantas molestias habent, quantas solicitudines hîc in ista vita! Omitto gehennam: vide ne jam ipse tibi gehenna sis ex hac vita.* Etenim in hac vita plus amaritudinis, quàm suavitatis habet libido. Quod denotat famosum illud scortum juvenem suis blanditiis alliciens, lectumque in quo luxuriari solebat, proponens: [Intexui funibus lectum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo.] Ut autem animadvertit Hugo Cardinalis: *Tres species aromaticas nominat, duas amaras, & unam dulcem: in quo notatur quòd in carnali opere plus est amaritudinis, quàm delectationis.* Tert. l. 5 adv. marc. 7. D.Aug. in Ps. 102 Prov. 7

In inferno nullum verum reperitur gaudium. Petrus autem Damianus lascivientem gehennam & infernum nuncupat: *Hæc itaque flebilis anima, gehenna facta est, tartarus, & infernus.* [Nam in gehenna sunt specialiter tria: Ignis ardens, vermis rodens, & sulphur fœtens: Sic in peccato luxuriæ, est ignis concupiscentiæ, vermis scilicet, remorsus conscientiæ, & sulphur, scilicet fumus; & ideò qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ.] 1. Luxuriæ ignis, quo libidinosus medullitus flagrat, dicitur à D.Augustino *æterni ignis æmulus:* quia est gehennali incendio confinis, ustione præcoqua. Inde exclamat D.Hieronymus: *O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus finis gehenna.* 2. Luxuriosus habet vermem, scilicet remorsum malæ conscientiæ; nam ut fatur D.Bernardus: *Infernus quidam rea conscientia.* Nullum est autem peccatum, quod majorem secum subinferat conscientiæ remorsum, quàm delectatio carnalis. De qua verè dici potest: *Dulcedo illius, vermes.* Tandem 3. reperitur fumus; quare Pentapolis libido, incendii infernalis fumus nuncupatur à Gregorio Nazianzeno. Ut autem Sodoma *infinitis iniquitatibus referta, præcipuè propter ventris libidinem, cæterarumque volu-* L. 2. ep. 5 D.Bonav. Diæt. salut. tit. 1 c. 9 In Ps. 29 Serm. 2. de Assumpt. Job. 24 Phil. Jud. l. de Abraham.

voluptatum studia, jam divino calculo judicata fuerat : Sic jam judicatos libidinosos judicabit adhuc, & puniet Deus in universali judicio, eos ab electis separans.

Tert. l. de Pœn. 2 2. *Bonum factum Deum habet debitorem, sicut & malum: quia judex omnis remunerator est causæ.* In judicio autem supremus judex bonos remunerat, malos condemnat; bonos honore afficit, malos dedecore mactat; bonis benignum ostentat vultum, malis iratam faciem demonstrat. De primis parentibus post patratum delictum sic fatur Rupertus Abbas: *Magnum undique est mutua confusionis opprobrium, Deus iratus, diabolus risu, cachinno dilatatus, L. 3. in Gen. 10 uterque sexus ignominiâ percussus: & inter hæc omnia, reorum & animi torquebantur, & oculi confundebantur.* Cunctas has pœnas patientur in ultimo judicio libidinosi, qui resurgent in opprobrium sempiternum; stabunt ante Deum, quem fœdis suis voluptatibus ad iracundiam provocaverunt; diabolo Basil. mag. Exh. ad Bapt. affligentur cachinnis, pœnitudine torquebuntur. *Voluptas nutrix est æterni vermis, quæ ad tempus delinit quidem ipsâ fruentem, verùm postea felle amariores retributiones facit.* Matth. 25 Et ut majori afficiantur confusione, eos judex separabit ab electis: *Statuet hœdos à sinistris.* Non vocabit illos, lupos, leones, tigrides, aspides, aut dracones, sed hœdos; quia, ut commentatur D. Hieronymus: *hœdus lascivum est animal, fervens semper ad coitum.* Unde dum hœdi à sinistris locantur, lascivi denotantur, & ante Judicis sententiam hœdina illorum proditur salacitas, & anticipata sententia prædamnatur.

L. 16. Civ. 24 Luxuria ab igne suam ducit originem, estque idem, ut vult D. Augustinus, *ac luxurens.* Si autem quæramus à magno illo Doctore, cur in fine seculorum mundus sit potius ab igne desolandus & consumendus, quàm ab aliqua alia creatura, id futurum esse asseverat, quia ferè totus mundus in carnalis cōcupiscentiæ flammis continuò exarsit: conveniens namq; est, ut libidinis ignis puniatur per ignis incendium: *Significatum est in fine seculi per ignē judicandos esse carnales.* Æquitati profectò congruentissimum est, ut libidinosi qui in hac vita exarserunt, ardeant quoque in altera vita; & sicut Deum per ignem concupiscentiæ offenderunt, ita à Deo per ignem gehennæ puniantur: *Per D. Cyrill. Alex. l. 9 in Lev. quæ enim quis peccat, per hæc & torquetur. Si igitur unumquodque corporis membrum, & totum nostrum corpus inflammamus igne gehennæ, exardescentes per effrænes cupiditates & libidines: quidni mereamur cruciari igne illo inextinguibili, quem in nobis succendere cœpimus, cujus incendia in cordibus nostris & membris inchoavimus?* Eodem ferè modo se habebit in fine mundi ignis erga castos & impudicos, quo se habuit ignis fornacis Babylonicæ erga Sidrach, Misach, & Abdenago intùs inclusos, & erga crudeles qui extra fornacem stabant satellites. Tribus namque pueris pepercit sapiens ignis, satellites verò conflagravit. Hom 3. de Epiph. Tale portentum eloquenter enarrat Eusebius Emissenus: *In illos sævis æstibus nihil nocebit, quos antè libidinum flamma non attigit, & quibus puritas contulit reverentiam, inferre nesciret rationabilis ardor injuriam. Alioquin iram fugiens, vaporibus viam faciet, & quia non inveniet ubi necesse habeat*

beat exercere judicium, sponte præbet obsequium. Rationabilis gehennæ ardor in eos qui libidini vacant, necesse habet exercere judicium; pudicos autem rationabilis flamma non ustulat, quia nihil ei licet contra illos, quos ante libidinum flamma non attigit. Luxuria gehennæ inflammat ignem, hunc verò castitas extinguit; nam quibus puritas contulit reverentiam, nescit inferre rationabilis ardor injuriam: libidinosos flamma persequitur, quia divinum in illos exercet officium; pudicis verò, quos castitas reddidit de Deo benemeritos, spontaneum præbet ignis obsequium, ut fornacis Babylonicæ apparet incendio: *Ecce horrendum nescio quid; anhelantes globi, & per quadraginta cubitos ebullientes, extrinsecùs sæviunt, intrinsecùs parcunt: extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intùs in fornace famulatur.* Tribus pueris corporis & animi puritate præditis intra fornacem famulatur ignis; verùm extra fornacem irascitur, sævitque in crudeles & impudicos Regis ministros: *Quanta castis corporibus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, & ingesta sibi pabula circumfusus allambit, nihilque sibi licere miratur in corpora Dei timore, & castis jejuniis consecrata, & pretiosum depositum non violat occultâ dispensatione, sed vindicat.* Uti autem dispensatione divinâ arbiter ignis puerorum non violavit corpora castitate consecrata, ita divinâ ordinatione æternaliter in inferno impudicos comburet & cremabit. Statim namque ac data erit supremi judicis sententia, libidinosi ad tartara detrudentur, ut flammis ultricibus divinæ justitiæ ministris, luxuriæ suæ luant pœnas: *Valete adulteri detestabiles, ter quaterq; infelices, vos flamma expectat æterna: vos repansa tartarorum jam fauces accipiunt; vos inferarum fornacum claustra in æternum jam coërcent, ustulant, excruciant.* S. Zeno Ser. super Attende tibi.

3. Hæc erit libidinosi sors, *cujus finis in exustionem.* Ex D. Augustino, *infernum & amorem mulieris rectè conjungit Scriptura*, quia mulier fomentum & incentivum est libidinis; & ut fatur Hugo Cardinalis: *quidquid in ea flamma est ignis, speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt*: libidinis enim flamma ad infernum ducit: *Libidinosum hujus vita incendium ad fornacem illam tendit.* Libidinosus, flammâ luxuriæ æterni ignis æmulâ ustulatus, tantum in terris coloniam habet, præmaturus gehennæ incola; inferni namque incendium in æstu libidinis transparet. Idcircò Guarricus de impudicitia ait: *Hæc est illa pestis, quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit. De his duobus ignibus, gehennæ & luxuriæ, habemus auctoritatem Scripturæ.* Etenim de igne luxuriæ ait Scriptura: *Adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* De igne verò gehennæ dicit adhuc Scriptura: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui, hoc est, judicij, ut intùs ardeant: Dominus in ira sua conturbabit eos, dicens: Discedite à me operarij iniquitatis, & devoravit eos ignis extremus infernalis, quem accenderunt per luxuriæ fœda opera.* Tert. l. de Pud. 20 Serm. 101 de Temp. In c. 42 Eccles. Isid. Pelus. l. 1. ep. 433 Serm. de Purif. Osee 7 Ps. 20 Ps. 6.

Civitatem Carthaginensem nuncupat D. Augustinus, *sartaginem flagitiosorum amorum*; quia sicut in sartagine (virtute ignis) coquuntur cibi, sic quoque L. 3. Cōf. 1

que civitas Carthaginensis, igne luxuriæ velut in sartagine posita, majori sui parte bulliebat. Idem de Africa asseverat Salvianus: *Quis nesciat Africam totam obscœnis libidinum tædis semper arsisse? Non ut terram ac sedem hominum, sed ut Aethnam putes impudicarum fuisse flammarum.* Quod D. Augustinus de civitate Carthaginensi & de tota Africa Salvianus affirmat, idipsum de inferno prædicat D. Cyprianus: ubi *in proprio adipe frixa libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* Inde sumit ansam D. Augustinus alloquendi carnalem quendam ac lascivum hominem: *Amplexaris delicias carnis? stipulas ad te congeris? veniet ad te ignis* à divina justitia succensus, qui animam tuam & corpus tuum æternaliter comburet. *O quàm acerbus fructus luxuriæ! amarior felle, crudelior gladio, acutior & penetrabilior est quovis ferro. Hoc enim vitam homini eripere potest temporalem, non verò æternaliter ferire & sauciare potest animam, prout voluptas facit*, quæ illi pœnam infligit sempiternam. Nec minus ad propositum D. Augustinus: *O verè plangenda nimis & miseranda conditio, ubi citò præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat! Sub momento libidinis impetus transit, & permanet sine termino infelicis animæ opprobrium.* Inde concludit D. Hieronymus: *Quid mihi & voluptati, quæ brevi perit*, & interminabile adducit supplicium? Christiani, quid nobis & concupiscentiæ ignibus, qui æterna inferni patiuntur incendia? *Refugiamus carnis alienæ abominanda contagia, vitemus obscœna inimica voluptatis incendia. Hæc qui agit, de stipula ac lignis iniquitatum perpetuos sibi succendit ignes, & nunquam extinguendos concinnat vapores*: cuncti inferorum maligni spiritus gehennalibus torquentur incendiis; at *immundis spiritibus Christus incendium est.* Christus, qui puros spiritus suâ divinitate feliciter beat, suâ justitiâ immundos spiritus omnipotenter cruciat, quasi majori virtute ignis cruciet impudicos, quàm cæteros reprobos.

[L 7 de Provid. — Serm. de ascens. — In Ps. 44 — D. Ambr. Exh. ad Virg. — Serm 120 de Temp — Epist. 22 — D. Aug. Serm. 120 de Temp. — D. Ambr. l. 7. in Luc.]

Christiana pudicitia est coacta constantius ex metu & voto æterni ignis & regni. Duplex nobis proponit Tertullianus incitamentum ad fugiendam lasciviam, & sectandam pudicitiam. Ad fugandam lasciviam nullum est efficacius motivum, quàm metus ignis æterni: *Gehennæ ignem flammis libidinis oppone, ut ignis igne extinguatur.* Idem remedium subministrat D. Bernardus: Christiane, *ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, major ardor minorem ardorem superet, stridor flammarum, horribilis amorem depellat libidinis.* Hoc remedio utebatur magnus Antonius ad depellenda phantasmata, & lasciviæ figmenta, quibus spiritus fornicationis accendere videbatur ejus concupiscentiam: *Hic ultrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingesta sibi libidini opponebat.* Qui libidinis ardorem inferni ardore non repellunt, qui metu divini judicii & ignis æterni non retinentur, sed vacant libidini quasi inferni supplicia nulla & chimærica sint: *Eant nunc qui carnis suæ delectantur illecebris, medullas ab-* fer-

[L. de Pud. 1. — D. Chrysost. de Repar. laps. — Ser. 25. de Mod. ben. vivend. — D. Athan. in vita S. Ant. c. 4 — Pet. Dam. l. 1. ep. 19]

sorbeant voluptatum, *& occisionis victima ad æternum nutriantur incendium.* Qui vero ultimum credunt certo futurum judicium, neque de inferni suppliciis dubitant, hæc mente fide illustrata recogitent, quoties Veneris persentiunt ardores. *Propone tibi adversus præsentes carnis ardores, futuri supplicij ignes, superet æstum libidinis recordatio æterni judicij, memoria ardoris, gehennæ ardorem excludat luxuria.* Sane nullum est efficacius adversus libidinem remedium, sicut nullum est validius ad sectandam pudicitiam argumentum, quam spes regni cœlestis, & desiderium visionis beatificæ, quam mundis corde pollicetur Deus: cum *tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei.*

D.Isid.l. 1. Sinon.

Tert. l. 1. ad Ux. 8

LUXUS VESTIUM.

SCHOLIUM.

Luxus vestium, ut plurimum reus est, 1. Gloriæ & vanitatis: 2. Iacturæ & prodigalitatis: 3. Injustitiæ & iniquitatis: 4. Lascivia & voluptatis: 5. Periculosæ nuditatis: 6. Fucatæ & pigmentatæ venustatis.

CONCIO PRIMA.

Tert. l. de Pall. 3 — IN statu innocentiæ *homo nudus certe & investis figulo suo constitit*: commissa autem originali culpa *post corpus in ficulneis foliis circundat.* Deus quoque fecit duas tunicas pelliceas, tum ut Adami & Evæ tegeret nuditatem: tum ut eos à frigoris algore, & caloris æstu protegeret: tum ut mortales se meminissent, qui mortuæ bestiæ induebantur spoliis. Eorum nepotes peccati simul & mortis immemores, bestiarumque pelles dedignantes, Tert. l. de Pall. 4 — vestes sericas & aureas ambiunt. *Tales igitur habitus qui de natura & modestia transferunt, & acie figere, & digito demonstrare, & nutu tradere, merito fit.* Verum licet culpandus sit vestium excessus, ornatus tamen moderatus damnandus non est. Quare D. Augustinus sic Possidium monet (Ep. 73 ad Possidiũ.): *Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo.* Uxoratos etenim qui suis etiam conjugibus placere debent, modestus decet ornatus (1. Tim. 2.): ut ex Apostoli doctrina comprobatur: *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Ubi Apostolus vult quidem mulieres moderate, modeste, & verecunde ornatas; ab illis tamen amovet ornatus excessum. (Tert. l. de Cor. Mil. 14) *Propterea nec ornabitur operosius mulier, ex Apostoli prospectu, ut nec crinium artificio coronetur.* Teste adhuc Apostolorum principe, *sic aliquan-*

aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se. Sic Ruth cum adhuc nubilis esset, lota & uncta, cultioribus sese induit vestibus. Sic Judith ornavit se: Sic Esther cultu Regio ad Assuerum processit. Unde non immerito D. Hieronymus confutat Pelagium, quod diceret omnem omnino ornatum à sancto Petro prohiberi. Verum licet Apostolorum princeps concedat Christianis mulieribus ornatum moderatum, immoderatum tamen prohibet: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Itaque ut bene animadvertit Tertullianus, *de modestia quidem cultus & ornatus, aperta præscriptio est, etiam Petri cohibentis eodem ore, quia eodem & spiritu, & vestium gloriam, & auri superbiam, & crinium lenonem operositatem.* Hac tamen tempestate contra Petri & Pauli inhibitionem, immoderatus vestium ornatus & luxus, 1. ambitiose sectatur: 2. criminose captatur: 3. vane excusatur. 1. Epist. 3 L. 1. cont. Pelag. Lib. de Orat. 14

Quod si jam tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibus, ut thori Platonici sciunt, sed omnino totum Empedoclem in adita Cloacinarum detulisset. Alludit ad Platonem, cujus pallium velut nimis superbum Diogenes pedibus conculcavit: & quia Empedocles philosophus purpura amictus incedebat: *Audio enim & in purpura philosophatum.* Inde concludit Tertullianus, si Platonis fastum cœnulentus pedibus conculcavit Diogenes; totum in cloacas, quibus præsidet Venus cloacina, absque dubio projecisset. Quot conculcandi essent fastuosi ornatus, quot pretiosæ vestes in cloacas deferendæ, si aliquis adesset Diogenes? Hac, inquam, tempestate ubi *nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ mutandis induviis*; sed longe majori ardore, tum viri, tum mulieres sumptuosius exoptant ornari, & pretiosas ambiunt vestes. Nam ut subjungit Tertullianus, *calor est omnis affectus: verum cum in affectationē flabellatur, jam de incendio gloriæ ardor est.* Si unquam ornatus & vestium luxus affectatus fuit, maxime hoc sæculo, in quo homines præsertim mulieres ambitiose sectantur vestium, 1. pretiositatem: 2. raritatem: 3. novitatem. I. PARS. Tert. l. de Pall. 4 Tert. ibid.

1. Olim Christiani sectabantur, *non quidem monilium pondera, non vestium tædia, non Gallicos mulos, nec Germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt, sed sufficientiam, quæ pudicitiæ & modestiæ apta est.* Quare sic loquuntur apud Apostolum; (Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.) Ubi Petrus Damianus: (Quid est quod Apostolus ait: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus? Cur enim cum dicit habentes alimenta non protinus addidit, & vestes; sed tantummodo cum præmittit, habentes alimenta, præsto subjungit, & quibus tegamur? Cur hoc nisi ut perspicue doceat, nos debere tam despicabilibus operimentis indui, quæ digna non sint vestium vocabulo nuncupari?) Tegumenta dicit Apostolus non indumenta, quo pretiosarum vestium deprætiet vanam gloriam. Pretiosæ Christianorum vestes erant probi mores: his pretiosius quam serico, auro, & margaritis, ornabantur. Ut enim ait D. Augustinus, *vetus ornatus Christianorum & Christianarum, non tantum nullus fucus mend. x, verum* Tert. l. 1 ad Ux. 8 1. Timot. 6 Opusc. 29. c. 2

ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt. Hoc ornatu indutam sororem Gorgoniam refert Gregorius Nazianzenus. *Squalidum corpus & indumentum virtute sola florens.* Idipsum de cæteris Christianis refert D. Cyprianus demonstrantibus *in habitu philosophiam*, hoc est modestiam, temperantiam, honestatem Christianæ sapientiæ convenientem; Sanctus Martyr æmulatur modum loquendi Tertulliani, quem tanquam magistrum reverebatur: *nam & elinguis philosophia vita contenta est, ipso habitus sonat.* Honesta in vestibus frugalitas, vehementer carpit curiosiora vestimentorum lenocinia, & tacita quæque spectantium reprehensio est. Nam ut ait Christianus philosophus, *de meo occursu vitia suffundo.* Hoc est pudore afficio, & damno effusam in ornatu corporis mollitiem. Grande pallii seu modestæ vestis beneficium est: *sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescant.* Atque utinam erubescerent tot fastuosi Christiani, non modestiam sed luxum vestium ambientes. At proh dolor! tantum abest ut de modestia proborum Christianorum erubescant, quin imo Christianis moderate indutis insolenter insultant. *Quin ea quoque fortasse nobis exprobraverint (jam enim exprobraverunt) quod nec mensa lauta & opipara, nec augusta veste vestimur, nec magnifice in publicum prodimus, nec eos à quibus convenimur, fastuose excipimus:* adeo fastus luxus & ornatus ambiunt gloriam, ut ferre non possint eos qui simili gloriæ non æstuant ardore.

Ep. 73. ad Possidon. — Orat. pro Gorg. — Orat. 18 — Lib. de Pall. 5 — Greg Naz Orat. 28

Neque primævi duntaxat Christiani modestiam in vestibus demonstrarunt: sed plures etiam ex gentilibus moderate induti sunt. De Aureliano imperatore refert Vopiscus: (Vestem holosericam neque ipse in vestiario suo habuit, neque alteri utendam dedit. Et cum ab eo uxor illius peteret, ut pallio blaveo serico uteretur, illi respondit; Absit, ut auro fila pensentur.) Plinius Trajani laudat uxorem, quod in cultu servaret modestiam. Aristoteles quoque ait mulieris ornatum esse, non cultum, sed modestiam, ac studium honeste & decore vivendi: Nam ut ratiocinatur Crates apud Plutarchum, ornamentum est quod ornat, ornat autem quod mulierem honestiorem facit; talem vero præstat non aurum, non smaragdus, non crocus, sed gravitas, moderatio, pudor: & ob hanc causam Lisander & Archidamus, prohibuerunt filiabus suis ne acciperent pretiosissimas vestes à Dionysio Siciliæ tyranno transmissas: *timentes maxime ne deformiores hisce fierent.* Ex D. namque Bernardo, vestium curiositas evidentissimum est deformitatis mentium & morum indicium.

In Oecon. — In Lacon. — Lib. 3. de Consid.

Circa fœminas quidem illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ patrocinabantur, cum aurum nulla norat, præter unico digito, quem sponsus oppignorasset pronubo annulo, nunc in fœminis præ auro nullum leve est membrum. Quod de fœminis Romanis fatur Tertullianus, non immerito de multis mulieribus Christianis potest dici; quæ sese viliter ornatas existimant, nisi earum vestes serico & auro fulgeant: Gravia, frigida, dura sunt metalla, cupiunt tamen ex illis confici vestes. Illis vilis est lana, non quod commodior non sit,

Tertull. Apol. 6.

sed

sed quod fortunis humilioribus conveniat: non satis micabant ovium vellera: bombices quæsierunt à quibus sericum mutuarentur, quod insertum auro aureum subministraret vellus: dehonestatas se crediderunt ambitiosæ fœminæ, nisi circumferrent orbis spolia; fodinas exhausit vanitas, oceanum quoque scrutata est, ut inde splendorem erueret, & in una veste de pulchritudine cum auro disceptaret gemmarum fulgor. Tandem vestium pretiositatem gravi stylo declarat Tertullianus, *Nec de ovibus dico Milesiis, & Selgicis, & Altinis, aut quis Tarentum, vel Bætica cluit, natura colorante, sed quoniam & arbusta vestiunt, & lini herbida post virorem lavacro nivescunt: Nec fuit satis tunicam pangere & serere, ni etiam piscari vestitum contigisset: nam & de mari vellera, quo muscosa lanositatu lautiores concha comant: prorsus haud latet Bombicem, vermiculi genus est, qua per aërem liquando araneorum horoscopis idoneus sedes tendit, dehinc devorat, mox alvo reddere, proinde si recaveris, animata jam stamina volves: Tantam igitur paraturam materiarum, ingenia quoque Vestificinæ prosecuta, primum tegendo homini, qua necessitas præcessit, dehinc & ornando, imo & inflando, qua ambitio successit, varias indumentorum formas promulgavere.* Tria distinguit Tertullianus: necessitatem, ornatum & gloriam. Necessitas communi lanificio ad tegendam nuditatem usa est, ornatus lanam de ovibus milesiis & selgicis quæsivit: gloria sericum, aurum & margaritas, lanæ diversi coloris adjecit, ambitiose desiderans vestium pretiositatem & raritatem. Lib. de Pall. 3

2. *Operositas cum raritate commissa, pretiositatem, & ex ea libidinem possidenda pretiositatis fœminarum excitavit.* Tria sunt potissimum quæ ad possessionem auri & margaritarum fœminarum concitant concupiscentiam, ut eis superbe & fastuose ornentur. Nimirum, raritas, magna qua inveniuntur pœna & difficultas, & industriosa qua elaborantur generositas. 1. Raritas. *Sed enim ex possessionum distributione, quam Deus ut voluit ordinavit, raritas & peregrinitas apud extraneos semper gratiam inveniens, de simplici causa non habendi, quæ Deus alibi collocavit, concupiscentiam concitat habendi. Ex hac vitium aliud extenditur, immoderate habendi: quod etsi forte habendum sit, modus tamen debetur: Hac erit ambitio, unde & nomen ejus interpretandum, quod concupiscentia apud animum ambiente nascatur ad gloria votum. Grande scilicet votum, quod non natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio, concupiscentia commendavit, & alia vitia ambitionis & gloriæ: sic & pretia rebus inflammavit, ut se quoque accenderet: nam tanto major fit concupiscentia, quanto magnifecit quod concupiit* aurum: Margaritæ quoque quæ tanti æstimantur ab hominibus, & tanto ardore desiderantur à fœminis, ut ex eis sumptuosius ornentur: *Hæc omnia de raritate & peregrinitate sola gratiam possident:* tantumque mutuantur pretium, non à sua natura, neque à veritate mentis res juxta cujusque valorem recte existimantis, sed à concupiscentia quæ est vitiosa passio, cœcutiens & bruta, quæ tantum illis contulit pretium, ut majori ardore sese accenderet. 2. Difficultas, qua aurum de terræ fodinis extrahitur, ejus desiderium magis augescit:

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 10

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 8

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 6

Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 4 gescit: *Aurum & argentum principes materiæ cultus sæcularis adsint necesse est, unde sunt? Terra scilicet plane gloriosior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata, nomen terræ in igne reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur.* Uniones quoque non minori pœna in mari piscantur, aut de terræ gremio eruuntur. Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 5 *Sed & lapillos istos qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter, nisi lapillos, & calculos, & ejusdem terræ minutalia?* Ut lapillorum & gemmarum depretiet valorem, vocat terræ minutias: Lib. 2. de Pædag. 12 quomodo nuncupantur à Clemente Alexandrino, *ramenta terræ, & peregrini maris ejactamenta.* Neque enim in terræ gremio duntaxat teguntur, sed in mari adhuc occultantur. Verum sicut ambitio uniones quærit in sinu terræ, ita illas piscatur in oceano; unde subjungit Tertullianus. *Sed & si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur, conchæ genus est, non dico conchilio aut ostreo, sed nec peroside gratius de sapore: ad hoc enim conchas, noverim maris poma: quod si concha illa aliquid intrinsecus pustulat, vitium ejus magis debet esse quam gloria: & licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum quam conchæ illius aliqua dura & rotunda veruca.* Tandem 3. industriæ operositas eis confert valorem: non tantum enim materia ob raritatem, sed adhuc artificis manus ob industriam multum existimatur, sicque uniones, ædificiorum commoditatibus inutiles, concupiscentiæ nutriunt ignem, & ad ædificandam mulierum ambitionem & cultum impenduntur: ita ut mulieres superbè ornatæ, & gloria elatæ, stupere ac rigere videantur, velut statuæ Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 5 spectaculo & admirationi positæ ac defixæ. *Nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria. Olim hunc mulierum stuporem ædificare noverunt; quia tarde teruntur ut niteant, & subdole substruuntur ut floreant, & anxie forantur ut pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant.*

Verum cunctæ illæ rationes ob quas concupiscentia & ambitio, aurum, uniones, varios colores, vestes pretiosas magnifaciunt, eorum contemptum debent ingenerare mentibus sanis, ratione non passione, rerum valorem decernentibus. Nam 1. illorum natura non est magni valoris, cum nihil aliud sit præter excrementa aut terræ, ut aurum; aut maris, ut margaritæ; aut ovium, Tert l. 1. de Cult. Fœm. 6 ut lana; aut vermium, ut sericum. Quapropter *intra terminos patrios non tanti habentur. Apud barbaros quosdam quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tanto locupletiores quanto nocentiores. Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum, cæterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostentationem fere habentur: latent in circulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius subsinu novit, & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt: nihil denique tam gemmatum habent, quam quod gemmatum esse non debet, si non comparet: aut ideo comparet, ut neglectum quoque ostendatur. Proinde & de vestium coloribus honorem servi etiam eorum*

terunt:

terunt: sed & parietes tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. Fuse refert Tertullianus ea omnia quæ apud Christianos de raritate commendantur, esse ex sua natura contemptibilia, & adeo apud barbaros contempta, ut pro nihilo habeantur, tantumque ad servorum usum, & reorum supplicium adhibeantur. Et ut fœminas ad gemmarum neglectum & odium adhuc sufflammet, subjungit: *Ajunt, & de frontibus draconum gemmas erui, sicut & in piscium cerebris lapidositas quadam est. Hoc quoque deerat Christianæ, ut de serpente cultior fiat: sic calcabit diaboli caput, dum de capite ejus cervicibus suis, aut & ipsi capiti ornamentum struit.* Dixit alias Dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc (inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.) Grandis sane mulierum prærogativa, draconem illum antiquum, seu serpentem dæmonem pedibus proculcare, & ut ait D. Hieronymus de fœmina loquens; *Calcato diabolo coronam jam securitatis accepit.* Quasi mulier de suis conculcati serpentis vestigiis coronetur. At mulier luxum superbe ambiens, de ornatus ambitioris lascivia, non pedibus conterit serpentis caput, sed de serpentis exuviis caput suum exornat: neque securitatis coronam capiti suo imponit, dum de capitibus draconum eruit gemmas, quibus capiti suo ornamenta conficit. 2. Difficultas qua supra memorata comparantur, ab eorum amore avocare debent, maxime *quamquam & aurum ipsum, cujus nos gloria occupat, cuidam genti ad vincula servire ferunt gentilium litteræ.* Nonne ornamenta muliebria vincula sunt quibus vinctæ fœminæ detinentur? idcirco Clemens Alexandrinus mulieres auro ornatas, auro victas & oneratas declarat, & cum sceleratis barbaris auro vinctis & onustis comparat. *An non enim colli vinculum est torques aureus, moniliaque, & quæ catenarum locum obtinent? unde Philemon pellucidas vestes vocat compedem aureum,* deinde recensitis plurimis mulierum ornamentis, concludit: *Miror eas non enecari dum tantum onus bajulant.* Tandem 3. ornatus & fuci inventores illum depretiant potius quam commendant. Deus etiam illius non est inventor. *Nimirum enim Deus demonstravit succis herbarum, & concharum salivis incoquere lanas, exciderat illi, cum universa nasci juberet, purpureas & coccineas oves mandare: Deus & ipsorum vestium officinas commentus, quæ leves & exiles solo pretio graves essent: Deus & auri tanta opera produxit complectendis & distinguendis lapillis: scrupulosa Deus auribus vulnera intulit: & tanti habuit vexationem corporis sui, & cruciatus infantiæ innocentis tunc primum dolentis: ut ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus, grana nescio quæ penderent, quæ plane Parthi peronibus quoque suis bullarum vice inserunt.* Belle dinumerat Tertullianus tormenta quæ patiuntur superbæ mulieres ob cultum & ornatum corpus prementes, membra onerantes, aures perforantes, & teneras adhuc puellas vulnerantes: Hæc vanitatis & gloriæ ingenia non à Deo didicerunt, cum Deo non placeant. *Non placet Deo quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas & aërinas oves nasci jubere: si potuit ergo jam*

Lib. 1 de Cult. fœ. 5

Gen. 3

Epist. ad Marcellã.

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 10

Lib. 2. Pæd. 12

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 10

Tert. l. 1 de Cult. Fœm. 7

jam noluit : quod Deus noluit, utique non licet fingi : non ergo natura optima sunt ista, quæ à Deo non sunt auctore naturæ : sic à diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore naturæ : alterius enim esse non possunt, si Dei non sunt : quia æmuli sint necesse est, quæ Dei non sunt : alius autem præter diabolum & angelos ejus, æmulus Dei non est. Maligni igitur spiritus & materiam ornatus hominibus ostentarunt, & cultus formam & fuci artificium fœminas docuerunt : *Nam & cum materias quasdam bene occultas, & artes plerasque non bene revelatas, seculo multo magis imperito prodidissent (siquidem & metallorum operta nudaverant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgaverant, & omnem curiositatem usque ad stellarum interpretationem designaverant:) proprie & quasi peculiariter fœminis, instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt : lumina lapillorum, quibus monilia variantur; & circulos ex auro, quibus brachia arctantur : & medicamenta ex fuco, quibus lana coronantur; & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Hac qualia sint, interim jam ex Doctorum suorum qualitate & conditione pronuntiari potest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad timorem Dei desertores spiritus aut monstrare potuerunt, aut præstare.* Perversam tamen diaboli doctrinam Dei timori præferentes mulieres vanæ, ornatus & luxus sectantur varietatem & novitatem.

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 2

Tert. l. de Pall. 3

3. Decore induantur Christiani, *honestis tamen modis.* Hac autem tempestate varii quæruntur vestium modi quantumvis contra moderationem & modestiam videantur. Homo de inconstantia culpatur, at inter omnes nationes nulla adeo inconstans ac Gallica, quæ nunquam eandem vestium servat formam: *Habitum transferre demum culpa prope est.* Omnium gentium more induuntur Galli, & singulis annis novos vestium modos excogitant; nunc amicorum, nunc inimicorum deferunt indumenta. *Habes igitur ex isto fomite æstuantem magnum regem, sola gloria minorem : vicerat Medicam gentem, & victus est Medica veste : triumphalem cataphracten amolitus, in captiva sarabara decessit.* Loquitur de Alexandro Macedone, qui Persis debellatis, Persarum instar indutus est, detractoque cataphracte in quo triumphaverat, de illo gloriæ fastigio decessit, ac pene sese subegit, captiva induens sarabara, scilicet barbarorum vestimenta, quos in prælio superaverat, sibique subjecerat : *Non erat satis animi tumens Macedo, nisi illum etiam vestis inflatior dejectasset.* Habes quoque ex isto fomite in Francia quam plures viros & mulieres superbia tumentes, & præ gloria qua inflantur quotidie novas & varias vestes deferentes. Tumentem eorum vanitatem, & mutantem varietatem, in pavone repræsentatam vult Tertullianus. *Quamquam & pavo pluma vestis, & quidem de cataclistis : imo omni conchylio pressior, qua colla florent : & omni patagio inauratior, qua terga fulgent : & omni syrmate solutior, qua caudæ jacent : multicolor, & discolor, & versicolor : nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia, toties denique mutanda, quoties movenda.* Vestis de cataclistis, scilicet de pretiosis ac diligenter asservatis,

Tert. l. de Pall. 4

Tert ibid.

Lib. de Pall. 3

quæ

quæ vulgò minimè paterent : omni conchilio pressior, quæ pressa purpura purius & micantius fulget. Hac autem micanti purpurâ colla florent. Omni patagio inauratior; patagium enim est clavus aureus ad extremitates vestium muliebrium appositus. Omni sirmate solutior; denotat vestem tragicam, quâ mulieres theatricæ solutim & laxim induebantur. Multicolor, discolor, & versicolor; ob multimodam colorum varietatem. Hi autem colores toties mutantur, quoties pavo movetur, quæ etsi semper eadem sit in natura, non habet semper eosdem colores, quos variat prout diversimodè movetur, à sole illustratur, & ab hominibus conspicitur. Pavo ut ab hominibus videatur, & uti pulchra suspiciatur, caudam suam girat & explicat. Mulier gloriâ tumens pompaticè incedit, proditque ambitiosius ad placendi gratiam exornata, & *circundata varietate*, corpore ore, colore, vultu, nunquam ipsa, semper alia, una indies plures, multicolor, discolor, versicolor; quasi ejus pulchritudo varietate constet, fucorumque artificio, mutationibus superbè venustatur; sic ornatus cultiores ambitiosè sectatur, criminoseque captatur. Ps.44

Quàm sacer, sanctus, quàmque honestus ac mundus sit habitus, quem deferunt veri Christiani, inde apparet, cùm modestiam simul cum munditie junctam præ se ferant. *Non splendeat toga, ne sordeat quidem*; quia tam splendor, quàm sordes vitio vertuntur. Retinenda est in veste honesta quædam mediocritas, ex æquo velut fugiens vilem ac sordidum habitum, ac magnificum & superbum indumentum; & ut fatur Galenus [vestitus medius sit, neque sumptuosus ut arrogantiam præferat, neque sordidus abjectusque ut incuriam arguat.] Sunt equidem quædam fœminæ sordidè indutæ, quæ meritò de incuria redarguuntur; at sunt multò plures nimium ornatæ, quæ superbiam præ se ferunt, & arrogantiam demonstrant: *Rerum ipsarum qualitates examinemus, consilia quoque concupiscentiæ earum deprehendamus. Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum, & ornatum: cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur; iste in cura capilli, & cutis & earum partium corporis, quæ oculos trahunt: alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis.* Mulieres cultum & ornatum adhibentes, sive gloriæ, sive libidinis causâ, multum criminosæ sunt, 1. Christo contradicentes. 2. Christianam disciplinam dediscentes. 3. Idololatriam sapientes. II PARS. Tert. l. de Cor. Mil. 12 Seneca ep. 5 L. 6. Epidemiorũ Hippoc. Ter l. 1. de cult. fœ. 4

1. *Ille Dominus in humilitate & ignobilitate incessit, vestitu incultus; neque enim dixisset: Ecce qui teneris vestiuntur, in domibus regum sunt: vultu denique & aspectu inglorius.* Christus Dominus, ad quem magnitudo & decor spectant, veniens in mundum non in magnitudine, sed in humilitate, non in gloria & splendore, sed in ignobilitate & squalore, *plenissimè dedit formam suis dirigendo omni fastigio & suggestu tam dignitatis, quàm potestatis.* Ut suos humilitatem doceret, & ipse in humilitate conversatus est; & ut eos ab ornatu vestium dimoveret, vestitu incultus apparuit, suo exemplo à vana gloria & Tert. l. de Idol. 18 Tertull.

Tert. ibid. luxûs pompa alienos demonstrans. *Quis enim magis ijs usus fuisset, quàm Dei Filius? qualis purpura de humeris ejus flueret? quale aurum de capite radiaret; nisi gloriam seculi alienam & sibi & suis judicâsset? Igitur quam noluit, rejecit; quam rejecit, damnavit; quam damnavit, in pompa diaboli deputavit: Tu si diaboli pompam ejerâsti*, nonne debes damnare quæ Dominus damnavit? fugere quæ Dei Filius à se, & à suis aliena judicavit? aversari, quæ in pompa diaboli deputavit? & abstinere ab his, quibus in baptismate renuntiâsti?

Christiani in baptismate diabolo renuntiârunt, sese Christi servos professi, ipsum Dominum sunt induti: Dum tamen cultum vestium colunt, nuptialem illam Agni vestem exeunt, *serico & purpurâ induti, Christum sincerè induere non possunt*; quia diaboli sectantes pompam, dominicam formam non imitantur, in illisque non Dei Filius, sed diabolus inhabitat: iis verò, qui modestè sunt induti, adest non diabolus, sed Dominus. Quod acutè animadvertit Petrus Damianus expendens istud Canticorum, [Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem.] *Sicut Ierusalem, non sicut Babylon, quam vidit Ioannes ornatam purpurâ, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis. Babylonem hanc diabolus, Ierusalem inhabitat Christus: ille luxuriantis amictûs varietate reficitur, hic asperis & humilibus.* Mulier modestè ornata est Dei templum, in ea pascitur Christus; cœlestem repræsentat Jerusalem, in eamq; præmaturè coloniam mittit. Quæ verò amictu luxuriante induitur, est dæmonis habitaculum, diabolum pascit & reficit, Babylonis meretricis magnæ mores repræsentat, Babylonicæ damnationis est infelicitet candidata: quæ est hujusmodi, est rea ingratitudinis, impudentiæ, & infidelitatis. 1. Ingratitudinis, præferens diabolum Dei Filio, qui pro ejus salute sanguinem fudit: *Propter meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit, & adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas?* 2. Impudentiæ, ambiens pompam, gloriam, delicias, coronas, postquam Dei Filius pro ejus redemptione fuit dedecoratus, conspurcatus, flagellatus, spinis coronatus, cruci patibulatus: *Qui tamen & viri caput est, & fœmina facies, vir Ecclesia, Christus Iesus, quale oro te, sertum pro utroque sexu subijt? Ex spinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, qua nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis omnem aculeum mortis, in dominici capitis tolerantia obtundendo. Certè præter figuram contumelia in promptu est, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa sævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt, & lancinaverunt; uti tu nunc laureâ, & myrtho, & oleâ, & illustri aliquâ fronde, & quod magis usui est, centenarijs quoque rosis de horto Mida lectis, & utrisque lilijs, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forsitan & auro; si ob hæc caput ei tuum debes, tale si potes, rependε, quale suum pro te obtulit; aut nec floribus coroneris, si spinis non potes.* Tandem 3. Infidelitatis; nam mulier vanè & superbè ornata suo fastu Christianam disciplinam dedidicit.

D. Cypr. l. de Habit. Virg. Cap. 6

Serm. 102

Tert. l. 1 de cult. fœ. 1

Tert. l. de Cor. mil. 14

2. Multum commendat Tertullianus militem illum, qui lauream de Impera-

pera-

peratoris liberalitate acceperam, solus inter tot commilitones coronamento in manu otioso libero capite incedens, interrogatus à tribuno, *cur tam diversus habitu? Negavit ille sibi cum cæteris licere. Causam expostulatus: Christianus sum, respondit. O militem gloriosum in Deo.* Utinam Christianæ mulieres egregii illius militis imitarentur exemplum; quoties aliorum vel exemplo, vel sermone invitantur ad ornatas & fucatas induendas vestes, responderent: Sumus Christianæ; *Nobis autem primò quidem nullum gloriæ studium est, quia gloria exaltationis ingenium est: porrò exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei.* Sic loquuntur mulieres Christianæ religionis zelotes, quæ inter seculi pompas modestiam servant, & pro fidei & virtutis zelo quo æstuant, fœminas vanas, & superbè ornatas suo exemplo cō demnant, & sermone adhuc increpant. *Quomodo enim humilitatem quam nostri profitentur, implere poteritis, non perpastinantes divitiarum vestrarum vel elegantiarum usum, quæ ad gloriam faciunt; gloria autem exaltare, non humiliare consuevit:* Gloria Christianam dedecet disciplinam, quæ potissimum in humilitate consistit, Gentiles fœminæ gloriæ libidinosæ, Veneris studiosæ, superbè ornantur, ut vel circum vel amphitheatrum, vel templa, vel alia spectacula adeant, ut videant, & videantur; ut ament, & amentur: *imò in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quàm ille ipse mulierum & virorum accuratior cultus; nemo in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri & videre.* Vos autem, quæ Christianam profitemini fidem, quæ spectaculis renuntiâstis, nullo prætextu superbum ornatum defendere poteritis: *Quæ autem vobis causa exsp... ctus prodeundi, cùm remotæ sitis ab his quæ talium indigent; Nam nec templa circumitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies Gentilium nostis; propter conventus enim, & mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat.* Cessante autem fine cessant media ad finem. Ethnicæ mulieres ornantur ut eant ad spectacula, spectacula Christianas non decent fœminas; mulieres gentiles vadunt ad spectacula, vel ut gloriâ insolescant, vel ut luxuriam negotientur: neutrum vobis licitum est; non gloria, cùm sitis humilitatis professores; non luxuria, cùm sitis pudicitiæ sacerdotes, & ita *vobis nulla procedendi causa non tetrica*, id est, non gravis, non seria, non sancta. Nam *aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur. Quidvis horum gravitatis & sanctitatis negotium est, cui opus non sit habitu extraordinario & composito & soluto.* Non enim luxus, sed modestia; non pompa, sed gravitas; non gloria, sed humilitas relucere debet in Christianis mulieribus aut ægrotos visitantibus, aut verbum Dei audientibus, aut Christum in Eucharistiæ mysterio adorantibus. *At si necessitas amicitiarum, officiorumq; gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ procedatis, tantò magis quantò ad extraneas fidei, ut sit inter Dei ancillas & diaboli discrimen?* Verùm rarissimæ sunt hac ætate Christianæ mulieres, quæ salutaribus illis proficiant documentis. Nonne major earum pars vadit ad spectacula, ad tragœdias & comœdias, ut videant

Marginal notes: Tert. l. de Cor. Mil. 1 — Ter. l. 2. de cult. fœ. 3 — Ter. l. 2. de cult. fœ. 9 — Tert. l. de Spect. 25 — Ter. l. 2. de cult. fœ. 11 — Tertull.

videant & videantur? Nonne prodeunt in publicum ad extraneas, amicas & propinquas sumptuosius ornatæ, ut ex pretiosis & novis quibus induuntur vestibus, gloriam captent? Nonne etiam in Ecclesiis amoris signa vel recipiunt, vel præstant? Post hæc quomodo possunt ab ethnicis mulieribus discriminari, cùm ipsæ etiam idololatriam sapiant?

Tert.l.2.de cult.fœ.11 3. *Secundùm Gentilium, an secundùm Dei placitum incedere Christianos oportet?* Non quidem secundùm placitum Gentilium, qui in errore versantur, & in vitio volutantur; sed secundùm placitum Dei, cujus sapientia veritatem docet, religio virtutem profitetur: cultus autem & ornatus contrariatur tum veritati, tum virtuti Christianæ religionis; & mulieres superbè ornatæ non incedunt secundùm Dei beneplacitum. Constat namque *omnem & gloriam, & ambitionem, & affectionem per carnem placendi, Deo placere non posse.* Incedunt igitur secundùm Gentilium placitum: tum quia gloriâ insolescunt; tum quia falsos Deos colunt, nimirum aurum, uniones, pretiosas quibus induuntur, vestes. Quare S. Zeno Veronensis fœminam superbè ornatam sic alloquitur: *Ancilla Christi falsum idolum respuis, mihi crede in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis, ad Ecclesiam Dei opere vario totum inaurata corpus, incredibili metallo procedis onusta, ubique delicata, sub mollibus fortis.* Attendenda sunt verba quæ post pauca subjungit: *Idola Gentium argentum & aurum; unde apparet eum qui diligit aurum & argentum, non tantùm Deos colere, & eorum mores & actus imitari:* quasi idololatriæ suspecta sit fœmina, quæ pretioso sumptuosius cultu exornatur; nam in se velut colit idolum, cujus ornatum & imaginem non deponit, & quod ore execratur, ambitiosioris ornamenti cultu superstitiosè æmulari videtur.

Tert.l.1 de cult. fœ.2

Serm.2 de Avar.

Neque solùm mulier venustè & sumptuosè ornata idololatriam sapit, dum idola colit; sed adhuc dum velut templum pretiosè ornatur, & tanquam idolum profanè adoratur. Velut templum pretiosè ornatur: quomodo Cajetanus istud Davidicum intelligit, [Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.] *Significantur ornatus mulierum adsimilitudinem ornatûs statuarum muliebrium in templis, quæ pulchris & pretiosis ornamentis decorantur.* Statuæ Junonis, Veneris, Cereris, Minervæ, Dianæ, à Gentilibus in templis sibi dicatis appositæ, pretiosè ornatæ videbantur: hujusmodi Dearum statuis assimilantur mulieres superbè indutæ, & superbis indumentis in Deas quodammodo consecrantur. Minutius Felix contra Ethnicos disputans solerter investigat, quando apud ipsos statuæ consequuntur divinitatem: *Quando igitur hic Deus nascitur; Ecce funditur, fabricatur, sculpitur, nondum Deus est: Ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur: tunc postremò Deus est, cùm homo ille voluit & dedicavit.* Sumptuosior ornatus, qui Deorum consecrabat statuas, fœminas quoque comptas & fucatas in Deas consecrat; & quemadmodum statuæ pretiosis ornatibus consecratæ, & in divinitates assumptæ adorabantur ab Ethnicis, ita mulieres opulenter indutæ velut Deæ habentur, nominantur, & venerantur.

Psl.143

In Octav.

Ani-

Animadvertit autem Clemens Alexandrinus mulieres ornatas assimilari ornamentis Ægyptiorum: [apud quos templa & porticus, vestibula ac luci magnificè instructi, eorumque atria multis columnis sunt cincta; parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent, itaut nihil desit; ædes autem auro, & argento, & electro collucent, & ex India ac Æthiopia variis fulgentibus lapillis; adyta verò auro intextis adumbrantur peplis: sed si penetralia templi ambitu subieris, & imaginem quæ templum habitat, quæsieris, sacerdos quispiam cùm veli aliquantulum contraxerit tanquam Deum ostensurus, abundè nobis suppeditat occasionem irridendi numinis; neque enim intùs invenietur Deus qui quærebatur, sed felis, vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua alia ejusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro speluncæ ac cœno magis congruit: apparet Deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur.] *Ita etiam mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, oculisq; pingendis, & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improbâ persequuntur, carnalem ambitum ornantes, & verè Aegyptios imitantes, infelices amatores attrahere gestantes.* Extrinsecùs collucent ornamentis, quæ divinitatem spondent; intrinsecùs lasciviis & fœdis obscœnitatibus squalidè sordent, & quantumvis sint *laudes vanæ, gloriæ turpes*, quæ ex pretiosis illis ornamentis captantur, luxus tamen vestium vanè excusatur.

L. 3. Pædag. 2

Tert l. de Cor. Mil. 12

III. PARS

Nusquam & nunquam excusatur quod Deus damnat. Cultum & ornatum Deus damnat; tum quia illum diabolus docuit; tum quia gloriam redolet: *Gloria illicita est eis, quorum probatio in omni humiliatione consistit*; tum quia laudes, quæ ex pretioso cultu & decoro ornatu captantur, sunt *omnes alienæ, profanæ, illicitæ, semel jam in sacramenti testatione ejeratæ*; tum quia *à cultu corporis innumera fiunt mala: arrogantia, quæ intrinsecùs nascitur; despectus proximi, fastus spiritûs, animæ corruptio, voluptatum illicitarum fomes.* Tot tamen rationibus condemnatus cultus & ornatus à multis tamen excusatur, qui ut illum tanquam licitum propugnent, 1. dignitatem causantur. 2. conjugi placere conantur 3. ni ornatè incedant, scandalizantur.

Tert. l. de Spect. 20

Tert. l. de vel. Virg. 13

Tert. l. de Cor. mil. 12

D. Chrysost. Hom. 4. in Gen.

1. *Jam verò de solo suggestu & apparatu honoris tractandum.* Multæ sunt mulieres, quæ ut cultæ & ornatæ appareant, causantur nativitatem, opulentiam, & dignitatem. Hę autem excusationes prætextæ nullo negotio refelluntur. Esto 1. quòd vestes sint *nativitatis insignia*: captanda est in vestibus honestas, non vanitas. Duplex est hominis nativitas: una in natura, altera in gratia: primam habemus à parentibus, secundam à Deo; in illa nascitur homo, in ista renascitur, & fit Christianus: utraque nativitas non ad vanitatem, sed ad humilitatem invitat. Et quidem nativitas baptismi, in qua homo renascitur & fit Christianus, quia *humilitas est maxima disciplina Christiana.* Nativitas etiam quam habemus à parentibus: tum quia quantumvis simus nobiles, nudi nascimur: tum quia carnem infirmam, miseram accepimus à parentibus, quæ est humilitatis, non vanitatis incitamentum: *Si omnis gloria vana & stupora-*

Tert. l. de Idol. 18

Tert. ib.

D Aug. in Exp. ep ad Galat. 2

Ter. l. 2. de cult fœ. 8

Ter. l. 1. de cult. fœ. 1 — *ia, quantò magis quæ in carne?* Tum quia naſcimur mortales; veſtes autem, quibus tegimur, noſtram mortalitatem denotant: *Ideò omnia iſta damnata & mortua mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta.* Tum quia naſcimur peccatores & inimici Dei: vana au ẽ ornamenta non appetiit

Tertull. Ceraunia gemma eſt candida & rutilans quaſi à tonitru dicta. — Eva poſt peccatum: *Age nunc ſi ab initio rerum & Mileſii oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges inſuerent, & Babylonij intexerent, & margarita canderent, & ceraunia coruſcarent: ſi aurum jam de terra cum cupiditate prodiſſet; ſi jam & ſpeculo tantùm mentiri liceret: hæc Eva concupiſcet de paradiſo expulſa, jam mortua, opinor. Ergo nec nunc appetere debet, aut noſſe, ſi cupit reviviſcere quæ nec habuerat, nec noverat, quando vivebat.* Tum

Tert. l. de Cor. Mil. 14 — quia quælibet mulier *habet humilitatis ſuæ ſarcinam,* nimirum peccati pœnam, dolorem in partu, obſequium viro præſtandum. Hæc ſunt mulier, quæ nativitas tibi confert, *& Evã te eſſe neſcis?* & adhuc ſuperbiâ tumes, & vanos ornatus exoptas, nec conſideras quòd *neceſſitas humilitatis cum muliere cenſetur?*

Ter. l. 1. de cult. fœ. 1. Tert. l. de vel. virg. 9 Ter. l. 2. de cult. fœ. 9 — Aliæ divitias & facultates adducunt, ut cultum & ornatum excuſent: *Non utemur noſtris?* Verùm quæ opulentiam cauſantur: Non ſunt magis excuſabiles, quàm quæ nativitatem: Tum quia dum dicunt, non ergo utemur noſtris? *Quis autem prohibet uti? ſecundùm Apoſtolum tamen, qui nos uti monet mundo iſto, quaſi non abutamur: ſi ergo uxores quoque ipſas ſic habendas demonſtrat, tanquam non habeantur, quid ſentiat de vanis inſtrumentis earum?* Tum quia etſi opulenter dotatæ ſitis, *ſatis & vos uſæ eſtis divitijs atque delitijs.* Antequam eſſetis matrimonio conjunctæ, tempore etiam deſponſationis, & in juvenili ætate *ſatis dotium veſtrarum fructum decidiſtis.* Tum quia ex divitiis non

Ter. l. 2. de cult. fœ. 5 Tertull. — debetis inſoleſcere, nec *ſupergrediendum ultra, quam ſimplices & ſufficientes munditia concupiſcunt, ultra quam Deo placent.* Tum quia in uſu divitiarum veſtrarum vitandus eſt exceſſus, temperata moderatio ſervanda: *Si quas divitiarum, vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit, ita pompaticas progredi, ut ſapientiam non videantur conſecutæ, temperare modum hujuſmodi curate, ne totis habenis licentiam uſurpetis prætextu neceſſitatis.* Tum quia Deus

Ter. l. 2. de cult. fœ. 10 — vobis divitiarum largitus eſt abundantiam, *ut per licentiam utendi continentia experimenta procederent: nonne ſapientes patresfamilias de induſtria quadam ſervis ſuis offerunt atque permittunt, ut experiamur an & qualiter permiſſis utantur, ſi probè, ſi moderatè?* Tum quia majorem conſequitur gloriam, quæ conceſſis moderatè utitur, criminoſumque veſtium luxum fugit, quæ etiam ab innocuo abſtinet: *Quantò autem laudabilior quæ timuerit etiam indulgentiam Domini? quantò facilius illicita timebit, quæ licita verebitur?*

Tandem aliæ dignitatum prætextu, luxûs pompam excuſare nituntur. Attamen hæ dignitates in fortuna duntaxat fundatæ, non eximunt eas à modeſtia, quæ hominibus pœnitentibus, Chriſtianis, & cœli candidatis competit. Honor hominis non in cultu neque ornatu conſiſtit, ſed in veſte honeſta,

D. Aug. l. de Paſtoribus, c. 3 — qua ejus tegatur nuditas: *Veſtimentum propterea intelligitur in honore, quia nuditatem contegit.* Humani generis protoparentes honoravit Deus pelliceis

veſti-

vestibus; etenim juxta Paraphrastem Chaldæum, *fecit Dominus Deus Adæ & uxori ejus vestimenta honoris, super cutem carnis suæ, & induit eos.* Taceat nunc sumptuosior fœminarum ambitio, quæ mentitum honorem de indumentorum pretio fœneratur. Tantum abest ut luxu sibi comparent honorem, quin imò cultu & fuco dehonestantur, ut nonnullæ illarum fatentur apud Gregorium Nazianzenum: *Nos mollibus & circumfluentibus, pannisq́; ex tenuissimo lino, & serico contextis deliciamur, in quibus ineptimus potius, quam splendorem nobis conciliamus.* Fœmina in dignitate constituta sicut affectare non debet habitum *aggrestem & rusticum*; ita neq; sumptuosè pretiosum, & superbè fastuosum, sed incedere debet *ornatu pudicitia ornata, & decenter inculta*, quomodo pœnitentem decet. Profectò si ejus vita à fide censeretur, *ex quo Deum vivum cognovisset, & de sua, id est, conditione fœminæ didicisset, latiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetisset, ut non magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Evam lugentem & pœnitentem, quò plenius id, quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, & invidiam perditionis humanæ) omnis satisfactionis habitu expiaret.* Fœmina peccatrix ad pœnitentiam tenetur, Deo offenso satisfacere debet. Esther *gemmas regias abdicat, crepitantia auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur, totam Reginam cum ornatibus suis abjuit; providam pœnitentiam cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, jejunio exsugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.* At cur Regina tam rigidam sibi imponit pœnitentiam? Ut *indulgentiam absolutionis æternæ præsentis pœnæ ambitu mereatur.* Esther squalorem & pœnam ambiens, peccatrices fœminas ad pœnitentiam stimulat. Quòd si pœnitentes, *extra lætitiam non oportet deversari in asperitate sacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate; num ergo in coccino & tyrio pro delictis supplicare nos concedet? Cedo acum crinibus distinguendis, & pulverem dentibus elimandis: Si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas urgeat*, fucatas ne Deus illas audiet fœminas? Omissâ autem pœnitentia, quæ cultum & fucum abjicit, *nec de bono squaloris & pedoris suademus, sed de modo, & cardine, & justitia corporis excolendi*, prout fœminis Christianis congruit. Probis moribus magis quàm pretiosis vestibus fulgebant antiquitùs Christianæ fœminæ: ut de Asella nobili Romana refert D. Hieronymus: *Nec citus, nec tardus incessus, idem semper habitus, & incultâ veste, cultus ipse sine cultu.* Pretiosis inculta vestibus, sanctis ornata virtutibus, cultum sine cultu præferebat; nunc autem *cernitur in nonnullis cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus*; licèt virtutum, non vestium cultus deceat mulieres æternitatis candidatas. Qui olim ambiebant dignitates, erant induti candidâ veste, unde dicebantur candidati. Christianæ mulieres æternitatis candidatæ, innocentiæ induantur veste, non ornatu superbo & pretioso. *Non tunicas inspecturi sumus in regno cœlorum, sed vestis cujuscumque fulgor justitia deputabitur.*

Verùm quia plus exempla quàm rationes movent, exemplis convicendæ

Gen. 3
D. Ambr. l. 1. Offic. 19
D. Paulin. ep. 7
Tert. l. 1. de cult. fœ. 1
Salv. l. 2 de Guber.
Salv. l. 1 ad Eccles.
Tert. l. de Pœn. 11
Tert. l. 2. de cult. fœ. 4
Epist. 15 ad Marcellam.
D. Bern. Ser. 53. in Cant.
D. Aug. in Ps. 81

sunt mulieres vanæ, vestes pretiosas non esse vera insignia dignitatum. Taceo Alexandrum Severum Imperatorem, qui cùm humili habitu incedens ab aulicis reprehenderetur, respondit: *Imperatoria majestas constat virtute, non corporis cultu.* Taceo Alphonsum Arragoniæ regem dicentem: *Malo moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ.* Taceo S. Ludovicum Francorum regem magis solicitum apparere coram Deo in humili habitu pœnitentis, quàm coram suis subditis in purpura, auro, & margaritis. Æmulentur saltem Esther reginam, quæ instante tempore, quo ingredi habebat ad Regem, *non quæsivit muliebrem cultum*; sed ambitiosa ornamenta

D. Paulin. ep. 10 rejecit tanquam honoris naufragia, & dedecoris indicia: Sic *mulier celsiori gradu ad humilitatis cultum est dejecta sublimiter, ut in utroque sexu personas nobilis humiliata confunderet*: & redargueret fœminas arrogantes, quæ dignitatem causantur, & luxu vestium maritis suis placere conantur.

L. 2. de cult. fœ. 4 2. *Solis maritis vestris placere debetis: intantum autem placebitis eis, inquantum alijs placere non curaveritis.* Fœminas alloquitur Tertullianus, quibus permittit ut ornatiores paulisper incedant, modò ne id alio animo faciant, quàm ut maritis suis placeant. Idipsum indulgere videtur Alexandrinus Clemens uxoribus, quæ maritis minus continentibus nupserunt. Quod innuit

D Aug. ep 73. ad Possid. etiam Apostolus dicens: quòd uxorati cogitant quæ sunt mundi, *quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis, quibus solis permittenda sunt fœmina ornari secundùm veniam, non secundùm imperium.* Multæ tamen mulieres in cura placendi nullum modum servant, sed ornatius cultum & solici-

D. Aug. l. 4 de doctrin. Chr. c. 21 tius adhuc adhibent fucum: *Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adulterio vultûs meditantur adulterium castitatis.*

Scelerosum illum cultûs & ornatûs excessum trinâ potissimum excusant ratione. 1. Ut maritis suis pulchræ appareant. 2. Ut medio cultu & ornatu maritos ad suî amorem alliciant. 3. Ut hoc modo viros suos ab aliarum mulierum blanditiis dimoveant. Verùm hæ rationes non secus ac earum facies fucatæ & vanæ sunt. Et quidem prima rejicitur: Tum quia *uxor nulla*

Tertull. *deformis est viro suo; satis placuit cùm electa est, seu moribus, seu formâ commendata.* Tum quia nullus maritus decipi desiderat: *fucari autem pigmentis, quo*

D. Aug. ep. 73. ad Possid. *vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi.* Tum quia mulier fuco naturam mutans judicium perdit dum maritale veretur: *Quanta hæc amentia effigiem mutare*

D. Aug. *naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale judicium, perdere suum?* Tum quia videtur deformis, sibique displicet quæ fucum quærit. Quomodo autem marito placebit, & pulchra videbitur, quæ sibi displicet, & non pulchra, sed deformis apparet? *Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit*

D. Aug. *mutare quod nata est; ita dum alijs studet placere, prius ipsa sibi displicet: quem judicem mulier requiris deformitatis tuæ, quàm teipsam, quæ videri times?* Tum quia, ut subjungit D. Augustinus, *si pulchra est, quid absconderis? si deformis,*

cur te formosam esse mentiris, nec tua conscientiæ, nec alteni gratiam erroris habitura? Neque secunda excusatio est alicujus momenti apud Tertullianum: *Ne qua vestrum putet, si temperaverit à compositione sui, odium & aversionem maritorum prosecuturam: omnis maritus castitatu exactor est: formam vero fidelis non expostulat:* sed virtutem potissimum & modestiam in uxore desiderat. Quam ideo sic alloquitur D. Chrysostomus: (Vis ornare faciem? Orna non margaritis, sed modestia & honestate: sicque vir gratiorem cernet aspectum: ille enim ornatus & zelotypiæ suspicionem injicere sæpe solet, & inimicitias, & contentiones, & pugnas: modestia autem ornatus omnem quidem probam suspicionem expellit; omni vinculo firmius conjugium conciliat: non enim tam decorum facit formæ natura fieri aspectum, quam eam spectantis affectus; affectum vero nihil sic ut modestia & honestas inducere solet.) Tertiam tandem rationem rejicit Tertullianus: *Cui ergo pulchritudinem tuam nutris? Si fideli, non exigit; si infideli, simplicem non credit: quid gestas aut suspecto, aut non desideranti placere?* Nam si maritus tuus est fidelis, te quoque fidelem existimat, neque fucum & ornatum castitatis tuæ fidem exoptat: si autem est infidelis, ex cultu & ornatu te vel infidelem, vel saltem infidelitatis suspectam judicat. Eodem fere argumento uxorem comptam urget D. Augustinus. *Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere, & irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur. Mala magistra es injuria tua. Lenocinari enim refugit, etiam qua est passa lenonem. Ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat. Tolerabiliora propemodum crimina sunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur.* Plures condensat D. Augustinus rationes intellectu faciles, quæ cum elucidatione non indigeant, attendant quæso mulieres ad duos Apostolorum principes. Ad Paulum quidem, qui postquam concessit mulieribus placere viris suis, *nisi quod capillos nudare fœminas (quas etiam velare caput Apostolus jubet) nec maritatas decet.* Ad Petrum etiam, qui postquam dixit: Mulieres subditæ sint viris suis, subjungit: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus* Ex his verbis, quibus Apostolorum princeps à maritatis arcet cultum & fucum, ansam sumit D. Cyprianus culpandi ornatiorem virginum cultum. *Quod ille mulieres quoque admonet coercendas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum; quanto id magis observare fas est, cui nulla ornatus sui competit venia; nec derivari in alterum possit mendacium culpa, sed sola ipsa remaneat in crimine?* Præfatam placendi maritis excusationem quam afferunt uxores, mendacium culpæ nuncupat S. Cyprianus, mendacio luxum suum non possunt palliare virgines & viduæ, verum proclamant scandalizari, nisi cultæ & ornatæ incedant.

Hom. 21. ad Pop.

Lib. 4 de Doct. Chr 21

D. Aug. Epist. 73.

1. Epist. 3

De Discip. & Hab. Virg. 1

3. *Sed enim à quibusdam dicitur: Ne blasphemetur nomen in nobis, si quid de pristino habitu & cultu detrahamus.* Sic loquebantur fœminæ de idololatria ad fidem conversæ; quas multis rationibus retundit Tertullianus. *Non auferamus ergo vitia pristina, simus & moribus iisdem, si & superficie eadem; & tunc vere*

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 11

nos blasphemabunt nationes. Mulieres de idololatria ad Christianam religionem conversæ, non solum debent deponere depravatos gentilium mores, sed adhuc pretiosos earum ornatus. *Grandis blasphemia est, ex qua dicatur, ex quo facta est Christiana, pauperius incedit.* Nulla est blasphemandi causa, si mulier Ethnica Christiana facta, pauperius incedat, cum Christus etiam vili habitu fuerit indutus. *Timebis pauperior videri, ex quo locupletior facta es? & sordidior, ex quo mundior?* Quo pauperior videtur exterior corporis cultus, eo ditior est animæ ornatus; & quanto sordidior est habitus, eo major est cordis munditia. *Optemus tantummodo, ne justa blasphemationis causa simus*, ob vestes nimis pretiosas & gloriosiorem ornatum.

Tert. l. de vel. Virg. 3 Hujus ævi mulieres comptæ & fucatæ incedunt ne scandalizentur. *Scandalizamur, inquiunt, quia aliter alia incedunt.* Quapropter ne incurrant scandalum sumptuosius ornantur, *& malunt scandalizari, quam provocari*, scilicet ad libidines & venereos amores. Verum *scandalum non bona rei, sed malæ rei exemplum est, ædificans ad delictum:* modestus autem ornatus non est malus sed bonus. *Bona res neminem scandalizant nisi malam mentem.* Quæ bonum depretiat, malum commendat. *Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ; soli Deo captans placere, agnoscant malum suum qui de tali bono scandalizantur.* Profecto criminosi sunt, qui de verecundia, modestia, & pudicitia quæ Deo placent scandalizantur, cum potius ædificent, suoque exemplo ad bonum incitent. *Quid enim si & incontinentes dicant se a continentibus scandalizari, continentia revocanda est?* Non cessandum est à bono, etiamsi mali illud culpent; neque violanda pudicitia, quia libidinosi impudicitiæ vacant. *Cur non magis hæ querantur scandalo sibi esse petulantiam impudentiæ ostentatitiæ virginitatis*, quæ in luxu vestium & nuditate corporis apparent? Profecto

Tert. l. de Spect. 25 *in omni spectaculo nullum majus scandalum occurrit quam ille ipse virorum ac mulierum accuratior cultus.* Qui Christo contradicit, Christianam disciplinam dediscit, idololatriam sapit, à cœlo excluditur, gratiæ & gloriæ jacturam facit, quam sibi comparant, tum viri tum mulieres modestiam & temperantiam in habitu & moribus demonstrantes.

CONCIO SECUNDA.

Tertull. Apol. 6 *Quonam illæ leges abierunt sumptum & ambitionem comprimentes?* Romani ab Urbe condita statuerunt leges vestium ambitionem & sumptum prohibentes, quæ successu temporis ita fuerunt abdicatæ, ut nullam fœminæ in cultu & ornatu servarent modestiam & frugalitatem. De hoc excessu conqueritur merito Tertullianus; verum hac ætate major est querelæ ratio, in fœminæ cultum ambientes adeo sunt prodigæ, ut nullum in expendendis sumptibus servent modum. Illarum ambitio & gloria jam increpata est, nunc ostendendum est quantum afferant damnum, & quantam patiantur jacturam

ram mulieres vanæ, quas cultior ornatus, 1. depauperat: 2. depretiat: 3. dejicit & deturbat.

Quanto dives aliqua est matrona nomine inflata, tanto capaciorem domum oneribus suis requirit, ut campum in quo ambitio decurrat. Filiæ superbia inflatæ exoptant matrimonio cōjungi viris palatiis, supellectilibus, facultatibus opulenter ditatis, qui profuse præbeant sumptus in luxu & cultu vestium impendendos. Non eodem mòdo refert Moyses productionem viri & mulieris; nam de viri productione sic fatur: Formavit, fecit, creavit Deus: de fœmina vero sic loquitur: (Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.) Annon hic loquendi modus videtur minus proprius? ædificare etenim & ædificari duntaxat domibus & palatiis conveniunt, quæ ideo ædificia nuncupantur. Cur ergo mulierem à Deo ædificatam refert Moyses? Respondet Rabanus Maurus, mulierem ædificium nuncupari posse, non tanquam corpus humanum, sed tanquam domum; in qua homo antequam nascatur, novem mensibus habitat: alii volunt Moysem hoc verbum *ædificavit* usurpasse, quia tantum impenditur ad ornandam mulierem, præsertim sponsam, quantum ad aliquod ædificandum palatium: *unde maritum petunt idoneum exhibenda sella, & mulabus, & cinerariis peregrina proceritatis.* Ultra enim pretiosas vestes, monilia supellectilia, ancillas pedissequas, viri subministrant illis lecticas & currus, queis eant ad Ecclesias, conversationes, cursitationes, spectacula. Alii ædificatam Evam in mulierem censent, quia mulier, uti vulgo dicitur, sua cura, solertia, operatione, ædificat domum. Verum si mulieres operis studiosæ domos ædificant, mulieres vanæ domos evertunt, suo luxu consumentes, 1. tempus ad domum ædificandam oportunum: 2. reditum annuum: 3. dotem, censum, & viri patrimonium.

I. PARS. Tert. l. 2. ad Ux. 8

Gen. 2

Lib. 1. in Gen. 14

Tert. ibid.

1. A divina bonitate *etiam ratio temporum nata est.* Tempus largitus est Deus hominibus: tum ut bene operando meritis ditentur: tum ut vacando virtuti & pietati cœlestes sibi comparent gazas: tum ut terrenas etiam acquirant facultates, vel conservent acquisitas. Vir tenetur suo ministerio incumbere, familiæ bono diligenter invigilare. Uxores quoque debent domus curam habere, & ut eas hortatur Tertullianus, *manus lanis occupare, pedes domi figere.* Mulieres tamen cultum & ornatum sectantes, nec domi pedes figunt, nec lanis manus occupant, nec in procurando familiæ bono vacant: nam tempus ad ditandam familiam concessum perdunt, vel in otio absque ulla occupatione viventes: vel curiose extra domum vagantes, vel domesticorum nullam curam habentes; vel in cultu & ornatu majorem diei partem insumentes: Quibus probe competit istud Ovidii; *Dum moliuntur, dum conantur, annus est:* vel domesticos à suis negotiis dimoventes, ut vestes subministrent, ornamenta concinnent, fucum adhibeant, aliisque ejusmodi nugis tempus perdant. Vult D. Epiphanius hac pœna mulctatam Evam ut Adamo, quem suis blanditiis nudaverat, vestimenta contexeret, *quippe hujusmodi est labore damnata.* Apud multas nationes mulieres viris conficiebant amictus, etiamsi regia essent

Tert. l. 2. adv. Marc. 3

Lib. 2. de Cult. fœ. 13

Hær. 78

sent dignitate prædita & opulentissime coronatæ, ut in Regia Persarum magnificentia videre licet. In veteri quoque Ecclesia Christianæ mulieres *vel sibi, vel caris vestimenta faciebant*; hac autem ætate mulieres nec pro suis maritis, nec pro bono familiæ laborare solent, sed tantum sese *laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupare.* Neque viri à vana illa luxus cura sunt immunes. *Proprias præstigias formæ & hic sexus sibi agnoscit, barbam cadere, intervellere, circumradere, capillum disponere, & decolorare canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distringere, cætera pulveris cujusdam aspritudine lævigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere*, multaque alia facere, quæ jacturam temporis important & quasi parum sit in fuco perdere tempus, in luxu adhuc vestium annuum reditum consumunt.

D. Hier. Epist. 27.
Tert l. 2. de Cult. Fœm 9
Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 8

2. *Converte & ad fœminas, habes spectare quod Cæcina Severus graviter senatui impressit, matronas sine stola, in publico*: tum ne suo luxu ad libidinem allicerent: tum ne de pretioso ornatu arroganter tumerent: tum maxime ne fastuosæ cultu familias depauperarent: Si unquam necessaria fuit lex quæ coerceat vestium *redundantiam*, maxime hac tempestate, in qua mulieres tot ornantur vestibus, tunicis, peplis, velis, palliis lineis, sericis, aureis, gemmeis, ut in eis dinumerandis, multos impleat Isaias versus; quibus adhuc familiæ depauperantur. Nam *ob cultum omnia candidatum; ob votum vitta; ob diversam affectionem tenebrica vestis; ob latioris purpuræ ambitionem; ob galatici ruboris superjectionem*, ob catenas aureas, ob margaritas, uniones, gemmas, ob varios *novos ipsos habitus, qui novitati suæ stare religionem mentiuntur.* Ad minus annui reditus consumuntur, & viri divites ad egestatem rediguntur. Quod tanquam malum grande obplorat Ecclesiasticus. *Est aliud malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus divitias & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed externus devorabit illud*: nam in emendis pretiosis vestibus, supellectibilibus, monilibus consumpsit non solum annuos reditus, sed etiam dotem, censum, patrimonium.

Tert. l. de Pall. 4
Tert. l. de Pall. 1
Tert. l. de Pall. 4
Tert. ibid.
Cap. 6

3. Mulier olim apud Romanos vestium *portabat moderationem.* At cum Romæ imperio adeo incrementatus est fœminarum luxus, ut pleræque in cultu & ornatu cunctas exhauserint virorum facultates, juxta istud Propertii: *Matrona incedit census induta nepotum.* Tantam prodigalitatem ferre non valens Ovidius exclamat: *Quis pudor est census corpore ferre suos.* Multæ tamen absque ullo pudore suos deferentes census, potiori jure dicere possunt quam Bias: *Omnia mea mecum porto.* Illas de insania redarguit Philosophus Moralis, asseverans *insaniis quibusdam bina ex auribus pendere gemmarum patrimonia.* Non solum suas dotes, sed adhuc virorum census & patrimonia portant: sed nemo melius quam Tertullianus talem excessum declarat. *De brevissimis loculis patrimonium grande profertur: uno lino decies sestertium inseritur: saltus & insulas tenera cervix circumfert: graciles aurium cutes calendarium expendunt,*

Tert. l. de Pall. 5
Lib. 3. de art. Amād
Plin. l. 10. c. 2
Lib. 7. de Benef. 9
Lib. 1. de Cult. Fœm. 9

dunt, & finistra per singulos digitos de facculis singulis ludit. Monilia in brevissimis loculis asservata grandia patrimonia adæquant valorem in margaritis, quas pertusas & vel in vitta, vel linea argentea vel aurea simul alligatas in tenera cervice circumferunt mulieres decies sestertium inscritur; uniones in gracilibus aurium cutibus pendentes, reditum, imo & censum expendunt; de annulis aureis smaragdis, vel adamantibus insertis valoris inæstimabilis sinistra manus ludit: *Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno & muliebri corpusculo bajulare.* Totam bajulat in suo corpore mulier substantiam familiarem, quam viri antecessores tanto labore, tantisque usuris compararunt: tot divitias & facultates consumit luxus, qui tum viros, tum mulieres depauperat, & depretiat. Tertull.

Vestes sint *neque parca, neque prodiga, neque inverecunde.* A vestibus tria attenda sunt: nimirum parcitas, prodigalitas, & inverecundia. Parcitas, ideo Valerius Maximus Romanos commendat, quod mulieribus providerent vestes conditioni suæ congruas. Prodigalitas, quæ domos evertit, & familias ad egestatem redigit. Inverecundia, quæ mollitiem & lasciviam innuit. Parcitas animi vilitatem denotat; prodigalitas viros divites depauperat; inverecundia, tum viros tum mulieres depretiat: veste namque pretiosa & molli 1. homo tanquam fœmina habetur: 2. mulier, meretrix videtur: 3. & adhuc criminosa censetur. II. PARS. Tert. l. de Pall. 1

1. Plures viri superbe vestiuntur, *nec honestis tamen modis*, quia fœminarum sapiunt mollitiem; ut de Alexandro Macedone refert Tertullianus: qui *pectus squamatum signaculis disculptũ, & anhelum adhuc ab opere belli, ut mollius, ventilante serico extinxit.* Neque Macedo solus, viri fortitudinem, in fœmineam commutavit mollitiem, sed adhuc plures alii, quibus probe competunt verba Artaxerxis ad Tiribazum de pretiosis vestibus insolescentem: (Tibi ut mulieri, aurum: ut insano Regium amictum gestandi jus concedo.) Ut enim ait D. Ambrosius, *plerosque mollioris cura vestis effœminat.* Hos D. Hieronymus nuncupat *fœmineum genus*: ejusmodi vestium mollities est in viris *effœminati animi specimen atque monumentum*: Romanos juvenes de hac effœminatione redarguit Romanus Philosophus, *& capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est.* Tert. l. de Pall. 3 Lib. 5. in Luc. Ep. 12 Phil. Jud. l. de Fortit. L. 1. contr.

Molles illi viri haud contenti molli & muliebri veste, *exuvias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis, & gehennæ destinati*, alienamque cæsariem deferunt, quæ nativæ comæ occultet defectum. Illos *perones effœminatos* vocitat Tertullianus. Porro contra naturam videtur quod viri in vestibus referant mulieres. *Nonne videtur sibi contra naturam vivere, qui communicat cum fœminis vestem?* Contra naturam vixit Achilles apud Chironem Centaurum ab incunabulis delitescens: *Sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effœminatus.* Materna formido Achillem adhuc infantem puellari veste induit; *sed turpius* Lib. de Pall. 5 Sen. lib. 18 Epist. 125. Tert. l. de Pall. 4

adhuc libido, virum cultu transfiguravit. Loquitur de Hercule Tertullianus, qui post debellata monstra, depositis armis, naturæ pervertens ordinem, indutus est veste muliebri: *Tantum Lydia clancularia licuit, ut Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule prostitueretur.*

Deut. 22. Hanc naturæ perversionem prohibet Deus. (Vir non utetur veste fœminea.) D. Ambrosius hunc Deuteronomii locum, in sensu mystico intelligit: quasi Deus non tantum viro vestem muliebrem prohibeat; sed adhuc effœminatos mulierum affectus. *Arbitror quod non tam de veste, quam de moribus dixerit, vel de usibus nostris ac de actibus, cum alius virum, alius fœmineam, deceat actus.* Turpe est homini deferre vestem muliebrem, sed multo turpius delicias, mollities & blanditias fœmineas suis præferre moribus: nam ut subjungit Mediolanensis Antistes: *quam deforme virum facere opera muliebria! ergo & pariant, & parturiant, qui crispant comam sicut fœminæ, merito illic non servatur castimonia, ubi non tenetur sexus distinctio.* Subjungit Philo Judæus tali præcepto providisse Deum *ne vel umbra quidem, aut vestigium effœminationis sexui masculo inurat aliquando maculam*; nec illum ad lasciviam inducat. Vestium mollities Venerem spirat: nam ut dicere solebat Augustus: Suecon. in Vit. Aug. *Vestitus insignis, ac mollis, superbiæ vexillum est, nidusque luxuriæ*; quare mulier superbe, pretiose & delicate vestita, velut meretrix videtur.

Tert. l. de Pall. 3. 2. Nam *Lentuli Auguris consultis quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna.* Lentulus primum Augur, deinde cum M. Crasso Consul electus, adversus matronarum luxum legem tulit, quia mulieres nimis comptæ & ornatæ, eadem pœna mulctabantur ac si de stupro & adulterio fuissent convictæ. Hac ætate non puniuntur mulieres, habitu compto & fucato indutæ; verum etsi sint castissimæ, non carent tamen impudicitiæ suspicione. Testis est Claudia Vestalis, quæ ut canit Ovidius,

4. Fastor.

Casta quidem, sed non est credita; rumor
Iniquus læserat, & falsi criminis acta rea est.
Cultus & ornatos varie fudisse capillos
Obfuit; ad rigidos linguaque prompta senes.

Vestalis crispata & compta procedens, spectatores in lasciviæ suspicionem adduxit: habitus modestus & gravis pudicitiam denotat, at è converso vestis culta impudicitiæ cogitatum ingenerat: *Virgo non esse tantum sed intelligi debet & credi: ut nemo cum virginem videt, dubitet an virgo sit, parem se in omnibus integritas præstet, nec bonū corporis, cultus infamet: quid ornata, quid compta procedit, quasi maritū aut habeat, aut quærat?* Vestiū ornatus (modo sit moderatus) conceditur uxoribus, ut viris placeās, aut puellis, quæ maritos exoptant: & quia Claudia Vestæ virginitatem consecrarat, ob cultum diffamata fuit, quasi aut fuerit constuprata; aut saltem quæreret stuprum. Animi pudor in vestibus transparet invitus pudicitiæ amor, in exteriori legitur veste, modestiæ characteribus scriptus: at è contra lascivus voluntatis affectus in ornamentorum pompa impressus apparet: nam ut subjungit D. Cyprianus, *Ornamentorū*

D. Cyp. de Discipl. & Habit. Virg. c. 3.

Cap. 6.

ac vestium insignia & lenocinia formarum, nonnisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt; & nullarum fere pretiosior cultus est; quam quarum pudor vilis.

Cæteri Patres non secus ac D. Cyprianus, ex compto & pretioso ornatu pudoris jacturam aut periculum conjectantur. Idipsum sentit Alexandrinus Clemens, qui postquam sinistrum de fœminarum cultu tulit judicium, subjungit: *Laudo & admiror Lacedamoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aurum mundum gestare permisit, ac probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet.* Belle nuncupat vestes floridas, quia cultus ornamenta flores sunt, ex quibus producuntur luxuriæ fructus, & licet semper ex hujusmodi floribus non nascantur Veneris proles, mulier tamen compta, ut plurimū creditur meretrix, & criminosa censetur. Lib. 1. Pædag. 10

3. *Ergo benedictæ, ut lenones & prostitutores vestitus, & cultus, ne in vos admiseritis:* quia tam lenocinium quam prostitutio crimen important. Lenocinium quidem, quia ad crimen allicit: prostitutio vero, quia crimen committit. Utrumque est à Deo prohibitum, qui vetat non tantum opus impudicum, non solum voluntatem luxuriandi, sed adhuc quidquid libidini favet, & ad lasciviam inducit. Vestium luxus dum corpus sumptuosius ornat, animam fœde contaminat. Idcirco D. Hieronymus asseverat *munditiam corporis atque vestitus esse animæ immunditiam:* anima autem non fit immunda nisi per peccatum. D. quoque Hilarius expendens istud Salvatoris effatum; (Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt;) per reges illos intelligit dæmones mundi principes & dominatores; itaque mulieres molliter vestitæ sunt dæmonum domicilium: animæ autem in quibus habitant dæmones, sunt criminosæ. Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 4 Epist. 27. Can. 11 in Matth.

Refert Alexandrinus Clemens Cæum sophistam repræsentasse improbitatem candida veste velatam, virtutem vero sola verecundia vestitam. Apud regium quoque Vatem *omnis gloria filia regis ab intus.* Hæc autem filia regis est anima à Deo supremo regum Rege adoptata, & pretiosis gratiæ monilibus ornata: *Sancti considerandi sunt, non carne, sed intrinseca gloria:* & ut fatur Zacharias summus Pontifex: *Christianos commendare debet non honor vestium, sed splendor animarum.* Mulier exterius sumptuose ornata, & interius neglecta, præ se fert, ait Gregorius Nazianzenus, interne Hecubam, externe Helenam, ejusque anima tanto est deformior quanto vestes pulchriores supra corpus apparent: Nam ut ratiocinatur D. Augustinus: *Corporis hujus id est exterioris hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris majora detrimenta quanto autem minus appetuntur ornamenta exterioris, tanto magis pulchris moribus homo interior adornatur.* Pleræque tamen mulieres interioris hominis negligentes ornatum, exterioris quærunt pulchrum & pretiosum cultum, qui eas devenustat, depretiat, dejicit, & deturbat. Lib. 2. de Pæd. 10 Ps. 44 Cyr. Alex. lib 4. in Joan. 4 Bar. An. Dom. 744 Ser. 18. de Verb. apo.

Hæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium, & obstrepent pudicitiæ disciplinis dignoscere, in facili est: quia mulieres vanas dejicit & deturbat à 1. gravitate & modestia: 2. virtute & innocentia: 3. fœlicitate & gloria. III. PARS

menta, perinde nobis curanda est amputatio, & decussio redundantioris nitoris. Per impedimenta totam illam intelligit cultûs muliebris supellectilem, quæ sarcinæ cujusdam instar est. Quo sensu aliorsum ait: *hominem sarcina vestiat.* Tert.l.de Pall. 5
Quantum vero impediat vestis hujus ornatæ sarcina, comptæ & cultæ mulieris declaret conscientia: *Conscientiam tuam interrogabo: quid te prius sentias indutam, an onustam?* Tertull.
Si verum dicas, fateberis prius onustam, quam indutam. Calcei quoque quid sunt aliud præterquam *proprium pedum tormentum?* Unde quemadmodum ventus vehemens arborum decutit flores, ita Christiana fœmina innocentiæ candore vestita, & virtutis studiosa decutit & rejicit omnem cultûs redundantiam, & corporis nitorem, qui impurum potest sufflammare vel in se, vel in aliis amorem. Nam *cognito Deo, ademptâ* Tert.ib.
placendi voluntate per luxuria occasionem, omnia illa ut otiosa, aut hostilia recusantur. Hostilia tum Dei, quem offendunt; tum virtutis & pudicitiæ, quam labefactare nituntur: fœmina libidinis osor, virtutis amans, Dei amicitiam venereo præferens amori, cultum & ornatum velut Dei & castitatis inimicum recusat. *Nam ubi Deus, ibi pudicitia; ubi pudicitia, ibi gravitas adjutrix &* Tert. ib.
socia ejus. Quomodo ergo pudicitiam sine instrumento suo, id est, sine gravitate tractabimus? quomodo autem gravitatem administrande pudicitia adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione severitas circumferatur, quæ cultum, tucum, ornatum corporis recusans, demonstret animæ innocentiam, & virtutis nitorem? Ad quod Petrus Damianus fœminam Opusc. 29 c.3
Christianam stimulat: [Tu itaque jamjam velut pestilentiam morbi lethalis illuviem evome, & pretiosarum vestium appetitum à stomacho languidæ mentis expelle. Non levis quippe languor est animæ de superstitioso corporali amictûs nitore gaudere: gratiam siquidem sancti Spiritûs, in qua delectatur, excludit, qui se per exterioris ornatûs desiderium spargit: cujus utique si in mente sentiret dulcedinem, nequaquam corporei cultûs supervacuam concupisceret vanitatem. Quod evitandum Sapiens admonet, dicens: *In vestitu ne glorieris.* Eccles. 11
Illius ergo vestis concupisce nitorem, qua coram oculis Dei perpetuò polleas, non qua fallacis ac frivolæ hujus vitæ momenta transcurras.]

Gratiæ nitorem, neque animæ innocentiam concupiscit superba mulier, quæ in luxu & mollitie vestium delectatur. Nam ut fatur D. Bernardus: *mollia vestimenta animi mollitiem indicant; non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Fœminas, quæ corpus ornant, & animam incultam relinquunt per cygnum denotatas vult Hugo Cardinalis: *Cygnus avis est candida, extenti colli, magno corpore, nigra in carne, & significat illas, quæ splendore vestis plus æquo gloriantur*: quia quantum exterius In c.11 Levit.
in corpore comptæ & ornatæ sunt, tantum intùs in anima sunt nigræ & deformes. Cygnus ob cutis nigredinem inter aves immundas & abominabiles divino præcepto collocatur. Mulier fucata & culta animam habens vitiis turpatam est abominabilis Deo. Adeò exitiosus est vestium luxus, de inno-

nocen-

nocentia & virtute dejiciens, & de felicitate & gloria deturbans.

3. Tertullianus redarguens vetulas, quæ fuco canos albos, nigros efficiunt, earum mentem ad cœlum elevare nititur, ubi capilli veram induent juventutem. *Hæc est æternitas vera de capillis juventute: hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad novam domum, quam Monarchia pollicetur.* Alludit ad Apostolum docentem Christianos meritis & virtutibus locupletatos, resurrecturos ad cœlum, ubi eorum corpora immortalitate induta nullis unquam ætatibus senescent, sed semper in juventute florebunt: *Ibi pro sanctorum corporum tunica lux fulgebit æterna, vestitus ibi nunquam ullo seculo exuendus, convertetur in corpus, ubi indumentum transibit in præmium, ibi angelica illa stola non jam erit amictus, non jam erit habitus sed natura.*

Lib.2.de cult.fœ.6

Euseb.Emiss.Hom.10.ad Monach.

Quantumvis sit pulcher, fulgidus, & pretiosus amictus, quo induentur Sanctorum corpora post resurrectionem, plures tamen mulieres pluris faciunt cultum & ornatum hujus mundi; adeo luxui vestium sunt addictæ, ut audeat dicere Bernardinus Senensis: *Si Angelus de cœlo descenderet, vel Paulus fortè, vel Christus, & nostra hac talia vestimenta & superflua prædicarent, credo quòd victoriam non haberent.* Adeò difficile est, ut mulier vana hujus vitæ ornamenta deponat. Adversus inordinatum illum luxûs amorem tria tantùm afferenda supersunt. Primum ab ipso Chrysostomi aureo ore procedit: [Ideò Adam induit Deus vestes pelliceas, similiter & ejus uxorem, quàmvis si voluisset, delicatis potuisset eum induere vestibus: sed nobis Deus per illas ostendit, quòd non sit præsens tempus deliciarum, sed gemendi & plangendi.] Secundum prodit ipsemet Tertullianus, qui ægrè ferens obstinatum cultûs & ornatûs amorem, sic mulieres alloquitur: *Atque utinam miserrimus ego in illa die Christianæ exaltationis, vel infra calcanea vestra caput elevem: videbo an cum cerussa & purpurisso, & croco, & illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictas Angeli in nubila sublevent obviam Christo in aëre. Si nunc bona & Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus, & sua loca agnoscent: sed non potest resurgere nisi caro & spiritus solus ac purus. Damnata sunt igitur quæ in carne spiritu non resurgunt, quia Dei non sunt. Damnatis hodie abstinete. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit.* Tertium ex eodem gravi Doctore depromo: *Projiciamus ornamenta terrena, si cœlestia optamus.*

Tom.2 de Patriæ Flagell.a.2 c.2

Lib.2.de cult.fœ.7

L.2.de cult.fœ. 3

CONCIO TERTIA.

PRoprius habitus uniuscujusque est, tam ad usum quotidianum, quàm ad honorem & dignitatem. Alius enim habitus decet nobilem, alius plebeium; alius divitem, alius egenum; alius regem, alius subditum: aptanda est vestis generi, dignitati, facultatibus uniuscujusque; quia, ut fatur Basilius Magnus, habitus & ornatus [ad propositum cujusque finem accommodatus est, cum decore & dignitate, habitâ ratione temporis, loci, personæ, utilitatisque. Alia enim vestis convenit tempore hyemis, alia æstatis; alia laboranti, alia quiescenti; alia ministranti, alia hero; alia militi, alia civi; alia viro, alia fœminæ.] Hoc autem tempore nullus servatur in vestibus ordo generis, honoris, aut dignitatis: cuncti confunduntur status, nulla est distinctio inter vestes pauperis & divitis, plebeii & nobilis, subditi & regis: tanta est luxûs 1. perversitas. 2. crudelitas. 3. iniquitas.

Tert. l. de Idol. 18

In Reg. brev. Interrog. 110

I. PARS.

Nulla res sine ordine, rationalis potest vindicari. Servandus est ordo in domibus, in civitatibus, in rebus publicis, in regnis: etenim si ab illis abfuerit ordo, rationalis desiderarut gubernatio. Deus, qui est rationis auctor, & supremus gubernator, cuncta in ordine disposuit; & ut fatur Tertullianus: *totum hoc judicato dispositum & ordinatum est*: quia creaturas distinxit, & locum, sedem, ornatum unicuique congruum concinnavit. Non absimiliter in urbibus & rebus publicis rationaliter & judicato dispositis & ordinatis, debet esse distinctio inter homines, qui illas componunt. *Vnusquisque in suo ordine* debet stare, & induere vestes suo statui & conditioni conformes. At proh dolor! tanta est hodie vestium perversitas, ut confundat ordinem, 1. nativitatis. 2. facultatis. 3. dignitatis.

Tert. l. 1. adv. Marc. 23

Lib. 2 adv. Marc 12

Tert l. de Res. 48

1. Vestes pretiosæ erant olim *nativitatis, generis insignia.* His insignibus non distinguuntur hodie nobiles à plebeis. Purpuram antiquitùs licebat deferre duntaxat *his, qui familiaritate Regum conserebantur, unde & purpurati Regum dicebantur à purpura.* Hodie purpurâ induuntur non solùm nobiles, non solùm regum familiares; sed etiam ignobiles, & nullius momenti homines. Henricus II. Francisci I. Galliarum Regis primogenitus, adhuc Delphinus Viennensis, die desponsationis suæ detulit præ raritate & novitate pallium sericum: & hac ætate singulis diebus mercatores, artifices, & rusticani serico induuntur; tanta est perversitas generis, & facultatis.

Tert. l. de Idol. 18

Tertull.

2. *Ordo nihil est quàm meritorum dispositor.* Hic ordo perfectè servatur in cœlo, ubi beatitudo confertur juxta cujusque merita, & quò Sancti magis ditantur meritis & virtutibus, eò majori potiuntur beatitudine. Hic ordo servãdus esset in terra, & unusquisque deberet vestes deferre juxta suas facultates. Verùm ita inordinata sunt omnia, ut nullus suam consulat familiarem substan-

Tert. l. de Res. 48

ftan iam, fed ambiat veftes pretiofas, non folùm redi.um, fed etiam fuum cenfum in valore excedentes. Et quia propriæ facultates nequeunt fumptus fubminiftrare ad exceffivum illum ornatum, folet *cultum de alieno extorquere* per furta, injuftitias, rapacitates, violentias, ut illis injuftis mediis poffit æquare in luxu homines in dignitate conftitutos.

Ter. l. 1. ad Uxor. 4

3. *Quoniam quidem indices cuftodesque dignitatu habitus*, ne fit officiorum ftatuumque confufio. Sic olim Romæ ftatutum fuit, ut ex fignis diftinguerentur homines; & hac lege ftante artis fuæ fymbola ferre cogebantur artifices non fecus ac dignitates per urbem incedentes. Igne prævio deno:abatur Imperator; haftâ, Conful; Senator urnâ; tabellis, Cenfor; enfe, Centurio; mafsâ, Tribunus. Purpura & aurũ & cervicis ornamentum, *apud Aegyptios & Babylonicos infignia erant dignitatis.* Nunc autem ex habitu nulla hominum poteft dignofci conditio, omnes indifcriminatim eodem modo veftiuntur. Erravit aliàs in Epheftione Sifigambis Darii mater, cùm illum ex cultu æftimans, relicto qui aderat Alexandro, falutavit ut Regem. Errant adhuc quotidie mortales ex habitu exiftimantes tanquam Principes, qui fervili conditione vilefcunt. *Caterùm purpura, vel catera infignia dignitatum & poteftatum, habent profanationis fua maculam*; cùm deferuntur ad illos, quibus non competunt, & funt indices perverfitatis & crudelitatis.

Tert. l. de Pall. 3

Tert. l. de Idol. 18.

II PARS. *Simplex purpura illa nec jam dignitatis erat, fed ingenuitatis apud Barbaros infigne. Quemadmodum enim & Iofeph qui fervus fuerat, & Daniel qui per captivitatem ftatum verterat, civitatem Babyloniam & Aegyptiam funt confecuti per habitum barbarica ingenuitatis.* Exemplo Jofephi & Danielis oftentat Tertullianus non femper purpuram fuiffe dignitatis indicium, fed aliquando ingenuitatis & libertatis infigne, qua donabantur fervi fideles, de dominis fuis benè meriti. Hac autem ætate purpura eft infigne non dignitatis, nec ingenuitatis, neque fidelitatis, fed captivitatis, qua peccator vitiis famulatur, & crudelitatis; veftis enim illa pretiofa, qua tumefcit, eft, ait S. Bonaventura, *fanguinolenta in proximorum oppreffione & cruentatione*; quia eft tincta fanguine, 1. mercatorum. 2. mercenariorum. 3. egenorum.

Tert. ibid.

1. Philofophus Chriftianus in cultum & ornatum audacter oblatrans: *Soleo de qualibet margine medicinas moribus dicere, qua felicius publicis rebus, & civitatibus, & imperijs valetudines conferent, quàm tua opera.* Urbes, civitates, regna, bonâ fruuntur valetudine, quando ab illis exulant exceffus, quando cuncta moderatè fiunt; cùm viri & fœminæ veftium non fectantur luxus: nam dum viget cultus & ornatus, fignum eft evidens ægrotantis urbis, ægrotantis Reipublicæ. Profectò *plus toga lasêre rempublicam, quàm lorica.* Refpublica eft fana dum commercium liberum eft, dum negotiatio floret: veftium autem luxus tollens commercium, eripiens negotiationis nervos, rempublicam vulnerat, civium fundit fanguinem. Quot mercatores cruentati cultu & ornatu mulierum? quot negotiatores defraudati, qui coacti funt

Tert. l. de Pall 5

Tertull.

cedere bonis? deficientibus mercatoribus deficit negotiatio; cessante negotiatione vastatur, vulneratur respublica. Hanc vestes pretiosæ plus læsê quàm loricæ, quàm hostium arma, quia fuderunt sanguinem mercatorum, mercenariorum.

2. Habitus *sericatus* suum de sanguine mutuatur colorem. Purpura enim est pannus pretiosus ex sanguine animalculi marini tinctus. Nam, ut fatur V. Beda, *conchilia ferro circuncisa, lacrymas purpurei coloris, quibus lana tingatur, emittunt*. Ad quod alludit Tertullianus, superbum pavonis describens fastum, qui inter cæteros colores quibus fulget, est *omni conchilio pressior*. Pressa purpura dicitur, quæ purius & meracius lucet. Nam, ut fatur Plinius, [laus ei summa, color sanguinis pressi & concreti, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens.] Nam licèt purpura sit rubicunda, rubens tamen ille color sapit nigredinem nigricans aspectu. De purpura illa nigrescente bellè ad propositum Cassiodorus: *Nigredo sanguinea, obscuritas rubens*. Purpura est sanguinea, quia est tincta sanguine mercenariorum, artificum, domesticorum. Nigrescit adhuc: vel quia odit lucem, & obscuritatem amat: *Fur caliginem aut fumũ objicit, ne agnosci possit*: vel quia miseros mercenarios, domesticos, artifices, quos mercede laboris & artis frustrat, luctuosæ & *tenebricæ vestu* operit velo: vel quia fraudatores illos ad tenebras ducit exteriores juxta Isaiæ cõminationem: *Vestimentum mixtũ sanguine, quod erit in combustionẽ & cibus ignis*.

Tert. l. de Pall. 5.
in c. 16 Luc.
L. de Pall. 3.
L. 9. c. 38
L. 1. Var. 2
D. Fulg. Mith l. 1
Tert. l. de Pall. 4
Cap. 9

Ut constat ex divite epulone, qui induebatur purpurâ & bysso, & sepultus est in inferno. Non quia purpurâ indutus, damnatus est, sed quia purpura, qua induebatur, erat pauperum sanguine tincta: *Byssum & purpuram nominat Dominus, non solùm quia delicata & sumptuosa sunt; sed propter latens mysterium: purpura enim sanguine tingitur*. Quapropter damnatus fuit dives, non tam quia bysso & purpurâ induebatur; sed quia purpura qua turgebat, erat sanguine tincta. Quot sunt qui divitis imitantur exemplum, qui deferunt vestes tinctas sanguine, non pisciculi, sed domesticorum, quorum salaria retinuerunt; mercenariorum, quibus laboris mercedem non contulerunt, artificum, quos non remuneraverunt; pupillorum, viduarum, miserorum, quos usuris depauperârunt? *Induebatur purpurâ, quæ sanguine solet tingi, quæ fortè de sanguine pauperum facta erat, & de impio lucro*.

Luc. 16
Hug. Cardin.
D. Bernardin. Sen. to 1. Ser. 44. a. 1. c. 1

3. *Quis enim est vestium honor justus, de adulterio colorum injustorum*? Color adulter & injustus est purpura divitum, qui egenis eleemosynam denegant: quibus probè competunt quæ de divite Evangelico fatur Chrysologus: *Lazaro sic jacente, purpurâ, bysso, delicatis vestibus ferrea viscera crudelis anima nutriebat*. Colores injusti & adulteri sunt colores Priorum, Abbatum, qui grandes beneficiorum reditus in pompa, fastu, & luxu vestium insumunt: *Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie videt, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius ornatus. Inde aurum in frænis, in sellis, & calcaribus, & plus calcaria, quam altaria fulgent*. Quibus aptat Hugo Card.

Tert. l. 1 de cult. fœ 7
Serm. 121
D. Bern. Serm 33 in Cant.

Gen 37 / In c. 63 Ital.

verba quæ protulit Jacob Patriarcha conſpiciens tunicam Joſephi ſanguine tinctam: [Fera peſſima devoravit filium meum Joſeph.] *Emunt veſtes ſuperbas & ſumptuoſas de patrimonio Chriſti, quod ipſe proprio ſanguine emit; & de labore, & ſudore, & ſanguine pauperum agricolarum accipiunt, quod in veſtibus ſumptuosè & ſuperfluè expendunt. De ejuſmodi, qui talibus veſtibus induuntur, dicitur illud: Fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Ioſeph.* Color adulter & injuſtus eſt eorum, qui ſub auctoritate regia deprædant populos, qui tanquam feræ peſſimæ eos devorant. *Qui cotia hac humana perinde ac brutorum conſumant, utanturque pro amiculis*: qui induuntur purpurâ egenorum ſanguine cruentatâ, qui miſeros populos ſubſidiis & vectigalibus onuſtos inopiâ & fame enecant. Animadvertit D. Chryſoſtomus, quòd tempore Eliſæi prophetæ, ſcelerati Achab *purpura famem peperit perdifficilem.* Dum graſſatur fames, innumeri pereunt & moriuntur pauperes: purpura, quæ eſt famis mater, pauperum etiam parturit mortes. Utinam crudeles illi & inhumani populorum exactores, qui pretioſis ſuis veſtibus denudant populos, qui egenorum ſanguine ſunt induti, qui purpurâ qua veſtiuntur, famem negotiantur, & ad egenorum necem attentant: præbeant, inquam, auditum ipſimet Deo per os Michææ prophetæ illos alloquenti: *Audite principes Iacob, & duces domûs Iſrael, qui violenter tollitis pelles eorum, deſuper eis*, qui haud contenti tondere populorum lanam, illos crudeliter excoriatis, ut eorum pellibus vobis conficiatis decoras veſtes. En quo ducit luxûs crudelitas, quanta ornatus & cultus injuſtitia & iniquitas.

Cœl. Rodig. l. 36 c. 10 / Hom. 8. ad Pop. / Cap. 3

III. PARS / Tert. l. de Bapt. 8

Summo Deo cuncta adminiſtrante quæ fecit, nihil inordinatum in mundo, nihilque injuſtum. Dei non æmulantur adminiſtrationem qui ſuperbas & pretioſas ambiunt veſtes: nam luxus & cultus non ſolùm tollit ſtatuum ordinem, cunctas indiſcriminatim confundens conditiones; ſed injuſtitiæ & iniquitatis reos efficit homines: quapropter fucatas & ornatas veſtes nuncupat Tertullianus, *iniquitatis ingenia.* Mulier ut muniretur ſumptus ad fucum & ornatum neceſſarios, ut compta & ornata procedat, perſæpè 1. honorem vendit. 2. animæ decorem negligit. 3. ſalutis diſpendium incurrit.

L. de vel. Virg. 1

Tert. l. de Pall. 1

1. *Nobis habitus de menſura temperamento.* Mulieres & filiæ, quæ veſtium non temperant menſuram, ſed quærunt habitus & ornatus ſtatui ſuo haud competentes, facultates ſuas excedentes, honoris incurrunt periculum; ſæpè ſæpius veſtes pretioſas accipiunt *in pretia luxuriæ*: viri namque earum dignoſcentes ambitum & gloriam, ſe amore captos ſimulant, & *quia nihil ad caſtitatem adamatores*, illas ad Veneris blanditias allicere ſatagunt: nunc increpando vel parentum, vel maritorum ſorditatem, qui eis decoras veſtes non ſubminiſtrant: nunc inflammando earum ſuperbiam, aliarum æmulatione, quæ ſumptuoſius ſunt ornatæ; nunc offerendo illis ornatus & cultus, modò eorum voluntati conſentiant, blandis ſermonibus, pretioſis muneribus *devicta de ſimplicitate & ſinceritate*, honorem amittunt, dum ſuperbas veſtes percupiunt; *Porrò ubi gloria, ibi ſolicitatio; ubi ſolicitatio, ibi coactio; ubi coactio,*

Tertull. / Ter. l. 1. de cult. fœm. 2 / Tert. ib. / Tert. l. de vel. Virg. 14

coactio, ibi necessitas; ubi necessitas, ibi infirmitas: quia tentationi succumbunt, honoris jacturam faciunt, & corporis ornatum affectantes, animæ decorem negligunt.

2. *Nemo in immundis mundus videri potest.* Homo ex corpore & anima constitutus, utriusque partis debet sectari munditiem. Corporis quidem; nam ut ait D. Hieronymus, *ornatus & sordes pari modo fugiendi sunt.* A duobus his extremis alienum Christianum desiderat D. Bernardus : *In vestibus semper paupertas placuit, sordes nunquam.* Animæ quoque curanda mundities. Est autem *pulchra anima justitiâ & disciplinis ; deformis verò contrarijs artibus.* Cura animæ tantò debet esse solicitior, quantò corpore nobilior. Animæ tamen non considerant dignitatem fastuosæ mulieres corpus nimium ornantes; nam ut ratiocinatur D. Chrysostomus: *hoc studium in ornando corpore internam indicat deformitatem; impossibile enim est aliquem agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem & ornatum,* quo nihil injustius : cùm anima sit multò nobilior corpore, & præcipua hominis pars : *Habes animæ principalitatem*; forma namque est principalis pars compositi; anima quoque humana, utpote spiritualis, immortalis, Deique insignita imagine, cæteras formas longè superat. Mulierem corporis ornatum, animæ decori præferentem sic redarguit D. Chrysostomus: *Si quis tibi optionem proponeret, an egregium corpus, & bona habitudinis, & a ijs specie præstans, vili tamen indutum veste ; an turpe & morbis implicitum, ornatum tamen auro & pulchritudine cultum malles: nonne naturalem corporis pulchritudinem vestimentis præferres? In corpore hoc sanè præfertur; in anima contrà: quam qui turpem, informem, & nigrã habet, putat se auri splendore emendare.* Verùm tantum abest ut sumptuosus ille corporis ornatus, animæ emendet turpitudinem & deformitatem; quin imò magis illam turpat, & deformem præstat : *Tunicam si induas inquinatam per se, tu per illam mundus esse non poteris.* Fucus & ornatus per se immundus quomodo poterit animæ præstare munditiem? cultum tamen immundum colit mulier superba in detrimentum decoris & munditiei animæ, & in salutis jacturam & damnum.

Tert. l. de Idol. 18

Tert. l. de An. 9

Hom. 37 in Gen.

L. de An. 13

Hom. 38 in Joan.

Tert. l. de Idol. 18

3. Infelix fœmina, *cur salutem tuam deseris*, ut vestium luxui vaces? Maximè cùm disciplina Christiana te erudiat, cultum & ornatum fastuosum, arrogantem, & lasciviosum esse *salutis alienum*. Vestes pretiosæ, utpote auro, argento, monilibus onustæ non evehunt ad cœlum, sed ad infernum detrahunt. Ideò illas *funebres* nuncupat Tertullianus, quia honorem dehonestant, animæ mortem inferunt, salutis dispendium adducunt, ad tartara detrudunt. Fideles, si rot non vultis sustinere damna, luxûs fugite perversitatem, crudelitatem, & iniquitatem ; sectamini vestium ordinem, modestiam, & mensuram, cuivis conditioni coaptatam; quærite non tam corporis, quàm animæ munditiem, decorem, & ornatum ; *ut ad cœlestis sponsi consortium feliciter ornata perveniatis.*

Tert. l. de Pœn. 11

Ter. l. adv. Valent. 26

Lib. de Cor. Mil. 13

D. Aug. l. 50 Hō. hom. 16

CONCIO QUARTA.

Ter. l. 2. de cult. fœ. 13 *PUdicitia Christianæ satis non est esse, verùm & videri : tanta enim debet esse pulchritudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum, & eructet à conscientia in superficiem, ut à foris inspiciat quasi supellectilem suam*, Christiana mulier pudicitiâ decorata, illam demonstrat exteriùs per habitum pudicitiæ convenientem: puritas animæ apparet in corpore, eructans à conscientia per superficiem: pudoris conscientia in modestis translucet vestibus ; vestium verò ornatus est impuræ conscientiæ index. Vestium luxum velut lasciviæ appendicem fugiebat Gorgonia : nam ut fatur Gregorius Nazianzenus ejus frater: Orat. in laud. Gorgon. *Ne hac quidem quam laudandam suscepimus, lascivia unquam ornatu delectata est.* Rarissimæ sunt hac ætate mulieres, quæ imitentur Gorgoniæ modestiam & pudicitiam : quamplures sunt quæ ornatum minus castum affectant, & fuco & luxu vestium, 1. amasios captant. 2. venereum amorem demonstrant, 3. meretricatûs suspicionem ingenerant.

I. PARS. de vel. virg. 13 Mulieres sunt fœminæ, *quæ propter homines habitu abutuntur*: vestes namque quibus superbè ornantur, sunt 1. retia, quibus eos illaqueant. 2. vincula, quibus eos ligant. 3. concupiscentiæ fomenta, quibus ad libidinẽ sufflammant.

Ter l. 2. de cult. fœ. 3 1. Mulier vestibus fucatis & ornatis utitur ut amasios suis retibus illaqueet, & *ut oculos & suspiria adolescentum post se trahat.* Ad hunc finem adhibet fucum, superbum & pretiosum sumit ornatum, consulit speculum; & ut fatur Serm. de Pud. Zeno Veronensis eam alloquens : *A speculo oracula requiris, quàm commodè possis circumscribere petitorem.* Ut de semetipsa fatur apud S. Ephrem Magdalena quando erat peccatrix : [Capillos meos certè numero complicabam, & supra maxillas collustrans ad deceptionem aliorum firmabam, ut omnem adolescentulum compositum ac speciosum ad meipsam traherem, ipsumque amatorem mihi haberem.] Sumpto pretioso ornatu, consultato speculo, in semetipsa lenocinans, prodit in publicum nudato capite, quo faciliùs amasios alliciat: Tert. l. de Pall. 4 *At nunc in semetipsas lenocinando, quò plenius adeatur, & stolam, & supparum, & crepidulam, & caliendrum, ipsas quoque jam lecticas, & sellas, queis in publico quoque domesticè ac secretè habebantur, ejuravêre*, cæteraque in universum abjiciunt, quæ impedire possunt ne videantur, ne venustæ & ornatæ appareant, ne ad se oculos & suspiria spectantium trahant, ne spectatores suo dominio subjiciant, & tanquam mancipia & servos catenis amoris vinciant.

Ter. l. 2. de cult. fœ. 10 2. *Quamquam & aurum ipsum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula ferunt gentilium litteræ.* Vestes ornatæ, uniones, gemmæ, monilia, torques aureæ, sunt amoris vincula, queîs fucatæ mulieres amasios ligare, & in servitutem suam adducere & detinere nituntur. *Apud*

Barba-

Barbaros quosdam quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent; & divitiis onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Mulier ornata & fucata, vinculis Veneris vincitur, in ejus ergastulis detinetur: quo pretiosiores sunt vestes quibus ornatur & oneratur, eo fortioribus vincitur catenis, quibus adhuc amasios ligare, & servitutis suæ socios efficere nititur. *Quemadmodum dicunt, apud Barbaros scelestos & maleficos homines auro vinciri: captivos hos vinctosque divites, videntur esse æmulatæ mulieres. Annon enim vinculum colli est torques aureus?* Hoc vinculo ligata mulier, & veneris mancipium effecta, adhuc ligat amasios, & sibi subjicit. Pretiosum ornatum *habitum servitutis* nuncupat Chrysologus: Nota Christianæ ingenuitatis, est casta frugalitas, & vestis incomptior: at vestium ornatus, est vilissimi mancipii insigne. Amasius *vinctus dissolutione corporis* servæ fœminæ comptius & sumptuosius ornatæ, quæ vinctum illum detinet, Venereæ servitutis notas innuit, suisque blanditiis præbet fomenta concupiscentiæ, quibus illum ad libidinem sufflammat.

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 6 — Clē. Alex. l. 2. Pæd. 12 — Ser. 23 — Basil. Seleuc. Orat. 19

3. Trina autem potissimum ratione Christianas mulieres à desiderio placendi viris dimovere nititur Tertullianus: Tum quia constat *omnem & gloriam, & ambitionem, & affectionem per carnem placendi. Deo displicere:* Tum quia hujusmodi desiderium est criminosum & conscientiam lædit, *Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem.* Tum quia vestium ornatum *naturaliter invitatorem libidinis scimus.* Verum contra has rationes quantumvis efficacissimas, quamplures fœminæ fucum & ornatum affectant, ut placeant viris. *Quota denique est quæ ne placere quidem extraneis concupiscat? quæ non idcirco se expingi curet,* ut amasios ad sui amorem alliciat, & ad libidinem sufflammet? Exoptat S. Fulgentius, ut Christianarū mulierum *habitus talis sit; qui non ad lasciviam excitet, sed ad continentiam; non accendat concupiscentiam sed extinguat; ex quo pietas, non libido nascatur.* Mulieres tamen hominibus placere studentes, affectant habitus, non qui pietatem, sed qui Venerem spirent; non qui extinguant, sed qui accendant concupiscentiam; non qui excitent ad continentiam, sed ad libidinem: Nam *coma libidinem nutrit, & peccandi fomitem vestis succendit,* & amorem sub illa delitescentem ostendit.

Lib. 1. de Cult. Fœm. 2 — Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 1 — Tertull. — Basil. Seleuc.

Siquidem & viris propter fœminas, ut fœminis propter viros, vitio naturæ ingenita est placendi voluntas. Neque duntaxat fœminæ pretiosius ornantur, ut virorum captent amorem, sed ut ipsæ Venerem demonstrent: Mulier quæ idcirco pingitur & ornatur, ut amasio placeat, libidinis 1. flammas exhalat: 2. flores spirat: 3. fructus persæpe generat.

II. PARS: Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 8

1. *In omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ille ipse virorum ac mulierum accuratior cultus, ipsa conspersio, ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se: de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Viri & mulieres habent, ut fatur Tertullianus, *ignem inflabellatum corporibus;* hunc autem ignem flabellat accuratior cultus. Si mulieres *adhuc inculta, &*

Tert. l. de Spect. 25. — Lib. adv. Valent. — Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 2.

Tertull. *incompoſita, & (ut ita dixerim) crudæ ac rudes, Angelos moverunt*, quomodo non placebunt hominibus pictæ & excultæ cum *mater uſp endoru & ingeniti decoru*, libidinis flammas eructent? *Amictus indicat qualis ſit morum noſtrorum conſtitutio*: & ut fatur apud D. Thomam Rupertus Abbas, *propoſitum quod ardet in mente, luceat in veſte*. Veſtitus frugalis & moderatus eſt caſti propoſiti index, neque ſatis pudica fœmina videtur cujus pudicitia non eructat in veſtes.

In cap. 2. Joan.

Trinam in fœminis poſſimus diſtinguere caſtitatem: ſcilicet perfectam, dubiam, imperfectam. Perfecta eſt illa quæ relucet in veſte, quæ complectitur cordis puritatem, corporis munditiam, & veſtium modeſtiam, quæ ut jam diximus cum Tertulliano, *emanat ab animo in habitum*. Dubia, gravitatem quidem in facie præ ſe fert, ſed ob luxum veſtium, non ſatis pudica videtur. *Nam quid prodeſt, faciem quidem frugi & expeditam & ſimplicitatem condignam divinæ diſciplinæ exhibere, cætera vero corporis lacinioſis pomparum & deliciarum ineptiis occupare?* Imperfecta, quæ nec relucet in facie quæ fucata eſt; neque in veſtibus quæ cultæ & ornatæ ſunt: ſed tum in facie, tum in veſtibus laſciviam demonſtrat. *Hæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium, dignoſcere in facili eſt, quod gratiam decoris, cultus ſocietate proſtituant*, libidinis eructent flammas; & flores ſpirent.

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 9 — Tertull.

2. Ut plurimum veſtium *pompæ in publicum proferuntur, aut ut gloria inſoleſcat, aut luxuria negotietur*. Magnum agnoſcit Veronenſis Antiſtes diſcrimen inter probam & improbam mulierem. *Probæ fœminæ ultima cura de forma eſt, improba tota: ſerico ſepulchro ſuperba: libidine perurit: flammas exhalat ſuas: mulier vento & floribus redimita, laſciviam ſpirat*. Mulieres vanæ floridas affectant portare veſtes: tum ut quamdam divinitatem ſibi arrogent: tum ut venereum amorem ſpirent. Jovem Romani in ſignum divinitatis florida induerunt veſte, & mulieres ut deæ vocentur & adorentur ab amaſiis floridas deferunt veſtes: & quia ex mente Platonis amor duntaxat quieſcit in floribus, laſciviæ mulieres in veſtibus floridis venereum amorem ſpirant. Filii Dei filias hominum *conſpicati ſplendidas & ornatu florentes* adamaverunt eas. Non abſimiliter mulieres quæ ornatu florent, adamantur. Victimæ olim antequam immolarentur procedebant cornibus deauratis, crinibus vittis decoratis, floribus coronatæ & hoc modo ducebantur ad aras: Veſtium ornatus flores ſunt, his floribus ornantur mulieres tanquam *libidinis hoſtiæ*: ſericum, aurum, torques, monilia, uniones, cæteraque quibus decorantur, ſunt indicia *occiſæ caſtitatis*: floridi ornatus fructus eſt luxuria & luxus in veſtibus, Veneris prolem generat.

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 11 — Serm. de Pudic. — Baſil. Seleuc. Orat. 6 — Tert. l. de Spect. 17 — Tertull.

3. *Sanctitatis viri ſtatim habitus inquinatos recuſaſſent*. Tantum abeſt ut mulieres recuſent veſtes quæ laſciviam ſapiunt; quin imo illas omni affectu proſequuntur: & procurando luxum & ornatum, luxuriam quoque procurant. Laſcivia in veſtibus eſt animi ſcortatio, & mulieres *auro & margaritis & monilibus adornata ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt*. Virgines etiam

Tert. l. de Idol. 18 — D. Cypr. de Habit. Virg.

quarum

quarum pudicitia in flore est, ut fatur Tertullianus, corporis etiam integritatem venalem habent. Nam *crines à fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, adstrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosque crispantes, ut nomine virginitatis vendibilius pereant.* Scilicet ingenio ornatus virgines negotiantur libidinis pretium, ut carius vendibiles appareant, quæ pretiosiori ornamento prostituuntur. Illarum studium belle describit Tertullianus: *Vertunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus à fronte divisis apertam professa mulieritatem. Iam & consilium formæ à speculo petunt, & faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinsecus jactant, calceum stipant multiformem*: & sic pigmentatæ, crispatæ, comptæ, ornatæ, nudato capite, lascivo aspectu procedentes: *Merito itaque dum caput non tegunt ut sollicitentur gloriæ causa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina.* Quantalibet cura infirmitatem suam tegere studeant, sæpenumero manifestatur. *Sed æmulator Deus & Dominus, qui dixit; Nihil occultum quod non revelabitur, plerasque etiam in conspectum deducit. Non enim confitebuntur, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus prodita*: infantes suis vagitibus matrum propalant ignominiam, quibus vestium luxus, & castitatis parturivit damnũ, & cæteris mulieribus meretricatus suspicionem ingenerat.

D. Hier. Epist. ad Demetria

L. de vel. Virg. 14

Tert. l. de vel. Virg. 14

Tertull.

Hortatur Christianas mulieres Apostolus, ut in illis magnificetur Deus: *magnificatur autem per pudicitiam, utique & per habitum pudicitiæ competentem.* Mulieres autem fucum & ornatum affectantes, Deum non magnificant, neque per pudicitiam, neque per habitum pudicitiæ competentem, quin immo per impudentiam, & per habitum impudicitiæ indicem graviter eum offendunt: suis namque fucatis & ornatis vestibus, 1. à meretricibus non discriminantur: 2. meretrices suspicantur: 3. tanquam meretrices, luxuriam negotiantur.

III. PARS

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 11

1. Antiquitus etiam quoad vestes à matronis & pudicis mulieribus meretrices distinguebantur. *Quas si quæ leges à maritalibus & matronalibus decoramentis coercebant, jam certe sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque fœminis usque ad errorem dignoscendi coæquavit*: Tanta est hujus ævi perversitas, ut nullo notaculo scorta à castis discriminentur mulieribus, cum diversis vestibus non induantur, *Video & inter matronas atque prostibula, nullum de habitu discrimen relictum.* Hanc iniquitatem Romanis exprobrat Tertullianus: & merito potest exprobrari hac ætate Christianis mulieribus superbe ornatis. Luxus vestium & fucus est meretricum nota; hoc insigni etiam de meretricatu redargui possunt quamplures fœminæ Christianæ, quo nihil pudicitiæ magis contrarium, nihil Christiano nomine magis indignum. *Quanto blasphemabile, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ & expictæ? aut quid minus habent infœlicissimæ libidinum publicarum victimæ?* Nam ex fuco & cultu, castissimæ quæque mulieres, meretrices suspicantur.

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 12

Tertull. Apol. 6.

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 12

2. *Addiscimus adversus congressus & suspiciones impudicas providendum omnimodo*

Tert. ibid.

nimodo esse, quid enim castæ mentis integritas alterius suspicione maculatur, quid speratur in me quod aversor? quid non mores meos habitus pronunciat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur? Mulier pudica ad deferendam vestem modestam multiplici ratione sese stimulat: Tum ne de illa male homines suspicentur: Tum ne procaces venereos ab illa sperent amores: Tum ne ejus aures fœdis contaminentur sermonibus: Tum ut probi ejus mores per habitus dignoscantur: Tum ut ex vestibus quibus induitur, non impudica sed casta credatur: *Licet videri pudicam, certe impudicam scilicet.* Nonnulli hæc Tertulliani verba pronuntiata volunt indignationis accentu, quasi ægrè ferat quod impudica mulier velit videri pudica. Rigaltius vero existimat post hæc verba *licet videri pudicam*, ponendam interpunctionem. Alloquitur Afer Christianam fœminam, quæ pudica quidem erat, verum cultu lascivo incedens, procacibus præbebat occasionem suspicandi, adsectandi compellandique velut impudicam. Liceat, inquit Septimius, videri pudicam. Addit: Certe hoc licere debet, si licere putas videri impudicam, qualem te tuis vestibus demonstras: cultus enim & ornatus tuus est impudicitiæ nota & meretricis insigne. (Plerique homines æstimant de signis signata, de circulo tabernam, de ligno furis æstimant furem. Meretricis habitus signum est meretricis actus, sicut habitus Monialis Monialem ostendit.) Et ut fatur Clemens Alexandrinus: *sicut nota inusta fugitivum, ita etiam floridi colores adulteram indicant.* Inde colligit Tert. *Quid enim est in capite fœminæ corona quam summa lasciviæ nota, quam extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ?* Mulier meretricio habitu induta quomodo pudica poterit æstimari? *Vespilio, leno, lanista, tecum vestiuntur*: nihil est in te quod non spiret Venerem & libidinem non negotietur.

D Bern. Sen tom. 1 Ser 44. a. s. c 2

L. 3. Pæd. 3

Tert. l. de Cor. Mil 14

Tert. l. de Pall. 3

Tert. l. 2. de Cult. Fœm, 12

3. *Quamquam lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori conjuncta & debita, etiam Scripturæ suggerunt.* Prodit exemplum Tertullianus magnæ illius meretricis, cujus meminit in Apocalypsi Joannes; *quæ Prostitutæ appellationem à Domino meruit. Sed quali habitu appellationi suæ comparata est? Sedet certe in purpura, & coccino, & auro, & lapide pretioso. Quam maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi!* Poetæ ut Venerem de adulterio cum Marte dedecorent, fingunt comprehensam fuisse à Vulcano marito, simul cum adultero, in reti aureo: Hac fabula vere colligit Clemens Alexandrinus vestes pretiosas & ornatas esse impudicitiæ signa, quibus lascivientes dignoscuntur & deprehenduntur. (Fortasse poetica fabula adulterium committentem Venerem dicit fuisse comprehensam in reti aureo; hujusmodi vinculis nihil aliud quam hæc ornamenta adulterii esse signa significans: illa enim aurea fuisse dicit Homerus.) At hæc veritas ex sacris paginis melius elucet: Deus namque apud Isaiam nonnullas urbis Hierosolymitanæ mulieres sic reprehendit: (Elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant: ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.) Ut autem animadvertit Oleaster his verbis: *Taxat totius honestatis auctor, impudicitiam.* Tertullianus prodit Thamaris exemplum ex Genesi desumptum: *Thamar illa, quia se expinxerat, & ornaverat, idcirco*

Lib. 2 Pædag. 12

Cap. 3

Gen. 38

idcirco Juda suspicione visa est, quaestui sedere, adeoque sub velamento latebat, habitus qualitate quaestuariam mentiente, ut quaestuariam & voluerit, & compellaverit, & pactus sit. Thamaris aemulantur exemplum qui sese pingunt & ornant: hujusmodi namque cultus & ornatus libidinis aestum sufflammant, luxuriae negotium pertractant; & ad amorum pellaciam invitant. Quapropter mulieres si pudicae vultis suspicari, *prodite vos medicamentis & ornamentis exstructa, Prophetarum & Apostolorum sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depicta oculos verecundia, & os taciturnitate, inserentes in aures sermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Christi. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitia; taliter pigmentata, Deum habebitis amatorem.* Tert. l. 2 de Cult. Foem. 13

CONCIO QUINTA.

Apud Judaeos tam solemne est foeminis eorum velamen capitis. Foeminas quoque Christianas decet capitis velamen. *Sed & vos admonemus pudicitia mulieres, ne sic à disciplina velaminis exolescatis, nuda incedentes.* Uxores hortatur Tertullianus, ne nudo incedant capite, quia viris subjectae sunt: Nota autem subjectionis est capitis velamen. *Ipsa enim sunt quas subjectas esse oportet, propter quas potestas supra caput haberi debet: velamen jugum illarum est.* Neque solum ob subjectionem velare caput tenentur; sed adhuc ob modestiam & pudicitiam. Verum quam plures sunt, quae non solum non velant caput, sed etiam detegunt brachia, collum, humeros, ubera, non attendentes quod ejusmodi corporis nuditas est ut plurimum, 1. periculosa: 2. criminosa: 3. exitiosa. Tert. l. de Cor. Mil 4. Tert. l. de vel. virg. 16

I. PARS.

Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, vela caput: si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patres. Omnes in te aetates periclitantur. Neque in domo duntaxat capite velato incedat mulier propter domesticorum periculum, sed adhuc caveat, ne cum extraneis nudata conversetur: capitis namque & uberum nuditas est multum periculosa, quia 1. tentationibus viã aperit: 2. oculis lasciviae incitamenta objicit: 3. sui appetitionem ingerit. Tert. l. de vel. virg. 15

1. *Sancta foemina, si naturaliter speciosa, non adeo sit occasio: certe si & fuerit, nõ adjuvare, sed etiam impedire debet.* Foeminea venustas viris tentationes ingenerat. Foeminae virtutis studiosae quo majori pollent pulchritudine, eo majori cura satagunt, ne viam tentationibus aperiant: tantum abest, ut per sui nuditatem tentationes adjuvent, quin imo per velamen illas impediunt: ad instar Susannae quae multum de pulchritudine & de castitate commẽdatur. *Susanna merito abscondens decorem, vel quia timens jam placere.* Mulier uxorata, virgo etiam capitis & corporis abscondat nuditatẽ, in domo, in publico, & in templo. In domo propter domesticos; ad quod illam hortatur Tertullianus: *Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiae, murum sexui tuo* Tert. l. 2 de Cult. Foem. 8 Tert. l. de Cor. Mil. 4. Tert. l. de vel. virg. 15

Tert.ibid. *strue; qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.* In publico, velanda est pulchritudo, tegenda nuditas propter extraneos: *sed enim vera & tota & pura virginitas nihil magis timet quàm semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult: alios ipsa oculos habet, confugit ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, & susurros, & æmulationem.* Tandem in Ecclesia, velanda est fœminarum nuditas propter Angelos, ut fatur Apostolus. Inde concludit Tertullianus: *Si nudo capite videri non debet propter Angelos, quanto magis propter homines tentationibus obnoxios? Certe in Ecclesia virginitatem suam abscondant: timeant extraneos; revereantur & fratres.*

L. de Cor. Mil. 14

Tert. l. de vel virg. 13

Pleræque tamen neque Angelos, neque fratres, neque extraneos timentes & reverentes, caput in Ecclesia non abscondunt sed detegunt, & sua nuditate cunctos adstantes tentationibus exstimulant. Quod quàm imprudenter, hoc dilemmate probat Tertullianus: *Quo ergo bonum suum in Ecclesia promulgant exposco rationem. Utrumne fratribus suis placeant, an ut ipsi Deo? si ut ipsi Deo tam idoneus est ad conspicienda quæ in occulto fiunt, quàm justus ad remunerenda quæ soli sibi fiunt: ergo quod non potest videri propter Deum fieri, quia sic fieri non vult, sequitur ut hominum gratia fiat.* Nuditas autem hominũ gratia detecta illicita est: tum quia Deo displicet: tum quia gloriæ libidinosa: tum quia *non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus*, expectantium oculis lasciviæ objiciens incitamenta.

L. de vel. virg. 13

Tert l. 2 de Cult. Fœm. 2

Tert. l. de vel. virg 2

2. *Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis si à viro visa fuit.* Viri & virgines innocentia & pudore pollentes, retinent aspectum ne se mutuo conspiciant, & si forte in alterutrum injiciunt oculos, pudore afficiuntur. Idipsum asseverat Valerius Maximus de priscis hominibus vitæ innocentia & simplicitate præditis, qui *pariter & videre sancte & aspici, mutuo pudore custodiebantur.* De hoc pudore Christianas mulieres commendat D. Ambrosius: *Est etiam & in oculis verecundia; ut nec videre viros fœmina, nec videri velit.* Idipsum de Christianis hominibus prædicat Tertullianus. *Christianus salvis oculis fœminas non videt, animo adversus libidinem cæcus est.* Verum si Christiani & Christianæ Ecclesiæ nascentis commendantur de pudore & cura oculorum, fideles hujusce ætatis merito culpantur, in qua fœminæ videri & videre desiderantes, 1. decorum suum videndum exhibentes viris, amoris ansam præbent: 2. fœminæ venereè intuentur viros; & 3. viri vicissim fœminas lascivè conspiciunt. 1. Fœminæ suum ostentantes decorem ad sui amorem viros alliciunt; quapropter Lucretius fœmineam venustatem nuncupat *pabulum amoris*; Plutarchus *ansam amoris capiendi*. Alexander nomine & re magnus, dicere solebat mulieres Persicas, quæ formosissimæ & venustissimæ videbantur, esse *ægritudines oculorum*: quod de cunctis decoris mulieribus asseverat D. Ambrosius. *Virilis sexus nullo magis lubricus, quàm muliebri decore; cito capitur, & quasi facibus inardescit*; ut multis posset

L. 2. c. 1

L. 1 Offic. c. 18

Apol. 46

Epist. ad Cromat.

posset comprobari exemplis, quæ cùm sint obvia, lubens ea prætereo, ut dicam cum Hildeberto : *Affectatus decor, & quidquid aliud quàm quod natum est, fascinat oculos*: Maxime dum 2 mulieres venereè conspiciunt viros. Epist. 33
Profecto *non est satis animus pudicus, cujus oculus est impudicus*. Ut autem ratiocinatur Tertullianus, *tales oculi volent virginem visam, quales haberet virgo, quæ videri solet: invicem se eadem oculorum genera desiderant: ejusdem libidinis est videri & videre*. Quod si, ut animadvertit D. Chrysostomus, *animum ipsum ferit & commovet, non impudica tantum, sed pudica quoque mulieris aspectus*: quanto magis *procacium oculorum aspectus, de mentis gradu plurimos dejiciunt, animum incitantes?* Venus quam sub voluptatis nomine prodit D. Ambrosius, *ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretiosas juvenum animas capit*. Basil. Seleuc. Tert. l. de vel. virg. 2 L. 6 de Sacerdotio c. 8 Gregor. Naz. orat. 53
Viri namque fœminarum decore, & venereis aspectibus sufflammati, in illas 3. libidinose oculos conjiciunt : *Democritus excæcando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, & doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur*. Christianus mulieris amore captus, non excæcat semetipsum: sed in illam *impingit oculum libidinose*, oculum autem impingere, non est levi curiositate obiterque intueri, sed de industria nequitiæ motu, & incitata cupiditate oculum intendere: *aciem figere*, ait aliorsum Tertullianus; & ut fatur D. Chrysostomus, *in formosos vultus insilire* : & ut ait Apuleius *gestire pupulis, & saltare oculis*. Idcirco impudicos illos virorum oculos vocitat Valerius Maximus, *subsessores alienorum matrimoniorum*; quia pudicitiæ insidiantur præsertim mulierum, quæ corporis nuditate, sui appetitionem ingerunt. L. 1. de Abel c. 4 Tert. Apol. 46 L. de Idol. 2 L. de Pall. 3 Hom. 3 ad pop. L. 2 c. 1

3. Christianæ mulieres faciei & uberum nuditate viros ad venereum amorem allicientes, *judicabunt vos Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, sed faciem ita tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere*: *quas propterea infœlicissimas ait Romana quædam Regina, quòd adamare magis quàm adamari possint*: *cùm sint vel ex alterius infœlicitatu, & quidem frequentioris, immunitate fœlices, quia facilius adamari quàm adamare fœminæ possunt*. Pudica mulier quæ adamari non vult, tollit incentiva quæ ad sui amorem sufflammant viros; præcipue decorem occultat, ne placendo hominibus, insectandæ castitatis ansam præbeat. *Nam & si accusandus decor non est, ut fœlicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis bona; timendus est tamen propter injuriam & violentiam sectatorum*. Quare ne homines ullam habeant occasionem insectandi, prosequendi, tentandi, & constuprandi mulieres formosas, *illud ipsum bonum fœminarum naturalis decoris, ut causam mali*, scilicet tanquam invitatorem libidinis, non manifestent, sed potius omni studio abscondant, *quoniam perfecta, id est, Christiana pudicitia, appetitionem sui non tantum non appetendam, sed etiam execrandam vobis statuit*. Tantum abest, ut mulier quæ nudato incedit capite, appetitionem sui execretur, quin imo illam appetere demonstrat, homines ad sui concupiscentiam & prosecutionem excitans, quasi sui appetitio Tert. l. de vel. virg. 16 Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 2 Tertull. Tert. l. 1 de Cult. Fœmi. 2

D.Hier. de Vit. susp. contub. petitio sit testimonium pulchritudinis. *Si rogata non feceris, tamen forma putas testimonium, si rogaris.* Quasi dicat D. Hieronymus, Quamvis impudicitia sit fœminæ probrum, sollicitari tamen ad venerem, decus putat compræ pulchritudinis, & illustre venustatis eloquium. Quam ideo redarguit Tertullianus: *Quid igitur excitas in te malum istud: quid invitas cujus te profiteris extraneam?* Quid amari desideras, si amare non vis? cùm perdifficile sit, ut amor non sit amoris sequela, & mulier amata, amasium non redamet. Tert. *Cum igitur & nostra & aliorum causa verfetur in studio periculosissimi decoris, jam non tantum conficta & elaborata pulchritudinis suggestum recusandum à vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis oblitterandum dissimulatione & incuria, ut perinde oculorum incursibus molestum.* Pleræque tamen mulieres non solum naturalem sollicite curant decorem, sed effictam adhuc & studiosius elaboratam colunt pulchritudinem, utramque denudant & ostentant, quantumvis nuditas hujusmodi sit periculosa & criminosa.

II. PARS. Tert l.2 de Cult. Fœm. 3 *Illa sibi formositatem & datam extendant, & non datam requirant, quæ quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putent, quod alteri præstant.* Hæc verba interrogationis accentu legenda vult Rigaltius; quasi dicat Septimius: Nonne pudet Christianas, nativæ sibi formæ decus augere, vel si desit, mendacem, fuco & cultu effingere venustatem, ut à pulchritudine sive naturali, sive ementita efflagitetur libido? Tert. *Nam propriè usus & fructus pulchritudinis, luxuria:* Mulier sive nativam, sive elaboratam denudans pulchritudinem, criminosa est: 1. scandali, quod causat: 2. periculi perdendæ castitatis, quod accelerat: 3. lasciviæ, quam perpetrat.

Tert. l. de vel. virg. 7 1. *Debet ergo adumbrari facies illa tam periculosa, quæ usque ad cœlum scandala jaculata est;* & Veneris igne immortales accendit spiritus. Verum licèt hæc Tertulliani opinio sit falsa, est tamen opportuna ad demonstrandum pulchram faciem, *nec hominum oculis offerendam*: quia ut docet Clemens Alexandrinus, est *pulchritudo adulterii incitatrix.* Tert. L. 3. Pædag. 2 Venustæ mulieres *nuda plane fronte in temerariam audaciam excitata*, Tert. l. de vel. virg. 3 sua impudicitia *certe vel spiritum scandalo promovent*, seseque amittendæ castitatis periculo exponunt.

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 2 2. *Debemus quidem ita sancte, & tota fidei substantia incedere, ut confisa & secura simus de conscientia nostra; optantes perseverare id in nobis, non tamen præsumentes.* Tert. l 2 de Cult. Fœm. 2 Sic loquuntur Christianæ fœminæ pudicitiam habentes in corde, & exterius illā demonstrantes in facie: & quia illam toto vitæ tempore illibatā servare desiderant, ita in sua conscientia & Dei gratia confidunt, ut nullatenus præsumant, sed sancto timore correptæ cadendi vitent periculum. *Nam qui præsumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet plus periclitatur.* Fœminæ quæ amari exoptant, non verentur; & quia non verentur, non præcavent; non præcaventes periclitantur, decorem suum hominibus ostentantes. Nam ut ait D. Hieronymus, L. 1. contr. Jovin. *pulchra fœmina cito adamatur: difficile autem custoditur quod plures amant. Nihil tutum est*

in

in quod totius populi vota suspirant: alius forma, alius artificio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat: aliquomodo vel aliquando expugnatur, quod undiq; incessitur: omnis quantumvis circumspecta & prudens custodia luditur. Ornatior fœminæ pulchritudo; tum aliis, tum sibi periculosa est: mulier decorem ostentans veneno quod aliis propinat, toxicatur, alienis oculis exitiosam etiã cum sua pernicie prostituit formam; venustas quæ admiratione provocare nititur, venereum sibi conciliat amorem, naufragatur pulchritudo, quæ spectatoribus naufragium parat: *Species luculenta non est incitatrix licentiæ, sed pudoris ornatrix*: at venustas cunctis spectantium oculis exposita, est licentiæ incitatrix, & libidinis lenocinium: Castitas in penetralibus mera castitas est, in secreto seu solitudine, securior habetur; pudicitia verò quæ in publico sese Spectatoribus publicat, obviæ spectatorum libidini periculosè prostituitur. Nam virgines in publico *se exuere spectatoribus, tanquam corporum cauponibus non possunt.* Cauponis negotium est, annonam cuivis prætereunti divendere; fœmina in publico annona est omni oculorum concupiscentiæ exposita. Meretrices nuncupat Tertullianus, *lupas popularium libidinum nundinas*, quia omnium oculis prostituuntur & venales apparent; Fœmina quæ virorum quærit oculos pudicitiam suam cauponatur, id est, cuilibet viatori venalem exponit: dum pulchritudinem suam cauponatur, plane oculorum scortationem patitur. Manifestata & nudata venustas in publico, velut in emporio venalis exhibetur, & fœmina decorem propalans, & videri & amari gestiens, castitatem & decorem nundinatur: *Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica; patitur aliquid quod virginis non sit, studium placendi, utiq; & viris; quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula assidua concalescit. Sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic dicitur aliter jam placere desiderare:* sic pudicitia naufragatur, sic integritas corporis, vel saltem cordis puritas, amittitur.

Nazar. in paneg. Constant.

Cle. Alex. l. 3. Pæd. 5

L. de Pall. 4

Tert. l. de vel. Virg. 14

3. *Propter ejusmodi igitur capita mundinatitia, trahantur virgines sanctæ in Ecclesiam, erubescentes quod cognoscantur in medio, paventes quod detegantur accersitæ quasi ad stuprum.* Pavor non secus ac pudor virgines decet, quæ ad quẽlibet oculi jactum trepidare & erubescere debent. Adeò pudoratæ & timidæ erant antiquitus Christianæ virgines, ut expavescerent & erubescerent dum denudabantur, quasi essent ad stuprum accersitæ: *Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est*: Tum quia cordis amittit puritatem, & animo cõstupratur. *Denudâsti puellam à capite, & tota jam virgo sibi non est: alia est facta*: Tum quia deperditâ cordis puritate, difficile carnis servatur integritas: *Sed cùm spiritus ipse violatur in virgine, sublato velamine didicit amittere quod tuebatur.* Tum quia persæpè virginalis amittitur castitas & meretricatus negotiatur. *Dicam, licet nolim: difficile mulier semel fit, quæ non timet fieri, quæque jam facta potest virginem mentiri sub DEO.* Et quia, ut subjungit Tertullianus, *facillimè semper concipiunt, & felicissimè pariunt hujusmodi virgines*; quantolibet

Tert. l. de vel. Virg. 3

Tert.

Tert. l. de vel. Virg. 14

 studio

studio suam impudicitiam, graviditatem & parturitionem, occultare moliantur, multoties ipsorum infantium suorum manifestantur vagitibus.

Multum sanè pudoris, pudicitiæ, & famæ pertimescenda est jactura.
Tert. l. 2. de Cult. Fœm 2 Si tantum timemus damnum, *tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam, (quod DEUS à suis abigat) instando perficiunt.* Post deploratam castitatis & honoris jacturam, quæ accidit fœminis sua nuditate viam tentationibus aperire non formidantibus, quis non miretur, vel potius horreat
Tert. l. de vel. virg. 5. *petulantiam, impudentiam ostentatitiæ virginitatis?* Id est petulantes & impudentes virgines ostentabundas, quæ non sibi, sed spectantibus vivunt; quarum ostentativa venustas de inverecundia & dedecore devenustatur: Philosopho namque Romano teste
Ep. 94 *vitiosum est monstrari, & conspici.* Neque virgines duntaxat de ostentativa nuditate culpantur, sed multæ adhuc mulieres,
Cap. 2 quarum cuilibet per Oseam Prophetam ait DEUS: *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio uberum suorum.* Metonymia utitur, rem significatam pro signo usurpans, fucatam faciem, nudata ubera, fornicationes & adulteria vocitans, quia sunt fornicationis & adulterii signum, & de proximo libidinis otium aut negotium peragunt.

Tert. l. de Pall. 4 Alexander Macedo *pectus, textu pellucido tegendo nudavit*, id est nudum reliquit textu illo pertenui ac pellucido: illa namque vestium pelluciditas nihil obstabat quominus pateret pectus, ambitiosa vestiũ nuditate. Audis textili serico aut vento corpus non tam vestitum, quàm denudatum? Ejusmodi subtiles & pellucidas vestes textilem ventum appellat Petronius; quo antiquitus induebantur nuptæ. (Æquum est induere nuptam ventum textilem, palam prostare nudam in nebula linea:) quasi vestis esset textilis ventus aut
Plin. l. 11 nebula textilis, quæ non tam tegat quàm *ut denudet fœminas vestis.* Hac nebula
de Joan. textili vestiebatur olim lasciviens fœmina: *ut tenui veste perspicua sit.*
Sen. Controv. 8 Pellucidas illas vestes nudantes potius pudorem quàm occultantes, multis
L. de Bene 9 insequitur Philosophus Moralis. *Video sericas vestes si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi, aut corpus, aut pudor possit, quibus sumptis mulier prava, liquido se nudam non esse jurabit.* Nam ut belle decantat Martialis:

L. 8. Epig. 8 *Fœmineum lucet, sic per bombicina corpus.*

Et quod est stupore dignissimum: quæ Veneris æstuabant ardore, hyberno etiam tempore quo magis grassatur frigus, pellucida & nudatoria indue-
Salisberiensis in Policrato l. 8 c. 2 bantur veste. *Dum omnia gelu constricta rigent, tenui sudat in cyclade, & illius delicias etiam bombycinus vel pannus, aut premit*: Satis non fuit fœminarum ambitioni, & mollitiei sericum ventilare, aurum calcare, gemmas multitudine depretiare; pellucidas induunt vestes, nudum integumentum assumunt, ut nimia vestium subtilitas, inspicienda procuret,
Isa. 3 quæ studio occultanda forent: Ad hanc finem deferuntur *linteamina, sindones, therystra*, Linteamina, sunt vela candida & pellucida, quibus mulieres pectus ostentant: sindones, sunt linea velamina, seu pepla extima, delicatissima & subtilissima, quæ collum & humeros fœminarum tegendo

gendo nudant: Teryſtrum, ut animadvertit Cajetanus (dictio Græca eſt ab æſtate ſignificans velamen æſtivum, crediturq; totius corporis velamen fuiſſe.) Dicitur æſtiva veſtis à caloris æſtu, à quo protegebat fœminarum corpus: vel potius ab æſtu libidinis quo æſtuabant mulieres tenui illa ac pellucida veſte non tam indutæ quàm nudatæ. Theryſtrum exiſtimat Rupertus eſſe *æſtivum ac ſubtile pallium*, quod vult Theodoretus fuiſſe *meretricium habitum*. Thamar depoſitis viduitatis veſtibus *aſſumpſit Theryſtrum*, nempe meretriciū habitū, ad Judæ ſoceri lenociniū, & blandā libidinis pellaciam. In cap. 38 Gen. Gen. 38

Antiquitatam veſtium impudentiam, quæ corpus tegendo denudat, noſtrum ævum libidinis privilegio, propudioſe recentat, in quo mulieres deferunt linteamina, ſindones, Theryſtra, aliaq; indumenta textilia ac pellucida, quæ illas tegendo denudant. *Poſt hæc carbaſeis humorem tollere ventis*. Pepli quibus hac ætate teguntur mulieres, ſunt non ſolum carbaſeæ nebulæ, ſed etiam venti textiles ſerici, pellucidæ nigredinis, ut pectoris nudati candor micantius transluceat. *Quo fit, ut viſus jam ſit veſtis, non integumenti*; nam fœmina textili veſtium nuditate, intuentium proſtituitur oculis, nec ſe amiciēdo tegitur, ſed potius amictu nudatur, & libidinis ingenio ſibi & aliis perniciem procurat, adeò fœminarum nuditas eſt criminoſa & exitioſa. Tibull. Clem. Alex. l. 2 Pæd. 10

Nunc non ſit timenda dignitas formæ, ut nec poſſidentibus gravis; non appetentibus exitioſa; nec conjunctis periculoſa; non expoſita tentationibus; non circumdata ſcandalis exiſtimetur: ſufficit quod Angelis DEI non eſt neceſſaria. Plures condenſat Tertullianus rationes quibus Chriſtianæ fœminæ ſuadere nititur, ne ſuam detegat & denudet pulchritudinem: Tum quia eſt poſſidenti gravis, eo quod multos comparet amatores & perſecutores: Tum quia eſt exitioſa appetentibus, quos ad malum allicit, & Veneris igne ſuccendit: Tum quia conjunctis etiam laſciviendi periculum importat: Tum quia variis tentationibus agitatur: Tum quia ex illa multa oriuntur ſcandala: Tum quia DEI Angelis, nimirum Chriſtianis angelicā puritatem æmulantibus & ambientibus, non eſt neceſſaria; quin potius & ſibi & aliis eſt exitioſa: 1. aliorū animas enecans: 2, conſcientiam ſuam vulnerans: 3. pœnā ſibi arrogans. III. PARS Lib. 2. de Cult. Fœ. 3

1. *Quid autem alteri periculo ſumus? quid alteri concupiſcentiam importamus?* Mulier nudata incedens vel propalato decore viris importans concupiſcentiam, agit contra dominicā legem, fraternā charitatem, & juſtitiæ æquitatē. Contra dominicā legem, præcipientem: *Nolite veſtra tantum curare, ſed alterius*. Chriſtiana mulier non ſolum ſuam, ſed etiam aliorum debet curare ſalutem; *Nulla enuntiatio Spiritûs S. ad præſentem tantùm materiam, & non ad omnem utilitatis occaſionem dirigi & ſuſcipi debet*. Fœmina autem ſuâ nuditate ad libidinem ſufflamans, aliorū ſalutem non curat, ſed potius perdit, agens contra fraternā charitatem: *Expingamus nos ut alteri pereant. Ubi eſt ergo, diliges proximum tuum ſicut teipſum?* Mulier, quæ proximo infert necem, non diligit eum ſicut ſeipſam, ſed illius animā enecans, agit contra juſtitiam & æquitatem Tert. l. 2 de Cult. Fœ. 2 Tert. Tert.

tem. Nam ut eam alloquitur Tertullianus; *perit enim ille simul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi.* Quapropter D. Ambrosius tantũ abest ut permittat Christianæ fœminæ fucum & ornatum ad homines alliciendos & sui amore sufflammandos, quin immo eam velatam desiderat, ne fortuitis etiam occursibus & præter intentionẽ proximo vulnus inferat.

Lib. 1. de Pœn 13 *Non facilè vultus ejus in adolescentis oculos incurrat, nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus, vel alienum vel suum: sed utrumq; suum vulnus est*; quia suâ negligentiâ & suo defectu occidit: Inde fœminam quæ alterum etiam præter intentionem suâ venustate vulneravit ad mortem, alloquitur Tertullianus: *Vt etsi culpa vaces, ab invidia non libereris, ut cum in alicujus agro latrocinium gestum est, crimen quidem dominum non continget, dum rus tamen ignominia notatur, ipse quoq; in famileа aspergitur.* Seu, ut alia habet lectio, *dum res ejus ignominia notatur, ipse quoq; infamia aspergitur.* Quod si mulier fortuitò & præter intentionem suo decore intuentium lædens animas, inexcusabilis videtur D. Ambrosio, quomodo excusari poterit fœmina, quæ ex proposito vulnerandi procedit depicta, ornata, nudata? Quam

L. de Disc. & Hab. Virg. ideò pungit D. Cyprianus: *Si te speciosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te intuentium illicias, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te atq; venenum videntibus prabeas, excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica: redarguit te cultus improbus, & habitus impudicus,* tum alios, tum teipsam vulnerat.

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 2 Plutarch. 2. *Non de integra conscientia non venit studium placendi per decorem:* maximè cùm nudatus manifestatur. Phryne puella venustissima, tanquam criminosa sistitur ante Areopagum tribunal, sedent judices in subselliis, ipsa velut rea velatam habens faciem; Phrynæ causam eloquentissimè defendit Euthias insignis hujus ævi rhetor, & adhuc judices stabant in sententia damnationis. Quid peroraret tunc Hipericles, qui illius etiam causam agebat? num temerè ideò flectere judices eloquendo præsumeret, quod præstare non valuit Euthias elegantissimus orator? Hypericles in eloquendo non terit inutiliter tempus, sed loco elegantissimæ orationis velum Phrynæ abstulit, ut elegantissima ejus pulchritudo elegantius peroraret. Quam conspicientes judices, adeò tacitâ venustatis oratione permoti sunt, ut eam statim uno animo absolverint. Velata Phryne rea habetur, nudata innocens declaratur: Non est æqua sors mulieris Christianæ, qua quamdiu latet innocua judicatur, ut dum nudata apparet, criminosa habetur & tanquam rea pœna mulctatur.

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 2 3. *Si DEVS ampliando legem, facto stupri concupiscentiam non discernat in pœna, nescio an impunè habeat, qua alicui fuerit causa perditionis.* Legem ampliavit Christus non solum vetans mœchiæ opus in veteri lege prohibitum, sed adhuc alienæ uxoris inhibens concupiscentiam. Quod si DEUS pœna mortis æternæ mulctat non solum eos qui defacto mœchantur, sed etiam qui voluntatem habent mœchandi, quæ cùm sit *facti origo, tanto potior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam*: quomodo impunita remanebit mulier quæ fuit causa perditionis tot virorum quos nudatâ suâ

venustat

venustate ad sui concupiscentiam incitavit? Plus audet D. Chrysostomus asseverans quod etsi mulier fucata, ornata & nudata, nullius animam vulnerarit ad mortem, non est minus rea neq; minori pœna punienda, quia quantũ est ex se præbuit illi mortale venenũ: *Etsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia, paravit quippe virus, tẽperavit venenum.* Hom. 71 in Matth.

Ultra peccatũ quod comittit alios ad peccandum stimulans, trinâ pœnâ mulctatam invenio vestium nuditatem. Primam in hoc sæculo: secundam in ultimo judicio: tertiam in inferno. Primam refert Tertullianus: *Nobis Dominus etiam revelationibus, velaminis spatia metatus est. Nam cuidam sorori nostræ Angelus in somnis cervices quasi applauderet verberans, Elegantes, inquit, cervices, & merito nudæ!* Lib. de vel. Virg. 16 Alloquitur Christianam cœlestis Spiritus: Elegantes, inquit cervices quas tanto pretio redemit Christus: & merito nudæ, quibus dirissimæ servitutis jugum ademit Salvator. *Bonum est usq; ad lumbos à capite veleris, ne & tibi ista cervicum libertas non prosit*: ne scilicet nuda pateas peccato, quo semel occupata satanæ mancipium fias; ac deinceps ista tibi tanto manumissore parta cervicum libertas non prosit, vitio tuo te asperrimæ dæmonis subdens tyrannidi: *& utiq; quod uni dixerim, omnibus dixeris*, quas eadem expectat pœna si ejusdem criminis fuerint participes. *Quantam autem castigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter psalmos, vel in quacunq; DEI mentione retectæ perseverant: moriture etiam quæ in oratione ipsa, facillimè fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur, tanti caput suum mentiuntur.* Secundam pœnam infliget ipsemet DEUS in ultimo judicio. (Porrò eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorũ, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & teryſtra, & erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.) Isai. 3 De tertia pœna in inferno subeundo fantur D. Chrysologus, & S. Ambrosius. D. quidem Chrysologus divitem bysso & purpura indutum sic alloquens: *Quid est dives? ab æstu byssus non defendit: purpura non resistit inferno? Remanserunt ista, deseruerunt illa, & ipse nunc nudus sudas, æstuas, qui aliquando insultabas æstibus artificiosa nuditate vestitus.* Serm. 122 Sanctus quoq; Ambr. elucidans istud Paulinum: Bonum est nubere magis quàm uri; sic ait: *Est enim flamma, quæ interna urit: unde hunc ignem non alligemus in sinu mentis, & recessu pectoris, nec interioru nostri uramus exuvias, & forense hoc animæ vestimentum velamentumq; carnale, edax libidinis flamma consumat.* Lib. 1. de Pœn. 13 Deferamus habitus modestos corporis nuditatem tegentes, & pudicitiæ competentes; sic edaces illas

non sentiemus flammas, sed in cœlo induti immortalitatis stolâ, cum Angelis cœlestibus fruemur deliciis.

CONCIO SEXTA.

Tert. lib. 2 de Cult. Fœm: 2
Prov. 32
Ps: 92
Arian. l. 4 cap. 11
Epist 30

ACcusandus decor non est, ut felicitas corporis, ut divina plastica accessio, ut anima aliqua vestis bona, ut pulchrum ipsiusmet DEI ornamentum: est namque *decor indumentum ejus*. Christus quoq; resurgens ex mortuis *decorem indutus est*. Neq; etiam culpandus est fœminarum nitor. (Decoris honestas non posita est in sordibus, sed in ratione.) Verum ut obplorat D. Hieronymus, *interdum gloriosis tumemus sordibus*. Vestium munditiem quærat Christiana mulier, ne squalor fastidium pariat; fucum verò faciei suæ non adhibeat, qui est 1. Christianæ disciplinæ contumeliosus: 2. DEO injuriosus: 3. fucatæ mulieri perniciosus.

I. PARS
Tert: apol 21
Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 2
Tert:
Tert:

Christus Dominus est Christianæ *disciplinæ arbiter, magister, illuminator, atq; deductor*: cunctas suos discipulos docens virtutes; præsertim simplicitatem, & veritatem, & castitatem. At dæmones fœminas docuerunt *medicamenta ex fuco, quibus lana colorantur; & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur*, cæteraque pigmenta, quibus fœminarum facies pinguntur & mutantur. *Si doctrinæ dicenda sunt, mali magistri doceaerint necesse est*. Ut Christiana disciplina de bonitate commendatur, quia à bono procedit magistro; ita dæmonum documenta *qualia sint, interim jam ex Doctorum suorum qualitate & conditione pronuntiari potest*: quia nihil ad simplicitatem callidi serpentes; nihil ad veritatem mendaces spiritus; nihil ad castitatem peccatores monstrare potuerunt. At è converso in disciplinæ Christianæ contumeliam docuerunt fucum, qui destruit à Christo stabilitam 1. simplicitatem: 2. veritatem: 3. castitatem.

Tert l. de Præsc hær 41
L. de Bapt 2
Chrysol. ser. 28.
D. Ambr: l. 2 in Luc.
Philip. 2
Prov. 3
Lib adv. Valent. 2
D Cyp. de Zelo & Livor.

1. Hæretici à diabolo edocti *simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam, lenocinium vocant*. Verum quam falsa & erronea sit eorum mens, evidentissime comprobatur: Tum quia simplicitas ad ipsum DEUM pertinet, & inter divinas proprietates Tertullianus D. Dionysium æmulatus ponit *simplicitatem & potestatem*. Tum quia Christus discipulos vocavit *simplicitate pretiosos*. & ad debellandam idololatriam, & veram religionem ubique terrarum stabiliendam, *simplicitas quæritur, non ambitio desideratur*: Tum quia ab Apostolo *simplices filii DEI vocitantur*. Tum quia *cum simplicibus sermocinatio DEI*. In Hebræo: *Cum rectis arcanum ejus*. Chaldæus legit: *Cum rectis colloquium ejus*. Seu, ut loquitur Tertullianus: *Porrò, facies DEI spectat in simplicitate quærentes*. Tum quia Christus ob suam simplicitatem & innocentiam vocatus est agnus, suamque gregem ipse Salvator *oves nominat*. *Ut innocentia Christiana ovibus æquetur, agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur*. Tum quia,

quia, ut belle ait Tertullianus, *repuerascere nos & Apostolus secundùm DEUM, ut malitia infantes per simplicitatem.* Hanc infantium simplicitatem nobis imitandam proponit D. Hilarius: *Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium, quia in ea collocati speciem humilitatis dominicæ circumferemus.* D. Ambrosius fato functum fratrem Satyrum commendans, inter cætera elogia asseverat *conversum in puerum simplicitate ætatis illius innoxiæ*, perfectæ virtutis & innocentiæ fuisse speculum. D. quoque Augustinus in persona Christianorum loquens ait: *Nos pueri sumus, sed ut dici assolet, forsitan belli, & non mali.* Tum quia Christus Dominus Christianos ad simplicitatem hortatur: Estote simplices sicut columbæ: Ut autem animadvertit Tertullianus, columba est *animal simplicitatis & innocentiæ; quod etiam corporaliter ipso felle careat columba.* D. quoque Epiphanius existimat Ecclesiam nuncupari columbam *ob innocentiam, mansuetudinem, & sinceritatem*, quæ sunt tres virtutes simplicitatem integrantes; & ob hanc causam ad commendandã Christianam simplicitatem, in templis pingebantur olim columbæ. Per colũbas adhuc D. Ambrosius censet denotatas animas *candidam fidem & puram sequentes.* Gregorius Nyssenus inter excellentes precationis fructus ponit *simplicitatem.* Gregorius Magnus, *nihil simplici corde felicius* asseverat: quia, ut docet Tertullianus, *facilius simplicitas sola DEUM & agnoscere poterit & ostendere.* Tandem si *nocentissimi, qui non simplices*, absque dubio fortunatissimi simplices. Tot conglobatæ rationes probè demonstrant adversus hæreticos simplicitatem non esse prostrationem disciplinæ; cùm disciplina Christiana in simplicitate potissimum consistat.

Ibid. Can 18. in Matth. De Obit. Sat. Ep. 117 L. de Bapt. 8 L. I. Hær. D. Paul. Ep. 12 De scop. Chr. L. 12. Mor 21 L. adv. Val 2 Tert.

In multis servanda est Christiana simplicitas. in mente per humilem fidem; in corde per innocentiam & mansuetudinem: in ore per sermonis sinceritatem; in vita per morum probitatem; in vestibus per cultus & ornatus moderationem; in facie, *sumentes de simplicitate candorem.* Hanc simplicitatem non demonstrant mulieres fucatæ & pigmentatæ: neque in crinibus, neque in facie. Non in crinibus: Nam ut illas redarguit Tertullianus, *quid tanta ordinandi crinis operositas ad salutẽ subministret, quod crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinnos coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona simplicitate.* Neque etiam in facie quàm fuco depingunt adversus Christianam disciplinam. Nam ut illis exprobrat Tertullianus, *quantum autem à vestris disciplinis & professionibus aliena sunt; quàm indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur!* quia Christi disciplina Christianos docet simplicitatem & veritatem.

Tert. l. 2 de Cult. Fœ. 13 Lib. 2. de Cult. Fœ. 7 Lib. 2. de Cult. Fœ. 5

2\. *Doctor veritatis DEUS* quam per semetipsum docere dignatus est, humanã naturam assumens & visibiliter conversans in terra cum mortalibus. *Dilucidatâ per Christum veritate*, Christianis data est veritas velut Christianæ disciplinæ indicium, ut ipsimet recognoscunt. *Quid enim insigne præferimus nisi ipsam veritatem?* Ut autem animadvertit Tertullia-

Tert: l de Spect. 20 Ter: l. adv: Jud. 13

Lib. de Spect. 20 Tert. Apol. 46 Tert. l. de præscr. hær. 35 Lact. l. 2. c. 18

nus, *veritati debetur disciplinæ plenitudo.* Hoc namque est discrimen inter Philosophos & Christianos; quod *Philosophi affectant veritatem & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant: Christiani & necessario appetunt, & integrè præstant: ut qui saluti sua curant.* Ut veritas integrè præstetur, Christiani debent illam servare in mente, in ore, & in opere. In mente, per infallibilem credulitatem. *Et hoc erit testimonium veritatis, ubiq; occupantis principatum.* In ore, per sermonem menti conformem, quia, *in hac justitia virtutumq; omnium via, nullus mendacio locus est.* In opere, per conversationem & vitam Christianæ disciplinæ convenientem.

Tert. l. de 2 Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 5 D. Cyp. l. de Discipl. Hab. Virg. D. Aug. l. 4. de Doct. Chr. 21 D. Ambr. L. 2. Hexa. 8. L. 5. c. 16

Mulieres fucatæ & pigmentatæ, Christianæ disciplinæ insigne non præferunt, neq; debitam veritati præstant plenitudinem & integritatem. Nam licet eam servent in corde per credulitatem, in ore per veracitatem custodiant, in opere tamen non demonstrant; faciem *cum maxima injuria veritatis* pingentes, quo nihil est magis Christianæ disciplinæ contrarium. Nihil Christiano nomine magis indignum, *quàm effigie mentiri, quibus lingua non licet.* Christianas mulieres pudet ore mentiri, & de diaboli ingenio effigiē mentiri non pudet. Erubescunt lingua proferre mendacium & *genas mendacio ruboris inficere non verentur.* Ita in illis *neq; sinceritas neq; veritas perseverat, quando quæ sincera sunt polluuntur, & colorum adulterinis medicaminum fucis, in mendacium vera mutantur.* Mulieres dum de oris mendacio convincuntur, rubescunt; agnatus rubor faciem occupat, & de diaboli gymnasio instructæ, extraneo rubore faciem mentiuntur. Nam ut subjungit D. Cyprianus, *expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus;* pigmentata, fucata & *picta mulier perpetua fraus, & mendacium:* & ut fatur Locrus ad Pollucem, *non faciem sed larvam gerit.* Deponat autem hanc pigmentorum larvam; & vix à notis & familiaribus agnoscetur, quos lenocinii fraude & fuci mendacio fefellit apparens altera. Mulier variis depicta coloribus, non est ipsa sed altera; imò ipsa altera, quam hortatur Gregorius Nazianzenus: *Serva corpus quale est fabricatum, neque velis videri pro altera.* Nam *si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisito rubore perfundas, illa*

Tert. l. de Pall. 4 Tert. l. 1. de Cult. Fœ. 1 L. 2. Pæd. 3

pictura vitii, non decoris est: illa pictura fraudis, non simplicitatis est. Fœmina propriæ fœditatis conscia, spectatores fraudare nititur ingenioso fucorum mendacio, alteram pro se supponens: quod ut facilius exequatur, solet *stolam fundere, comam struere, collum demulcere, cutem fingere, speculum consulere,* & speculi consilio alteram se mentitur. *Si jam & speculo tantum mentiri liceret.* Imò speculum mentiri nescit; eandem semper quam accepit reddens imaginem, fideliq; regestu speciem reverberans. Si è regione obversetur fœmina deformis, deformem reddit; si venusta, venustam regerit: verè tamē dicit Tertullianus; mentiri speculo licet, & ut mentiatur consulitur à mulieribus. Speculum persæpè mentitur, & fallit, quod ideò *fraudem* vocitat Clemens Alexandrinus: nam dū primo consulitur, mulier pallida, subfusca, deformis apparet: at cùm mulier de speculi consilio, ruborem, cerussam, fucum adhibuit

buit, mox rubescit, candidat, niret, & speculi fraude & mendacio pulchra videtur: quare *faciem semper incertam gerit, & speculo consiliante, quotidie novis coloribus mutatam*, sibique post fucum placet, quæ displicebat ante pigmentum. *Placebit qui vultus suos mutat, infidelis erga faciem suam.* Mulier quæ pigmentorum artificio, alias atque alias mutat formas, & alteram pro se ipsa substituit, infidelis erga faciem suam dicitur à Tertulliano, quasi fucorum usus sit apostasia ab innata facie, qua mulier à se desciscens, in alteram se pulchriorem mutatur. Neque solum erga faciem suam est infidelis fucata mulier, sed adhuc erga religionem cujus *disciplina non terretur.* Erga ipsum Deum: Tum quia *dotes, ætates, amores, iras, gemitus, mentientem non probabit qui omnem hypocrisim damnat*: est autem hypocrisis, sese aliam à semetipsa fingere: Tum quia Dei mandatum transgreditur. *Credite benedictæ; quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta ejus non custodientes?* Tum quia divinæ voluntati contradicit. *Non amat falsum auctor veritatis: adulterum est apud illum omne quod fingitur.* Duplex adulterium committit sæpe sæpius mulier fucata. Unum adversus veritatem; *adultera est veritatis; quia omne falsum adulterium est.* Aliud contra castitatem: nam ut fatur D. Ambrosius, *adulterium vultus, meditatur adulterium castitatis.*

Pet. Dam. serm. 47

Tert. l. de Spect. 23

Tert. lib. adv. Valent. 1

Tert. l. de Spect. 23

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 5

Tert. l. de Spect. 23.

Tert. l. de Idol. 1.

3. Belle pudicitiam appellat Tertullianus, *principalem Christiani nominis disciplinam.* Tum quia in Christiana disciplina nulla est major & præstabilior virtus quàm animi & corporis castimonia, quæ est *Dei imago respondens ad sanctimoniam Dei*; quam inter Dei elogia recenset D. Ambrosius, aiens: *Dei sapientia, Dei sanctitas, Dei castitas.* Tum quia est aliarum virtutum basis & tutamen, *omnes virtutes spiritus, quasi solidissimum fundamentum, & sublime culmen continentia sustentat, & protegit.* Tum quia Christiani in baptismate pudicitiæ susceperunt disciplinam; quos ideo D. Cyprianus nuncupat *renatos ex aqua & pudicitia*; quapropter impudicitia quæ castitati opponitur à Christo Domino *splendore disciplinæ coercetur.* Nam peccata carnis in veteri Testamento prohibita *nunc & in novo Testamento interdicta etiam cumulatiore præcepto prohibentur. Nam pro non mœchaberis, qui viderit ad concupiscentiam, jã mœchatus est in corde suo.* Ad principalis illius disciplinæ observantiam Christianos hortatur Regius Vates: *Apprehendite disciplinam*; seu ut Septuaginta vertunt, *sacram eruditionem.* D. Hieronymus ex Hebræo legit: *Adorate pure*: Genebrardus verò, *Osculamini puritatem.* Quasi sacra Domini eruditio, & Christiana disciplina, potissimum pudicitiam spectet: quæ à Christianis mulieribus arcet pigmenta, quæ Christianæ *opponuntur disciplinæ*: Tũ quia sunt divinis contraria mandatis. *Mirum quod non contra dominica præcepta contenditur*: Tum quia à diabolo edocta sunt. *Quod nascitur Dei opus est: Ergo quod infingitur, diaboli negotium est.* Tertulliano arridet D. Cyprianus de dæmonibus aiens: *Illi oculos circumducto nigrore fucare, genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expungere omnem oris veritatem, corruptela sua impugnatione docuerunt.* Tum quia, ut subjungit Tertullianus, *divino*

L. de Pud. 1.

D. Cypr. de Bon. Pud. 0

L. 1. de Virg.

D. Hier. l. 1. cont. Jovin.

Ibid.

Tert. l. de Pall. 3

Tert. l. de Pud. 6

Ps. 2

Tert. l. de Pud. 6

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 7

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 5

L. de Hab. & Discipl. Virg.

vino operi satana ingenia superducere quàm scelestum est! Servi nostri ab inimicis nostris nihil mutuantur: milites ab hoste imperatoris sui nihil concupiscunt: de adversario enim ejus in cujus manu sis, aliquid usui postulare, transgressio est. Tum quia fucum adhibentes, Christi disciplinæ Christianoque nomini renunciant, & se diaboli discipulos profitentur: *Christianus à malo illo adjuvabitur in aliquo? Nescio an hoc ei nomen perseveret, erit enim ejus, de cujus doctrinis instrui concupiscit.* Tum quia quemadmodum Christi disciplina pudicitiam *docendo persuadet*; ita diabolus ad lasciviam erudit, & immundus ille spiritus totum suum studium & curam adhibet, *ut corpus animi domicilium, animæ vas; murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum, in scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum.*

Tertull. | Tert. l. adv Valent 2 | Chrysol. ser. 12

Id autem exequitur dæmon per pigmentatas mulieres, quæ ad amorum pellaciam, ad placendi gratiam vultuum advocant colores, faciei lenocinium fuco asciscunt; quem ideo vocitat D. Chrysostomus, *animæ corruptionem, voluptatum illicitarum fomitem.* Ad quid enim aliud serviunt cerussa, minium, totque colorum venena, nisi faciem prostituere, & virorum oculos æstuante libidine fascinare? Apud Lacones fœminis permissum non erat comam nutrire, faciem fucare, ne viros ad lascivia m accenderent: pigmentorum namque lenocinio adornata venustas, est castitatis naufragium, & scopulus intuentium; seu ut fatur Clemens Alexandrinus, *aucupium hominum*, quos comprehendere nituntur fœminæ, *vanissima atque turpissima figmenta configurantes.* Quæ e D. Ambrosius appellat *affectati nugas decoris, adulteri amoris illecebras.* Et ob eandem rationem sic Tertullianus Christianas mulieres alloquitur: *Conficta & elaborata pulchritudinis suggestum recusandum à vobis sciatis.*

Hom. 41 in Gen. | Heraclides in Polit. Laced. | L. 3. Pædag. 10 | Tert. lib. adv Valent: 1 | L. 3. de Virg. | L. 1. de cult Fœm. 2.

Tribus autem modis præsertim mulieres fingunt & elaborant pulchritudinem. Primum earum studium est circa crines: nam vel *alienis capillis verticem struunt*, vel crinium colores immutant: *Video quasdam capillum croco vertere, pudet eas etiam nationis, quod non Germaniæ aut Galliæ sint procreatæ. Ita jam capillos transferunt: & decorum putant quod inquinat?* vel ad nativos crines studendos, *peritissimos quosque structores capillaturæ adhibent*; vel ipsæmet omnimoda qua possunt industria ordinant capillos. Nam ut eas pungit ibidem Tertullianus: *Affigitis præterea nescio quas enormitates capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicum retro suggestum.* Ob capillorum raritatem adjectis alienis capillis galerum adhibebant mulieres, tanta industria capiti superpositum, ut naturalis & non ascititia videretur coma. Hoc capillaturæ studium est incentivum libidinis. *Si tu te sumptuosius comas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomitem succendas.* Secundo, fuco & pigmento mulieres pulchritudinem elaborant, & libidinem accendunt. *Quid faciat in facie Christianæ purpurissus & cerussa, ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicium?* Fuco elaboratur luxuria, & pigmentum est impuri animi index: & fictæ mu-

D. Hier. Ep ad Marcellâ. | Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 6 | Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 7 | D. Cypr. de Discip. & Hab. Virg. | D. Hier. Ep. ad Furiam.

mulieres, ait Gregorius Nazianzenus, *fucis & colorum nitoribus imaginem divinam adulterant; viva tabula fœdi indices interiorum animi affectuum.* Fucum ejusmodi adulterinam fallaciam nuncupat D. Augustinus: *Fucare figmentis, quo rubicundior vel verecundior appareat mulier, adulterina fallacia est*: quia fucus adulterinum animum denotat, lasciviam meditatur, & ad libidinem sufflammat: *Cesset, cesset jam violentia figmentum, cesset ruboris augmentum, ubi toties membra illa dicata Christo, scelesto mœcho suis visceribus polluenda tribuisti.* Virginem ob fucum lapsam & constupratam redarguit D. Ambrosius. Nuptas viduas & virgines simul hortatur D. Cyprianus: *Non virgines tantum aut viduas, sed & nuptas puto & omnes fœminas admonendas, quod opus Dei & facturam ejus, & plasma adulterare nullomodo debeant, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere.* Tandem mulieres speculum consulunt ut fingant & elaborent pulchritudinem: *Jam & consilium formæ à speculo petunt, & faciem morosiorem lavacro macerant, forsitan & aliquo eam medicamine interpolant.* De consilio speculi virgines increpat Tertullianus. Viduam redarguit sanctus Zeno quæ post nimiam mœstitudinem & quo facilius adeatur fucum adhibet, & speculum consulit. *Quid hoc est? ecce rursus ad lenocinia redis: colorem de pixide mutuaris paulo ante damnatum: ecce indulgenter excolis crinem: odorato pulvere luctus pulverem mutas: in fibio fletus includis: ornamento ligas, quod suspendio voveras collum: ab speculo oracula inquiris, quam commode possis circunscribere petitorem: unum tamen scio, quia nihil distat à prodigio quisquis alterius causa, & formam mutat & mores.* Ecce tibi duplex fuci & pigmenti motivum, unum ut ex illo mulieres mutent formam, & de fœdis venustæ appareant: aliud ut mores quoque mutent, & de castis impudicæ fiant: *Si hoc ita est: Quid de illa dicendum est quæ occulta & furtiva turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est: Habitu virgo, facto non virgo, bis adultera, & in actu, & in aspectu.* Quod si illa est bis adultera quæ post amissam puritatem cordis & corporis, per hypocrisim, habitu demonstrat integritatem; quantum à fortiori bis est adultera mulier, quæ pigmento & cultu commissam impudicitiam ostentat, adeo fucus faciem fingens & immutans est castitatis disciplinæ contumeliosius, Deoque injuriosus.

Exhort. ad Virg.

Cap. Fucare dist. 5

D. Ambr. l. ad Virg. Lapf. c. 4

Tert. l. de vel. virg. 12

Serm. de Contin.

D. Ambr. ad Virg. Lapf. c. 5

II. PARS.

In Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt: Mulieres quæ faciei fucum adhibent, Deum offendunt, non solum quia in ejus disciplinam sunt contumeliosæ, Christianam simplicitatem dedignantes, veritatem mendacio & fallacia, adulterantes; castitatem libidinis lenocinio fœdantes, sed adhuc in Deum delinquunt, fucis & pigmentis ipsum 1. de mendacio redarguentes: 2. ejus opus emendare præsumentes: 3. diaboli ingenium Dei artificio præponentes.

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 5

1. Nec mendacium aut infirmitas Deo competit. Deus essentialiter est omnipotens & summe verax, ideoque infirmitas & mendacium illi repu-

Tert. l. de Consulat

Tert.l.2 de Cult. Fœm 6 repugnant, mulieres vanæ ei supremam veritatem eripere satagunt, illum de mendacio redarguentes: Tum quia *Dominus ait, Quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro?* Mulieres autem fucatæ & pigmentatæ *revincunt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo vel atro, flavum facimus, gratia faciliorem:* Tum quia Dominus dixit: *Nemo potest adjicere cubitum unum ad staturam suam.* Mulier autem cothurnis sese extollit, calceis crescit, & adjiciendo ad staturam suam *mendacem vult facere Christum.* Tum quia ad mensuram corporis sibi datam contra divinum oraculum adjiciunt, *ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronuntiatum est* : Mulieres verò mensuræ suæ adjiciunt, ut eis exprobrat Tertullianus, *Vos verò adjicitis ad pondus, colluras quasdam, vel scutorum umbilicos cervicibus adstruendo:* Alii legunt, *collirida*s. Est autem colliris placentæ genus, figura rotunda, adeo ut idem esse videatur ac umbilicus in scutis. His aliisque additamentis Deum de mendacio redarguunt, ejusque opus reformare & emendare præsumunt.

Tert.ib. Tert.l. de Spect.23 Tert. Tert.l 2 de Cult. Fæm.7

Tert.l. de Spect.19 Tert.l.2 de Cult. Fœm.5 2. Injuriosa est Deo *cura factitii corporis, ut plasticam Dei supergressa*, Injuriam Deo inferunt mulieres fucum faciei adhibentes. *Displicet nimirum illis plastica Dei; In ipsis se nimirum arguunt & reprehendunt artificem omnium.* D. Cyprianus fœminarum increpans temeritatem, cunctis fere Tertulliani verbis utitur: *Dixit Dominus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & audent mutare & convertere quod Deus fecit: manus Deo inferunt: quoniam id quod Deus formavit, reformare & transfigurare contendunt.* Fœminæ fucantes faciem immutant quidem opus Dei, non imaginem, quia imago Dei non est in corpore, sed in anima: Prosequitur D. Cyprianus: *Si pictor pinxisset imaginem, & alius manus inferret, annon gravis fieret pictori injuria?* Graviter profecto Deum offendunt mulieres, quæ *fucos asciscunt quasi sapientiores plasmatore suo: tanquam non bene illum fecerit vultum, tanquam istam faciem non prudenter constituerit, Creatoris opus volunt emendare.* Quanta præsumptio, sese Deo sapientiores & prudentiores existimare? Quanta temeritas, Dei opus velle emendare? quanta audacia Deum de suo opere reprehendere? *Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adjiciunt.* Qualis mulierum insolentia *appetere quod datum non sit, quibus alieni abstinentia traditur*, & facturam Dei tanquam non bene factam mutare, transfigurare, emendare! *Si quis pingendi artifex, vultum alicujus, & speculum, & corporis qualitatem, æmulo colore signasset; & signato jam consummatoque simulacro, manum alius inferret, ut jam formata, jam picta, quasi peritior reformaret. gravis prioris artificis injuria, & justa indignatio videretur.* Inde colligit D. Augustinus, *tam improba temeritatis audaciam, Dei artificis offensam*; nempe fœminarum quæ sibi peritiores Deo videntur, & ejus picturæ manus inferre non verentur: Eadem similitudine utitur adhuc D. Ambrosius, ut talis facinoris ostendat audaciam & temeritatem. *Pictus es homo à Domino Deo tuo: bonum habes artificem, noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem: non cerussa, sed*

De Discip & Hab. Virg. Orig. ho. 4. in Matt. Tert.l.1 de Cult. Fæm.5 Tertull. D. Aug. l. 4. de doct. Chr. 21 L.6. Hexam. 8

sed gratia. Dic mihi, si supra artificem aliquem, inducas alterum, qui opus illius superioris novis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognoverit? noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere: grave enim est crimen, ut putes quòd melius tu homo, quàm Deus pingat; & inde sic insolescas, ut ambias opus emendare Creatoris, tuique sceleris advoces consiliarium dæmonem, cujus pravum ingenium sapienti Dei artificio præponis.

Cùm adjiciunt fucum insolescentes fœminæ, *utique ab adversario artifice sumunt additamenta*, graviori injuria Deum offendentes, quia ab ejus adversario ejusmodi pigmenta didicerunt. *Is est diabolus* perpetuus Dei inimicus, ejusque operis interpolator, qui rerum naturam pervertere satagens, fœminas docuit, ut ad plasticam Dei temeraria audacia attentarent. *Nam quis corpus mutare monstravit, nisi qui & hominis spiritum malitia transfiguravit?* Diabolus qui primum elidens hominem malitia transfiguravit, ab innocentiæ forma, inmutans ejus animum ad criminis formam, fœminas adhuc docuit corpus per fucum mutare. *Ille indubitate hujusmodi ingenia concinnavit, ut in vobis pareat, manus vos quodammodo Deo inferre.* Homo dæmonis acquiescens suggestioni, & malitia, spiritum de justitia & sanctitate ad nequitiam & iniquitatem transfigurans, manus infert Deo, ejus imaginem fœdans. Mulieres quoque à diabolo edoctæ faciem fuco mutantes Deo inferunt manus, suntque perversa illa divini operis emendatione & corporis transfiguratione, injuriosæ in Deum & in semetipsas exitiosæ & perniciosæ. Tert l. 2 de Cult. Fœm. 5 Tertull.

. *Crocum capiti suo mulier Christiana ingeret ut in aram. Quodcumque enim immundo spiritui excremari solet, sacrificium videri potest.* Sacrificium quod est præcipuus religionis actus, soli Deo competit. Mulieres fucatæ veram religionem dedignantes, & idololatriam sapientes, debitum Deo, diabolo tribuunt sacrificium, horrendoque illo sacrilegio, 1. corporis fœditatem demonstrant: 2. animæ puritatem contaminant: 3. Dei justitiam sufflammant. III PARS Tert l. 2 de Cult. Fœm. 6

1. *Quis decor cum injuria, quæ cum immunditiis pulchritudo?* Fœminæ quæ minio candidant, & cocco rubescunt, quarum supercilia ferrugineo pulvere fulgurant, quarum genæ ficto nitore rutilant, quarum labia coacto rubore sudant, plane in pulchritudinis suæ conscientiam delinquunt. Pigmenta namque illa non nativam pulchritudinem, sed meram deformitatem denotant, fucum enim non adhibent mulieres, nisi ut vultus fœditatem fuco mentiantur, & intuentium oculos fallant, *quarum facies gypsea, & nimio candore deformes*; loquitur D. Hieronymus de mulieribus, faciem fictam & effigiem mentitam gestantibus, quæ formosæ à fuco apparere ambiunt, *quibus quia de proprio non inest decor, aliunde necesse est, ut mendicent unde se speciosas mentiantur*; Inde tamen non pulchræ sed deformes suspicantur: nam ut belle subjungit Divus Bernardus, *Quid enim opus est peregrinorum fucos* Tert. ib. Ep. ad Marcellā. D Bern. ser 41. in Cant.

eos ad bibere colorum, cui propria & tanquam innata sufficit pulchritudo? Dum murum aulæo contectum conspicimus, illum non lapideum aut pulchrum, sed luteum ac fœdum statim intelligimus, externoque ornamento amictum conjicimus, ne muri lutum aut fœditas videatur. Non absimiliter fucus supra fœminæ faciem apparens nobis fœditatis illius suspicionem ingenerat. Mulier quæ pigmentis venustatem negotiatur, fœditatem suam prodit, totque deformitatis suæ testes adhibet, quot adsciscit fucos: quos

D. Ambr. l. 1. de Virg. nullatenus sectaretur nisi propriæ conscia esset deformitatis: *Prior de seipsa pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est; ita dum aliis studet placere, prius sibi ipsa displicet*; nativam fœditatem in speculo contuens. Quam idcirco pungit Divus Ambrosius: *Quem igitur judicem, mulier, veriorem requiris deformitatis tuæ, quàm teipsam, quæ videri times? si pulchra es, quid absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris? nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura.* Nam quomodo aliis placebis quæ tibi ipsi displices? quomodo aliis pulchra apparebis, cum oculis tuis fœda & deformis appareas?

Quid non tentat mulier, ne agnata videatur fœditas, sed superinducta conspiciatur venustas, ut oculos aliorum in errorem ducat; propriam non

D. Cypr. de Discip. & Hab. Virg. valens fallere conscientiam? *Semper est misera, quæ sibi non placet qualis est: quid capillorum mutatus color? quid oculorum extremitates suffuscantur? quid facies artibus in diversam formam convertitur, nisi quia ne ipsa sit, timetur?* Scilicet ne sit fœda, sed pulchra, ne oculis intuentium appareat deformis, sed venusta: ad hoc enim faciem suam exterminat, hypocritarum instar, qui ut fatur

Matth. 6 Christus Dominus (exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.) Pro ly *exterminant*: Divus Hilarius legit *conficiunt*: Syrus *corrumpunt*: alii *oblitterant*: & velut è medio tollunt: Græcus *quasi è conspectu tollunt*; ad modum mulierum, quæ fucis utentes, celant faciem suam. *Tales*

Orig. Hom. 4. in Matth. *sunt quædam mulieres, quæ album & nigrum, & rubicundum super facies suas inducunt, eas exterminantes*; quasi fœditatis, aut mentiti decoris reas, ipsæ mulieres facies suas exulare cogant. Hypocritæ *se philosophari simulant, non secus ac muliercula insipientissimæ, quæ cum pulchritudine careant naturali, ad colo-*

Gregor. Naz. orat. de Patris funere. *rum fucum confugere solent propter verecundiam inverecundissimæ.* Mulieres à natura invenustæ, ob fœditatem quam verentur, sunt inverecundissimæ, genas ruboris mendacio afficientes, impudentiam in figmentata facie demonstrantes, animique puritatem contaminantes.

Tert. l. de Spect. 17 2. *Cum spiritus nec possit præstari mundus, cujus apparitores inquinantur.*

Tert. l. de An. 18 Oculi sunt spiritus apparitores: vultus est animæ index: Inquinati fuco oculi, inquinata pigmento facies, inquinatam innuunt animam:

Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 7 *Facies occultorum ea, quæ apparent.* Libido in facie fucata relucens, animi impuri & contaminati est insigne: *Si non pudet enormitatis, pudeat in-*

inquinamenti? Christianæ mulieres non verentur criminis enormitatem, Christianam disciplinam suis pigmentis contumelia afficientes, Deum graviter offendentes, sibi damnum & perniciem afferentes vereantur inquinamentum, quo animam maculant. *Atquin & detrimentum crinibus medicaminum vis inurit, & cerebro perniciem etiam cujuslibet sinceri humoris assiduitas reservat; tum solis animando simul & siccando capillo exoptabilis ardor nocet.* Tert. l. de Cult. Fœm. Parum esset quòd ardor colorando capillos illis detrimentum afferret, quod cerebro perniciem inureret, nisi adhuc fucus justitiam divinam sufflammaret ad puniendas gehennæ ardoribus, fœminas fucatas & pigmentatas.

3. *Quæ male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite.* Tert ibid. Malum omen fucus, qui pigmentatam mulierem à Dei conspectu propulsat, & æternis gehennæ mancipat ardoribus. Ideo D. Cyprianus fucatam mulierem, ad meliorem frugem revocare satagens, sic alloquitur: De Habit. & Discip. Virg. *Non metuis oro quæ talis es, ne cùm resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non cognoscat ad sua præmia & promissa venientem, removeat. & excludat; increpans vigore censoris & judicis, dicat: Opus hoc meum non est, nec hæc imago nostra est: cutem falso medicamine polluisti, crimen adultero colore mutasti: expigmentata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est; Deum videre non poteris quando oculi tui non sint quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit: de inimico tuo compta cum illo pariter arsura?* Trina pœna in ultimo judicio fucatam & pigmentatam mulierem mulctabit supremus judex Deus. Primo illam non agnoscet, scientia scilicet approbationis. D. Ambr. l. 6 Hexam. 8 *Grave est ut dicat de te Deus: Non cognosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum, quem ipse formavi.* Secundo illam à conspectu suo projiciet. Quem adhuc loquentem inducit Divus Ambrosius: *Rejicio ego quod meum non est, illum quære qui te pinxit, ab illo sume gratiam, cui mercedem dedisti.* Tandem tertio cum diabolo arsuram detrudet in infernum, D. Cypr. ut persentiat gehennæ ardores quos flammeo capite auspicata est. *Audaci conatu, & sacrilego contemptu, crines tuos inficis malo præsagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auspicaris.* Draco rufus, id est, ignitus seu flammeus de quo fatur Joannes, est diabolus de inferno veniens, neque enim de gehenna aliter quàm rufus aut flammeus veniret: Apol. 12. Mulier *nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehenna ignibus auspiceris.* D. Hier. Ep. ad Lætam. Sicut rufus draconis color de gehennæ fornace est, ita irrufati & flammei crines de gehennalis incendii tinctura sunt: Fœminæ quæ capillos sic colorant & irrufant, flammeo capite futuram ominantur damnationem, & draconis rufi de inferno venientis colores deferunt, sicque dum nativum colorem fraudulenter abscondunt venustatis gratia, flammeum gehennæ colorem infauste præsagiunt. Mulieres *omnem hanc ornatus servitutem à libero capite depellite*: Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 7 neque leve putetis, grave irrufati crinis præsagium, & gehennæ auspicium, si non erubescitis de mendacio, timete de infausto, imitamini Gorgoniam,

Gregor. Nae. Orat. 11

quam exornavit,& venuſtam præſtitit;*non ars pictorum,ac fucus,pulchritudo-
que vilis, quam infernus fecit artifex, qui Dei figmentum fraudulentu abſcondit
coloribus,& honoris gratiam dedecorat:unus illi rubor placebat , quem pudor af-
fert,unus candor,quem parit abſtinentia;nam pigmenta & fucos, & fluxam for-
mæ venuſtatem,ſcenicis & trivialibus relinquebat;quibus probrum ac dedecus eſt e-
rubeſcere.* Chriſtianæ mulieres,ne deferatis meretricum inſignia,neque in-
ferni colores in vobis admiſeritis, quos non Deus ſed diabolus pinxit : ſi
vultis ad Deum pertinere,oportet ut ipſe vos cognoſcat; ut vos cognoſcat
debetis præferre colores quos ipſe fecit,colores pudoris, caſtitatis, ſanctita-
tis,gratiæ,qui non in infernum detrudunt,ſed ad cœlum evehunt.

MARIANÆ FESTIVITATES.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu agitur de Mariana 1. *Conceptione*: 2. *Nativitate*: 3. *Præsentatione*: 4. *Annuntiatione*; 5. *Visitatione*: 6. *Purificatione*: 7. *Assumptione.*

CONCIO PRIMA.

NOn eodem modo operantur sculptor & pictor. Sculptor *detrahens* de materia statuas perficit; Pictor verò *adjiciens*, picturam ad perfectum adducit. Beatissima Virgo belle nuncupatur ab Andrea Cretensi, *à DEO sculpta statua, rectè depicta imago*: quia DEUS in ejus conceptione operatus est ad modum sculptoris, & pictoris: 1. Tanquam sculptor à cœlesti illa statua omnẽ peccati maculam amovit: 2. Tanquam pictor, perfectæ illi imagini omnẽ gratiam convenientem contulit. Tert: apol 7 Orat. de Dorm. B. V.

I. PARS

Princeps generis & delicti Adam. In cæteris quidem hominibus via communi conceptis & generatis fuerunt protoparentes, principes tum generis tum delicti; quia illis communicaverunt non solum naturam, sed etiam culpam. Quos ideò sic alloquitur D. Bernardus: *Sicut omnium fuistis parentes, ita & omnium peremptores: & quod infelicius est prius peremptores, quàm parentes*: at in Maria Adam fuit princeps generis, sed non delicti: quia *genere, non vitio Adæ*, à sanctis Joachimo & Anna generata fuit: Siquidem *potentia Patris, sapientia Filii, benignitas Spiritus sancti conceptum Virginis operabantur.* Et ne originalis culpæ incurreret maculam, fuit 1. potentiâ Patris exempta: 2. sapientiâ Filii redempta; 3. benignitate Spiritus sancti præventa,

Tert. l. de Exh. Cast. 2 Hom 2. super Missus est. Tert. l. de Car. Chr. 16 Richard à S. Laur. l. 4

Tert. l. de Car. Chr. 5. Tert. l. de Test. An. 2

1. *Sed DEO nihil est impossibile.* Multa sunt impossibilia creaturis, quarum potentia cùm sit finita, habet quoque objectum limitatum ultra quod non extenditur: DEI verò *potestas summa*, nullum suæ activitatis habet terminum, sed potest omne possibile. Summa suam potentiam erga beatissimam Virginem ostentat DEUS. Quod innuere videtur Archangelus Gabriel, qui postquàm Deiparæ mira & inaudita annuntiavit; statim subjunxit: Quia (non erit impossibile apud DEUM omne verbum:) quasi divina omnipotentia cui nihil est impossibile, sit mensura privilegiorum beatissimæ Virginis: Apud divinam illam omnipotentiam se recipit D. Augustinus, ut ostendat Virginis puritatem uniri in Maria cum fœcunditate Matris. *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare: Demus DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse, in talibus rebus tota ratio facti, est omnipotentia facientis.* Ipsamet Maria in se divinam omnipotentiam operatam agnoscit, in gratitudinis monumentum decantans, Fecit mihi magna qui potens est; quique ut ei declarat cœlestis Paranimphus in Verbi humanatione totam adhibet potentiæ suæ virtutem: Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ut autem ratiocinatur Doctor Angelicus: *qualibet potentia habet ultimum, & virtus est ultimum potentia.* Seu, ut loquitur Albertus Magnus, *virtus est ultimum illud in quo stat potentia, non valens in aliquid amplius, & sic virtus est potentia vel potestas ultimata.* Qualis quæso Virginis gloria, quod DEI omnipotentia sit non solum causa, sed etiam mensura privilegiorum ejus? quod in ea virtus divina ultima stet, nec valeat in aliquid amplius? Maria ex Matre sterili nascitur; DEI omnipotentia largita est tantam gratiarum abundantiam. Maria in utero Matris habet usum rationis, DEI omnipotentia operata est tale prodigium. Maria est Virgo & Mater, DEI omnipotentia duo est adeò contraria confœderavit. Maria parturivit absque ulla pudoris læsione; inauditum illud miraculum est opus divinæ omnipotentiæ. Maria concepta est sine peccato originali; DEI omnipotentia illam exemit: & ut fatur D. Bernardus, *Pater in creatione Mariæ exhibuit potentiam & auctoritatem contra peccatum*, eam eximens à lege communi qua cæteri Adæ nepotes simul cum natura humana quasi hæreditario jure originali maculantur culpa.

Luc. 1

Epist. 3. ad Volusian.

Opusc 41 c. 23

In cap. 1 Luc.

Zeuxis pictor celeberrimus, conflagrantem conspiciens domum, in qua conservabantur imagines ab ipso depictæ, exclamavit: *Servate mihi Adonidem*, opus absolutissimum quod plus cæteris omnibus existimabat. DEUS supremus omnium artifex, conspiciens cunctum hominum genus in malo igne positum, & originalis delicti labe corruptum, à communi illa prævaricatione exemit Mariam, opus præstantissimum *quod solus artifex supergreditur.* Terreni principes potentiam suam ostentare satagunt: tum ob opera admirabili artificio architectata. Ad hunc finem erectæ sunt piramides, statuti obelisci Ægypti, extructum Ephesi Dianæ templum, suspensi in Babylonia horti pensiles, fabricatum Artemisiæ Mausoleum; Tum privilegia con-

Pet. Dam. Ser. 1. de Nat. Virg.

concedentes & à legibus latis ſententiis, & pœnis pro ſua voluntate familiâres eximentes: quomodo Perſarum Rex Reginæ Eſther dixit: (Noli timere non morieris, non enim pro te ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.) His duobus modis potentiam ſuam erga beatiſſimam Virginem demonſtravit DEUS: tum illam formoſam efficiens, ut ipſamet fatetur: *Tu formaſti me & poſuiſti ſuper me manum tuam*: formare autem eſt formoſam efficere: Tertullianus de mundi productione ſic fatur: *Nam & tenebræ totæ, adhuc ſine cultu ſiderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude: ſolus liquor ſemper materia perfecta.* Cæteri homines ab Adamo oriundi ſqualent in ſua conceptione tenebroſis ſordibus primordialis delicti: Maria ſola materia ſemper perfecta: divina namque potentia eam gratiâ exornavit: Tum eam eximens à lege peccati adverſus Adæ filios lata, de quo adhuc ipſa gloriatur: *Cadent in retiaculo ejus peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeam.* Quem locum ſic commentatur Dionyſius Carthuſianus: (Etenim neque fœminarum aliqua, neque virorum aliquis, qui ex naturali concubitu in lucem hanc prodierunt immunē habuerunt ab hac labe originali conceptionem. B. autem hæc Virgo à retiaculo hoc criminum tam longe ſublata eſt, ut vere dixerit ſingularem eſſe in toto terrarum orbe.) Quia ſcilicet ab illa lege communi, omnipotentia DEI exempta eſt. Audiatur hac ſupra re D. Anſelmus mirum in modum diſſerens: (Vas electionis S. Paulus dixit omnes in Adam peccâſſe; vera utique ſententia, & cui contradicere nefas eſſe pronuntio; ſed cum eminentiam gratiæ DEI, in te, Maria Virgo conſidero, ſicut te non intra, ſed ſupra omnia quæ facta ſunt ineffabili modo contueor, ita & te non lege naturæ aliorum, in tua conceptione devectam fuiſſe opinor.) Quia patet in creatione Virginis exhibuit potentiam & auctoritatem contra peccatum. *Plane nihil DEO difficile: nam & ſterilem parere contra naturam difficile DEO non fuit; ſicut nec Virginem.* Ædes Rahab DEUS in civitate Jericho ab incendio defendit; tres pueros in fornace Babylonica illæſos ſervavit, ſolem immobilem reddidit, ferrum ſuper aquas natare fecit; Jonas & Daniel præter rerum ordinem à morte ſunt exempti: unus in ventre Cæti, & alter in lacu leonum, & DEUS ſuâ omnipotentiâ non exemerit B. Virginem à labe originalis delicti? Quis audeat negare niſi qui impotentem crediderit DEUM? *Sed tamen cur non totam eam formaverit DEUS, non ſcio, niſi quia invalidus.*

L. de Bapt. 3
Pſ. 138
Serm. de Concept. B.V.
In Officio c. 4
Tert. lib. adv. Prax. 10
Tert. lib. adv. Herm 38

Docent multi beatiſſimam Virginem habuiſſe debitum vel proximum, vel ſaltem remotum contrahendi originalem culpam. Divus namque Auguſtinus *ſolum Chriſtum, quia ſit natus ex Virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excipit, cæteris omnibus ex Adam ſub peccati obligatione naſcentibus.* Cui accinens Euſebius Emiſſenus, ait: *A peccati veteris nexu per ſe non eſt immunis, neque ipſa Genitrix Redemptoris: ſolus ille licet ex debito renaſcatur, lege tamen veteris debiti non tenetur.* Verum licet concedamus

L. 2. contr Jul. 10

mus beatam Virginem non fuisse exemptam à debito peccandi, fuit tamen exempta ab originali peccato: quia, ut ratiocinatur D. Cyprianus, *non sustinebat justitia, ut illud vas electionis, communibus lacesseretur injuriis; quoniam plurimum à cæteris differens, naturam communicavit non culpam.* Non quod beata Anna propriis viribus potuerit in generatione Mariæ separare naturam à culpa, communicare naturam, non communicando culpam. Sola divinæ potentiæ virtus id operata est; quæ cum sit validior peccato, potuit à conceptu Virginis removere peccati fœditatem & largiri gratiæ venustatem. *Animadvertimus majoris potentiæ esse DEI gratiam, quàm naturam*: Et ita quantumvis Maria habuerit debitum peccandi, *quia & illam tunc & Adæ portionem*, existimandum est; attamen *caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non contraxit*, sed fuit inter filias Adæ, sicut lilium inter spinas, cujus puritas est immaculata. Nam ut angelicè philosophatur D. Thomas: *Puritas intenditur per recessum à contrario,& ideò potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis; si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas beatæ Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit*; divina namque potentia illam exemit.

De Cardi. Chr. oper. — D. Ambr. de iis qui initiantur. — Tert. l. de An. 36 — Petr Dam Serm. de Nat. Virg. — In 1. dist. 44. a. 3. ad 3

Magnum profectò est discrimen inter conceptiones cæterorum filiorum Adam, & conceptionem Virginis. In conceptionibus aliorum divina potentia agit simul cum parentibus,& parentes agunt soli absq; potentia DEI. Est aliquid quod procedit tum à parentibus, tum à potentia DEI. Est aliquid quod procedit à parentibus solis, & non à potentia DEI. Quod procedit à DEO & à parentibus simul, & natura, quæ cùm sit bonitate entitativa prædita procedit à DEO tanquam causa prima, cujus concursus est necessarius causæ secundæ ut agere possit. Quod procedit à parentibus solis & non à potentia DEI, est culpa, quæ à DEO produci nequit, *qui omne nequam prohibet & damnat.* In Conceptione autem Virginis divina potentia agit simul cum ejus parentibus,& agit sola sine parentibus: Agit simul cum parentibus cum productione naturæ quæ procedit tum à causa prima, tum à causa secunda. Agit sola sine parentibus, eximendo Mariam à lege peccati & communicando illi innocentiam, ut conderet eam *præ cæteris justitiæ cultu, vita integritate meliorem.* Et quemadmodum aquæ Jordanis suspenderunt suum cursum ut absque ullo inundationis & naufragii periculo transiret arca: non absimiliter, ait sanctus Joannes Damascenus, in Conceptione Virginis, *natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Quoniam itaq; futurum erat, ut DEI Genitrix ac Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est: verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* Quod si quæramus à purpurato Doctore cur natura gratiæ cessit, respondet: Ut Mariæ Conceptio tribueretur non naturæ,sed potentiæ divinæ. *Voluit natura in Conceptu Virginis gratiæ cedere, ut eius Conceptio non naturæ, sed gratiæ viribus tribueretur.* Et merito cum beatissima Virgo potentia Patris fuerit exempta, & sapientia Filii redempta.

Tert. l. de Pat. 10 — Tert. l. de Præsc hær 38 — Orat. 1. de Nat. Virg.

2. DEI

2. DEI Filius venit in mundum *exsolvere de vinculis vinctos, id est de delicto liberare*: præsertim delere originalis culpæ maculam, suis satisfactionibus; *quibus non adhibitis, & redemptionem tuam potes perdere, adhibitis haud desiderare.* Universaliter pro cunctis hominum peccatis actualibus satisfecit Christus, & specialiter pro originali delicto, ut docet D. Thomas: Nam ut ratiocinatur D. Aug. *fit homo & per liberum arbitrium perit homo: & invenitur homo factus, qui fecit, ut non periret quem fecit.* Primus homo peccando perierat, suosque posteros primordialis delicti reos effecerat. Nam *peccata parentum reatu obligant filios, nisi gratia & misericordia divina subveniat.* Ut autem Adæ posteros à peccato quod in primo parente contraxerant, liberaret DEI Filius, venit in mundum, & humanam assumpsit naturam. *Ut hominem gestaret Christus, salus hominis fuit causa: scilicet ad restituendum quod perierat: Homo perierat, hominem restitui oportuerat*; quod egit perfecti redemptoris munere fungens. Matris autem redemptionem longe diversa ratione negotiatus est Christus, ac cæterorum Adæ nepotum: Tum quia, ut ait S. Bernardinus Senensis, *Christus plus pro redimenda Virgine venit, quàm pro omni alia creatura*: Tum quia ante cæteros Mariam redemit, idcirco nuncupatur à D. Bernardo, *Primogenita Redemptoris.* Tum quia redemit illam, non sublevando à peccato contracto, sed præservando, à contrahendo. Duplex namq; est redemptio: Una quæ subsequitur peccatum originale contractũ, & dicitur liberativa; alia quæ præcedit peccatum & impedit ne contrahatur, & vocitatur præservativa. Quam trina similitudine declarat D. Augustinus expendens istud Davidicum, Eruisti animam meam ex inferno inferiori. (Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat; Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; si non feceris ægrotabis; si autem feceris, salvus eris: recte dicis Medico, Liberasti me ab ægritudine, nõ in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem, venit alius defendit eum; gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent; inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.) Bina hac redemptione usus est Christus: Erga cæteros Adæ nepotes redemptione liberativa, nam eos sanavit; sed postquam ægrotarunt: De ergastulo eruit, sed postquam incarcerati & vinculis peccati ligati fuerunt. Pro eis solvit, sed postquam debitores facti sunt. Erga Mariam verò redemptione præservativa, impediens ne ejus anima ægrotaret, ne in carcerẽ detruderetur, ne peccati debito oneraretur, & hæc redemptio requirebatur ut perfecti Redemptoris obiret munus. Nam ad perfectum Redemptorem spectat, præservare interdũ ab omnibus peccatis actualibus: interdũ à solis mortalibus, non verò venialibus; aliquãdo à mortalibus & venialibus simul: tandẽ à quovis peccato sive actuali sive originali: Ab omnibus peccatis actualibus præservat Christus infantes baptiza-

Tert. lib. 3 adv. Marc 10
Tert. l. de Fug. in per sec. 14
3. p. q. 1. a. 4
L. 50. Hom. hom. 49
D. Aug: in Enchir. c. 46
Tert. l. de Car. Chr. 14
Serm: 51
Serm. de Assumpt.
Ps. 85

tos qui ante usum rationis moriuntur;à peccatis mortalibus actualibus,non à venialibus præservavit Jeremiam;Apostolos quoq; post descensum Spiritus sancti:A peccatis mortalibus actualibus, & etiam venialibus juxta quorundam sententiam, non verò à peccato originali præservavit Joannem Baptistam. Ergo aliqua humana persona præservanda erat à quovis peccato.
D.Anselm l.Conc B. Virg. c. 18 Talis fuit Maria *quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.* Si Christus B.Virginem non præservavit,hoc fuit,vel quia nescivit,vel quia non potuit, vel quia noluit: Si nescivit,fuit ignarus: si non potuit,fuit invalidus; si noluit, fuit invidus. At Christus nequit culpari, neq; de ignorantia,quia est summe sapiens;neq; de imbecillitate,quia est omnipotēs;neq; de invidia aut animadversione, quia infinite bonus Mariam *Christus amavit utique, quam magno redemit*: nimirum pretio sui sanguinis, quem effudit in cruce principaliter pro Matre, & fortasse ob hanc causā dilectus Discipulus ipsam eo tempore,quo ejus Filius suum fundebat sanguinem, juxta crucem stantem describit,ut præservationem ab originali, virtute crucis factam recognoscat.
Tert. l. de Car.Chr. 4
In c.1Cant Censet Rupertus impressam fuisse Deiparæ, ab ipso incarnationis momento expressam notitiam passionis Christi in cruce morientis. Plus audet Bernardinus Senensis, asseverans Mariam in conceptu filii præmature dolores ejus persensisse. *Virgo cum Christo crucifixa est in hora hujus conceptionis.* Nec mirum si virgo habuit impressam notitiam passionis Christi, si præpropere pensensit crucifixi dolores,cum in sua conceptione Dominicæ passionis gustaverit fructus,fueritq; ab originali præservata, virtute sanguinis quē effusurus erat Christus in cruce. *Dignum igitur quod crucifixa crucifixum concepit, ordinavit summa sapientia DEI,quod eodem die Christum concepit, quo etiam fuit passus.* In conceptione filii,præmaturè Christi persentit passionem,& in propria conceptione passionis Christi percipit fructum,in qua ab originali præservatur labe,& pulchritudine gratiæ decoratur. Quod ipsamet recognoscens ait: (Ego flos campi,& liliū convalliū:) Seu ut legit Pagninus, *Ego rosa campi,& liliū convalliū.* Primo se dicit rosam,quæ purpurascit, deinde lilium quod nivis candore nitescit. Quod album est potest rubeo tingi colore; at rubrū album fieri nequit. Quod primo dicat lilium,& postea rosa,non est stupendum. Verum nonne est admiratione dignissimum quod primo nuncupetur rosa & postea liliū?nā quomodo de rubedine & purpura candescit? Verum enimverò non eodē modo differendum est de corporeis ac de spiritualibus animæ coloribus. Color corporeus de albo potest effici ruber;at non è converso: anima candido colore qui in gratia & sanctitate consistit, nequit pingi, nisi prius fuerit purpurata.Ex rubeo Christi sanguine procedit albus sanctitatis color.Quod asseverat Joañes deSanctis in comuni: *Qui laverunt & dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni.* Idipsū de semetipsa declarat Maria,quæ prius fuit rosa quàm liliū,neq; candore innocentiæ nitet in conceptione,nisi quia Christi sanguine rubescit.Ego rosa campi,& liliū convalliū: *Decora facies,quia non erubescit auctorem,non confunditur redemptore: ostēdit ergo faciem suā signaculū crucis præferens,* Maria ab originali culpa præservata,
Tom. 3. Ser.6.,art. 2,c. 1.
D. Bernardin.
Cant. 2
Apoc 7
D ambr. Ser. 6.in Ps.118

pul-

pulchroq; ſanctitatis nitore candeſcens, tantæ tamq; præmaturæ gratiæ non erubeſcit auctorẽ, nec confunditur redemptore, quaſi nõ indiguerit redemptore: imò quod originale non contraxerit delictũ, redemptionis fuit opus, de quo ipſamet gloriatur decantãs: Ego roſa campi & liliũ convalliũ. Feſtinata ante captivitatẽ redemptio illuſtrior eſt redemptionis prærogativa, & ſumptuoſius redemptoris elogiũ. Nec obſtat quod ait D. Thomas. (Si nunquam anima B. Virginis fuiſſet peccati contagio maculata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundùm quam eſt univerſalis Salvator & Redemptor: tunc enim eſſet aliqua perſona quam non redemiſſet, ſcilicet ipſa Virgo: nec debet tantum honorari Mater quod dehonoretur filius derogando ſuæ dignitati: quia nec Virgini placet talis honor.) Verum hæc difficultas jam expedita eſt per binam redemptionem: unam liberativam & poſt lapſum, alteram præſervativam & ante lapſum: Ut autem philoſophatur Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, & non parvum Dominicanæ familiæ decus: *Nobilius & melius liberatur & redimitur, cui providetur ne cadat & ſervitutem incurrat, quam ne lapſus erigatur, & factus ſervus redimatur.* Utramque innuit Archangelis Gabriel, redemptionem poſt lapſum dicens Joſepho: (Et vocabis nomen ejus JESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum;) *cùm Chriſtus non alia ex cauſa deſcenderit, quàm peccatorum liberandorum.* Idem verò Archangelus ait ad Virginem: (Et vocabis nomen ejus JESUM,) nec addit, (ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum;) quia etſi JESUS ſit Mariæ Salvator & Redemptor, ut ipſamet in ſuo Cantico prædicat: (Exultavit ſpiritus meus in DEO Salutari meo:) longè tamen diversâ ratione, aliorum Salvator eſt JESUS, quia illos à peccato originali contracto redemit per ſuum ſanguinem, & liberat per Baptiſmum. *Baptiſmatis munus contra originale peccatum denotatum eſt: ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur.* Mariæ verò eſt Salvator, non quia illam redemit & liberavit ab originali contracto, ſed quia præſervavit, ne contraheret, *quia qui venerat abolere malum originale quod trahimus omnes nati ex commixtione maris & fœminæ, conveniens erat ut lege peccati noſtri, quæ per duorum concubitum verificatur in lege, Mater DEI non teneretur obnoxia.*

[Margin: 3.p.q.27 / 1.p. Sum. Tract. 3.c. 2. de pecc. orig. / Tert. l. de Idol. 5 / D. Aug. in Enchir. c. 64 / D. Aug. Ser. 2. de Expoſ. Symb. & Orat. Do.]

Imò ex doctrina D. Thomæ evidenter colligitur, Mariam præſervatam eſſe ab originali: Tum quia ut ipſe ait, *in B. Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit:* quomodo autem habuiſſet Maria omne illud quod perfectionis fuit in creaturis, ſi contraxiſſet originalem culpam, quæ eſt imperfectio, defectus, deformitas, & vulut Dionyſius Areopagita: *Habitus diſſimilitudinis DEI, homini ingenitus?* Tum quia vult D. Thomas Mariam ab omni peccato veniali fuiſſe prorſus liberam; eo quod *non fuiſſet idonea mater DEI ſi peccaſſet aliquando.* Sed peccatũ originale eſt longè enormius ac deteſtabilius quàm veniale. Tum quia, ut ratiocinatur D. Thomas (Eccleſia celebrat nativitatem B. Virginis, non autem celebratur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo Sancto: ergo B. Virgo in ipſa ſua nativitate fuit ſancta.) Ergo Maria non fuiſſet idonea Mater DEI ſi contraxiſſet originale peccatum. Idem

[Margin: In 4. diſt. 30. q. 2. a. 1 / De Eccleſ. Hier. 5 / 3.p.q 27. a. 4 / 3. q. 27. a. 1]

argumentum pro immaculata Virginis conceptione militat, (Ecclesia celebrat conceptionem B. Virginis: non celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto, ergo B. Virgo in sua conceptione fuit sancta, non fuit autem sancta nisi quia liberata est ab originali;tum *quia bonor parentum redundat in prolē, secundùm illud Proverbiorū 17. Gloria filiorum patres eorū: unde per oppositū ignominia Matris in filiū redundasset*, si B. Virgo ullū contraxisset peccatū. Ne autē cōtraheret redēpta est sapiētia Filii, & prævēta bonitate Spiritûs sancti.

3.p.q.27 a. 4

Ter.l adv Herm. 29

3. *Omnia opera sua DEVS ordine consummavit, incultis primo elementis depalans quodammodo mundum, debinc exornatis velut dedicans: nam & lumen non statim splendorem solis implevit, & tenebras non statim solatio lunæ temperavit, & cœlum non statim sideribus stellisq; signavit, & maria non statim belluis frequentavit, & ipsam terram non statim varia fœcunditate dotavit*; neq; ipsum hominem uno instanti plasmavit, sed ex limo lutū fecit, ex luto carnē formavit, formatā carnem suo afflatu animavit. In Adæ quoq; posteris prius est esse animale, quàm spirituale; prius quæ carnis, deinde quæ spiritus. At in Maria non prius carnis conceptio, quam spiritus generatio, non prius animalis, quàm spiritualis vita: nam simul atq; anima corpusculo indita est, ut fatur Germanus Archiepisc. Constantinop. fit *nova informatio, quod iis qui in limo luti corrupti essent domina sit*. Cæteri homines in sua conceptione limo luti primordialis delicti corrupti sunt, at Deiparæ cōceptio fuit nova informatio, quapropter Annæ vulvam beatam prædicat Joannes Damascenus; quia *in ea formatus fœtus sanctissimus*: Deus namq; suâ benignitate & clemētiâ Mariam donavit gratiâ; &, ut ait Ecclesiasticus, *creavit illam in spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est*. Maria in sua creatione, formatione, animatione, præventa fuit Spiritûs sancti gratia, quæ naturæ labem antevertit: DEUS vidit illam; nempe dignitatem maternam ad quam ab æterno electa est; dinumeravit illam: neque enim tunc alius poterat ejus tunc gratias dinumerare & metiri, nisi qui talem tanquam creavit. Subjungit Sapiens: *Non extinguetur in nocte conceptionis, lucerna ejus*; Ideò Petrus Damianus asseverat in sua conceptione *Virginem esse auroram, quam nox tenebrarum originalis peccati, non vidit*. Sicut solis nomine Christus adumbratur, sic Deiparam auroræ vocabulo significatam à Vate Regio existimat ibidem præfatus Cardinalis. *Tu fabricatus es auroram, id est Virginem, & solem id est Christum, qui de Spiritu sancto conceptus est*. Sol justitiæ de Spiritu sancto conceptus est, & aurora à Spiritu sancto in sua conceptione formata est: auroræ initium est non esse noctis, & prænitens incipientis diei auspicium: quando nox est, nondum est aurora: Deipara in sua conceptione aurora fuit, tenebrosam peccati fugans noctem, splendidum diei & solis justitiæ adventum fauste ominans: Unde D. Bernardus Mariam sic alloquitur: *De te secretorum conscius Salomon dicit: Qua est ista qua progreditur quasi aurora consurgens? Aurora semper noctem sequitur, nox præcedit Aurorā. Quid autem est nox frigida & obscura, nisi originale peccatū, frigidū concupiscentia, obscurū ignorantia? Tu verò processisti, ut aurora lucida, & rubicunda*. Nox præcedit, nō integrat aurorā, præit extrinsecè, intrinsecè nō integrat

1.Cor.15

Orat 2. de Dorm. Virg.

Serm. 1. de Nat. Virg.

Cap. 1

Prov. 31

Serm. de Assumpt.

Ps. 73

Ser. 4. sup. Salv. Reg

tegrat: neque enim Auroræ nitor, noctis constat caligine, sed tota solis jam adventantis fulgore prænitet. In reliquis Adæ posteris, nox originalis culpæ præcessit, Deipara verò quasi Aurora consurgit, semper albicans, semper gratiæ candore prænitens. Cæteri homines prius fuerunt in tenebris, non diem gratiæ sed peccati noctem auspicantes: Maria semel Aurora, semper Aurora, semper gratiæ nitore præfulgens, solem justitiæ fœlicissime prænuntians, nunquam fuit obscurata peccati tenebris, nunquam in nocte originalis culpæ, gratiarum luce in ipso conceptionis suæ exordio illustratur.

Vani erunt homines, nisi certi sint, à primordio & sidera radiasse & lumina floruisse. Christus & Deipara tanquam sidera splendida à suæ conceptionis primordio radiarunt & floruerunt: Sidus rutilans fuit Christus, idcirco sol justitiæ vocitatur. Sidus splendescens fuit Deipara, quæ à Petro Blesensi *dies imperialis* nuncupatur. Singulare autem hujus diei est elogium, quod cũctis sit expers peccati tenebris. Ideo amicta sole describitur. *Candidissimus sane hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum liceat suspicari.* Fulgida illa sidera à primordio adhuc floruerunt. Magnum profecto est discrimen, inter florem herbaceum, & florem lucis, Herbacei floris venustas facilè decoloratur, valetudo corrumpitur; floris autem lucis pulchritudo semper splendet, sanitas jugiter perseverat: quia lux non habet contrarium à quo lædatur, à quo corrumpatur: Maria in sua conceptione fuit flos lucis, quia non fuit à delicto originali infestata, nec ullam ab eo passa est contagionem: *portamus omnes impressum nobis cauteriũ conspirationis antiquæ.* Cauterium est indelebile signum ardenti ferro impressum, in notaculum vel servitutis, vel criminis. Ejusmodi insigne olim judices reorum imprimebant frontibus, unde *stigmatici* dicebantur. Cæteri Adæ posteri dum generantur, hoc servitutis & criminis notantur signo, à quo liberata fuit B. Virgo. *Non immerito Maria excipitur à quibusdam generalibus vera existimatione, quã tanta servat gratia, & dignitatis prærogativa.* Pulchram autem subministrat S. Ildephonsus rationem, cur Deipara ab infamia illa cæteris hominibus communi, fuerit liberata. *Alioquin quid est, quod legem naturæ requirunt in Maria, ubi totum quod in ea est, possedit Spiritus sanctus?*

Tert. Apol. 11

Epist. 14

D. Bern. in c. 12. Apoc.

D. Bern. ser. 72. in Cant.

Cœl Rhodig.

D Aug. ser 3. de Assumpt.

L. de part. Virg.

Aqua prædicatur à Tertulliano, *materia semper perfecta, læta, simplex, de suo pura.* Ut quid præ cæteris operibus tantã aquæ contulit Deus perfectionem & puritatem? Audi rationem: *Dignum vectaculum Deo subjiciebat.* Cæteri Adæ posteri in sua conceptione sunt imperfecti & impuri, quia sunt diaboli mancipia, in quibus tartareus ille serpens inhabitat. Maria è converso fuit perfecta, pura, quia dignum vectaculum Deo subjiciebat. *Quid enim sanctitatis, quid justitiæ, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius divinæ gratiæ charismate plena fuit? quod rogo vitium in ejus mẽte, vel corpore vindicare sibi locum potuit, quæ ad instar cœli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium?* Deus hominis corpus formare volens (non ex quavis terræ parte seu humo sumpta videtur hanc humanam specie statuam formare voluisse summa

L. de Bapt. 3.

Pet. Dam. ser. 3. de Nativit. Virg.

Phil. Jud. l. de Opific. Mund.

ma cum diligentia, sed selecta undequaque optima, ex puri materia, & id quod inerat purissimè excolasse accuratè quod maximè ad hoc opus erat.) Verum cur tanta cura quæsita est materia perfecta de qua formandum erat corpus humanū? cur tanta diligentia & industria materia illa elaborata est? Scilicet Deus in tali opere respiciebat non tam ad Adami corpus, quàm ad ipsius animam. *Domus enim ac templum sacratum fabricabatur rationali anima quo illa divina imago circunferri debebat.* Quod si ex intuitu animæ, quæ sordida, peccatrix, Deo rebellis, & diaboli hospitium futura erat, corpus quod ab illa erat informandum, ex materia omni labe purgata tanta diligentia & industria plasmavit; quantā in corpore & anima Mariæ quæsivit puritatē, quæ non jam divinæ alicujus imaginis, sed ipsiusmet Dei templū ac sacrariū futura erat? *Aut quis potuit in ejus anima vel corpore locus esse vitiorū, quando sancti sanctorū templū est effecta?* Tertullianus postquam Deum in formādo humano corpore totū occupatū proposuit. *Recogita totū illū Deū occupatū ac deditū, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providētia, & ipsa imprimis affectione*; tātæ curæ, industriæ, operationis causam subjungit: *Quodcumq; limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro sermo, quod & terra tunc.* Deus Mariam in sua conceptione formans, cogitabat Christū de ea nasciturum. Idcirco largiebatur ei perfectionem convenientem, & Matri Dei, & templo Spiritus S. *Tota Spiritus S. thalamus est.* Ut autē declarat Regiꝰ Vates; *sanctificavit tabernaculū suū Altissimus*, ab ea removens non solū omnē maculā, sed omnē adhuc defectus vel sordis suspicionē. Et ob hāc causā Philippus Abbas sic arridet Virgini. *Scias opera de S. Spiritu possibiliter quidē, sed ineffabiliter concepturā, quia ille quidquid indecēs dicitur vel sentitur, à te penitus removebit.* Parum videtur Spiritui sancto, à Dei Matre, à suo sacrario removere quidquid reipsa indecens est, nisi ab existimatione & sermone hominū removeat, quidquid indecens mente sentitur, & ore dicitur. Ad hunc finem tanquam pictor eruditissimus largitus est ei cœlestes gratiarum colores.

D. Aug. ser. 1. de Assumpt. L. de Ref. Carn. 6 Damasc. Orat. 1. de Nat. Ps. 45 L. 1. Cant. 1. 5

II. PARS. Tert. l. de An. 19

Anima humana *privata res est, non modo ut Dei opus, quod & cætera, sed ut Dei flatus, quod hæc sola: quam dicimus cū omni instrumento suo nasci.* Hæc de anima rationali dicit Tert. quæ nullo negotio Mariæ possunt aptari. Nam privata res est, quia præ cæteris hominibus, ab originali peccato specialiter est præservata. Originalis autem Virginis puritas nō ex eo est deducenda, quia Dei opus, quod est illi cōmune cum cæteris hominibus, sed quia Dei flatus, quod hæc sola; solam namque suo flatu Deus, nempe Spiritus S. sanctitate in suo conceptu decoravit: Nata est enim & concepta cū omni sua paratura, scilicet cum gratia convenienti filiæ Patris æterni, Matri Verbi divini, Sponsæ Spiritus S. Hæc Virginis paratura 1. resculpit deperditam ab Adamo justitiæ originalis puritatem: 2. æmulatur illustrem luciferi in sua creatione nobilitatem: 3. complectitur omnem hominum & Angelorum gratiā & sanctitatē.

Tert. l. de Ref. 53 Ep. 174. ad Conc. Lugdun.

1. *Primus homo Adam in animā vivam factus est*: quia scilicet gratia, sanctitate donatus in qua consistat supernaturalis animæ vita. Ex D. autem Bernardo *quod vel paucis mortaliū constat fuisse collatū, fas certe non est suspicari tantæ Virgini esse negatum*, quæ cunctos generatim homines tantùm dignitate antecel-

lit, quantum Dei Mater ejus subditos. D. Bernardo suffragatur Bernardinus Senensis. (Certum est quòd Deus creavit Adamum & Evam sine peccato: modo non est credendum quòd ipse Filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere ejus carnē, quę esset maculata aliquo peccato originali: imo credēdū est, quòd voluerit sumere carnē purissimā, & quòd ejus mater fuit plus quā Adā & Eva qui creati fuerunt sine peccato originali,) & gratiæ splendoribus ornati. Ad hunc justitiæ originalis statū assumpta est in sua conceptione Maria: quod innuit Angelus dicēs: Ne timeas, invenisti gratiā apud Deū. *Invenisti, quod nemo ante te potuit invenire: invenisti gratiā apud Deum. Quam gratiam?* quam in Adamo perdidimus, & quā in sua conceptione sola invenit Virgo. *Ne timeas Maria, nacta es enim gratiam apud Dīū, quam Eva perdiderat.* Eva autē perdidit justitiam originalē, ergo illam nacta est Maria. Justitia originalis quam nacta est in sua conceptione Maria, nō talis dicitur quia ei fuerit collata à suis parentibus per generationē: neque quia habuit in sua cōceptione gratiā justificantē, qua quis denominatur justus: omnes namque justi gratiā habitualē invenerūt & nacti sunt: sed quia Mariā justificabat, in cunctis ejus operibus rectificabat, appetitū inferiorē superiori subdebat, à fomite peccati eximebat. *Itaq; ipsa sola post Adæ lapsū nō indiga sed plena originali justitia, ut Eva, & multo magis,* quia æmulata est illustrē Luciferi in sua creatione nobilitatē.

To. 4. ser. 49

D. Bern. hom. 3: Super missus est.

Andr. Jerosolym.

Cardin. Cusan. l. 8 exercit. 8.

2. *Exurge, exurge Hierusalem, exurge sicut in primordio diei, scilicet in illa integritate, quæ fuerat ante delictum transgressionis.* Dies fuit Lucifer in sua creatione, gratia simul cum natura donatus. *In Angelis Deus erat condens naturam, & largiens gratiā:* & tanquam Angelorum primus *excultus omni gloria angelica;* Lucifer verò sua superbia de luce translatus est in tenebras; de die gratiæ in noctē peccati, de integritate in qua fuerat cōditus in horrendā deformitatē, Quem ideo increpat Ezechiel Propheta: *Tu es resignaculū similitudinis, qui similitudinē, integritatē imaginis & similitudinis resignaveris.* At quemadmodū olim Bethulienses (universa quæ Holophernis peculiaria probata sunt dederunt Judith in auro, & argēto, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili:) ita cunctæ gratiarū divitiæ quibus peccando despoliatus fuit Lucifer, dedit Deus Mariæ in primo conceptionis suæ exordio. *Adjuvabit eā Deus mane diluculo:* seu, ut legit D. Hieron. *in ipso ortu matutino:* ita ut illud mane quo illustratā fuit Maria respondeat huic mane quo ante lapsum fulgebat Lucifer. *Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris!* Et quasi parum sit ditasse Mariam Luciferi spoliis, Deus illi hominum & Angelorum simul gratias contulit.

Tert. l. de Res. Car. 26

D. Aug l. 22 civ. 9

Tert. l. 2. adv. Marc. 10.

Tert.

Judith. 15

Ps. 45

Isai. 14

3. Virginem constat templū incorruptū Spiritus S. *omnia jā, ut ex omnium defloratione cōstructū;* quia in ea cunctas tū hominū tū Angelorum videtur Deus coadunasse gratias; in cujus efformatione (de magnis eminētiora præsumpta sunt. Quomodo si aliquis pictor egregius ex multarū pulchritudine personarū unā aliquā vellet coaptare, & exprimere personā, ex pluribus speciosis speciosa defloret, ac diversas vultuum gratias in unā faciē colligat, & de præcipuis præcipua eligat, ut unā ex pluribus formā artificis dispositione componat:) Deus pictorū perfectissimus cunctarū rerum concipiens ideas, ex singulis præstantissimum quodq; desumpsit: & ex cōmuni defloratione

Tert. l. adv Valent. 12

Euseb. Emiss. hom. 1 de Symb.

D. Antonin. Mariam formavit. *Considerandum est Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginē, ab ipso Deo summa arte ac singulari providentia depictam.* Apes pulcherrimos seligunt flores, ut ex illis componant radiū mellis in quo eatū rex inhabitat: *Electo flore ex omni copia factus.* Deus quoque pulchriores omniū creaturarū decerpsit flores, ad formandā Unigeniti sui Matrem. *Domina nostra omnia habuit Dei dona quæ in Sanctis aliis sunt divisa: unde dicit: In plenitudine Sanctorū detētio mea.* Zeuxis pictor egregius Junonis imaginem depicturus, in girgentē consedisse fertur ubi pulchriores totius Græciæ cōspiciens virgines, summaq; diligentia & industria seligens, quod in singulis erat præstantissimum, absolutissimā effinxit imaginē. Non aliter Deus in conficienda Deipara fecisse videtur seligens perfectiores hominum & Angelorum gratias, & in ea una colligens. Quare nuncupatur à Chrysol. *collegiū sanctitatis:* & ab Andrea Cret. tanquam omnis sanctitatis thesaurus salutatur. *O sancta & sanctis sanctior & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.* Tantam sanctitatis abundantiam largitus est ei Deus pictorum celeberrimus, *qui pingere curās*, se dignā cōfecit imaginem. *Cōsidera ea quæ in cœlis, & quæ in terris in Virgine refabricata.* Contuere Angelorū choros, Sanctorū tū veteris tum novi Testamenti gratias & prærogativas, & *si diligēter attendas, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, & nihil est candoris, quod nō resplendeat in Virgine gloriosa:* quæ absque ulla macula est tota pulchra; quia Deus tanquā sculptor egregius ab ejus conceptione amovit omnē peccati maculā, & tanquā pictor peritissimus abundantē largitus est gratiā: Quare decantatur *hortus cōclusus, fons signatus,* hortus plātis lectissimis cōditus, floribus odoriferis repletus, ad omnē elegantiā & amœnitatē cōpositus. Fōs limpidissimas & lapidissimas aquas scaturiens, sed fōs signatus ne quoquo modo inficiatur, turbetur aut lutescat. De quo eleganter Sophronius: *Vere hortus deliciarū, in quo cōsita sunt universa florū genera, & odoramenta virtutū, sicq; conclusus ut nesciat violari, neque corrūpi ullis insidiarū fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat.* Quæ autem vel tantopere audax temeritas ausa unquam est resignare totius Trinitatis signaculum?

Plin. l. 11 c. 16

D. Bonav. ser. 3. de B. Virg.

Serm. 146

Orat. 2 de Dorm. Virg.

L. 2. Machab. 2

Pet. Dam.

D. Hier. ser. de Assumpt.

Cant. 4.

Serm. de Assumpt.

In baptismate Deus sculptoris & pictoris peregit officiū. Tanquā sculptor contractū in Adamo originale removit peccatū; tanquam pictor largitus est gratiam, *quā fides impetrat, obsignata in Patre & Filio & Spiritu S.* Maria præservata à tribus divinis personis nunquam eas offendit, & nos ab originali culpa liberati peccatis actualibus offendimus Patris potentiam quam cogimus servire iniquitatibus nostris, & præbere concursū ad materiale peccati: Sapientiam Filii, cujus conspectū nullo modo veremur; Bonitatē Spiritus sancti, bonis suis adversus illum pugnando. *Quid non Dei est quod Deum offendit?* Maria continuo servavit gratiam à Deo pictore collatam; & nos innocentiam in baptismate acceptam peccando perdidimus, & pro nihilo ducimus. Christiani, puritate animi celebranda est immaculata Virginis Conceptio: mundate corda vestra per veram pœnitentiam, recuperatam gratiam diligenter custodite; sic honorabitis Deiparæ conceptum, & gratiam servantes merebimini gloriam.

Tert. l. de Bapt. 6

Tert. l. de Spect. 2

CON-

CONCIO PRIMA.

Veritas nostra Christum ex vulva Virginis natum non erubescat , ridentibus Philosophis,& hæreticis,& ethnicis ipsis. Quod de Christi nativitate fatur Tertullianus,idipsum dicamus nos de Beatissima Virgine:Pietas nostra non erubescat immaculatam Deiparæ conceptionem in utero sanctæ Annæ,latrantibus non solum Hæreticis,sed etiam Doctoribus Catholicis Marianæ puritati in suo conceptu contrariis. Tres sunt Conceptiones mira puritate præditæ,scilicet Verbi,in sinu æterni Patris; conceptio Christi,in sinu Mariæ;conceptio Mariæ in utero Annæ. Ecclesia ad denotandam puritatem conceptionis Verbi comparat eã emanationi,qua *radius ex sole porrigitur:* ad significandam puritatẽ conceptionis Christi,proponit productionẽ floris, quia *Christus est flos de virga projecta ex radice Jesse;* ad ostendendam puritatẽ Marianæ Conceptionis confert illam auroræ nascenti , quam sol depingit, colorat,venustat,& à suo conspectu nunquam fugat. Fateor nullum esse fidei articulum,qui nos ad credendam immaculatam Virginis conceptionem adstringat,neque Ecclesia hac supra re aliquod decretum tulit; Sunt tamen plures rationes pro pietate militantes quæ puritatem Marianam ostentant, convenientem 1.Deiparæ maternitati: 2.Christi dignitati.

L.5.adv. marc.19

Tert.Apol.21

Tert.l de Car. Chr. 21

I.PARS.

Cur Maria in sua conceptione *non tota formata sit,ut qualis tota fuerit,agnoscam.* Si beata Virgo non fuit concepta in gratia & sanctitate, maxime quia Deo extranea,redemptione liberativa indigna, à diabolo debellata,& ejus tyrannidi mancipata:sed non fuit Deo aliena sed ejus Mater,neque redemptione indigna:quia est subalternatim ad Christum humani generis redemptrix,neque à diabolo debellata,quem gloriose detriumphavit. Itaque triplici titulo Conceptio immaculata decebat Mariam,tanqũam 1. Dei genitricem: 2,hominum corredemptricem: 3.diaboli debellatricem.

Tert.lib. adv. Hermog.19

1. *Verbum Filium Dei appellamus delatum ex Spiritu Patris Dei,& virtute in Virginem Mariam,carnem factum in utero ejus : & ex eo natum , egisse Jesum Christum:* Ex D.autem Bernardino Senensi, *congruebat ut illa quæ placuit Altissimo,ita ut fieret illius sponsa , & Mater unigeniti filii sui , sic esset immaculata mente,sicut fuit immaculata corpore.* Fuit Maria immaculata corpore utpote virgo integerrima : debemus namque *credere in Deum natum,& quidem ex Virgine* : Ergo fuit etiam immaculata mente. Puritas tum corporis,tum mentis competebat Genitrici Dei : & ob hanc causam , ut animadvertit Gregorius Thaumaturgus : *missus est servus incorporeus ad Virginem inviolatam : missus est à peccato liber,ad corruptionis seu labis expertem.* Conveniens quippe erat ut Maria esset immunis à carnis corruptione , ab omni peccati labe.Ob binam illam tum corporis,tum cordis puritatem semel & iterum à sa-

Tert.l.de Præsc. Hær.13

To 2. ser. 51.cap 3

Tert.l.de Car. Chr. 4.

Serm.3 de Annunt.

Cant,1 à ſacro Sponſo vocitatur pulchra. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Geminata pulchritudo eſt emphaſis pulchritudinis, & totam ſemper & ubique pulchram denotat. Bis pulchra; pulchra in corpore ob virginitatem; pulchra in mente, ob gratiæ nitorem. Bis pulchra, quia non ſolum totius vitæ honeſtate & ſanctitate pulchra fuit, ſed etiam in ſuæ conceptionis ſeu animationis momento, in quo reliqua Adami poſteritas fœde ſordeſcit, nitide pulchreſcit. *O qualis ſocietas! totus pulcher totam pulchram ſibi ſociat. Ego totus pulcher, & tu tota pulchra: ego per naturam, tu per gratiam: ego totus pulcher ſum, quia totum quod pulchrum eſt, in me eſt : & tu tota pulchra, quia nihil quod in te eſt, turpe eſt. Pulchra in corpore, pulchra in mente.* Cum immaculata mente & corpore Maria prædicatur; cùm tota pulchra dicitur: cùm immunis à peccati labe non ſecus ac ſanctus Angelus recognoſcitur ; cum Verbo divino quod eſt ipſamet puritas & pulchritudo, ſociatur, ab illa omnis corruptionis labes arcetur: quia tota pulchra, nulla ſui parte deformis aut fœda unquam fuit: Subjungit Hugo Victorinus, *nec alia talem decebat, nec alius talis inveniri poterat. O digna digni, formoſa pulchri, munda incorrupti, excelſa Altiſſimi, Mater Dei, ſponſa regis æterni.* Decebat enim ut ſemper munda, immaculata, incorrupta ſemper mundo, immaculato, & in corrupto aſſociaretur. *Quod immundum eſt, cum Sancto non habet partem* : neque Maria eſſet digna digni, ſcilicet digna Mater Dei; ſi originali culpa devenuſtaretur. Si ex mente D. Thomæ peccatum veniale dedecet Dei Genitricẽ, quanto magis peccatum originale, quovis peccato actuali gravius? Nam 1. peccatum, non veniale, ſed originale, tollit gratiam: 2. peccatum, non veniale, ſed originale, à Deo ſeparat: 3. peccatum, non veniale, ſed originale, dæmonis ſubdit tyrannidi: 4. peccatum, non veniale, ſed originale, animæ infert necem: 5. peccatum, non veniale, ſed originale, beatitudinis jus tollit: 6. peccatum, non veniale, ſed originale, pœnam damni incurrit: 7. peccatum, non veniale, ſed originale, in cætera peccata influit : Cum originalis culpa, *ſola ſit matrix in omne delictum, defundens de ſuo fonte, varias criminum venas.* Eſt omnis mali ſcaturigo, & cunctorum ſcelerum mater. *Quia ex originali culpa fit peccatum actionis, matrem ejus eſſe primam culpam, recte nominamus: liberi autem hujus matris, ſunt omnes concupiſcentia, peccata & vitia.* Abſit ut Dei Mater, tam ſpurcam degeneremque matrem in ſe habitantem unquam habuerit. Nihil enim cum Maternitate Dei majori diſſidio pugnare poteſt, quàm maternitas peccati, quàm teterrima & venenoſa vitiorum omnium hydra. Quod non ignorans D. Thomas, ait: *Peccatum originale eſt multiplex virtute: quia in peccato primi parentis fuerunt plures deformitates, ſcilicet ſuperbia, inobedientia, gula.* Quod probe ſciens Regius Vates fatetur: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Originale eſt unum peccatum, & multiplex peccatum, & omnis iniquitas appellatur à Propheta. *Neque hic dixit, in iniquitate, vel in peccato, ſed iniquitates & peccata maluit dicere: quia & in illo uno quod in omnes homines pertranſit, reperiuntur plura peccata.* Adeo

Marginal notes: Hug. Vict. ſerm. de Aſſumpt. — Tert. l. 2 ad Ux. 2 — Tert. l. de Pat. 5 — D. Greg. l. 4. Mor. 15 — 1 2. q. 28. art. ad 1 — Pſ. 50 — D. Aug. in Enchir. 46

Adeo exitiosum est originale delictum, ut vulneraverit intellectum, voluntatem, appetitum irascibilem, & concupiscibilem; posueritque in intellectu, sede rationis & scientiæ, ignorantiam; in voluntate, sede justitiæ, iniquitatem; in appetitu irascibili sede fortitudinis, imbecillitatem ; in appetitu concupiscibili sede temperantiæ, concupiscentiam; ex qua dimanant superbia, avaritia, impudicitia, cunctorum scelerum fontes & scaturigines. Job attente considerans tot mala quæ ex originali culpa oriuntur: in hæc maledictionis verba prorumpit: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras, non requirat eam desuper, & non illustretur lumine.* Cap. 3. Hæc Prophetæ verba sunt tot maledictionis tela in scelerosas hominum conceptiones vibrata, quæ nullo modo immaculatam feriunt Virginis conceptionem. Irrationabiliter ab Ecclesia benedicta inter mulieres diceretur Virgo, si in sua conceptione obnoxia fuisset Jobi maledictionibus; *Quia tristitiis non subjacuit, & arumnis, libera ab omni maledictionis modo fuit.* S.Hildeph. l. de virg. Mar. Quod si ex effectibus mutuandæ sunt causæ, injustum est Mariæ tribuere originale delictum, cum in illa criminosi primævæ labis non reperiantur effectus. Nam neque ejus intellectus fuit ignorantiæ obscuratus tenebris; neque voluntas depravata malitia & iniquitate: neque appetitus æstu avaritiæ, superbiæ, aut voluptatis sufflammatus: in Virgine caro spiritui rebellis non fuit; neque passiones adversus rationem exagitatæ, neque appetitus inferior voluntati contrarius; concepit sine voluptate, peperit sine dolore, mortua extitit sine corruptione: &, ut ait Hugo Cardinalis, ex dominica familia ad purpuram assumptus fuit sine *va triplici, corruptionis, gravitatis, & doloris, quod incurrit Eva per peccatum : quod ab ea omnes mulieres præter Mariam quasi jure hæreditario contraxerunt.* Et postquam in subsequentibus trinum dinumeravit væ, scilicet culpæ, pœnæ, & concupiscentiæ, à quo Deiparam prorsus immunem declarat, subjungit : *Primum Mariæ privilegium est immunitas à peccato.* In c. 1 Luc.

Cunctas illas rationes ex Maternitate Deiparæ desumptas quæ immaculatam ejus adstruunt conceptionem, compendiat Hesichius. *Quia templum incorruptum, & tabernaculum ab omni sorde liberum conservasti, & Pater hospitatur apud te, & Spiritus sanctus obumbrat: & assumpta carne Unigenitus ex te nascitur.* Orat. 2. de Deip. Virginem appellat primo Dei templum, & quidem incorruptũ: non fuisset autem incorruptum si fuisset infectum originali culpa, hæc enim est summa corruptio. Secundo vocat tabernaculum ab omni sorde liberum; si autem originalis culpæ macula esset contaminatũ, non fuisset ab omni sorde liberum. Et quia Maria fuit in conceptione templum incorruptum & tabernaculũ ab omni labe liberũ, in eo æternus hospitatur Pater, neque dæmon unquã hospitatus est: Nõ enim decebat, *ut præparatũ æterno regi hospitiũ alienus hospes intraret*; ait belle ad propositũ Ambrosius Ansbert. Deinde augustũ illud Dei templum ac tabernaculũ Spiritus S. obumbravit: non obũbras-

 set

ſet autem ſi Maria fuiſſet umbris peccati obumbrata: non enim poſſunt cõvenire & maligna peccati umbra, & benigna Spiritus ſancti obumbratio. Tandem aſſumpta carne ex Maria, Dei Unigenitus naſcitur: ex Matre autem peccati labe infecta non eſt natus ſanctiſſimus Dei Filius. *Filius eſt ſanctus ſanctorum: Mater eſt ſancta ſanctarum: Filius eſt altare de terra ſancta, quia corpus habet de Matre ſine macula, in quo cremantur holocauſtomata, dum condemnantur peccata.* Si Maria contraxiſſet originalem culpam, nec eſſet ſancta ſanctarum, nec eſſet ſine macula, nec condemnaret peccatum, neque fuiſſet corredemptrix, ſubminiſtrãs Filio purum ſanguinem, quo humanam operatus eſt redemptionem.

Pet. Bleſ. de Pœn. 21

Tert. l. de Car. Chr. 14

2. Solus Chriſtus eſt hominum redemptor, neque ſocio indiguit, *cum quo ſalutem hominis operaretur*; aliàs non eſſet *unus ſalutificator: ſi duo ſalutis artifices, & utique alter altero indigens.* Non poteſt admitti corredemptor, niſi quia *idoneus non erat Dei Filius qui ſolus hominem liberaret à ſolo & ſingulari ſerpente dejectum.* His rationibus belle demonſtrat Tertullianus ſolum Chriſtum eſſe hominum Salvatorem & Redemptorem. Quod ipſemet innuit Chriſtus aiens: *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum:* Scilicet ſolus *meruit pro liberandis proferre pretium.* Quia tamen ſanguinem quem in noſtræ ſalutis pretium fudit in cruce Salvator, accepit à Matre, Deipara aliquomodo, ſaltem indirectè & remote, cooperata eſt ad redemptionem humani generis, & ad liberationem hominũ à peccati jugo. Quapropter vocitatur à D. Irenæo cauſa noſtræ ſalutis; appellatur ab Andrea Cretenſi, hominum reconciliatrix; à D. Anſelmo nuncupatur Adami & Evæ redemptrix; à Petro Damiano prædicatur hominum corredemptrix. Cuncta hæc elogia complectitur D. Auguſtinus: *Maria prima matris damna reſolvit: hæc homini perdito redemptionem adduxit: Mater generis humani pœnam intulit mundo: Genitrix Domini noſtri ſalutem intulit mundo: Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit.* Dicitur autem Deipara *Evæ redemptio*, decantatur *mundi ſalvatio*, vocatur hominum reſtauratio: nã ut ſubjungit ſupra memoratus Cardinalis Damianus: *per ipſam, cum ipſa, & in ipſa totum hominem eſſe reſtauratum decernitur, ut ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine ipſa nihil refectum ſit.* Tandem Angelorum inſtauratio vocatur à D. Bernardo: *Per te, ô Virgo ſancta, cœlum repletum eſt, infernus evacuatus, & ruina cœleſtis Jeruſalem inſtaurata.* Tum quia ſubminiſtravit Filio carnem quæ pro ſalute & redemptione mundi crucifixa & patibulata eſt. Hunc redemptionis Marianæ modum innuit D. Ambroſius, quo teſte Maria *operata eſt ſalutem mundi, & concepit Redemptorem univerſorum.* Tum quia ſua paſſione & compaſſione, Filii conſummavit paſſionem. Nam ſi Paulus audet dicere: (Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in corpore meo;) potiori jure idipſum potuit dicere Beata Virgo. Hunc redemptionis modum ſuppeditat Arnoldus Carnotenſis, qui Deiparam juxta Filii crucem patientem & compatientem, appellat complementum & conſummationẽ paſſio-

Iſai. 63
D. Aug. ſer. 4 de Aſſumpt.
L. 3: contr. Hæret. 38
Orat. de Dormit. Virg.
De Excell. Virg. c. 9
Serm. de Annunt.
Ser. 55. de Sanctis.
Theophanes
Hamo. de Annũt.
S. Ildeph. ſer. 7. de Annunt.
Serm. 94
Epiſt. 41 ad Sabinum.
Coloſſ. 1

sionis. *Oportebat quidem ad sanguinem animæ, & carnis suæ addere sanguinem, & elevatis in cruce manibus celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, & cum Domino IESV corporali morte redemptionis nostræ consummare mysterium.* Tum quia simul cum Christo æterno Patri obtulit humanæ redemptionis hostiā: Hic redemptionis modus sumitur ex eodem Arnoldo Carnotensi: *Vnum pariter holocaustum ambo pariter offerebant DEO: Maria in sanguine cordis, Christus in sanguine carnis.* Sub quadruplici igitur titulo Deipara dicitur hominum Redemptrix: 1. Quia genuit Redemptorem: 2. Quia sanguinem dedit quem obtulit Christus in redemptionis pretium: 3. Quia patiens in corde, Christi consummavit passionem: 4. Quia, ut subjungit præfatus Arnoldus, *omninò tunc erat una Christi & Mariæ voluntas; unumq; pariter holocaustum offerebant; unde communem in mundi salute effectum obtinuit.* Quod si decuit ut Christus esset Pontifex sanctus, impollutus, & segregatus à peccatoribus, ut posset digne Patri redemptionis offerre sacrificium; fuit quoque conveniens ut B. Virgo esset innocens, impolluta & segregata à peccatoribus, ut simul cum Filio potuerit offerre salutis hostiam; & cum tribuerit sanguinem quem effudit in pretium redemptionis Salvator. Nonne rationi fuit congruentissimum, ut humana redemptio ab ea inciperet, & in conceptione ab originali labe præservaretur? *Nec mirum si Dominus redempturus mundū, operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Post hæc quomodo audes impugnare immaculatam Virginis conceptionem quasi dignitati Redemptoris injuriosam & contumeliosam? *Adime carnem, & præsta quem DEVS redemit?* DEUS solus non redemit hominem, sed Homo DEUS, & nonnisi par carnem quam à Matre accepit, & qua mediante Matrem redemit: & *tu hæc erubescenda illi facis, quæ redemit, & indigna, quæ nisi dilexisset non redemisset?* Tantum abest ut Mariæ redemptio, sit Christo indigna & contumeliosa, quin imò indignum esset nisi redemisset, cùm habuerit ab ea carnem per quam operatus est Redemptoris munus. Adde quod redemptio præservativa debebatur Mariæ tanquam dæmonis debellatrici.

Tract. de Pass.

D. Ambr. in c. 1. Luc

Tert. l. de Car. Chr. 4

3. *DEVS imaginem & similitudinem suam à diabolo captam æmula operatione recuperavit. In virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis: In Virginem æque introducendum erat verbum extructorium vitæ, ut quod per ejusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.* Multimode Evæ Mariam opponit Tertull: cæteris autē prætermissis oppositionibus, hanc unam mente perpendo; Evam fuisse à diabolo victam, & dæmonem à Maria prostratum. In quo D. Bernardus Tertullianum æmulatus divinam miratur providentiam, mundum reconciliantem eodem ferè modo, quo perierat: *Placuit DEO eo potius & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut sicut diabolus prius seduxit fœminam, postmodum virum per fœminam vicit, ita prius à Fœmina Virgine sedu-*

Tert. l. de Car. Chr. 17

Hom. 2. Supermissus est.

Euseb. Emiss. hom. de S. Maximo. *seduceretur*. Tartareus serpens fœminam seducendo devicit,& totum hominum profligavit genus,& Virgo *seductori imposturam fecit, & mentientem fefellit*. Seductor serpens seduxit Evam, Maria seductoris seductrix, dæmonem fefellit. Tert.l.adv Valent.3 *Abscedat itaq, serpens quantum potest, totamq, prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam volvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia*, cum omni calliditate sua fuit à Maria deceptus. Dæmon seducendo Evam hominum contrivit caput, nempe Adamum quem morti subdidit, & cum eo omne genus humanum, morti mancipavit, & Maria fallendo & seducendo serpentem caput ejus pedibus conculcavit, ut illi comminatus fuerat DEUS. (Ipsa côteret caput tuum:) quia Filio præbuit carnem quam cruci affixit, & in qua Gen. 3 D. Aug: Ser.35. de Sanctis. diabolum detriumphavit. *Inter innumera magis magisq, mira, Virginis victoria attollenda est, quoniã quẽ tota creatura timore & tremore laudavit, ista sola ineffabiliter thalamitavit*. L.deOpif. Mund. ApudPhilonem Judæum *Victoria virgo* dicitur. Deipara est victoria virgo, quia dæmonem debellavit, & de infensissimo hominum inimico victoriam reportavit. Turcæ olim in insula Chio præcipuam obsederunt urbem, illam tanto impetu aggrediuntur, ut gubernator Petr. Just. an 1475. cum suis occubuerit copiis. Gubernatoris filia conspiciens prostratum parentem, ejus sumit arma, fortiter irruit in Turcarum ducem, ipsum enecat, & cunctis profligatis Ottomannis, urbem ab obsidione liberat. B. Virgo Adami filia intuens protoparentem à dæmone victum & prostratum, ejus induitur armis, nimirùm innocentiâ quam peccando exuerat, init cum diabolo certamen,& serpentis infernalis caput conculcat. Cæteri Adami nepotes suâ innocentiâ & pœnitentiâ vincunt quidem dæmonẽ, sed non conterunt ejus caput, nempe originale delictum: sed beata Virgo contrivit serpentis caput, quia ejus conceptio immunis fuit ab originali culpa. Cæteri L.3 inGen 19 Adæ nepotes, ait Rupertus, non semper cum dæmone certarunt, nec cum illo perpetuas inimicitias habuerunt, quia in sua conceptione societatem cũ eo fecerunt, ejusque imperio subditi sunt: at B. Virgo cum diabolo certavit ab ipso conceptionis suæ momento, neque unquam cum eo in amicitia fuit. Verum quid sibi vult DEUS inimicitias ponens inter mulieris & serpentis semen? (Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius.) Interrog. 75. inGen Audiatur hac supra re Alcuinus: *Semen serpentis, originalis peccati primordium*. Est autem inimicitia inter semen mulieris & semen serpentis: tum quia Filius Mariæ originale peccatum destruxit: tum quia Deipara originali justitia donata semen diaboli debellavit. In paradisum terrestrem serpens intravit, Evam seduxit, Adamum prostravit: at ut fatur Petrus Damianus de Orat.2. de Deipar. Deipara loquens; *ad hunc paradisum serpens aditum non habuit*, neque ejus conceptionem suo veneno toxicavit. Unde omnem maculam ab ea removet sacer sponsus, & cunctam illi confert pulchritudinem. (Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.) Cant. 4. Ubi Idiota nomine, sed re sapientissimus; *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte sed in toto: &* De 6.V.c. 2 *macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec*

unquam

unquam fuit, nec erit. Bene quod in Maria non fuit, nec est originale peccatum, ut quid subjungit, *nec erit* ? Potest ne B. Virgo jamdiu nata in matris uterum iterato redire, & reconcipi, & tunc peccatum originale in prima conceptione non contractum, in secunda conceptione infeliciter contrahere ? Non timet sapiens Doctor originale peccatum in Deiparæ conceptione non incursum, exinceps incurrendum, neque enim in hominum existimatione censum; si ratione & non passione, immaculatam Virginis meditentur conceptionem. Ne sinistre de conceptu Virginis suspicemur servanda est D. Augustini regula. *Quidquid tibi vera ratione sciendum occurrerit, scias DEUM fecisse bonorum omnium conditorem.* Vera ratio Deiparam ab originali imunem censet; itaque *mentem nostram Genitricis DEI promptuariū efficiamus.* Meditare in mente tua Christiane Matris DEI dignitatem, & dicam tibi cum Tertulliano : *Quodcunq; censeris, ratio est.* Censes illam liberatam ab originali culpa, hoc probant rationes ex parte Deiparæ desumptæ, idipsum suadent adhuc rationes ex parte Filii desumendæ. Lib. 3. de Lib: Arb. Damasce: Orat. de Assumpt. Lib: adv. Prax. 3

II. PARS.

Christus est artifex supremus, Deiparæ Filius, summâ sanctitate & puritate præditus. Ut supremus artifex summâ industriâ opera sua perficit : ut Deiparæ Filius, Matrem perfectè suam diligit, ut summâ sanctitate & mundiția præditus, est segregatus à peccatoribus & corruptionem & immunditiam fugit. His tribus titulis sibi Christus immaculatam Virginis debet conceptionem, 1. ut supremi artificis industriam demonstret : 2. matrem suam diligat & amet : 3. seseque à peccato & immunditia separet.

Iam ediximus DEUM universitatem hanc mundi verbo, & ratione, & virtute molitum. Licet opera Trinitatis ad extra sint indivisa, quia totæ tres personæ divinæ communi & eadem indivisibili potentia operantur, quia tamen Filio virtus & sapientia appropriantur, omnia per Verbum facta dicuntur. Quod asseverans ex dilecto discipulo Tertullianus, ethnicos de hac veritate convincere nititur sumpto argumento ad hominem. *Apud vestros quoq; sapientes, logon id est sermonem, atq; rationem constat artificem universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem qui cuncta in dispositione formaverit.* Christiane loquuntur gentiles Philosophi : quare postquam D. Augustinus de Verbo divino loquutus est tanquam de summa sapientia, & incommutabili veritate, subjungit : *Qua lex omnium artium rectè dicitur, & ars omnipotentis DEI.* Artifices in cunctis operibus industriam suam ostentare satagunt; præsertim in præcipuo quod caput operis vulgo dicitur. Divinum Verbum, tanquam ars omnipotentis DEI cuncta opera summâ sapientiâ produxit, potissimum B. Virginem quæ est *imago ad quam DEUS inventus est artifex* : quæque ut decantat in suis hymnis Joannes Geometra, est præstantissimum ejus opus, *pulchraq; imago qua summi genium continet artificis.* Non esset autem pulchra imago, neque summi genium contineret artificis, nisi *ea puritate niteret qua major sub DEO nequit intelligi.* Et ut ea puritate qua major sub DEO nequit intelligi, niteret ; *omnem nævum tam originalis,* Tert. Apol. 21 In Sent. sent. 386 D. Damasc. Orat. 1. de Nat. Virg: Hymn. 3 D. Anselm de Con. Virg. Ivo. Carnot.

Serm. de Nat: Dom. Tert. l. 5. adv. Marc. 5. Chrysol. Ser. 140

nalis, quam actualis culpa in ea Dominus delevit. Ex operibus cognoscitur artifex, non secus ac causa ex suis effectibus. Cuncta opera quæ producit supremus artifex, *testantur bonitatem ejus, qua bona, & potentiam qua tanta*: & quia Deipara cætera DEI opera in dignitate longè superat: *Quantus sit DEUS satis ignorat, qui hujus Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Puritatem tum corporis tum animi in ejus conceptione non considerat & non

Thom. ab Argent. in 3 Dist. 3. a. 1

recognoscit: nam ut ratiocinatur sapientissimus Doctor, (cum DEO haud fuerit impossibile, beatam Virginem ab originali præservasse, congruit bonitati ejus, & maximè decuit hoc ipsum peregisse.) Neque duntaxat Verbi congruit bonitati, sed adhuc ejus sapientiæ & potentiæ, ut ex pulchro illo opere appareat qualis sit artifex, & cognoscatur quantus sit DEUS: Fulbertus Carnotensis Episcopus anno florens 1000. vir hujus ævi doctissimus, tanti operis admiratus pulchritudinem, Deiparæ de sua immaculata conceptione congratulatur: *Electa insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.*

D. Aug. l. 2 de peccat. merit: 24 Serm. 6. in Ps. 118 L. de Car: Chr: 16

DEI Filius in sua humanatione carnem de massa peccatrice sumpsit, non sumpsit tamen carnem peccati. Animadvertit D. Ambrosius, (carnem peccati, ideò dici peccati carnē, quia hæreditario est damnata maledicto.) Hanc materiam profunde elucidat Tertullianus tria notatu dignissima docens. Primo, DEI Filium ex massa peccatrice sumpsisse carnem. *Quid enim magnum, si in carne meliore, & alterius, id est non peccatricis naturæ, nævum peccati redemit?* Secundo, sumpsisse carnem ex carne peccatrice & massa Adami damnata; non sumpsisse tamen carnem peccati seu peccatum carnis, ut constat auctoritate Apostoli dicētis: *In similitudinē carnis peccati fuisse Christū: non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis & non veritatem: sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi: quod ipsa non peccatrix caro Christi, ejus fuit par, cujus erat peccatum: genere, non vitio Adæ.* Tertio, quomodo Christus sumpserit carnem, non verò peccatum carnis optime declarat objectioni factæ respondens. *Ergo, inquis, si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi: Nostram enim induens, suam fecit; suam faciens, non peccatricem eam fecit.* DEI filius se habuit ad incarnationem terminativè & effectivè. Terminativè, quia sua hypostasi terminavit humanitatem assumptam: effectivè, quia sapientia elegit carnem ex genere Adami, suâ potentiâ illam produxit,

S. Zeno Serm: 3. de Nat. L. 5. hær. Cap. 5

suamque faciens ab illa peccatum removit. *Suo judicio nascitur factor hominum, debens Matri quod natus sit, sibi debens quod conceptus sit.* Eodem modo ratiocinandum est cæteris paribus de Maria ac de Christi carne. Maria à Filio suo effecta est ut ipsemet testatur apud D. Augustinum: *Ego Matrem de qua nascerer feci*; cæteri filii efficiuntur quidem à matribus, sed suas non efficiunt matres. quia ut causa agat & producat effectum, debet existere, pueri autem homines non existunt ante sui generationem, proinde matres quæ eos generant efficere nequeunt: at Christus tanquam DEUS extitit ab æterno efficitque Matrem à qua in tempore generatur. Solus est ex

omnibus

omnibus filiis in cujus potestate & voluntate fuit, & eligere Matrem de qua natus, & locum in qua natus est: *Requiescit libens florentissimo domicilio, & in visceribus sacra Virginis comparat sibi corpus* in locum suæ nativitatis. Elegit urbem Nazareth, sanctificatam & consecratam nuncupatam dum per Zain scribitur; vel floridam dum per T siade notatur: In Matrem de qua est natus, elegit Mariam, quæ in sua conceptione est separata à peccatoribus, innocentiæ consecrata, gratiæ & sanctitatis ornata floribus. *Nasciturus de homine factor hominum, talem sibi scivit seligere, imo & condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram.* Non novit autem sibi placituram, nisi ob immaculatam conceptionem: criminosam namque conceptionem novit sibi odiosam non placituram, alias novisset placituram & non placituram. Neque aliter scivit se decere Matrem nisi à peccato immunem, quia nihil magis dedecet DEUM quam peccatum: præsertim quia, ut fatur Petrus Blesensis, *Conceptio futura Matris Christi, fuit quasi originalis conceptio Christi.* Quapropter Christus propter suæ conceptionis decentiam, Mariæ conceptionem à labe peccati præservare debuit. Quod innuere videtur Ecclesiasticus supremum illum alloquens artificem. *Hora surgendi ne te trices: præcurre autem prior in domum tuam, age conceptiones tuas*: hoc est, in primo Marianæ conceptionis momento, in primo ortus auspicio exprompte esto expeditus, & antevertens pervigilem peccati solertiam, præcurre prior in domum tuam, scilicet in Virginem, cujus uterum elegisti in domum in qua habitare dignatus es, & age conceptiones tuas: conceptionem scilicet Matris, & inde tuam; nam si digne agis conceptionem Matris, illam gratiæ privilegio nobilitans, & eximens ab infami primordialis delicti reatu, præclarâ ages Mariæ conceptionem, & simul tuam : ex pura enim & gloriosa tuæ Matris conceptione, gloriose nobilitatur tua conceptio quæ ex materna conceptione censetur. Quod denotat Tertullianus dum Christum, *ex stirpe Jesse deputatum per Mariam scilicet inde censendum*: Tum quia, ut subjungit, *apud Romanos in censu descripta est Maria in qua nascitur Christus*: Tum quia Christi honor & dignitas quodammodo ex Virgine censetur. Inde colligitur Mariam originalis culpæ non fuisse ream, alias Christus non ad honorem & gloriam, sed ad dedecus & ignominiam censeretur, nec DEI Filius Matrem suam perfectè diligeret.

S. Zen. Ser 7. de Nat.

D. Bernar. Ser. super Missus.

De quinq; panibus 12

Cap. 32

Lib. adv. Jud. 9.

2. Christi amorem erga hominem multum commendat Tertull: *Certè Christus dilexit hominem*: multa namq; dilectionis suæ dedit testimonia. Siquidem *propter eum descendit, propter eum prædicavit: propter eum omni se humilitate dejecit usq; ad mortem, & mortem crucis.* Si tantū erga servū demonstravit amorem, quanto magis erga Matrem pro qua præsertim humanatus est, & acerbissimos crucis pertulit cruciatus? Si quæramus à sancto Ildephonso cur Christus tanta passus sit supplicia, cum mitior passio, utpote infiniti valoris, fuisset sufficiens ad copiosam hominum redemptionē; respondebit: *Ut Mariam veram Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo tormenta mon-*

L. de Car. Chr 4

Serm. de Nat. Mar.

stravit. Non tantum propter hominum redemptionem acerbissimos crucis sustinuit cruciatus, sed maximè ut se verum Mariæ Filium, ipsamq; DEI Matrem demonstraret. Ex magnitudine pretii quod Christus pro redimendo homine dedit, dilectionis dominicæ colligitur magnitudo. *Amavit utiq, quem magno redemit.* Quod si aliorum hominum redemptio pretioso sanguine Christi facta, fuit velut sequela magni amoris quo eos dilexit DEI Filius, quis potest dubitare quin Matrem suam liberaverit à peccato, cum eam magis quàm cæteros homines imò & Angelos diligat? Nam *patrem & matrem lex honorari, & post DEUM diligi præcipit.* Christus qui de honore & amore parentum dedit mandatum, non solvit legem sed adimplevit. Nam, ut fatur Methodius, *qui dixit, Honora patrem tuum & matrem tuam, ut decretum à se promulgatum observaret: atq; adeò hac in parte, aliis excelleret: omnem Matri gratiam & honorem impendit*: & consequenter ab originali liberavit delicto, nisi enim liberasset quomodo omnem ei gratiam & honorem contulisset? *Iniquissimum est patrem vel matrem egere, cujus filius sit in facultatibus.* Nulla est major egestas quàm eorũ qui subjacent originali culpæ: Christus, Filius beatissimæ Virginis est ditissimus, utpote gratiarum fons & scaturigo, itaq; contra justitiam legis egisset si Matrem tanta egestate opprimi permisisset: Ex jure Civili filius incarceratum habens parentem exheredatur, *si non festinaverit eum redimere.* Nonne à filiali pietate degenerasset Christus nisi præservativa redemptione liberasset Matrem, si sinisset eam ingredi peccati carcerem & dæmonis subdi tyrannidi? Adde trinæ legi scilicet Evangelicæ, Canonicæ, Civili, legem naturalem, quæ filios ad amorem parentum stimulat. *Illum ratio urget, & justitia naturalis; totum se tradere illi, à quo se totum habet; & ex se toto debere diligere.* Sciebat DEI Filius ante incarnationem se totam humanam naturam accepturum à Matre. Cæteri filii totam non mutuantur naturam à matre sola, sed à patre & matre simul: ideò velut suum dividunt amorem, tribuentes patri unam partem, & matri alteram. At Christus non habet Patrem in terra, sed Matrem duntaxat, à qua totam suam accepit humanitatem: quapropter non partem amoris, sed totum matri præstare debet amorem: DEI Filius *amavit cum homine etiam nativitatem, etiam carnem ejus: nihil enim amari potest sine eo per quod est, id quod est.* Amavit quoque cum Virgine ejus conceptionem quam à peccato immunem voluit: & etiam ejus carnem quam constat *habere cum DEO communem.* Nam ut ait D. Augustinus, *Caro Christi caro est Mariæ, caro Christi quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen remansit, quæ suscepta est de Maria.* Neque fuit unquam virtute caloris naturalis vel alterius agentis resoluta aut consumpta. Plus audet Arnoldus Carnotensis, asseverans unam esse Christi & Mariæ non solum carnem, sed adhuc animam. *Una est Christi & Mariæ caro, unus spiritus,* una anima. Mariæ anima non est propriè anima Christi, sed vehementi amoris ardore Matrem quasi animam suam reputat, eo modo quo amans amatam animam suam, cor suum vocitat: Quapropter

Christus

[Margin notes: Tert. ibid. — Tert. l. de Cor. Mil. 11 — Serm. de Hypop. — In lege si quis à liber. s. §. & hæc habentur. In Instit. Justin. — D. Bern. de dilig. DEO. — Tert. l. de Car. Chr. 4 — Tert. lib. adv. Herm. 42 — Serm. de Assumpt. — Tract. de laud. M. rt]

Christus æternum deprecatur Patrem, ut animā suam, scilicet Mariam à morte liberet, *Erue à framea DEUS animam meam, & de manu canis Unicam meam.* Frameæ vocabulo nonnulli mortem, alii verò diabolum intelligunt: animæ verò nomine Mariam denotatam existimant plures neoterici: Orat itaque Christus ut ejus anima, nempe Mater, liberetur à morte originalis culpæ, & à potestate diaboli qui Mariæ conceptioni insidiatur, & probro peccati eam dedecorare nititur, à quo dedecore Christus honoris materni zelotes, eam liberare desiderat. Profecto *non minus stultum, aut supervacaneum est, de honore parentibus tribuendo, quàm de candore nivis disputando.* De candore nivis disputat qui Mariam à Filio honoratam, & in sua conceptione candidatam negat. Quapropter Seraphicus Doctor DEI Matrem nivi comparat: *Virgo pulchra ut nix candida.* Non à candidissimo lino aut bysso similitudinem mutuavit; quia hæc primum fuere nigra ac deformia, & per frequentes lotiones dealbata, nix verò semper candida, omnis nævi & nigredinis expers. Maria est nix candida, quia omnem ei candorem & nitorem possibilem contulit ejus filius. Nec mirum, una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus. *Impossibile est, non habentem illam commune aliquid cum DEO, ornari eam ab ipso,* & in sua conceptione niveo gratiæ candore dealbari. Valerio Maximo teste Pompejus Atticus dicere solebat: *Nunquam cum Matre in gratiam redii*; innuens hoc loquendi modo nullam matri unquam offensæ præbuisse ansam, sed semper cum ipsa absque ullo dissidio in pace & amore vixisse. Quanto verius dicere posset Mariæ Filius: Nunquam cum Matre in gratiam redii? Ne minima unquam fuit offensa & inimicitia, inter pium illum Filium & sanctissimam ejus Matrem, quam semper omni amoris teneritudine dilexit: Ideò sic eam alloquitur: *Pulchra es amica mea, suavis, decora.* Hunc locum variè interpretantur Patres: Gregorius Nyssenus legit: *Pulchra es proxima mea, sicut benevolentia.* D. Ambrosius: *Pulchra es anima mea sicut beneplacitum, seu opinio bonorum.* Theodoretus verò *Pulchra es anima mea, sicut probatio.* Nihil melius pro immaculata Virginis conceptione, quæ est pulchra sicut benevolentia DEI, qui nullam creaturam sic dilexit ut Mariam quam semper & ubique adamavit: Maria est pulchra sicut opinio bonorum, qui sententiam puritati Marianæ conceptionis patrocinantem, adversanti præferunt: nam ut dicitur in lege: *In dubiis sensibus melius est humaniorem sequi sententiam: proniores debemus esse ad absolvendum, quam ad condemnandum.* Maria pulchra est sicut probatio, cujus immaculata conceptio probatur ex Patrum & Doctorum consensu, ex pia Ecclesiæ devotione, ex Mariana dignitate, ex Filii benevolentia & amore, qui Matrem perfectissime amans potuit illam ab originali delicto liberare. *Sed si tam abrupte in præsumptionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de DEO confingere poterimus, quasi fecerit quia facere potuerit: nō autē quia omnia potest facere, ideò utiq; credēdū est, illū fecisse, sed an fecerit requirendū.* Præservasse autē DEI Filiū suā Matrem ab originali culpa ultra præcedentes rationes comprobatur adhuc, ne

Ps. 21

Arist. l. 2. Ethic.

Sup. Salv. Reg.

Ter. l. adv Hermog. 4

De pietat. in parent.

Cant. 6.

Leg. in dubiis § de reg. juris.

Tert. lib. adv. Prax. 10

scilicet ejus puritas, sanctitas & honor, labe peccati contaminetur & dedecoretur.

Tert. lib. 1 adv. Marc 15 3. *Sed & si benedictio patrum semini quoque eorum destinabatur, sine adhuc merito ejus, cur non & reatus patrum in filios quoque redundaret sicut gratia ita & offensa?* Filii de parentum honore mutuantur honorem, *gloria hominis ex honore parentum*; nam cùm Filius sit parentum portio; *perfectio geniti, generantis forma est: honor geniti, generantis honor est.* Quemadmodum parentum honos redundat in filios, ita parentum dedecus filios dedecorat: *Ne glorieris in contumelia patris tui, non erit tibi gloria.* Christus non secus ac cæteri filii de materno honestatur honore *Quod Maria prædicatur gratiâ plena, manifestū est individuam esse Matris & Filii gloriam.* Individua est utriusque gloria, ignominia communis ambobus. Quemadmodum singulare tanti filii decus, nasci ex Matre exempta à peccati originalis labe, ita singulare fuisset dedecus carnem sumere ex matre primævæ prævaricationis ignominia devenustata: Nam etsi Christus divinitatis prærogativa, & substantiali unionis hypostaticæ gratia sit impeccabilis, foretque ab originalis culpæ reatu immunis, licet ejus Mater squaleret primordialis delicti macula; imò & culparetur actualis peccati ignominia, Matris tamen dedecore aliquomodo devenustaretur. Nam ut belle philosophatur Cassiodorus, *fontis puritas, per limosa corrumpitur: aurum ipsum cùm solvitur in liquorem, nisi mundissimo caliculo suscipiatur, inficitur: quomodo puritatem sui illa sola custodiunt, quæ nulla sordium admixtione fuscantur.* Fontis nomine (cujus aquæ saliunt in vitam æternam) Christum significari vult Origenes. Hujus fontis aquæductus seu canalis est B. Virgo. Divini illius fontis aquæductus non debet esse limo originalis culpæ pollutus, ne purissima fontis cœlestis aqua, canalis corruptione polluatur: Nam etsi sordes originalis delicti inde Christus non contrahat, divini tamen fontis puritas tantisper aquæductus impuritate infuscaretur. Purissimus fons aquæductum habuit, *ex quo manant purissimi latices, in quo turbidi luti, nulla sunt deprehensa reliquia.* Alludere videtur Georgius Nicomediensis ad formationem Adæ de limo terræ: ab hoc autem originali limo omnes omninò homines plasmati sunt, indeque in sua generatione lutum primævo delicto squalidum trahunt. Virgo Deipara, etsi ex eodem limo materiata, minime tamen lutoso plasmata est limo: fuit namque Dominici fontis aquæductus semper purus, in sua origine mundus, *in quo turbidi luti nulla sunt deprehensa reliquia.* Cæteri Adæ posteri lutescunt, in illis reperiuntur turbidi luti reliquiæ, peccati originalis sordes: at Deipara ab originali labe exempta, nullas turbidi luti habet in conceptione reliquias. *Accepit Christus hospitium carnis, sed in aula Virginis, ut de pollutione humani corporis nihil haberet.* Pollutionis nomine significat Chrysologus dehonestamentum aliquod, quo devenustaretur DEI Filius, si ex Matre nasceretur, alicujus delicti polluta labe.

Eccles. 5
Chrysol: Serm. 6
Eccles. 3
Arnold. Carnot.
L. 12. Var. Epist. 11
Hom. 12. in Num.
Serm. de Concept. Deip.
Serm: 15
Marcus Varro de re Rustica c. 10

Apes adeò puritatem amant, ut nunquam in aliquo loco fœdo odore imbu-

imbuto, aut aliqua sorde inquinato visæ sint morari aut requiescere. (Sequuntur omnia pura, itaque nulla earum assidebit in loco inquinato, aut in eo qui male olet.) Ex D. Bonaventura Dei Filius tanquam apis cœlestis adeo puritatis est amantissimus, ut in nullo loco aut fœtenti aut sordido velit immorari: ideoque beatam Virginē à tetro inferni odore, ab originalis culpæ sordibus liberavit ut in ea requiesceret. (O lilium Angelicum! ô vere flos cœlestis, quem tantum dilexit apis illa supercœlestis, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum, quando ad civitatem Nazareth, quæ interpretatur flos, advolavit, & ad suaveolentum perpetuæ virginitatis florem pervenit, illic insidet, illic inhæsit!) Ad hoc ut in Virgine habitaret Dei Filius, decebat ut esset pura & corpore & mente: corpore quidem: *Enimvero quanta ei decebat carnis munditia, cujus erat portio superpulchra Deitati, hypostatice unienda?* Mente etiam, convenientissimum namque erat, *ut caro mundissima, & mens purissima genitricem Domini singularius consecrarent.* Ad tam sublime ministerium consecrata est in conceptione, in qua Dei Filius eam à corruptione primordialis delicti liberavit & gratiæ ornamentis decoravit. Cæteri filii maculantur quidem à suis matribus, sed eas minime decorant: Christus verò tantum abest ut à matre aliquam patiatur maculam, quin imo eam in sua conceptione puram & immaculatam præstitit. Et, ut fatur Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus, *nullam contraxit labem vulva hospitio, quam nullo ipse condiderat suo dedecore.* Sane quodam Dei dedecore cond ta fuisset Deipara, si in primo sui esse exordio, originale cōtraxisset peccatum: nam licet illud non transferret vulvæ hospitio, fuisset tamen aliquod Christi dedecus produsse ex matre aliquando corrupta, dei inimica, & diaboli mancipium. *In libertis semper manet nota apud ingenuos*, dicebat olim Martianus imperator: Non absimiliter si Maria contraxisset originale peccatum, quantumvis fuisset post diaboli servitutem, libertate donata, remansisset tamen hæc infamiæ nota, quod fuisset aliquando criminosa & gehennalis serpentis serva, sicque aliquod dedecus contraxisset Dei Filius maternæ vulvæ hospitio: *Spurius legitimatus, vel aliqua alia ratione nobilitatus, similis est agro curato à vulnere, cujus semper aliqua remanet cicatrix.* Si Maria fuisset in suo conceptionis momento diaboli sagittis vulnerata, post recuperatam animæ sanitatem remansisset cicatrix, quæ tum Matrem, tum Filium dehonestasset: Christus Dominus circuncisionis cicatrice notatus, quantumvis innocuus, & signum illud sumpserit non in peccati remedium, sed in humilitatis & obedientiæ monumentum; attamen ex D. Bernardo, *si quomodo Deus posset non cognoscere Filium in quo ei bene complacuit, ex hoc signo maxime poterat ignorare eum.* Si Dei Filius deprehendisset in Maria originalis delicti neuaculum, ex eo maxime ignorasset eam, neque elegisset in Matrem, ne infamiæ nota & ipse ex probrosa matre notaretur, quàm subsequens gratiæ nobilitas, & Deiparæ dignitas ignominiæ cicatricem delere non potuissent, cuiq; probe convenissent ea quæ Livius refert de Roma à sui exor-

Dionys. Carthus. de Vit. Solit. art 7

Guerr. ser. 2. de Annunt.

Orat. 1

Baldus cap. finali de transl. Episcop.

Serm. de Circunc.

exordio fraterna cæde fœdata. *Hoc dedecus nunquam hactenus consequens posteritatis gloria potuit delere.*

Tert. l. adv. Jud 9 Esaias Christi humanationem vaticinans ait: *Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus: butyrum & mel manducabit.* Nonne satius dixisset Propheta, Butyrum & caseum comedet, non verò mel comedet, quia major est connexio inter butyrum & caseum, quàm inter butyrum & mel, quod non à pecoribus sed ab apibus duntaxat producitur? Verum sapienter vaticinatur Propheta: Butyrum & mel comedet, non butyrum & caseum manducabit: Hoc namque est discrimen inter butyrum & caseum, quòd butyrum de puro lacte formatur absque ulla alterius rei commixtione, caseus verò nonnisi cum coaguli commixtione conficitur: Ex D. Bernardo butyrum humanã figurabat naturam in statu innocentiæ existentem; caseus verò designabat eandẽ naturam peccati coagulo corruptam. Ut autem innuat Propheta Christũ sumpsisse ex Adamo humanam naturam absque ulla commixtione peccati, ait: L. 4. in Paul. c. 49 Butyrum & mel comedet. Et quia Christus, ut fatur V. Beda, *cõceptus ex Virgine carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne,* Maria non fuit in sua conceptione peccati commixtione depravata, aliàs purum lac nõ præbuisset suo Filio; medicorum namque testimonio *filii matrizant*, easdẽque habent qualitates cum matribus, quarum lac exsugunt: D. Bern. (Duo sunt ovis, butyrum & caseus, butyrum comedit, caseum verò non; quia carnem absque coagulo culpæ originalis ex matris alvo traxerat.) Sed quia hæc cõsideratio immaculatam Deiparæ conceptionem pulchre declarat, redeat iterum Propheta, & proponat celebre illud signum dignoscendi Messiam: Isa. 7 (Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.) At cur tam sapiens infantis discretio ad sugendum maternum lac? ut innuat grande aliquod lactantis Virginis mysterium in hoc vaticinio delitescens, In Cat. Græc ad c. 2. Luc. quod probe agnoscit Cyrillus Alexandrinus, *Butyrum lac Virginis vocat Propheta, quod non ex muliebri mollitie, voluptateq́, ac dissolutione natum sit; sed leve esset ac firmum, nullam peccati amaritudinem admixtam habens, sed mellis dulcedinem.* Ob hanc causam cùm infans Deus Matris Virginis ubera sugit, scit reprobare caseum, originalis culpæ commixtione depravatum, & eligere bonum lac dulce ac melleum, nulla peccati amaritudine permixtum. Peccatum originale matris si fuisset, non esset equidem translatum in Christũ, utpote Deum, & à Virgine Matre de Spiritu sancto conceptum: at Mater suo peccato aliquam lacti misceret amaritudinem, & infans de matris uberibus sugeret non purum & melleum lac, sed lac aliqua amaritudine permixtum. Quapropter infans Virginis sciens reprobare malum & eligere bonum, amovit à matris conceptione originalem culpam, ut ab ea sugeret lac dulce nulla amaritudine permixtum: Ad hoc alludere videtur Agellius Ps. 21 versans istud Davidicum, (Spes mea ab uberibus matris meæ.) *Vult docere, ut Virginis Matris lac sugeret, id nonnisi divina efficientia, & potentia factum esse,*

Deum-

Deumq; Patrem sua vita sponsorem quodammodo ac fidejussorē extitisse; novo inauditoq; miraculo lac ejus matris uberibus suggerentem. Non sine magno miraculo, lac suggeritur Virgini quo lactet infantem Deum, sed majus est adhuc miraculum, quòd Virgo mater ab originali liberetur culpa, ne lac ab infāte Deo sugendum sit quadam amaritudine permixtum. Bonum illud miraculum operata est Verbi divini sapientia, diluens originarium venenum à matre quæ infantem Deum genuit & lactavit. Quod forsitan denotat Proclus inducens Dei Filium alloquentem Virginem cunctantem divinam corporationem Angeli voce annuntiatam: *Recusas in utero suscipere, qui tollit peccatum mundi? non vis virginalem præbere mammam, quo diabolicum exsugam venenum?* Quid est quòd infans Jesus, qui venit peccatum tollere mundi, dum melleum lac de Virginis Deiparæ mammis haurit, diabolicum exsugere venenum perhibetur? Numquid virginea Mariæ ubera diabolicum Filio præbebunt venenum? numquid puer Deus veneno diabolico nutrietur, illudq; sibi concorporabit & conviscerabit? Quomodo beatissima Virgo Christo Jesu diabolicum præbebit venenum, cujus ubera stillant lac dulce & melleū nulla amaritudine permixtum? quomodo Christus qui humanatus est ad debellandum diabolum, & originale tollendum peccatum, exsuget de Deiparæ mammis diabolicum originalis culpæ venenum? Ænigmata seu potius sacramenta proponit Proclus. Prævidens Dei Filius se corporandum in utero Virginis, & virgineas ejus sucturum mammas, præpropere illas originalis delicti exsuccas reddidit, quasi ab eis originale peccatū omnino præsuxerit & extraxerit, & diabolico veneno vacuas præstiterit. Ad modum quo infans materna ubera sugens illa evacuat, non absimiliter Christus Deus virginales mammas aliquando sucturus, illas præpropere quodam velut suctu, diabolico evacuavit veneno; & lacte melleo, Deo digno replevit: ne si venenum diaboli inficeret Matris ubera in sua conceptione, liquorem Deo haud dignum hauriendum præberet Virgo: & ex radice viciata flos & fructus minus sanus oriretur. Ora. 6

Et quoniam ex semine David genus trahere deberet Virgo, ex qua nasci oportuit Christum: evidenter Propheta dicit, Et nascetur virga de radice Jesse, quod est Maria, & flos de radice ejus ascendet. At cur Propheta Mariam, non arborem, sed virgam appellat? convenientius illam arborem quam virgam nuncupasset: Tum quia arbor multo majorem splendorem & magnificentiam præ se fert, quàm virga: Tum quia non virga, sed arbor, producit flores, folia, fructus, & umbram. Hoc dubium proponit, & acute resolvit Petrus Damianus. *Bene hæc incomparabilis Virgo virga dicitur: Quare? quia per intensionem desideris semper ad suprema eminuit, neque per cæcitatem peccati distorta nodositatis vitium aliquando incurrit.* Ex modo loquendi Prophetæ Mariam nuncupantis non arborem, sed virgam, Cardinalis immaculatam Deiparæ colligit conceptionem. In cunctis arboribus aliquis reperitur defectus: sunt namque tortuosæ aut nodosæ, virga verò est erecta, & ab omni modo immunis: & ob hanc causam Maria nuncupatur à Vate Evangelico, nō arbor, Tert. lib. adv. Jud. 9

ſed virga, quia nullius unquam culpæ ſive originalis, ſive mortalis, ſive venialis tortuoſitate aut nodoſitate affecta fuit. Quod præfiguratum vult modernus Auctor per ſomnium quod habuit Nabuchodonoſor. (Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia; magna arbor & fortis: & proceritas ejus contingens cœlum: aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea: ſubter ea habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres cœli: & ex ea veſcebatur omnis caro: & ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit, clamavit fortiter, & ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus. *Veruntamen germen radicum ejus in terra ſinite.* Arbor illa ampliſſima, pulcherrimis frondibus, floribus & fructibus ornata, eſt humana Adami natura in ſtatu innocentiæ; eadem arbor exciſa eſt, ſuis ornamentis denudata eſt eadem humana natura poſt Adami lapſum: fuit autem radix cum ſuo germine conſervata, nimirum Maria quæ eſt radix Jeſſe nullatenus fuit peccato Adami infecta, germen etiam fuit à delicto immune, arborem in ſtatum florentiorem reparans.

Perer. in c.4 Dan.

Maria virga de radice Jeſſe præfigurata fuit per virgam Aaronis. Moyſes namque *regreſſus invenit germinaſſe virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores.* Quaſi dicat: Forma florum mutata & deſinente, gemmæ eorũ transformatæ ſunt in fructus. In Hebræo legitur: *Et ecce virga protulit germē, & floruit florem.* Primo ergo hæc virga protulit germen, ſeu gemmas, mox florem, ac ſtatim fructum; gemmæ namque ſeſe aperiendo, ſuaq; folia dilatando, in flores, ac deinde in fructus converſæ ſunt. *Sicut Virga illa virgas maleficorum & incantatorum devoravit, & omnem ſuperbiam Ægyptiacam obtrivit: ac deinde germinavit fronduit floruit, & fructum protulit, non plantata, non ſucco terræ animata; ſed virtute cœleſti ſupra uſum naturæ provecta: ſic tu pulcherrima mulierum, amica mea cunctam ſuperbiam diaboli dejeciſti, conceptu florida, partu fructifera.* Arcanus ſane rerum ordo, & qui ab arborũ natura mire peregrinatur! Aliæ arbores prius florent, poſtea germinant, tandem proferunt fructum: hæc autem virga germinat antequam floreat; quia intuitu germinis producendi præmature floret, eſtq; conceptu florida, quia debet eſſe in partu fructifera: intuitu enim divinæ maternitatis florida concipitur, floridaq; concipit: Florida concipitur, quia in ſua conceptione floret, & gratiis vernat: florida concipit, quia in incarnatione Verbi puriſſimæ Virginitatis candore nitet: quid tam venuſte pulchrum ac nitidum, & omnis nævi ac maculæ expers, quàm gemmeus flos? Tertullianus Iſaiæ verſans locum per florem qui de radice Jeſſe aſcendit, Mariam intelligit, Chriſtum verò hujus floris fructum declarat; *cujus ventris futurus eſt fructus caro Chriſti, quæ ex utero floruit.* Tenera valde eſt floris valetudo; & læviſſima floris læſio, fructus devenuſtat pulchritudinem: pomum etſi ex generoſa arbore exiſtat, & alioquin foret pulchrum & nitidũ, ſi tamen coagulatur ex flore, qui aliquando emarcuit, vel aliquo caloris æſtu, vel levi grãdinis percuſſura, devenuſtatur: flo-

Num. 17

Rup. in c.1 Cant.

L.3. cont. Marc. 20

floris læsio, etsi non lædat pomi qualitatem, pomi decolorat venustatem: fructus namque exprimit floris, vel nitorem & pulchritudinem, vel læsionem & defectum: Maria est flos, cujus fructus est Christus. Si atra nubes originalis grandinasset Marianum florem, etsi fructus ejus non fuisset læsus floris macula, fuisset tamen aliquo modo decoloratus Matris ignominia: Esaias igitur *Christum ex genere David secundùm Mariæ censum, etiam in virga ex radice Jesse processura, figuratè prædicabat.* Ut autem philosophatur Photius: (quemadmodum radicem, ramorum, florum, truncique ac floris, fructusque agnoscimus causam; tametsi fructus gratia, omne aliis studium, laborque impenditur, citraque radicem aliorum nihil enascitur:) Sic dempta, Marianæ conceptionis puritate, reliqua ejus elogia devenustantur, quasi à putri & damnata in principio radice exordium sumant; & dicantur de fœmina, quæ aliquando fuerit Deo hostiliter infensa, & vile diaboli mancipium. Filius quoque ejus etsi ex Matre aliquando criminosa nullo modo fuisset criminis ejus particeps, fuisset tamen aliquo modo Matris ignominia dehonestatus: fructus enim ex radice vitiosa oriundus pulchritudinis suæ amittit nitorem: *Virga ex radice Jesse, Maria; flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Jesus Christus; ipse erit & fructus; flos enim fructus: quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum.*

Tert. l. 4. adv. marc. 1.

Tert. l. de Car. Chr. 21

D. Augustinus propter honorem Domini cùm de peccatis agitur, nullam vult de Deipara habere quæstionem; probe cognoscens & confitens plus gratiæ concessum fuisse Virgini ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere & parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. Non vicisset autem Maria omni ex parte peccatum, si illi fuisset obnoxia in sua conceptione, neque magnum deferunt Christo honorem qui ejus Matrem in conceptu criminosam censent. Veneremur itaque immaculatam Virginis Conceptionem tanquam convenientem Christi sanctitati, Mariæ dignitati, & Christianæ pietati, & ut nostra veneratio sit grata Filio & Matri; emundemus nos à sordibus peccati, & ornemus animas nostras gratiæ nitore, & si conceptio nostra non fuit immunis à peccato, vita nostra sit innocua: resculpamus per pœnitentiam acquisitam in baptismate & deperditam per peccatum innocentiam, sedulo conservemus cordis munditiem, ut in cœlo Deum intueri valeamus.

L. de Nat. & Grat. c. 36

1
CONCIO SECUNDA.

Tert. lib. adv. Hermog. 18
Ruper. in c. 2. Cant.

DUplex est Mariæ Nativitas. Una æterna, altera temporalis: De æterna nativitate ipsamet gloriatur. *Priusquam faceret terram, priusquam montes collocarentur, ante omnes colles generavit me; prior abysso genita sum.* Non solum quia fuit præsens idæis divinis antequam Deus faceret terram, collocaret montes, formaret abyssum. *Priusquam nasceret Deo præsens aderam; antequam fierem, bene illi cognita fueram;* quia illud est commune cunctis creaturis quæ ab æterno fuerunt objective in intellectu divino: sed Maria nata est ab æterno, quia electa & prædestinata est Mater Dei, in eodem signo rationis, vel in alio immediate sequenti, in quo prædestinatus est Christus ejus filius. *Oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum paritura erat.* Temporalem Mariæ nativitatem hodie celebrat Ecclesia. In temporali Christi nativitate Angeli magnū gaudium annuntiarunt hominibus, de temporali quoque Mariæ nativitate gaudēt fideles: Itaque *gaudeamus & exultemus in nativitate beatissima Dei Genitricis Mariæ, quæ novum mundo nuntiavit gaudium, & totius extitit humanæ salutis exordium. Exultemus, inquam, & sicut gaudere solemus in nativitate Christi, ita etiam gaudeamus in nativitate Matris Christi.* Plura sunt quæ nos ad gaudium incitant, potissimum tria; quia in hac nativitate, 1. divina Trinitas glorificatur: 2. Maria fœliciter exaltatur: 3. Mundus universus lætatur.

S. Joan. Damasc. orat. 1 de Nat. Virg.
Pet. Dam. Orat. 3. de Nat. Virg.

I. PARS.
Tert. l. de Bapt. 6
D. Bern. ser. 2. de Pentec.
In Specul. B. V.
Hom. 6 contr. Nest.
Hom. 2. de Deip.

Tres sunt in Deitate personæ: *Pater & Filius, & Spiritus sanctus*, quæ adeo gloriosam præstiterunt Mariam, ut ejus gloria in divinam reverberet Trinitatem: Tum quia præclarum opus artifici comparat gloriam; Maria est præstantissimum sanctissimæ Trinitatis opus, ideoque *tota Trinitas de plenitudine ejus accepit gloriam*. Tum quia in illa nobiliori modo quàm in Thronis requiescit Deus: unde nuncupatur à D. Bonaventura, *totius Trinitatis requies.* In illa requiescit Pater velut in Spōsa: Filius tanquam in Matre: Spiritus sanctus sicut in templo. Tum quia, ut fatur Cyrillus Alexandrinus Mariam alloquens, *per te Trinitas sanctificatur*, id est, cognoscitur, laudatur, benedicitur, adoratur. Tum maxime quia, ut vult Hesichius, est *Trinitatis complementum*. Per eam habet 1. Pater latiorem auctoritatem: 2. Filius assumptam humanitatem: 3 Spiritus sanctus externam fœcunditatem.

Tert. lib. adv. Prax 7.
Tert. l. 1. adv. Marc. 3

1. Dei Filius *in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo;* quia cum eandem habeat cum Patre divinitatem, nō potest esse neque major neque minor Patre. Non major, aliàs Pater non esset Deus: neque minor, aliàs ipse non esset Deus. Etenim cùm Deus sit *summum magnum*, repugnat ut aliquem se majorem agnoscat: Et licèt Filius ab æterno procedat à Patre, nullatenus ab illo dependet, quia non est illius effectus, neque proce-

dit tanquam à causa, quod importat dependentiam, sed tanquam à principio, quod innuit originē, sed non dependentiā: Verū Dei Filius qui a b æterno est independens à Patre, per Mariā depēdet à Patre & efficitur illo minor. *Audi Dominū Patri Deo colloquentē; Ab utero matris meæ, Deus meus es tu.* Hunc locum à Vate Regio mutuatum tantisper mutavit Tertullianus. (De ventre Matris meæ, Deus meus es tu.) Quasi dicat, expendit D. Augustinus: *Non de te Deus meus, sed de te Pater meus.* De te divinam habeo naturam, teque agnosco tanquam Patrem non tanquā Deum, sed quia in utero Virginis assumpsi humanam naturam, *ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Ante temporalē Christi nativitatem erat Bethleem urbicula parvula, & minima ex Judææ urbibus: at ex quo in ea mundi opifex nasci voluit, amplissimam exinde magnitudinem mutuatur. O *Bethleem parva, sed magnificata à Domino! magnificavit te, qui factus est in te parvus ex magno.* Quia Deus immensitate magnus, intra angusta Bethleem mœnia parvulus factus, tātam illi contulit magnitudinē & amplitudinem, ut ex nuper parvula jam auguste magna & nobilis habeatur. Quod de Bethleē fatur D. Bernardus, idipsum de Deipara dicamus quæ dum magnum Deum fecit in suo utero parvulum, & se magnificavit, & æternum Patrem glorificavit, subjiciens ejus dominio hominem Deum: Quare Pater non eodem modo loquitur ad Filium post humanationem, ac ante humanationem. Ante incarnationem loquitur tanquā æqualis æquali, *adeo semper filius erat in Dei, & Regis, & Domini, & omnipotentis, & altissimi nomine.* At post incarnationem in utero Virginis factam loquitur tanquam dominus servo: *Servus meus es tu, quia in te gloriabor.* Verum *quomodo summus omnium, factus est imus omnium* ? Nimirum ex quo factus est homo, à Deo tanquam à suo Domino dependet; paternamque recognoscit auctoritatem, accipiens à Matre humanitatem.

Tert. l. de Car. Chri. 20. Ps 21. Ps. 115. D. Bern. ser. 1. in Vig. Nat. Dom. Tert. lib. adv. Prax. 21. Isa. 49. D. Bern. ser. de Annunt.

2. Cùm Dei Filius *in uterum Virginis conceptus inducitur*, Mariæ debitor esse perhibetur. Quod belle exaggerat Methodius Deiparam alloquens. *Euge euge Mater Dei, omnes Deo debitores cùm simus tibi ipse est debitor.* At quomodo fieri potest, ut Creator creaturæ sit debitor, & Maria sit creatrix Dei? Nonne creditor jus habet supra debitorem? nullus autem in Deum aliquod potest jus habere, quia cùm Deus sit infinite bonus, nullius bono indiget, & cum suprema polleat auctoritate, nullius auctoritati subjacet: sicut ratiocinatur D. Thomas: (nunquam Pater debitor Filii efficitur, multo minus homo potest sibi Dominum constituere debitorem.) Verum licèt Deus ex sua natura non indigeat, nec alicui sit obnoxius debito: attamen volens nasci ex Virgine, indiguit ejus carne, & debitor est Mariæ carnis quam sumpsit in ejus utero. *Christus homo & Filius hominis; at cur homo Christus, & filius hominis si nihil hominis, & nihil ex homine* ? Ut autem in æterna sua generatione accepit à Patre naturam divinam, ita in temporali mutuatur à Matre naturam humanam. *Aliter non diceretur homo Christus sine carne, nec hominis filius sine aliquo parente homine; sicut nec Deus, sine spiritu Dei, nec Dei*

Tert. l de Exh. Cast. 1. Orat. in Hypap. Addit ad 3 p. q 14 resp. ad 1. Tert. l. de Car. Chr. 5. Tert.

 Filius

Apol. 21 *Filius sine Deo Patre.* Christus, ut fatur Tertullianus, *est homo Deo mistus:* & quemadmodum ab æterno generatur à Deo Patre, ita in tempore generatur à Virgine Matre. *A Patre coronatur semper corona gloriæ, à Matre Virgine coronatus est corona humanitatis.* Audiatur Methodius hac supra re profunde philosophans, & cum Deipara sermonem habens. *Tu Deo alioquin nulliusindigenti carnem quam non habebat dedisti: quo (inquam) hac ratione omnipotens, id quod esse dignatus est, homo videlicet, vere appareret: quid hoc illustrius? quid re sublimius? qui cœlum & terram implet, cujus præterea sunt omnia quæcumque moventur atque subsistunt, is tui factus est indigus; tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquando non habuit, Deo mutuatam dedisti.* Deus sua natura & essentia sibi sufficiens, nulliusque indigens, Deiparæ factus est indigus, ut carnem Deo dignam assumeret: *De plenitudine Mariæ accipiunt universi; Filii persona carnis humanæ substantiam:* Deus cui omnes omnia debent, Mariæ factus est debitor: idcirco non dixit Methodius Mariam dedisse Verbo carnem, sed mutuam dedisse: quia accipiendo Deus carnem à Virgine, incurrit omne debitum quod Filius Matri præstare tenetur; majusque est debitum Christi erga Deiparam, quàm cæterorum filiorum erga suas matres. Hi enim debitum velut dividunt erga patres & matres à quibus generati sunt: at Christus non habet patrem hominem à quo sit genitus, sed duntaxat hominem matrem, à qua sola accepit humanam naturam, & cui soli debitum filii præstare tenetur. *Unde patet, quòd Dominus Jesus Christus, qui sine Matre fuit in cœlis, & absque Patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit, atque dignitatem, quæ ad humanitatem sequitur.* Audis Christum non modo totam humanitatem ex Maria, sed etiam omnem dignitatem quæ ad humanitatem sequitur sumpsisse?

D. Bern. hom. de Epiph.

D. Bern. ser 98. in Cant.

S Bernardin. to 3. ser. de S. Joseph.

Præcipuæ dignitates quæ Christi sequuntur humanitatem, sunt tituli Doctoris, Sacerdotis, Redemptoris. Sublimia hæc ministeria debet Deiparæ Christus: quia illa administravit in carne quam ei Maria mutuo dedit. Carne indiguit Dei Filius ut Doctoris ageret officium: docere namque volens verbo & exemplo homines ex corpore & spiritu compositos, *sensibus quoque intimandus erat Dominus:* non potuit autem intimari sensibus, nisi quia ipse fuit sensibilis; & ut fatur Tertullianus, *carneus Christus.* Caro quoque Christo necessaria fuit, ut sacerdotis pertractaret negotium: *Sed Jesus Christus Dei Patris summus sacerdos primo adventu suo humana forma & passibili venit in humilitate usque ad passionem.* Tandè Redemptoris obivit munus in carne quam in cruce cruciatibus obtulit; *ipse etiam effectus hostia per omnia, pro omnibus nobis.* Et quia caro in qua Doctoris, Sacerdotis & Redemptoris Christus peregit officium, mutuo accepit à Matre, Deiparam S. Ildephonsus nuncupat, *opus incarnationis, opus redemptionis.* Cur autem Virginem tam illustri elogio commendet, rationem reddit: *Quod enim Christus in mea redemptione est operatus, in tua persona veritate formavit: quod mihi redemptor factus est, tibi filius fuit: quod pretium emptionis meæ factus est, ex carne tua ejus incarnatio fuit.* Belle ad

Tert. l. de Res. Car. 40

L. adv. Valent. 27

Tert. lib. adv Jud. 14

Tert. ib.

Tract. de Virg. Mar. c. 12

L. 6 de laud. Mar.

ad propositum Richardus à S. Laurentio versans istud Lucæ 1. ubi dictum est Mariæ: Invenisti gratiam apud Dominum: *Sicut enim Mariæ fuit inventio habere talem Filium: sic Christo fuit inventio habere talem Matrem: unde sicut Maria dicere potest de sapientia DEI, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: sic & Christus de Maria: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa: quia natus sum mundus de munda, immaculatus de immaculata, & de Virgine Virgo: vel hæc omnia bona membra virginea, quæ de carne ejus sibi aptavit.* Mirum non est, quod invento Christo Deiparæ Filio dicat Maria: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo, quia cùm DEUS sit summum & infinitum bonum abundè & velut effusè sese Mariæ communicavit: &, ut fatur præfatus Richardus, *ipsa Beata Virgo quiddam divinum nobis ineffabile ex DEI omnipotentia mutuavit.* At nonne est stupendum, quod Christus DEUS inventâ Maria dicat, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa? Quia scilicet accepit ab illa humanitatem, & omnem dignitatem quæ ad humanitatem sequitur. Sap. 7 Lib: 5. de laud: Mar.

Mariæ pudoris amore incarnationis mysterio consensum cunctanti, Angelus tanti paranimphus sacramenti illibatam virginitatem asseverat, filiumque ex Virgine Matre nasciturum magnum fore asseverat. (Hic erit magnus.) Hic loquendi modus D. Bernardo stuporem ingenerat. *Quare hic erit & non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus?* In Patris sinu crescere non potest: Idcirco Angelus dicit, Erit magnus, de futuro, quia à celsitudine Matris à qua DEI Filius factus est homo, excelsæ nobilitatis mutuatur magnitudinem: & ut decantat in suo carmine de partu Virginis Venantius Fortunatus, *in Deitate Patri æqualis, sed corpore Matri.* Christus in Deitate est æqualis seu idem cum DEO Patre, sed in carne est æqualis seu idem cum Virgine Matre. A Patre DEO habet quod DEUS sit, à Matre Virgine habet quod ejus caro sit pura, immaculata, virginea. *Non degenerat à Matre Filius.* Luc: 1 Ser: 3. sup: Miss: Guarri Serm: 2 de Assump

Pharisæi Christum dedecorare credebant, dicentes: *Nonne Mater ejus dicitur Maria?* Tantum abest ut Mariæ maternitas sit Christo probrosa; quin imò adeò est illi gloriosa, ut velit Tertull. Christum *ex stirpe Jesse deputatum per Mariam, & inde censendum*: scilicet Christi honorem, ex materno honore censendum. Tanta tamque illustris est gloria quam à Virgine Matre mutuatur, ut Christi glorias commendare volens Proto-Martyr Stephanus illum non DEI Filium, sed filium hominis appellet. *Considerate attentius, cum beatus Martyr Dominum nostrum IESUM Christum ad dexteram DEI Patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, & non potius Filium DEI: cum utiq; plus honoris Domino delaturus videretur, si se DEI potius, quàm hominis filium videre dixisset?* Quia scilicet humana Christi nobilitas per Mariam, & ex Maria censetur: *Carnem animatam anima rationali uniens Verbum sibi secundùm subsistentiam, ineffabiliter factus est homo.* Dilectus tamē discipulus divini Verbi referens humanationem: non ait, Verbum homo factum est, aut Matth: 13 Lib adv. Jud: 9 D. Max: Hom. de S. Steph. Cyrill Alex Ep: 8. cont Nestor:

Verbum anima factum est, licet hoc loquendi modo totam hominis naturā plane exponeret, aut à nobiliori parte decentius loqui videretur, sed ait: (Verbum caro factum est) ut portionem quam à Deipara sumpsit Christus vivacius exprimeret, & ex materna gloria, filii gloriam commendaret.

Joann. 1

Tantam gloriam habet à Patre Christus in æterna sua generatione, ut ad eam denotandam Joannes Evangelista prædicet: *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Tanta est gloria quam in temporali sua nativitate mutuatur à Matre, ut ad illam innuendam primus Martyr præ admiratione exclamet: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis DEI.* Titulus Filii DEI est veluti basis gloriæ quâ corruscat, neque enim cum Patre producit Spiritum sanctum nisi quia est Filius DEI; titulus Filii Mariæ est fundamentum perfectionum hominis Dei, non enim est homo neque hominum redemptor, nisi quia est Filius Mariæ, per quam Spiritus sanctus æternam habet fœcunditatem.

Joann: 1

Act: 7

Tert. l. de Car. Chr. 20

L: 14. Thesaur. c. 3

3. *Quia & Angelus in somnis ad Joseph; nam quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Spiritus sanctus nullam in Trinitate divinam producit personam; quia, ut fatur Cyrillus Alexandrinus: *Sancta Trinitatis Spiritus sanctus complementum est.* Tertia namque Trinitatis persona, ad intra non operatur: Tres sunt in Deitate personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Pater producit quidem, sed non producitur. Filius producitur à Patre, & simul cum Patre producit Spiritum sanctum. Spiritus sanctus producitur à Patre & Filio, sed nullam personam divinam producit, quia, ut fatur Tertullianus, est *tertium nomen divinitatis, & tertius gradus majestatis*; scilicet tertia persona, & sanctæ Trinitatis complementum. At divinus ille Spiritus qui ad intra non producit, ad extra adeò est fœcundus, ut divini Verbi operatus sit humanationem: Maria autem fuit *officina Spiritus sancti:* Tum quia *Spiritus sanctus eam fœcundavit*, ut absque humano concursu DEI Filium conciperet: Tum quia corpus Christi in Deiparæ utero formavit: nam ut docet D. Thomas, *Corpus Christi materiam sumpsit de natura hominis, sed formatio ejus non fuit virtute humana, sed virtute Spiritus sancti:* Tum quia Mariæ virginitatem incorruptam & illibatam servavit: quod denotatum vult Richardus à sancto Laurentio ab Angelo Incarnationis nuntio, dicente: Virtus Altissimi *obumbrabit tibi, non lædendo, sicut umbra nec lædit, nec gravat, sed refrigerium præstat.* Conveniens enim fuit ut DEI Filius ex Virgine nasceretur, itaq; *quemadmodum Virgo divinitas ediderat, ita cum Virgo Maria generavit:* Tum quia Spiritus sanctus Mariam gratiæ gazis opulenter ditavit: & ut fatur Doctor Angelicus, *Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus sancti gratiam.* Et quia DEUS glorificantes se glorificat, sanctissima Trinitas à Virgine glorificata mirum in modum glorificat Mariam; nam ut modulatè canit Joannes Geometra Deiparæ congratulans: *Tibi est Triadis alter honor*, & præ cæteris puris creaturis ad excelsam sublimaris dignitatem.

Lib: adv. Prax: 30

Arnold: Carnot. Tract. de laud. Mar.

Richard. à S. Laur. l. 12 de laud Virg:

Opusc. 2. c. 234

D. Thom in Caten. ad c. 1. Lu.

Hymn. 1

 II. PARS.

Astrologos judiciarios nuncupatos mortalium Horoscopum trahentes multis insequitur Tertull. Tum quod eorum professio *idola honoret, quorum nomina cælo inscripsit, quibus omnem DEI potestatem addixit*: Tum quia à bonis operibus dimovent etiam Christianos; *propterea homines non putant DEUM requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi*: Tum quia dæmones perversæ illius professionis sunt magistri & Doctores: *Unum propono, Angelos illos desertores DEI, proditores hujus curiositatis*: Tum quia ut plurimum de magia culpantur; *scimus Magiæ & Astrologiæ inter se societatem*: Tum quia ejusmodi professio olim apud Gentiles permissa, nunc ab Evangelio interdicitur; *At enim scientia ista usq; ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde nativitatem alicujus de cælo interpretetur*: Tum quia Genethliaci adeò sunt mendaciorum artifices, ut merito dixerit Aulus Gellius, vera ab Astrologis prædicta non esse millesimam partem mendaciorum quæ quotidie effutiunt: attamen quantumvis Genethliaci de mendacio aut de impietate, aut de Magia, aut de dæmonum societate, damnentur; quantumvis eorum professio sit religioni contraria, & à Christiana pietate dimoveat: parentes facta liberorum suorum scire desiderantes, mox ut proles edita est, Astrologos inquirunt, qui nascentium partus curiosius inspiciant, & ex natalibus conjiciant quid eis servent fata, ad quid eos destinent: quod ut exequantur, tempestates, dies, horas examinant: diligenter sciscitantur partusne contigerit amœno vere, an rigidâ hyeme, calendis an idibus; die Jovi aut Veneri sacra; sub quo sideris aspectu, & cæli motu: *De Christo est Mathesis hodie, stellam Christi, non Saturni & Martis & cujusq; ex eodem ordine mortuorum observat & prædicat.* Quod de Christo nato fatur Tertullianus: idipsum Virginis aptemus nativitati: quæ, qualis, & quanta futura sit, non ex horoscopo, aut vana siderum observatione, non ex fallacibus & mendacibus Astrologorum Genethliacorum conjecturis; non quæsitis ab orco mendaciis aut petitis à diabolo oraculis, sed consultis Scriptoribus canonicis, interrogatis Patribus & Doctoribus Catholicis, qui unanimi consensu felicissimum Mariæ conjectantur ortum, asseverantes puellam recenter natam, sublimandã fore ad 1. regiã dignitatẽ: 2. eminentẽ sanctitatem: 3. divinam Maternitatẽ.

1, de Idol. 9

Lib. 4

1. Quoniam ex semine David genus trahere deberet Virgo, ex qua nasci oportuit Christum, regiâ nobilitate decoratur. Bina est Mariæ nobilitas: una quam accipit à suis prædecessoribus; alia quam mutuatur à divina Trinitate. Utramque decantat Joannes Geometra: *Salve ô Regnatrix, cujus purissima radix, stirps Charitum triplex atq; sata à Triade: salve ô Regnatrix, Trias est tibi stirpsq; caputq;: hinc unũ è Triade, ô ter benedicta paris.* Triplex de terra desumitur Mariæ stirps: nempe Regũ, Pontificũ, & Prophetarum; & licet terrena illa prædecessorum triade multum nobilitetur, augustiorem mutuatur à divina Triade nobilitatem, quæ est illi stirps caputque, unde à quodam neoterico *consanguinea Trinitatis* nuncupatur. A qua specialiter est producta! Quo alludere videtur

Ter. I. adv Jud. 9

Hym. 2

Cornel. à Lap. in c. 8. Prov.

Lib. 4. de laud. Virg. Ecclef. 24 detur Richardus à S. Laurentio elucidante istud increatæ sapientiæ effatum, quod communiter Deiparæ aptatur: (Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Inde Marianam colligit nobilitatem, tum quia est creatura præcipua, & omnium princeps: Tum quia *ipsa est principium Christi secundùm humanitatem qui est os Patris*: Tum maximè *quia de ea dixit tota Trinitas specialiter, quasi loquens de Christo: non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, nempe Matrem. Magna est Virginis gloria oriri de sanguine Regum, Pontificum, & Prophetarum: major consanguineam esse sanctissimæ Trinitatis, quæ est ejus stirps & caput: sed maxima quod unum è Triade pariat: *O mirabilis, & singulariter nobilis caro beatissima Virginis, in qua muliebris natura mutatur, humana conditio non tenetur, in humano genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis insignitur: Beata verò Maria licet de generosa sit patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis: clara proavorum titulis sed incomparabiliter clarior generositate prolis: Filia siquidem Regum, sed Mater Regis regum.* Subjungit Sapiens: *Byssus & purpura indumentum ejus*: Tum quia regali ex prosapia refulget: Tum quia à sanctissima Triade in Verbi Matrem electa, ad regiam sublimita est dignitatem. *Ab æterno ordinata sum*: Nonnulli legunt *Ab æterno coronata sum.* Tum quia Mater Regis regum. Quapropter Andreas Cretensis, sic belle ad propositum scribit: *Hodie puella Virgo, ex Juda Davideque procedit, regni ejus speciem præ se ferens; DEUSq; regalem inficiens purpuram, Davidico sanguine purpuravit.* Unigenitus DEI Filius & generosa Patris in æternitate proles, regiam augustæ Deitatis purpuram, Davidico Deiparæ sanguine purpuravit: Mater & Filius mutuo sibi communicant purpuram: Mater Filio humanitatem regio Davidis sanguine tinctam: Filius Matri quàm regni sui participem efficit. *Maria propter Christum, Imperatrix & Monarcha est mundi.* Hujus accipe à sancto Bernardino rationem. *Quoniam Christus Dominus ejus Filius in primo instanti suæ conceptionis Monarchiam obtinuit totius universi.* De hac Regia dignitate, gratulantur Mariæ doctissimi Abbates Rupertus, & Guarricus: Rupertus quidem: *Prædicatur de te quod Mater Christi; ac proinde Regina cælorum, totum jure possidens Filii regnum.* Guarricus etiam: *Perge Maria secura in bonis Filii tui, fiducialiter age tanquam Regina, Mater Regis, & Sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloria est, quod tibi debetur Regnum & potestas: indivisum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne una, & uno spiritu indivisum fuit pietatis & unitatis mysterium.* Cum Deipara sit eadem cum Filio DEO caro, idemq; pietatis Spiritus, generoso tantæ maternitatis titulo, indivisum videtur habere cum Filio imperium, estque elevata ad regiam dignitatem, & eminentem sublimata sanctitatem.

(Margin: Pet. Dam. Ser. 47 — Prov. 31 — Prov. 8 — Serm. 1. de Nat. Mar. — D. Ant. 4. part. tit. 5 To 11 Ser. 61. a. 1. c. 7 — Lib. 3. in Cant. 44 — Serm. 3. de Assumpt.)

Ter: l. adv Jud: 13 2. *Nativitatem ejus quis enarrabit?* cum gratia quam à DEO accepit humanæ mentis aciem longe excedat? Quapropter nuncupatur à D. Damasceno,

mascenо, *officina immensorum bonorum, atq; omnem mentis captum & cogitationem superantium.* Quod si omnem cogitationem, & mentis captum transscendit Mariana gratia quis eam valebit enarrare? Profectò *immensitatem gratiæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit*: infans plane est mortalium lingua, ad gratiam Mariæ prædicandam. Nec mirum si ad illam conspiciendam cæcutiat humana mens, si ad enarrandā linguā careat eloquio, cum homine major quodammodo videatur: *Namq; ipsa humana natura particeps, quanquam dona homine majora, divina largitate consecuta est.* Tanta gratiarum plenitudine exundat Maria, ut Athanasius admonendum putaverit eam esse humanæ naturæ vere participem, ne gratiæ dona quæ ultra humanum fastum consecuta est, habuisse naturam ultra humanam persuadeant. *Ex quo patet, quod excepto Christo tanta gratia Virgini à Domino data est, quanta uni creaturæ puræ dari possibile est.* Tanta gratiarum plenitudo ex possibilitatis & omnipotentiæ censu æstimanda est, nec possibilis est major gratia Deiparæ conferenda, nec DEUS suâ omnipotentiâ majorem puræ creaturæ valet conferre gratiam, quam divinæ Maternitatis prærogativâ: Et ob hanc caussam Maria vocitatur à D. Damasceno *sanctitatis thesaurus*; quia cunctarum gratiarum continet divitias: *gratiæ abyssus*, quia ejus gratia non secus ac abyssus est ininvestigabilis: *gratiarum pelagus*, quia, ut fatur D. Bonaventura, *Maria dicitur mare propter affluentiam & copiam gratiarum: unde scriptum est Eccles. 1. Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam*: quæ tantâ gratiâ est nobilitata, ut eam Seraphicus Doctor gratiam in abstracto nuncupare non vereatur. *Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut eam ipsa gratiosa Virgo gratia quodammodo dici possit.* Termini in abstracto ultimam rei important perfectionem. Quàm perfecta autem sit Deiparæ gratia, nemo melius declarat quàm D. Epiphanius sententiosè dicens: *Gratia S. Virginis est immensa.* Cui arridens D. Bonaventura hanc gratiæ imēnsitatem ratione fulcit: (Imēnsa fuit gratia Mariæ, imēnsum enim vas plenum esse non potest, nisi imēnsum illud sit, quo est repletum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum qui cœlo major est, continere potuit; & si capacitas tanta fuit, oportuit quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.) Quod innuit Angelus Incarnationis nuntius Mariæ dicens (Ave gratiâ plena Dominus tecum.) Quinam Dominus? respondet Chrysippus Hierosolymitanus: *Dominus totius gratiæ.* Et si in sanctis Patribus & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, ait Sophronius apud D. Hieronymum: *in Mariam verò totius gratiæ quæ in Christo est plenitudo venit.* Totius gratiæ quæ in Christo est plenitudo in Mariam venit, tantoque est major quanto est intimior unio Christi cum Maria: nam ut ratiocinatur Angelicus Doctor; quanto magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tāto magis participat effectū illius principii: quo fluvii sunt proximiores mari, eo majorem aquarum recipiunt abundantiā; quo quis vicinior igni, eo ardentiorem sentit calorem. Christus

Orat: de Dormit. Virg: | D. Ansel: l. de Excell Virg: c. 8 | D. Athan. Orat: in Chr. occursum. | S. Bernardin. To: 1. Serm. 61. art: 1. c. 10 | Orat: 1. de Dormit: Virg: | Orat: 1. de Assumpt. | Orat: 1 de Nat. Virg: | In Spec: B. Virg: c. 3. | Serm. de laud. Deiparæ. | In Spec. Virg. c. 5 | Epist: ad Paulam. | 3. p. q. 27. a. 3

ſtus eſt principium gratiæ, authoritative ſecundùm divinitatem; inſtrumétaliter ſecundùm humanitatem: inde concludit D. Thomas; Beata Virgo Maria fuit propinquiſſima Chriſto ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideò præ cæteris majorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere. *Matri plenitudo gratiæ debebatur.*

D. Cypr. Serm. 1 de Nat. Chr.

D. Bernardinus Senenſis agnoſcit ſex gradus unionis cum DEO: ſcilicet creationis, cognitionis, dilectionis, glorificationis, maternalis conceptionis, perſonalis unionis. Per creationem creatura ſecundùm gradum entis unitur creatori, tanquàm effectus ſuæ cauſæ. Per cognitionem creatura intellectualis unitur DEO tanquàm objecto intelligibili ſive naturaliter per rationem, ſive ſupernaturaliter per fidem. Per dilectionem anima charitate ſuffl ammata, unitur DEO per amorem tanquàm bono infinito infinite amabili: Per materialem conceptionem unitur Mater cum Filio per eandem ſubſtantiæ comunicationem. Per perſonalem unionem Verbum divinum unitur hypoſtaticè humanitati Chriſti. Sex autem illi gradus unionis ita ſe habent ad invicem, ut inferior nequeat attingere perfectionem ſuperioris, & ſuperior ſuperet quaſi infinitè inferiorem, quia licet gradus inferior multiplicetur in infinitum, nunquam attinget gradum ſuperiorem. Infinita non entia, non æquivalent minimo gradui entis; nec infinita entia inanimata poterunt uniri DEO per cognitionem; neque cuncti homines in peccato mortali exiſtentes aſſurgunt ad perfectionem unius juſti qui eſt conjunctus cum Deo per gratiam ſanctificantem & charitatem; neque omnes juſti adæquant ſtatum quem habent Beati in gloria; neque Juſti & Beati tā intimè uniuntur cum DEO ac B. Virgo. In cunctis creaturis adeſt Deus per eſſentiam, præſentiam & potentiam; in Juſtis per gratiam; in Beatis per gloriam: at Beatæ Mariæ ineſt quarto modo, ait Petrus Damianus, ſcilicet *identitate quia idem eſt quod illa: hic taceat & contremiſcat omnis creatura; & vix audeat aſpicere tantæ dignationis immenſitatem.* Hæc unio eſt cunctis aliis intimior, recognoſcens ſupra ſe duntaxat unitatem perſonarum Trinitatis in eadem eſſentiâ divina, & unionem hypoſtaticam Verbi divini cum humanitate Chriſti. Intimiſſimam illam Deiparæ cum Chriſto unionem declarat D. Bernardus ponderans quod DEUS qui eſt per ſuam gratiam in omnibus Sanctis, eſt *ſpecialiter tamen cum Maria, cum qua utiq; tanta conſenſio fuit, ut illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi conjungeret, ac ſi de ſua Virginuq; ſubſtantia unum Chriſtum efficeret, vel potius unus Chriſtus fieret.* Ineffabiliter compoſitus ex natura divina: quam accepit ab æterno Patre, & ex natura humana quam aſſumpſit in tempore in utero Mariæ, ſublimans Virginem ad divinam maternitatem.

Serm. 1. de Nat. Mar.

Serm. 3. ſup. Miſſus eſt.

Tert. l. adv Valent. 27.

3. Valentiniani divinam Mariæ negant maternitatem, imaginantes Dei Filium, *in præpoſitionum quæſtionibus poſitum; id eſt per Virginem, non ex Virgine editum: quia delatus in Virginem transmeatorio potius quàm generatorio more proceſſerit,*

cesserit; per ipsam, non ex ipsa; non Matrem eam, sed viam passus. Suum commentum auctoritate Scripturæ propugnare moliuntur hæretici, præsertim ex sermone quem Angelus in somnis ad Joseph habuit. *Per Virginem dicitis natum, non ex Virgine: & in vulva, non ex vulva: quia & Angelus in somnis ad Joseph, quod in ea natum est, de Spiritu sancto est; non dixit ex ea.* Verum hic modus loquendi non illis patrocinatur: nam ut belle animadvertit Tertullianus, *cum dicit in ea, & ex ea, consonat; quia ex ea erat, quod in ea erat.* Deinde ejusmodi error evidentibus Scripturæ testimoniis damnatur: & 1. Davidis testimonio, qui *apud nos canit Christum, per quem se cecinit ipse Christus: Accipe Christum, & audi Dominũ Patri DEO colloquentẽ: Quia tu es qui avulsisti me ex utero matris meæ. Si nõ adhæsit utero, quomodo avulsus est? Si adhæsit qui adversus est, quomodo adhæsisset, nisi dum ex utero est, adnexus origini vulvæ?* 2. Ipsiusmet Christi testimonio, qui *ubera Matris suæ nominat; sine dubio quæ hausit. Respondeãt Obstetrices, Medici & Physici, de uberũ natura, an aliter manare sine vulvæ genitali passione suspendentibus exinde venis: sentinam illã inferni sanguinis, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis latiorem.* 3. Testimonio Matthæi Apostoli, qui *originem Domini decurrens ab Abraham, usq; ad Mariam, Jacob, inquit, generavit Joseph virum Mariæ, ex qua nascitur Christus.* 4. Apostoli testimonio, qui Grammaticis istis silentium imponit: *Misit, inquit, DEVS Filium suum factum ex muliere. Nunquid per mulierem, aut in muliere? Hoc quidem impressius quod factum potius dicit, quam natum: simplicius enim enuntiasset natum. Factum autem dicendo; & Verbum caro factum est, consignavit; & carnis veritatem ex Virgine factam asseverat.* 5. Testimonio Archangeli Gabrielis Verbi Incarnationem nuntiantis. *Ecce, inquit, Virgo concipiet in utero. Quidnam? Utique DEI Verbum: non viri semen: certè ut pareret filium. Nam & pariet, inquit, filium. Ergo ut ipsius fuit concepisse, ita ipsius est quod peperit; licet non ipsius fuerit quod concepit.* Accedit 6. testimonium Elizabeth Mariam Matrem Domini sui vocitantis: *Sine causa enim dicit, Et unde mihi ut Mater Domini mei veniat ad me? Si Maria non filium, sed hospitem in utero gestabat JESUM, quomodo dicit, Benedictus fructus uteri tui? qui non ex utero germinavit, qui non in utero radicem egit, qui non ejus est, cujus est uterus? & qui utiq; fructus uteri Christus?* Omitto plura Scripturæ sacræ loca, quæ apertè declarant Christum in utero Virginis conceptum, & ex ea sumpsisse carnem: si enim Virgo non concepit, nec peperit, si Christi caro caro ipsius non est. *Propheta vox evacuabitur; & Angeli, conceptum & partum Virginis annuntiantis; & omnis jam Scriptura, quæcunq; Matrem pronuntiat Christi? quomodo enim Mater, nisi quia in utero ejus fuit? Sed nihil ex utero ejus accepit, quod Matrem eam faceret, in cujus utero fuit. Hoc nomen non debet caro extranea. Matris uterum non appellat, nisi filia uteri, caro: filia uteri porro non est, si sibi nata est.*

Tert. l. de Car. Chr. 20

Tert. l. de Car. Chr. 21

Tert.

Allata Scripturæ testimonia damnant adhuc errorem Nestorii volentis Mariam concepisse quidem & peperisse Christum ut hominem; non autem

ut DEUM proinde posse quidem vocari Christotocon, id est, Matrem Christi, ut hominis, sed non Theotocon, id est Matrem DEI. (Inter Fideles disceptatio non modica erat, an propter veram & indubitatam generationem temporalem, Virgo Mater Christi, vel Mater humanitatis Christi dicenda esset; an audendum quoq; eam Matrem DEI nominare; donec pleno Concilio definitum esset, eam plenis ut dicitur buccis Theotocon, id est Matrem DEI ab omnibus Fidelibus verè & sine scrupulo nominandam atque ut veram DEI Matrem venerandam.) Ut autem pateat quàm meritò Concilium Ephesinum errorem Nestorii damnaverit & Mariam Theotocon & veram DEI Matrem nominandam decreverit, tria sunt animadvertenda. Primo B. Virginem in conceptione Christi sanguinem ex quo fœtus formatus est subministrâsse, non secus ac cæteræ matres in conceptu suorum filiorum. *Aut cur homo Christus & filius hominis si nihil hominis, & nihil ex homine?* Secundò, Christum à primo instanti suæ conceptionis fuisse DEUM hominem, neque unquam purum hominem extitisse. Eodem enim temporis momento quo ejus humanitas formata fuit ex sanguine Virginis, assumpta est à Verbo & hypostatice DEO unita. *Iste igitur DEI radius, ut retro semper prædicabatur, delatus in Virginem quandam, & in utero ejus caro figuratus, nascitur homo DEO mistus.* Cæterique Patres ad convincendum Nestorium supponunt tanquam principium necessarium, unionem hypostaticam factã in primo humanæ conceptionis momento. *Si quis formatum hominem fuisse, DEUMq; postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est. Hoc enim non DEI generatio fuerit, sed generationis fuga.* Tertio, in Christo duas esse naturas, divinam & humanam, unitas in persona Verbi; & ob hanc unionem esse inter illas communicationem idiomatum: *Miscente in semetipso hominem & DEUM; in virtutibus DEUM, in pusillitatibus hominem; ut tantum homini conferat quantum detrahit DEO:* ratione autem communicationis idiomatum B. Virgo quæ concepit & peperit Christum hominem, concepit & peperit Christum DEUM: sicut DEUS dicitur mortuus, quia Christus homo est mortuus, ita DEUS Filius est Virginis, quia homo Christus est Filius Virginis. *Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est.*

Thom: à Villa Nov: Serm: de Nat: Virg: — Tert. l. de Car. Chr. 5 — Tert: apol 21 — Gre. Naz: Orat. 15 — Tert. l. 2. adv. Marc. 27 — Gre. Naz. Orat: 51 — Lib. adv. Jud: 6

Hanc veritatem Isaiæ vaticinio probat Tertull. *Ecce Virgo concipiet in utero & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum DEUS.* Ad hujus veritatis confirmationem adducit adhuc Joannem in exordio sui Evangelii dicentem: (Verbũ caro factũ est.) Hunc locum versans Theophyl. apposite ait: *Addiscimus ergo per hoc quod dicitur Verbũ caro factũ est, quia ipsũ Verbũ est homo; & filius DEI existens, factus est filius Mulieris, quæ principaliter DEI Genitrix nuncupatur, tanquam DEUM in carne genuerit.* Gregorius Magnus & D. Bernardus divinam Mariæ maternitatem ex ipsa Virgine Angelo respondenti demonstrant: (Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:) D. Gregorius primam responsi partem elucidans ait: *Virgo & ancilla Domini dicitur & mater; ancilla enim Domini, qui DEI Filius ante*

Lib. de Car. Chr. 20 — Lib. 9 Reg Ep. 61

ante sæcula unigenitus æqualis est Patri, Mater verò, quia in ejus visceribus, ex sancto Spiritu ejusque carne factus est homo: quia non prius in utero Virginis caro concepta est, & postmodum divinitas venit in carnem, sed statim Verbum factum est caro. D. verò Bernardus posteriorem responsionis virgineæ considerat partem; (Fiat mihi de Verbo, secundùm verbum tuum: Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundùm verbum tuum: fiat obsecro mihi verbum non prolatum quod transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aere: fiat mihi non tantum audibile auribus, sed visiblie oculis, palpabile manibus, gestabile humeris: fiat mihi non imaginarie somniatum, sed silenter inspiratum, personaliter incarnatū, corporaliter invisceratum.) Colloquium Archangeli cum Virgine perpendens D. Ambrosius, animadvertit quòd non sine mysterio Gabriel dixit: (Ne timeas Maria; ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum.) *Speciale Maria Domini nomen invenit, quod significat Deus ex genere meo.* Cùm in utero Virginis incarnationis peragitur mysterium, Angelus eā vocitat Mariam, ut in Mariæ vocabulo quod denotat Deus ex genere meo, auspicata videatur divina maternitas. Nec minus lepide refert D. Ignatius priscis Ecclesiæ temporibus Mariæ nomen Jesu apponi solitum: *Sunt & hic multæ de mulieribus nostris Mariam Jesu videre cupientes.* Vere Maria Jesu, tum quia ipse erat Mariæ & Pater & Filius: tum quia Maria erat vera Jesu Mater: tum quia sublimis Mariæ maternitas ex ejus filio mutuanda est.

L.4 super missus est.

Lib. de Instit. Virg. c.5

Epist. 1

Quæritis qualis Mater, quærite prius qualis Filius. Qualis filius, talis mater, servata utriusque congruenti analogia. Cupis nosse Deiparæ dignitatem? considera prius Filii divinitatem. Mariæ maternitas ex filio Deo taxanda & mensuranda est: quia *nobilitas Matris ex Deitate prolis* sumenda est. *Hoc ipsum de sancta Maria Virgine prædicare quod Dei mater est, excedit omnem celsitudinem quæ post Deum dici & cogitari possit.* Quod si quæramus à Valentiniano Antistite cur Evangelistæ Virginis non prædicaverunt encomia; cur tot & tanta ejus siluerunt facinora; cur de illa nihil aliud typis mandarunt præter hæc verba (de qua natus est Jesus;) respondebit: (Sufficit ad ejus plenam historiam, quod scriptum est in themate; Quia de illa natus est Jesus. Quid amplius quæris? quid ultra requiris in Virgine? sufficit tibi quòd Mater Dei est. Complexus est itaque Evangelista, omnia excellentiæ argumenta, dum de Virgine ait: De qua natus est Jesus: in hoc clauditur quidquid dici de illa potest, si mille libri scriberentur.) Tam sublimis est Dei maternitas, ut extollat Mariam, non solum supra homines cujusvis sint dignitatis, sed etiam supra cœlestium spirituum hierarchias: Nam (cui Angelorum dictum est, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Ideoque quod nasceretur in te sanctum vocabitur Filius Dei: Sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. Fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoq; excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit.) Apostolus infert Christū

Eucher. in Virg. Nat.

D. Aug. apud D. Thom. de Sac. Altar. c.4

D. Anselm Serm. de Nat. Virg.

D. Bern. Serm de Nat. Virg.

tanto Angelis meliorem quanto differentius præ illis Filii Dei nomen hæreditavit. Et D. Bernardus eodem ratiocinandi modo colligit Mariam tanto esse Angelis digniorem quanto nomen Matris Dei, ministri titulum in nobilitate superat: Nam *infinitum servorum ac Matris discrimē est*: Angeli sunt ministri & servi Dei; Maria verò est Mater Dei. Mariæ maternitas quandam importat infinitatem, quod expresse docet Angelicus Doctor: *Beata Virgo ex hoc quòd est Mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus.* Unde illam comparat tum visioni beatificæ; tum unioni hypostaticæ Subjungit sanctus Doctor: *Ex hac parte non potest aliquid fieri melius ea.* Deus potest facere cœlos splendidiores, elementa puriora, mixta pretiosiora, mundum perfectiorem: at sua absoluta potentia nequit facere Matrem digniorem; non potest inveniri in ordine filiorum nobilior Deo, non potest reperiri in ordine matrum nobilior Matre Dei. *Nulli creaturæ hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, ut esset pater aut Mater Dei, sed hoc fuit privilegium gratiæ singularis Mariæ, ut non solum hominis, sed Mater Dei fieret.* Neque etiam in divinis Filio & Spiritui sancto titulus Patris Dei conceditur: *Tanta est laus quam ei attribuimus, cùm dicimus: Mater est Dei quod nec in personis creatis, id est, Angelis & hominibus, nec in personis increatis reperitur hæc incomparabilis dignitas, nisi in una persona divina, quæ est Patris, & in una persona humana, quæ est Matris.* Quàm vere decantat Virgo: Fecit mihi magna qui potens est. *Magnum, quia Virgo: magnum, quia Mater: majus, quia utrumque simul: maximum, quia Mater Dei.* Esse Dei matrem tantum est, ut cuncta creata intra se conspiciat, nihilque supra se habeat præter Deum. *Nihil tibi Domina æquale, nihil comparabile est; omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te est. Quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne id quod Deus non est:* & quod est prorsus admirabile, reples gaudio, & quod supra te est, & quod infra te est: nam mundus universus in tua Nativitate lætatur.

Damasc. Orat. de Dorm. Virg. 1. p. q. 26 a. 6. ad 4. D. Th. in c. 1. Matt. S. Bernardin. to. 1. ser. 5. a. 3. c. 2. V. Bed. in c. 1. Luc. D. Ansel. l. de Excell. Virg. c. 7.

III PARS

Ecclesia celebrat tantummodo nativitates: Christi, Deiparæ, & Joannis Baptistæ, non verò cæterorum Sanctorum: Tum quia nascuntur in miseriis quas nascentes lachrymis auspicantur. *Plus est quod de prospectu lachrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur, quo etiam præsciens, habenda sit ab ingressu nativitatis, nedum intelligens.* Ob incommoda quibus obnoxii sunt per totam vitam homines, olim Thraciæ populi nascentes cum tristitia & lachrymis suscipiebant. (Audenter pronuntio, quia principium vitæ hujus initium dolorum est. Fuerunt Philosophi hoc non ignorantes, qui in exortu pueros lugebant, in morte autem gaudebant: hoc significantes, quia homo ad laborem nascitur, ad quietem moritur.) Tum quia peccatores veniunt in mundum; *adeo nulla ferme nativitas munda est*; sed maculis peccati originalis est contaminata; & ob hanc causam in Sanctorum morte diem festum agit Ecclesia, eorumque obitum natalitia nuncupat, quia moriuntur miseriis & peccatis, ut sanctitati & beatitudini æternaliter vivant. *Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cùm*

Tert. l. de An. 19. D. Aug. l. de visit. infirm. Tert. l. de An. 39. Tert. Scorp. 13.

illic

illic martyrii renascitur generositate. Quia verò beatissimæ Virginis nativitas non secus ac Christi ejusque Præcursoris, est pura, à peccato immunis & gratiâ decorata; non immerito Ecclesia cum gaudio celebrat ortum Mariæ, quæ est *natura universa delectamentum*: scilicet 1. divinæ: 2. angelicæ: 3. humanæ. Jacob. Monach. orat. de Nat. Virg.

1. Trinum invenio paradisum voluptatis; cœlestem, terrestrem, & Marianum. Cœlestem *paradisum nominemus locum divina amœnitatis recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum.* Neque solùm cœlestem condiderat Deus paradisum, in quo beati ineffabili fruuntur gaudio, sed adhuc ut refert sacer Historicus, (Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat,) ut innocuis hujus loci potiretur deliciis. *Bonitas amplius delicias adjecit homini, ut quamquam totius orbis possidens, in amœnioribus moraretur translatus in paradisum*; locum quidem corporeum, sed amœnissimum, temperatissimum, gratissimis ac placidissimis refertum deliciis, insontes lætitias copiose parturientem, & late ostentantem: unde nomen paradisi voluptatis mutuavit. Maria est tertius paradisus voluptatis; quapropter Petrus Damianus expendens istud Canticorũ (quæ est ista quæ ascendit deliciis affluens? post recensi as magna facundia, creaturas, omnes terrestres, sidereas, & Angelicas, quas præterit Deus, dũ delicias quærit, tandem concludit: *Non est locus voluptatis, nisi uterus Virginis.* Dei Filius habitat in principio à quo producitur; & ut fatur S. Zeno Veronensis antistes; *Patris ex ore prodivit unigenitus filius, cordis ejus nobilis inquilinus.* In paterno sinu deliciatur adhuc Dei filius; divina namque æterni Patris mens est origo beatitudinis Filii. *Ne dubites regem hunc esse cui perennis accubitus est paterna benignitatis diversorium.* At unigenitus Dei Filius qui requiescit in sinu Patris & in eo lætatur, remansit in utero Deiparæ & lætatus est, & ob hanc causam Maria vocitatur à Gregorio Nysseno, *radix gaudii*; & ab Andrea Cretensi nuncupatur *lætitia organum, & immensi gaudii genitrix.*

Tert. Apol. 47 — Gen. 2 — Tert. l. 2. adv. Marc. 4. — Cap. 8. — Serm. de Annunt. — Serm. 2. de æterno. gener. — D. Bern. Serm. 42 in Cant. — Orat. de Resurr.

Angelus in auspicio salutationis Marianæ lætitiam demonstrat: *Decuit latis ut praconiis Reginam salutaret*, ave dicens, id est gaude. Unde Chrysip. sic Deiparam alloquitur: *Ave, tuum enim est avere, & gaudere: quia tecum est universa lætitia thesaurus*: nempe supremus omniũ artifex, qui in te velut in præstantissimo suo opere requiescit & lætatur. Condito hoc universo requievit Deus die septima, Hebræa lectio habet: *Gavisus est*, placuit Deo opus quod fecerat, & de eo lætatus est. At quodnam est illud opus in quo lætatur & requiescit supremus artifex Deus? Profectò nullum aliud præter Virginem, ut ex Regio Vate comprobat Chrysippus: (Surge Domine in requiem tuam;) *tua enim requies est Virgo.* Et quia tota Trinitas egregium illud fabricata est opus, tota Trinitas in illo requiescit & ex illo lætatur: ut ipsamet Virgo sanctæ Mechtildi declaravit. (Sicut enim artifex, qui mirificum opus facere decrevit, magno studio præmeditatur, & in delectatione cordis sui imaginatur: sic B. Trinitas in me delectabatur & gaudebat, quia me talẽ imaginem

Orat. de Annunt. Andr. Cret. — Ps. 131 — Lib. 1.

nem facere volebat, in qua totius potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ artificium elegantissime appareret: insuper quia sciebat opus suum nunquam in me damnari.)

In quo ab Adamo multum Maria discriminatur. Adamus Dei manibus plasmatus, & flatu animatus, *innocens erat, & Deo de proximo amicus, & paradisi colonus*: at non diu innocentiam & Dei amicitiam servavit, sed peccando à Deo desciit, & in pœnam peccati adempta est illi *paradisi, gratia & familiaritas Dei*. Deus cum innocuo homine blande conversabatur, & ejus amicitia gaudebat: at ubi ab illo offensus est, tãtum abest ut ex illo lætaretur, quin imo tristatus fuisset, si divinitas potuisset esse tristitiæ capax: at beata Virgo mutuatam in conceptione innocentiam nunquã amisit: semper Deo proxima & amica fuit, majoremq; illi afferi lætitiam quàm protoparentes, quandiu in innocentia perseveraverunt: *ubi ipsi defecerunt à Domino, etiam ipse eorum consortium vitavit. Venit ipse Deus in secundum paradisum, Virginẽ dico.* In paradiso Virginis refrigeria captat ab æstu humanæ culpæ in terreno paradiso impudenter commissæ. Quapropter B Virgo nuncupatur à S. Joanne Damasceno, *inexhaustum pelagus gaudii; unica mœroris oblitteratio, pharmacum ex omni pectore dolorem propulsans.* Primordialis protoparentum prævaricatio paradisum voluptatis infœlicitavit; Dei delicias & gaudia velut in mœrorem convertit: at Virgo deperdita gaudia abunde restituit, neque à se unquam Deum expulit: unde appellatur à Germano Constantinopolitano, *hortus irreprehensibilis, thesaurus voluptatum.* Quàm locuples voluptatum thesaurus Maria, quæ abunde lætificat naturam divinam & angelicam!

Tert l. de Pat 5 | Tert. l. 2. adv: Marc. 2. | Procop. in c. 3. Gen. | Orat. 2. de Assumpt. | Ser. 2. de Dormit. Mar.

2. *Quæ illa exultatio Angelorum* quam ex Maria & per Mariam captant? Ut illius aliqualem valeamus attingere notitiam, considerandũ est quadruplex exultationis angelicæ incentivum: Lætantur primo quòd *fugantur dæmones*. Die quâ Dionysius Siciliæ tyrannus, regno spoliatus & exutus fuit, tã ingens & universalis fuit totius insulæ lætitia, ut ipsum quoque mare gaudere & jubilare videretur, prodigiose namque solum naturalem amaritudinem relinquere instar mellis indulcoratum fuit. *Mare una die dulces potus & peramœnas præbuit aquas.* Similiter nascente Virgine lætantur Angeli, quia prosternitur dæmon, & homines à dira ejus tyrannide liberantur. *Totus mundus hodie condigna jubilatione lætatur: tartarus tantummodo ululat, fremit, submurmurat; non audent ministri tartarei hodie attingere suos captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine qui pro mundi salute est dignatus nasci de Virgine.* Secundò de nativitate Mariæ, *exultat cœlum, lætentur Angeli & Archangeli*, quia paritura est supremum illorum regem. *Lætetur cœli, & exultet terra, commoveatur mundi mare; in ipsa enim concha gignitur, quæ cœlitus ex Divinitatis fulgetro in utero concipiet, & Christum ingentis pretii unionem pariet.* Christus nascens magnum cœlo terræq; attulit gaudium. *In cujus ortu lætati sunt cœli, decantaverunt Angeli laudes Deo.* Ex Cardinale autem Petro Dam. *sicuti in nativitate Christi, ita etiam in nativitate Matris Christi exultandum.* Nativitatẽ Filii celebra-

Tert. l. de Spect. 30 | Cyrill. Alex. hom. 6 cont. Nest. | Plutarch. in Dionys. | S. Ildeph. ser 1 de Assumpt. | Cyril. ib. | Pet. Dam. Orat. 1. de Nativit. Virg. 1 | Laur. Just. serm. de Nat Virg.

bravunt cum gaudio Angeli, in Matris quoque nativitate lætati sunt superni spiritus. *Sarai Abrahæ uxor cum risu dicitur concepisse & peperisse Isaac: Tu virgo, Angelis lætitiam dedisti: Regem Angelorum cum summa cœli festivitate parturiens.* Tertio, de nativitate Virginis lætantur Angeli, quia per sanguinem quem præstitura est Filio, facienda est hominum redemptio, & reparandæ Angelorum ruinæ. *Per te, ô Virgo, elementa renovantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur*, & sedes vacuæ replentur. Tandem quarto, *de plenitudine Mariæ accipiunt Angeli lætitiam*; quia ex illa gaudium accidentale mutuantur. Unde S. Ildephonsus sic de Assumptione Virginis fatur: (Hæc festivitas Assumptionis Virginis præcipua & venerabilis nobis; sed venerabilior in cœlo est Angelis, & Sanctis omnibus, quorum lætitia & gaudium procul dubio ex hujus completur diei exultatione: quando beata Dei Genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis.) Idipsum asseverat Petrus Damianus. *Hæc est illa dies quæ cœlorum officinas sublimiori gaudio cumulavit, annua mundo, Angelis continua.* In cœlo fluminis impetus lætificat civitatem Dei; *O beata Maria, inundatio gaudii, torrens voluptatis*, cœlestem lætificans Jerusalem, Angelos replens lætitia: ut ipsimet fatentur apud Georgium Nicomediensem. *Congaudent in ea universa, nostri illi exultant ordines.* Cuncti Angelorum ordines congaudent rebus universis quæ per Mariam lætantur; in Deipara & per Deiparam exhilarescunt: Deiparæ de universorum gaudio exultim gratulantur, illi adgaudent, illi lætitiam suam destinant, illi gaudium suum consecrant. *Gaude Virgo fœcunda parentum lætitia, atque hominum lætitia, & superum.* Beata Virgo supernis spiritibus affert lætitiam, parentes replet gaudio, & naturam lætificat humanam.

Andr. Mediolan de excel. Dignit Mar.
D. Anselm. de Orat.
D. Bern. ser. 98. in Cant.
Ser. 2 de Assumpt.
Serm. 40
Ps. 45
Rupert. l. 1 in Cant.
Ser. 6 de ingress. Mar. in Temp.
Joan. Geomet. Hymn. 1

3. Homines mundo dediti terrenam duntaxat concupiscunt voluptatem: *in ea gaudent, in ea avocantur, in ea gloriantur.* At veri Christiani terrenas despicientes voluptates, post Deum, (qui cùm sit summum bonum, est præcipuum gaudii objectum,) in Deipara, & per Deiparam lætantur. Obtruncato Holopherne, & fugatis hostibus, summus Pontifex Joachim cum universis sacerdotibus de Jerusalem venit in Bethuliam, ut videret Judith, eique de parta fœliciter victoria congratularetur: quæ cùm exisset obviam illi, benedixerunt eam omnes una voce dicentes. (Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.) Hanc exultantis populi panegyrim Deiparæ accommodat Richardus à sancto Laurentio: *Primum, scilicet, Tu gloria Jerusalem, vox est Angelorum, quorum ruina per eam reparata est: secundum, scilicet, Tu lætitia Israel, vox est hominum, quorum tristitia per eam lætificata est: Tertium, scilicet, Tu honorificentia populi nostri, vox est mulierum, quarum infamia per eam deleta est.* Mariæ panegyrim inchoarunt Angeli, mente Mariam concipientes, & cum ingenti gaudio in ejus honorem diem festum agentes. (Sancti Angeli conceperunt Virginem in eorum mentibus, per quã eorum ruina repararetur, & inceperunt tripudiare & facere festum magnum) concinentes: Tu gloria Jerusalem, quæ *civitatis superna invenisti restaurationem.* Cuncti homines Angelorum æmulantes melodiam decantant, Tu

Tert. l. de Spect. 28
Judith. 15
L. 1. de laud. virg.
Vincent. Ferrer ser. de Concept. virg.
D. Bern. ser 5. Cant.

S. Ephré: ser. de laud Virg. Tu lætitia Israel, tu es *pax, gaudium, consolatio, & salus mundi, tu humani generis lætitia.* Tandem fœminæ Angelorum & hominum choris jungentes suas voces, modulate cecinerunt: Tu honorificentia populi nostri: *Tu Evam in Mariam redintegrasti.* Tum quia gratiam originalem quam in sua formatione mutuata est Eva, in tua conceptione accepisti: Tum quia genuisti Redemptorem qui peccatricem Evam redimeret, & à peccato in gratiam reintegraret: *Facta est Maria restauratio fœminarum, quia per eam à ruina maledictionis probantur esse substracta.* Tum quia ut ait D. Augustinus, sancti Mariæ parentes ex filiæ natali speciale percipiunt gaudium: cujus magnitudo colligenda est ex 1. præcedenti tristitia: 2. Mariæ dignitate: 3. totius mundi bono & utilitate.

S Zen ser. de Fide. Spe. & Charitate.

Serm. 15 de Temp.

Gaudium tanto fuit majus, quo magis cunctatum, & quo major præcesserat tristitia: *Quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura, tantum est acceptius gaudium post mærorem.* Diu steriles fuerant hi conjuges, diu expectaverant, diu prolem petierant, diu illos Deus exercuerat, diu magnam illorum probaverat patientiam: Tandem voti compotes fiut, promittitur illis soboles de cœlo; respondit dilationi muneris magnitudo, & quo diutius cunctata est Dei clementia, ex pleniori gaudio sanctorum Conjugum mentem perfudit: *Bonum insolitum plus amatur, & sequenti gaudio confert dulcedinem præmissa tristitia.* Respondit mœrori lætitia, tristitiæ gaudium: Magnus mœror, ingensque tristitia sanctis Conjugibus magnum attulit gaudium, ingentemque parturivit lætitiam. Neque solum ex magnitudine mœroris metienda est lætitiæ magnitudo, sed 2. adhuc ex magnitudine prolis. Vis metiri gaudii magnitudinem? metire si potes magnitudinem Virginis. Gaudium parentum ex filia mensurandum est: quare Fulbertus Annam sic alloquitur: *Gaude & lætare, ô fœlix, pro tali filia, quoniam tali dote donata est, qua nulla ante se, vel postea meruit antecelli.* Vix ex matris utero edita est filia, cùm parentes de dotis cura angentur, parandæ dotis sollicitudo conceptam ex nativitate minuit lætitiam: quam ideo nuncupat Tertullianus, *amarissimam voluptatem.* Nascens Maria nullam affert de dote sollicitudinem; nam ingenti dote donata venit in mundum: non ut suos depauperet parentes, sed ut eos opulentissime ditet, ut eis amplissimi patrimonii, & maximæ dotis teneat locum: Et quia *commune gaudium ex justis hominibus Joachim & Anna hac die nascitur.* 3. Commune mundi gaudium magnam sanctis Conjugibus attulit lætitiam, qui commune bonum particulari præferentes, magis lætabantur de salute mundi pro qua nascebatur Maria, quã de bono particulari quod ex tali filia percipiębant. Tanti boni sive communis, sive particuliaris non fuerunt inmemores: ab Angelo namque certiores facti se pro communi mundi gaudio filiam habituros; *tunc de mutua sua visione læti, & promissa prolis certitudine securi, debitas Domino humilium exaltatori gratias egerunt: & adorato Domino domum regressi, divinum promissum, certi & hilares expectabant.* Nata autem Virgine *perpetuas simul Deo pro tanto be-*

Chrysol. ser. 84

Cassiod. l. 8. Var. Ep. 20

serm. de Nat. Virg.

L. 1. ad Ux. 5

German. Const. Orat. de Nativit. Virg.

D Hier. Serm de Nat. Virg.

beneficio gratias agebant, ait Joannes Lanspergius: Et ut major esset eorum gratitudo, acceptam à Deo filiam, Deo reddiderunt, & templo consecrarunt; ut oblatum donum esset continua offerentium gratiarum actio. Ad instar Joachim & Annæ grati erga Deum simus: & ut fatur Leo Augustus, *communi generis honori, communem faciamus honorem; communi generis gaudio, commune tripudium statuamus.* Serm. de S. Anna. Orat. 2 de Nat. Virg.

Summorum virorum natales religiose veteres observarunt. Diem illam Persæ semper sacram habuerunt, qua Xerxes accessit imperio; eam Siracusani coluerunt, quæ Timoleontem in lucem edidit; eam Athenienses quæ Socratem peperit; Romanis quoque dies illa solemnis fuit, qua posita sunt Urbis fundamenta: nec non calendæ Januariæ Titi Imperatoris ortu nobiles, Decembres Nervæ, Novembres Adriani, Apriles Antonini, Februariæ Constantini, Idus Juliæ Julii Cæsaris claræ natalibus, olim Romæ magna cum pompa celebrabantur. Sed Idus Septembres præ omnibus æterna memoria sunt venerandæ; & dies illa super omnes beata habenda, & semper sacra, quæ in lucem edidit beatissimam Virginem, quæ est *humana natura venustas.* Vere beata dies in qua nascitur Maria, quæ *omni profuit creatura, quam veluti coemptam à servitute in libertatem asseruit!* Vere beata dies, in qua mundus *paradisum suscipit animatũ, in qua sublata est condemnatio, in qua plantatum est lignum vitæ, in qua operta fuit nostra nuditas!* Vere beata dies quæ edidit Deiparam, quam Patres uno ore prædicant Redemptricem, Reparatricem, Restauratricem, Reformatricem, Remuneratricem, Cooperatricẽ, Auctricem, Mediatricem, Causam humanæ salutis, Donatricem gratiæ, cũctorum Advocatam! Vis redemptricem? Audi D. Bernardum: *De hac, & ob hanc, & propter hanc, omnis Scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est; propter hanc homo redemptus, & Verbum caro factum est.* Ille etenim sanguis qui pro salute mundi in Christi passione effusus est, *de carne Mariæ coagulatus, de ejus formatus visceribus, de ejus substantia consummatus. Sanguinem quem etiam pro Matre obtulit, de substantia Matris accepit.* Vis Reparatricem? Audi Anselmum: *Pura sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem, sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut perditi orbis Reparatrix dignissima fieret?* Vis Reformatricem? Audi piissimum & doctissimum Idiotam: *Inter omnia opera æterni Opificis, post operationem illam, qua natura nostra unitus est Filius tuus, speciale Dei opus fuisti, ô beatissima Virgo Maria; qui ad hoc te fecit, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur*; id est, suæ formæ, suo nitori, suæ pulchritudini restitueretur. Vis Renovatricem? Audi Andream Cretensem: *Senio quasi confectus mundus, per Mariam peccatorum senectam exuit, quæ sola præter naturam fuit electa ad naturam renovandam.* Unde vocitatur à Germano Constantinopolitano, *Renovatio rerum antiquarum.* Vis Cooperatricem? Audi Albertum magnum: *Maria fuit adjutrix redemptionis.* Vis salutis Auctricem? Audi Divum Augustinum:

Pet. Dam. orat. 1. de Nat. Virg. Pet. Dam. orat. 1 de Assumpt. Pet. Dam. orat. 2. de Dormit. Virg. Serm. 3. sup. Salv. Reg. Euseb. Emiss. hom. de Nat. Dom. De excel. Virg. De Contemp. Virg. c. 4 Serm. de Annunt. Serm. de lumin. Sanct. Super Missus est c. 191

Serm. 17 de Nat. Virg. *Veneremur salutis Auctricem, quæ dum Auctorem suum concepit de cælo, nobis Redemptorem præbuit in terra.* Vis Mediatricem? Audi Laurentium Justinianum: Serm. de Annunt. *Maria effecta est paradisi scala, Dei & hominum verissima Mediatrix.* Vis Causam humanæ salutis? Audi Richardum Victorinum: In c. 19 Cant. *Omnium salutem desideravit, quæsivit, obtinuit, imo & salus omnium per ipsam facta est.* Vis gratiæ Donatricem? Audi Chrysologum: Serm. 142. *Beata quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus, invenisti gratiam, Quantam? quanta superius dixerat plenam. Et vere plenam, quæ largo imbre, totam funderet, & infunderet creaturam.* Vis cunctorum Advocatam? Audi D. Bernardum: Serm. de Assumpt. *Advocatam præmisit peregrinationis nostræ, quæ tanquam Mater misericorditer & efficaciter salutis nostræ negotia pertractat.*

Licèt enim solus Christus sit causa principalis, primaria & efficiens nostræ salutis & redemptionis, quam suo sanguine operatus est, superabundáter satisfaciens pro omnibus & singulis hominũ peccatis: non impertinenter tamen Deipara nuncupatur à SS Patribus, Redemptrix, Reparatrix, Renovatrix, Reformatrix, Cooperatrix, Mediatrix, Causa nostræ salutis, gratiæ Donatrix: Tũ quia potentissimis, & efficacissimis suis precibus, suspiriis, desideriis, de congruo meruit Incarnationis accelerationẽ: Tum quia concepit & peperit Christum salutis auctorem & redemptorem, eiq; subministravit sanguinem quem in Passione effudit in pretiũ nostræ redemptionis: Tũ quia stans juxta crucem, voluntatem suam Redemptoris voluntati contẽperavit, & sanguinem quem Filio dederat, æterno Patri pro hominũ salute obtulit: D. Anton. 3. p. tit. 15 c. 20 § 1 (Quod dicitur de æterno Patre Christi, & de ejus Matre dici potest istud: Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum; scilicet crucis voluntate & affectu, quomodo non etiã cum illo omnia nobis donavit pertinentia ad salutem?) Nonne tot & tanta obtenta per Mariam beneficia sunt memoriæ consignanda, mente recogitanda, & pietate celebrãda?

In baptismo renascimur: quapropter Tertullianus de baptismate loquitur Lib. de Bapt. 20 tanquam de *sanctissimo lavacro novi natalis*: quia in illo abluitur originalis culpa in qua nati sumus, & recipimus gratiam qua Deo renascimur, ut de semetipso fatur D. Cyprianus: Epist. 1 ad Donat. *Cælitus Spiritu sancto in novum me hominem nativitas secunda reparavit.* Et quia ex Guarrico Abbate, Ser. 1. de Nat. Virg. *hodie natalem beatissimæ Virginis Matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo, de qua salus omnium voluit nasci, ut natus ad mortem, daret ad vitam posse renasci.* Si sumus per peccatum mortui, renascamur per gratiam, quia nativitatis Marianæ sanctitas, est gratia & sanctitate honoranda. Olim nonnulli principes die natalis sui cunctos subditos non secus ac semetipsis vestibus albis indutos volebant: Christiani in baptismate candida veste amicti candidam Virginis nativitatem animi nitore venerentur. D. Aug. ser. 1. de Adv. *Considerate quando aliquis homo nobilis aut potens natalem suum aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quidquid in domo sua sordidum invenerit, ordinet emundari: quidquid ineptum & incongruum projici: quidquid utile & ne-*

necessarium præcipit exhiberi: domus etiam si obscura fuerit dealbatur, pavimenta scopis mundantur. Idipsum nos præstemus in solemni Virginis Nativitate: animam nostram à cunctis vitiorum emundemus sordibus, dealbemus eâ sanctitatis nitore. Sic per pœnitentiam emundatus fuit Regius Vates, & super nivem dealbatus: (Super nivem dealbabor.) *Quid hoc loco per nivem, nisi lucem justitiæ, & candida accipimus corda Sanctorum*; qui gratiæ nitore dealbati sunt? *Candidiores nive* DEI oculis apparent. Nix suâ albedine denotat Tum gloriæ cœlestis pulchritudinem: *Quid per nivem nisi candor vitæ cœlestis signatur?* Tum ut demonstratum est ex Gregorio Magno, gratiæ & sanctitatis decorem. In resurrectione Domini quæ fuit quædam velut nativitas, quâ corpus ejus ortum est de sinu sepulchri gloriosum, Angeli apparuerunt in vestibus albis, quia ut fatur præfatus Magnus Gregorius, *in albis vestibus, gaudium & solemnitas mentis ostenditur.* Ut gaudium quo lætantur animæ nostræ in ortu Virginis ostendatur, appareant ante Deiparam in vestibus albis, *festum animæ perfecta est lætari virtutibus.* Christiani, vultis gaudere in natali Deiparæ? animam ornate gratiæ nitore, virtutum floribus, bonis vacare operibus: & ut nos hortatur Reg: Vat. (Omnes gentes plaudite manibus.) *Quid est plaudite? gaudete: sed quare manibus? quia bonis operibus: ne gaudeatis ore & cessetis manibus.* Imperfecta est lætitia, quæ bonis destituitur operibus: Perfecta lætitia quâ celebrantur Virginis natales, tria importat. Primò, munditiam cordis, quia *gaudium non nascitur, nisi ex virtutum conscientia:* secundo, laudes oris: tertio, recta manuum opera: sic jubilantes corde, ore psallentes, manibus bene operantes, dignum Marianæ Nativitatis agemus festum, *Diesq; ille, quem quisq; reformidat, æterni natalis erit in cœlo.*

Ps. 50 D. Greg: 27. c. 14 Thren 4 D. Greg. Hom. 29 in Evang: Phil Jud. de sacrific. Abel. & Cain. D. Aug. Ps. 46. Sen. Ep. 59 Epist: 103.

CONCIO TERTIA.

IN pluribus superstitiosi erant gentiles: præsertim *dum prima etiam constitutio infantis super terram Statinæ Deæ sacrum est. Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro avita, pro publica, aut privata devotione?* Quanto abominanda erat ethnicorum superstitio, tanto religiosa fuit parentum Virginis oblatio, qui filiam obtulerunt; non ut serviret idolis, sed ut vero DEO in suo templo ministraret: non ut ipsi avitam æmularentur impietatem, sed ut 1. pollicitationem DEO factam adimplerent: 2. gratitudinem suam ostenderent: 3. pietati & devotioni satisfacerent. Anna Samuelis mater sterilitate afflicta, ut obtineret prolem, obtentam se DEO sacraturam vovit: *Samuelem impetravit, & acceptum DEO reddidit, quia cum posceret, vovit.* Vovit Anna Samuelis mater, vovit & Anna Mariæ mater, & quia vovit, impetravit; *quod paritura esset ipsi DEO dicaturam se esse vovens*; natamque filiam DEO obtulit, cum

Tert. l. de An. 39 D. Aug: Ep. 121. ad probam 16 Niceph. L. 1. Hist. Eccles. 7.

tum ut pollicitationem suam adimpleret: tum ut DEO gratitudinem suam ostenderet. Quapropter Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus Annam sic loquentem inducit, *Adjunxi insuper me Domino donum gratitudinis oblaturam fœtum quem mihi dedisset: ut esset, maneretq; in templo sancto suo tanquam sacrum donarium, manuq; pretiosissimum mihi ab ipso datum perfectorum donorum liberalissimo datore.* Tandem ut pietati & devotioni suæ satisfaceret, *non cunctata est Anna eam ad templum adducere, & DEO reddere ac promissum præstare.* Nam juxtà quorundam sententiam statim ac Virgo biennium complevit, à suis parentibus adducta est in templum: communis tamen est opinio trium annorum fuisse cum est oblata in templo: Ita scribit Evodius apud Nicephorum : *Trimata cum esset in templum est præsentata.*

Orat: de Præsent Virg. — Gre. Nyss. Orat: de Nat. Chr. — Lib. 2. c. 3

Multum commendatur Abrahami pietas filium suum immolare volentis ut imperanti DEO obtemperaret: Abrahæ tamen pietati, Annæ matris Samuelis pietatem præponit D. Chrysostomus; quia *ille postquam petitus erat, filium suum dedit; ista verò ante petitionem dedit.* Utique præferenda est Anna Mariæ mater. Abrahæ quidem, quia filiam Deo obtulit, antequàm DEUS filiæ postularet oblationem. Matri etiam Samuelis, quia nobiliorem longè prolem templo sacravit. Oblationem illam suis quoq; digniorem fatentur Angeli. *O terrenam naturam, suas ipsius rationes supergressam; O quæ incomparabilibus modis, ejus superavit modos! O quales suarum frugum primitias natura humana obtulit Creatori! Qualem oblationem fecit! plane DEO dignam, nostro ipsorum spirituali sacrificio ac oblatione spiritualiorem, sacratiorem puriorемque nostra puritate. Etenim ut nostra innocentia cum ea compararetur, prorsus invenitur à similitudine deficere; ut ejus sanctitatis ac incontaminatæ munditiei excellentiam, æqualibus modis minime assequatur.* Tria sunt quæ Virginis Præsentationem commendant. Offerentium pietas, doni dignitas, præsertim Virginis occupatio, quæ ad nihil aliud vacabat nisi ut 1. templum sanctificaret: 2. Patriarcharum vota & desideria consummaret: 3. DEUM glorificaret.

Hom: 24 in Ep. ad Ephes. — Gre: Nicomed. Ser: 6. de ingressu Vir. in templ.

Salomon *primus omnium templum DEO dedicavit.* Templum autem DEO dedicatum trinâ ratione sanctum nuncupatur. Tum quia in illo ob opera virtutũ elucet sanctitas: Tũ quia in illo cõmunicatur sanctitas: Tum quia ab usu prophano removetur, & divino cultui sacratur. Trinum invenio templũ: materiale ex lignis & lapidibus constructũ, spirituale nempe animã; corporeum, humanũ scilicet corpus. Trinũ illud templũ sanctificavit in sua Præsentatione beatissima Virgo. 1. Salomonis templũ, ob eminentẽ quam operata est virtutem & pietatem: 2. Animam suam ob abundantem quam accepit à Spiritu S. gratiarum largitatem: 3. Corpus suum, ob consecratam DEO virginitatem.

I. PARS — Tert. l. de Pud. 16

1. *Ante omnia DEVS erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia.* Mundo autem condito, ultra præsentiam illam comunem, quâ ratione immensitatis suæ adest cunctis rebus per essentiam, præsentiam & potentiam, specialiter præsens erat *templo tam memorabili* à Salomone exstructo, & divinæ

Tert. lib. adv. Prax. 5 — Tert. l. 1. ad Nat. 11

maje-

majestati dedicato. Huic templo à suis parentibus hodie præsentata est Maria, & quia ipsa cœlitus illustrata *Intellexerat veram se DEO omnipotenti oblationem, apud verum templum*, sedulo vacabat pietatis operibus, ut studio virtutis sanctificaret templum in quo morabatur, & ad quod à suis parentibus fuerat oblata. Idcirco Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Annã Zachariæ sacerdoti sic loquentem inducit: *Accipe ô Propheta, meam à DEO datam filiam, & introductam planta in loco sanctuarii, in prompto DEI habitaculo.* Quid plantatam in templo vult Anna filiam, nisi ut sit fœcunda virtutibus, & pietatis fructus abunde ferat? Quod ipsamet fatetur Virgo apud Regium Vatem: (Ego autem sicut oliva fructifera in domo DEI.) Per olivam illam fructiferam, Mariam intelligit Damascenus: per domum verò DEI templũ in quo fuerat oblata Virgo, ut uberes sanctitatis produceret fructus, *Adducitur Deipara in templum atq; in domo DEI plantata, atq; per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ virtutum omnium domicilium efficitur.* Ad hoc ut arbor sit bonorum fructuum feracissima, tria requiruntur; 1. ut ejus germen sit optimum: 2. ut in bono plantata sit solo: 3. ut agricolæ diligentia sit exculta: *Porrò ut frugum seminibus, alia integro statu evadunt pro conditione cœli & soli, pro ratione operis & curæ, pro temporum eventu.* Maria oliva frugifera virtutum; quia 1. germine sanctitatis ornata: 2. in domo DEI plantata: 3. à Spiritu sancto exculta & saginata, fit DEI domicilium, suamque animam DEI templum per acceptam gratiam sanctificat.

Tert. l. 4. adv. Marc. 35

Ps. 51

Lib. 4. de Fid: 15

Tert. l. de An. 19

2. *Templum DEI sanctum est, quod estis vos.* Omnis anima gratiâ decorata, est DEI templum: in qua tanquàm in suo sacrario habitat: at beatissima Virgo potiori jure est DEI templum: Tum quia in sua conceptione fuit sanctificata & DEI tabernaculum effecta: *Beata anima apud quem DEUS requiem invenit, & in cujus tabernaculo requiescit; Beata quæ dicere potest: Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Tum quia gratia quam in sua creatione accepit erat excellentior & major quâvis gratiâ quam in baptismate susceperunt cæteri mortales. Et ob hanc causam *Virginem Mariam sancti Spiritus gurgite plenam* prædicat Venerabilis Beda. Tum quia acceptam à vitæ exordio gratiam nunquam amisit: quoniam *à DEO electam & prælectam totam eam rapturus erat sibi Spiritus S.* Tum quia singularis est inter Adæ posteros, quæ fuit in sanctitate concepta, in gratia semper conservata, abundantiori gratiâ cumulata. Nam ut ei congratulatur Petrus Dam: *Sola electa es cui tanta gratia conceditur.* Tot gratiæ privilegiis ornata Virgo peculiari quodam modo erat DEI templum; & ut fatur Georgius Nicomediensis, *Animata DEI civitas.* Idem auctor de Mariæ præsentatione in templo sic belle ad propositum philosophatur. *Hodie animatũ templũ in templo offertur: hodie spirituale tabernaculum, fausta nuntia gratiæ, legali ordini præfert: hodie vasculum Spiritûs in templo depositum, suscipiendo verbo DEI aptatur. Neq; enim decebat ut tabernaculũ illud mundissimũ, in mũdi sordibus versaretur; sed ut in irreprehensibilẽ translatũ locũ, primos illic gaudii gustus susciperet; ut illic mysterii symbolo subministrata Angeli manu annona aleretur.* Plura notatu dignissima dicit Nicomed.

Tert. l. de Pud. 16

D. Bernar lib. Medit. c. 1

In cap. 1. Matth.

Pet. Dam. Serm: de Annunt.

Serm. 1. de Nat: Virg.

Orat. 5. de Præsentat Virg.

Orat. 4. de Præsentat. Virg.

an-

antistes. 1. Celebratam suâ ætate Virginis Præsentationem denotat: 2. Mariam animatum DEI templum in templo oblatam asseverat: Non est autem animatum DEI templum, nisi ob gratiam qua ejus anima vivebat: 3. Non decebat ut Maria tabernaculum DEI mundissimum inter mundi sordes versaretur: sed conveniens fuit ut habitaret in templo sanctitati & divino cultui dedicato. 4. Conveniens erat ut Virginis tum anima tum caro suscipiendo Verbo DEI aptaretur: 5. In templo Maria primos gaudii fructus suscipiebat, per continuam cum DEO conversationem, per internam Spiritus sancti consolationem, per frequentem Angelorum apparitionem: 6. De Angelorum manibus cibos suscipiebat; mysterii autem symbolo. *Is porrò qui inferebatur cibus ipsum panem vitæ specie exhibebat.* Plus audet Andreas Cretensis, & Spiritum sanctum nutritium Virginis in templo prædicat; *Tunc planè, tunc sanctorum illa patuerunt sancta, cum sanctissimam sancti matrē, intra aditorum gremium reciperent: porrò congrua ei profertur esca; hactenusq́, alit nulla hominum manu comparato cibo, qui modicum aliquantulum ejus est alendus lacte, ac Spiritus sanctus nutricius efficitur Virginis*: Sancta sanctorū quæ solis patebant summis Pontificibus, ad recipiendam Virginem in sua Præsentatione patuerunt: Maria autem nutrita fuit in templo non communi cibo hominum manu comparato, sed pane Eucharistiæ symbolum & similitudinem præferente, & quasi parum esset Virginem de manu Angeli suscipere annonam, Spiritus sanctus ejus nutritius esse voluit. Nutritius præter congrui alimenti præbitionem, reliqua officia, & obsequia omnia importat: Virgo in templo præsentata futura est mater & nutrix unigeniti DEI, ut nutrix ipsa lactabit infantem DEUM purissimo uberū lacte, illa illū fasciis stringet, tanquàm gerula in sinu portabit, in pedes eriget, & incedere docebit ac faciet: Spiritus S. Virginis nutritius eadē quodammodo Mariæ in tēplo exhibet officia, quæ Verbo humanato præstitura est Maria tanquàm ejus nutrix. Bone DEUS! quantis gratiæ splendoribus ornabatur in templo animatum DEI templum.

Georg. Nicom. Orat. 6

Orat. 1. de Nat. Virg.

Plura concurrebant ad sanctificandam Virginis animam, animatam DEI civitatem: 1. Parentum pietas & oratio, qui oblatam DEO filiam suis precibus sanctitate incrementate nitebantur: ideò Joachim & Annam eloquenter alloquitur Leo Augustus: *Pro felici partu gratias habituri pergitis, sacrisque initiationibus tanquam signaculis filiam obsignaturi: at cujus germen precibus excoluistis, eam precibus augendam ac consummandam credatis.* 2. Spiritus sanctus qui proprio charactere est donum, eam opulenter gratiæ ditavit gazis, & donum præstantissimum effecit. *Donum donorum omnium præstantissimum est Maria Virgo.* 3. Ipsamet Maria gratiæ respondens novos jugiter acquirebat sanctitatis gradus, & magis ac magis animatum DEI templum sanctificabat. Quare Jacobus Monachus, postquàm de Virginis nativitate locutus est: *Quàm sanctus locus, & gloriosi lares ubi edita est DEI sanctificatio!* de ejus Præsentatione sic fatur: *Sancta sanctorum ad suscipiendam parabantur, quæ sola sanctificatio existit.* Magnā parētū precibus suscepit Maria sanctitatē, multo

Orat. 2. de præsentat. Virg.

Pet. Dam. Orat. 1. de Nat. Virg.

Orat. de Nat. Mar.

multo majorē mutuata est à Spiritu sancto: sed maximā ipsamet sibi cōparavit, jŭstitiæ operibus sedulo vacans. Unde præfatus Jacobus sic eam alloquitur: *Magnum quid reipsa extitis, Dominiq; gratia certum argumentum.* Nam sicut ex effectibus certo causa cognoscitur, ita ex operibus sanctificationis B. Virgo demonstrabat gratiam, quæ interius animam ejus velut templum DEI animatum sanctificabat, suumque corpus tanquàm templum dignissimum DEO etiam consecrabat.

3. Corpora nostra templum sunt DEI. *Non scitis vos templum DEI esse, & in vobis Dominum habitare?* Hunc loquendi modum ab Apostolo mutuavit Tertull. Paulus ut Christianos ad castitatis amorem sufflammet, revocat ad eorum memoriam córpora eorum facta fuisse in baptismate templum Spiritus sancti: *Nam cum omnes templum DEI simus, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, ejus templi aditua & antistita pudicitia est, quæ nihil immundam & profanum inferri sinat, ut DEUS ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Sed longè nobiliori modo caro Virginis est DEI templum. Unde decantatur à D. Damasceno, *latum divinitatis promptuarium*; seu divini Verbi conceptaculum, ex qua DEUS deprompsit humanitatem, sibiq; personaliter univit. Propheta Evangelicus vidit (Dominum sedentem super thronum excelsum & elevatum.) Nimirum super Virginem, expendit Bernardinus Senensis; thronum *excelsum quidem & elevatum ratione dignitatis latissima.* Throni illius sublimitatem & celsitudinem cum stupore mirantur Angeli. *Deipara etiam cœlorum virtutes in stuporem convertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Cherubim ac Seraphim, & exhorrescebant: expectabant Virginem cœlum & thonum, & formidabant dum aspicerent eum, qui principio caret, descendentem à throno Cherubico, in utero Virgineo sedere.* Verum cur DEUM in sublimi illo throno sedentem formident Angeli, cur cœlum perhorrescant, belle declarat S. Ildephonsus. Quia scilicet *in Maria tota majestas DEI versatur.* Annon tota Deitatis majestas apparet in cœlo, in Cherubico solio? annon in ultimo judicii die tota Deitatis apparebit majestas, dum Christus veniens mundum judicaturus sedebit super sedem majestatis suæ? Aliter tamen versatur tota Deitatis majestas in Virginis utero: non solum per habitationem; quomodo Richardus à S. Laurentio expendit Isaiæ vaticinium 62. (Terra tua inhabitabitur:) id est *caro tua fœcundabitur Christo inhabitante.* Non per simplicem præsentiam: quomodo Deus adest Sanctis gratiâ decoratis: *Habitat in Angelis DEUS; sed non cum Angelis: quia cum illis ejusdem non est essentia. Habitat DEUS in Virgine, habitat cum illa: cum qua unius natura habet identitatē:* etenim *is qui eodem cum Patre throno sublimis sedet, fœmina fit concorporalis*; sumens de fœmina carnem in qua habitat plenitudo divinitatis corporaliter. Proclo arridens Damascenus inter alia mirabilia Virginis quæ stupet, miratur potissimum intimissimam illam Dei cum Deipara in carne unionem. *Sane res omnes conditas dignitate antecelluisti: ex te enim sola summus ille opifex partem assumpsit, hoc est massæ nostræ primitias: caro ipsius ex carne tua, & sanguis*

Tert. l. de Pud. 16

Tert. l. 2. Cult. Fœ. 1

Orat. 1. de Mar. Nat:

Isa. 6

To. 3. Ser. 11. a. 3. c. 1

D Epiph: Serm. de laud. Virg

Serm. de Purif.

Lib. 10. de laud. Virg

Petr Dam. Serm. de Nat. Virg.

Procl. Orat. 2

Orat: de Nat Dom.

ex ſanguine tuo, & lac ex mammillis tuis ſuxit DEVS, & labia tua DEI labiis unita ſunt. Ex ſola Deipara divinus opifex, partem aſſumpſit, ſed qua tota tunc Chriſti caro conſtaret. Pars eſt reſpectu ad Mariam de quâ ſumpta eſt; ſed reſpectu Chriſti, ſine patre homine in terris nati, eſt totum Chriſti corpus: tantoque digniori modo caro Mariæ DEI eſt templum, quanto totum Chriſti corpus ex ejus viſceribus mutuatum eſt.

Verum quod eſt majori adhuc ſtupore digniſſimum, ut Maria templum illud in quo DEUS carnem ſumere debebat, magis ſanctificaret, ſtatim ac fuit in templo præſentata, ſe DEO per votum Virginitatis conſecravit. *Quibus ergo encomiorum coloribus Virginalem depingam imaginem? quibus laudum præconiis incontaminatum exornabo caſtimoniæ characterem, & hoc penetrale innocentiæ ſacrarium?* Character eſt indelebile notaculum perpetuo hærens ei cui ſemel imprimitur: Maria caſtimoniæ ornatur charactere; non ſolum quia ſemper incontaminatam ſervavit animi puritatem carniſq; integritatem, ſed quia Virginitatem ſuam in templo DEO vovit & conſecravit. *Egregia Maria quæ ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Chriſto vexillum levavit.* Omnium namque prima virginitatem ſuam DEO vovit, ut alioi ſum fuſe demonſtratum eſt: multiſque encomiis commendata eſt ibidẽ virginitas. Verum ut acutè ait D. Aug. *Neq; enim & virginitas, quia virginitas eſt, ſed quia DEO dicata eſt honoratur: quæ licet in carne ſervetur, ſpiritu tamen, religione ac devotione ſervatur.* Admiranda eſt Mariæ Virginitas, ſed magis ſtupendum virginitatis votũ quod emiſit tempore legis Moſaicæ, in qua mulieris fœcunditas erat in honore, & virginis ſterilitas in opprobrio. Virginalẽ tamen pudicitiã prima omniũ conſecravit, tantiq; exiſtimavit, ut ex mente Greg: Nyſſ. recuſaſſet divinã Maternitatẽ, ſi ei non contigiſſet, niſi virginitatis diſpendio. Quapropter D. Athanaſius, prodit Virginem poſt audita Angeli verba: (Ecce concipies in utero & paries Filiũ,) *diligenter omnia conſervantem & cum virginitatis conferentem ſignaculis:* ſcilicet promiſſam DEI maternitatem cum virginitatis voto quod nulla de cauſa volebat violare.

Procl Ora 6 in Deip.

D. Ambr. l. de Inſtit. Virg. c. 5.

Tert. Præ. to 1 Tract. de perſe. Angel.

Conc. 6

L. de ſanct. Virginit. c. 8.

Orat. de Nat. Chr.

Luc. 1.

Maria trinum DEI ſanctificavit templum: quia donum DEI decet ſanctitudo. Ad inſtar ſacratiſſimæ Virginis trinum ſanctificemus templũ: Materiale vacando in Eccleſia pietatis operibus: ſpirituale, nempe animas noſtras, ſervando eas in gratia, ut DEUS habitet in illis velut in ſanctuario: corporeũ, ſectando pudicitiam & caſtitatẽ. Si Virginis exemplum non eſt ſatis efficax, ad ſuadendã templi ſanctificationẽ, ſaltem id præſtemus ad fugiendam DEI juſtitiã, *qui & templo ſanciendo, purificandoq; æditualẽ legẽ ſcripſit: Si quis templũ DEI vitiaverit, vitiabit illum DEVS:* Timeamus minitantem DEUM, imitemur Virginis exemplum, quæ templum in quo fuit præſentata ſanctificavit; & Patriarcharum & Prophetarum vota & deſideria conſummavit.

Tert. l. de Pud. 16

II. PARS

Chriſtus Dominus eſt in cœlum *ſublimatus in conſummationem.* Tum quia ſupra omnes Angelorum ordines ſublimatus ſedet ad dexteram Patris: tum quia in cœlo regis conſummat dignitatem, & agnoſcitur à cunctis

Tert. l. adv Jud. 14

cœ-

cœlestibus spiritibus tanquàm Rex regum & Dominus dominantium: Tum quia in cœlo apparet vultui DEI pro nobis, iramq; Patris mitigat; ostendens ei cicatrices cruciatuum quos pertulit in cruce ut pacificaret per sanguinem suum & quæ in terris & quæ in cœlis sunt. Uti Christus in consum̃ationem ascendit in cœlum, ita Maria nascitur in terra in consummationẽ: Tum quia Deiparæ dignitas cunctis eminet puris creaturis: Tum maximè quia hodie præsentatur in templo, ut 1. Patriarcharum & Prophetarum vota & desideria consummet: 2. iram DEI mitiget: 3. Verbi Incarnationem acceleret.

1. *Quoniam ipse est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ de eo Prophetæ nuntiaverant.* Quod de Christo asseverat Tertullianus, idipsum fere de Virgine affirmat Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Mariam vocitans *veteris novique Testamenti sigillum; totius prophetiæ clarissimũ supplementum.* Christus est omnium Prophetarum signaculum, quia suo adventu consummavit eorum prophetias, adimplens omnia quæ de ipso fuerant vaticinati: *Post enim adventum Christi & passionem ipsius, jam non visio neque prophetes est, qui Christum annuntiet venturum.* Maria est Prophetarum sigillum & clarissimum Patriarcharum supplementum, eorum vota consummans, & obtinens Verbi humanationem, quam ipsi tanto ardore desideraverant. Scientes namque ex divina illustratione, DEUM nasciturum ex Virgine, enixe etiam Deiparæ optabant nativitatem, cum suspiriis & lachrymis deprecantes: *Rorate cœli desuper & nubes pluant justum: aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Terræ nomine passim Mariam intelligunt Patres, cujus desiderabant ortum, ut ex illa oriretur Salvator. Non est prætereunda pia Seraphici Doctoris meditatio, quâ beatam Virginem in semetipsa sic loquentem inducit: *Cum pater meus, & mater mea me dimiserunt in templo, statui in corde meo, habere DEUM in patrem, ac frequenter cogitabam quid possem facere DEO gratum.* Ex mente D. Bonaventuræ antequàm nosset Virgo se esse prælectam ad divinam Maternitatem à DEO suis precibus postulabat ut posset videre DEUM humanatum, sanctissimamq; ejus Matrem laudibus prædicare. *Petebam ut faceret me videre tempus in quo esset nata illa beatissima Virgo quæ debebat Filium parere, & conservaret oculos meos, ut possem eam videre: linguam, ut possem eam laudare,* Deus non solum Mariæ concessit, ut DEI Matrem videret & laudaret, sed ut ipsa DEUM in utero conciperet, pareret, lactaret, & cũ eo tanquã vera ejus Genitrix triginta tribus añis conversaretur.

[Margin: Tert. adv Jud. 8 — Orat. de Nat. Virg. — Tert. — Isa. 4 — Opusc. 3. de Vit. Chr.]

Christus Dominus volens quatriduanum Lazarum ad vitam revocare, Mariam Magdalenam prius accersit: quâ ratione autem Mariæ præsentiam ad resurrectionis miraculum præstruere voluerit Salvator, eloquenter declarat Chrysologus: *Ubi Martha confessa est Christo, mittitur ad Mariam: quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari; Veniat Maria, veniat materni nominis bajula, ut videat homo Christum, Virginalis uteri habitasse secretum.* Natura humana peccato Adami mortua, revocanda erat ad vitam per Christum. Hominum redempto-

[Margin: Serm. 64]

 dempto-

demptorem videre exoptavit Adam humani generis princeps ; Abraham pater fidei ; Isaac obedientiâ commendatus ; Jacob Angelorum familiaritate potitus ; Joseph castitatis custos integerrimus, Moyses famulus DEI fidelissimus, David mansuetudinis observantissimus ; cæterique Patriarchæ ac Prophetæ, non tamen viderunt ; veniat Maria, aperiatur terra & germinet Salvatorem : Natâ namq; Maria & divino cultui in templo præsentatâ:

Ter: l. adv Jud: 13 *Terra dedit benedictiones suas, utique, illa terra Virgo, nondum pluviis rigata, nec imbribus fœcundata, ex qua tunc homo primum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundùm carnem ex Virgine natus est.* Uti terra de qua plasmatus est primus homo erat virgo ; ita Maria de qua natus est secundus Adam fuit Virgo : Terra illa nondum pluviis rigata aut imbribus fœcundata dedit benedictiones suas, Patriarcharum & Prophetarum desideria consummans, DEUMq; adversus homines iratum placans.

Tert. l. de Pœn. 2 2. *DEUS post tot & tanta delicta humana temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum sæculi dote, post ejectum paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi & imagini suæ.* Non est explicatu facile quid velit Tertullianus dum ait DEUM maturavisse ad suam misericordiam, quando divina Justitia adversus hominum genus agebatur in iras,

Rhenan. & furores vindictasque eructabat. Nonnulli volunt DEUM maturavisse

Cerd. idem esse ac mature ad misericordiam suam se recepisse: Addunt alii, confugisse ad suam misericordiam tanquàm ad receptaculum, ut justitiæ mitigaret rigores. Tandem nonnulli censent misericordiã fuisse conceptaculum Incarnationis, quâ Verbum humanatum divinæ satisfecit Justitiæ. Beatissi-

Orat. 1. de Nat: Mar. ma autem Virgo fuit quasi misericordiæ conceptaculum , quia ut fatur D. Damascenus, *DEI misericordiam parit* : quasi non tantum Christus, sed etiam Christi misericordia sit Mariæ soboles. Eadem est mens D. Augustini qui

Ser. 2. de Assumpt. Deiparæ gratulatur, quod pepererit misericordiam : *Fac benedicta per misericordiam quam peperisti.* Plutarcho teste, si aqua maris ex sua natura salsa,

L. de Prov Animal. amara, insipida, & ad potum minimè apta , in vase quodam ceræ virgineæ purificetur, non amplius est salsa, amara, insipida, sed dulcis, suavis, lapida, potuique gratissima. Ante Verbi Incarnationem propter peccata hominũ

Osee 14 amarissimus erat DEUS. *Pereat Samaria quoniã ad amaritudinẽ cõcitavit DEUM suũ*: at ubi imensum Deitatis pelagus conclusum fuit in utero Virginis, justitiæ amaritudines imutavit in dulces misericordiæ suavitates. Quod vaticinatum fuit ab Esdra juxtà Vatabli translationem: *Mulier portentum pariet, &*

Lib 4 *in dulces aquas salsa mutabuntur.* Mense Augusto quo sol est in signo leonis, ardentes emittit radios acriq; æstu terrã urit & torret; mense verò Septembri quo signũ & domũ ingreditur Virginis, mitioribus radiis, & benigniori influxu terrã lustrat. Ante Mariæ natalẽ regnabat DEUS in signo leonis, unde vo-

Amos 3 cabatur leo rugiẽs: *Leo rugiet, quis non pavebit?* Natã autẽ Maria mẽse Septéb. leo ingreditur signum Virginis, deponitque leonis furorem, & agni sumit

mao-

mansuetudinem, & à Joanne præcursore tanquam agnus digito demonstratur. Olim Deus ultionum, Deus exercituum, ignis consumens, nunc Deus consolationis, Deus pacis & dilectionis, Deus misericordiæ & miserationis. Unde hæc mutatio, nisi quia sol à signo leonis egrediens, ingressus est signũ Virginis? *Sol justitiæ Deus noster in veteri Testamento erat ut leo rugiens, peccatores terribiliter puniens; sed in uterum Virginis intrans, factus est totus benignus, suavis & humanus.* D. Anton. 4. part tit. 5. c. 22

Duplex est Christi nativitas; æterna una, temporalis altera. Ab æterno à Patre generatur, in tempore de Maria nascitur. Primã nativitatem declarat ipsemet Pater æternus Filio dicens apud Regium Prophetã: *Ex utero ante luciferum genui te.* Ps. 109 Secundã nativitatem Virgini annuntiat Angelus: *Ecce concipies in utero & paries filium.* Luc. 1. In æterna generatione Filius accepit à Patre misericordiam, velut dimidiatam, in temporali verò nativitate accepit à Matre completam misericordiam; Humano more loquendo, duo ad misericordiã concurrere videntur. Unum, vera & sincera voluntas sublevandi alienã miseriam: aliud, alienæ miseriæ compassio. Ante incarnationem Deus velut dimidiatã habebat misericordiã, non enim humanis miseriis compatiebatur, hæc namque compassio cum divina immortalitate & immutabilitate incompatibilis est: erat in Deo misericordia secundùm effectum, sed non secundùm sensibilẽ affectũ: misericordiæ quidem largiebatur effectus, homines à suis miseriis liberans vel sublevans, in semetipso tamen nullo pietatis & compassionis movebatur affectu: at in Incarnatione completã habuit misericordiam, sumens in utero Virginis humanã naturã ad pietatem sensibilẽ, & compassionis capacẽ. *Dei Filius suapte natura sanctus, in utero virginali, seu natura officina quoad Incarnationem, mirabiliter seipsum concludit: humanitatis enim studiosus est.* Andr. Jerosol in salut. ad Virg. Dei Filius humanitatis & pietatis fuit studiosus: quia à Matre accipiens humanam naturam, indolem accepit humanitatis & pietatis studiosam. Maria erat ad pietatem propensa; non degeneravit à Matre Fili⁹, sed potius Matris indolem & naturam expressit: præsertim cùm sanguis de quo coagulatum fuit Christi corpus, eruperit, ut nonnulli meditãtur è Virginis corde, quo Filius haberet indolem ad misericordiã, pietatem & compassionem magis propensã. Apud Abul. in c. 12. Levit. Quod ipsemet innuit Salvator aiens apud Job: *Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Cap. 31 A Patre Deo infinitã misericordiam accepit Christus, à Matre Virgine humanæ misericordiæ habet indolẽ. Noverca, Pater & Mater coronarunt Christum, ait Hugo Carensis. In cap. 3. Cant. Noverca synagoga corona spinea & miseriæ; Pater corona gloriæ, Mater corona pietatis & misericordiæ. Nam *eum concepit, & peperit, & coronã capiti ejus æterna pietatis imposuit.* D. Ambr. lib. de Inst. Virg. c. 16 Christus à Deo Patre corona gloriæ coronatur, at mater Virgo Filium Deum de suis purissimis visceribus concipiens, in eo impresse exprimens suæ miserationis indolem, coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit; Tum quia ab æterno electa est ut Filio daret indolem ad misericordiam propensam: Tum quia in æternum Cœlicolæ decantabunt Christi pietatem qua capiti suo obtinuit coro-

nam. Pueri simul cum lacte nutricum hauriunt indolem. Remus & Romulus fuerunt ad latrocinia & homicidia proni, quia fuerunt à lupa lactati; Agis lacte Cervæ nutritus fuit in cursu velocissimus; Caligula hauriēs lac sanguine mixtum, fuit crudelis: & Christus fuit ad pietatem propensus, quia lactatus fuit à Maria Virgine, quam *venam misericordiæ* merito nuncupat D. Bonaventura.

In Psalt. Virg.

Neque beata Virgo duntaxat divinam justitiam placat, quia Christo indolem ad misericordiam pronam mutuat; sed adhuc quia iras divinas mitigat, & divinam vindictam ab hominum capitibus avocat. *Hæc illum qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto.* De æterna Dei sapientia loquitur Sapiens, quæ criminosum hominem præ Angelis Apostatis redemit. Plures afferunt Theologi rationes quibus probare contendunt conveniens fuisse ut Deus hominem potius quàm rebellem Angelum redimeret. Cæteris prætermissis adducendus est D. Bernardinus belle hac supra re ratiocinans: (Adam & Eva non solùm mortis, sed & annihilationis exterminium meruerunt, & divina ultio, quæ personarum acceptionem ignorat, sicùt nec culpam Angelicam, sic etiam nec humanam dimisisset impunem, sed propter præcipuam reverentiam, & singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, præservavit; quia eam ab æterno super omnes creaturas Deo non uniendas, quæ creandæ erant super excessive dilexit. Propterea præservati sunt protoplasti, nec ut merebantur in nihilum sunt redacti.) Præsciebat Deus Mariam nascituram non ex natura infœcunda Angeli, idcirco Angelum damnavit, Adamum verò & Evam non annihilavit, propter Mariæ ex illis nasciture reverentiam, & singularem dilectionem quam præ cæteris puris creaturis diligebat.

Sap. 10

To. 1. Ser. 61. c. 2

Quærit D. Ambrosius cur Deus qui præsciebat Evam peccaturam, & Adamum ad peccandum adducturam, dixit: (Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.) Nonne melius fuisset hominem fuisse solum, quàm male associatum: (Non videtur otiosum qua ratione ubi solus factus est Adam, non solum nequaquam prædicatio boni complacito operi adjuncta sit, sed etiam dictum sit, non bonū esse solum hominem, cū sciamus quod antequam fieret mulier non erraverit Adam: postea verò mulier est facta, prior divinum prævaricata mandatum, etiam virū suum traxit in errorem, & incentivum ejus extitit: Si igitur viro culpæ auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta?) Hoc dubiū proponit Mediolanensis Antistes, & acute solvit, subjungens: *Verum si consideres quia Deo universitatis est cura, invenies plus placere Domino debuisse, id in quo esset causa universitatis, quàm condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati.* In Eva efformanda vidit Deus causam originalis peccati, omnem humani generis massam per Adamum corrupturi: asserit tamen bonum esse producere Evā, solerter hominum universitati providens: ex illa enim prima Eva, Eva secunda nascitura erat, quæ humano generi plus prodesset, quàm prima mulier

Gen. 2

L. de Paradis. c. 10

lier obfuit, dum incentivum peccati extitit. Tantum universitas hominum debet Deiparæ ut dicatur à Leone Augusto *Eva emendatio*, & prædicatur à Jacobo Monacho, *prima parentis gloriatio*. Orat. 1 Orat. de Nat. Mar.

Regius Vates de semetipso sic fatur: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. D. Hieronymus legit; *Recogitabam*: alii verò, *Supputabam dies à primordio*. Subjungit D. Augustinus; *in secretario sua mentis*. Verum quid recogitabat, quid supputabat, in secretario suæ mentis? Respondent in persona Regii Vatis Patres Græci: *Quomodo quidem Deus populum adjuverit*, omnia retro sæcula quæ dies antiquos nuncupat, supputabat David, futura etiam quæ vocitat annos æternos prospiciebat, & in mentis secreto recogitabat quomodo olim Deus omnibus omnino sæculis benefecerit adspectu ad Mariam nascituram, & Deiparam mirifice futuram: (Propter istam nobilem creaturam Deus salvavit parentes primos de prima eorum transgressione, Noe de diluvio inundante, Abraham de sede regis Chodolahomor, Isaac de Ismaele, Jacob de Esau, Judaicum populum de Ægypto, & de impia Pharaonis manu, & de mari rubro, & de vitulo in deserto; de manibus diversorum Regum & tyrannorum, scilicet de captivitate Babyloniæ & Assyriorum; David de leone & urso, de Goliath & Saule; & ut brevi sermone cuncta comprehendam, omnes liberationes & indulgentias factas in veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse propter hujus benedictæ puellæ reverentiam & amorem, quam Deus in suam prædestinationē præhonorandam cunctis operibus suis prædestinavit.) Dies illos antiquos recogitabat Propheta & in secreto mentis supputabat sæcula quibus profuerat nascitura Virgo; quæ ut ait Sophronius est *cunctis sæculis sacramentum*: nam præteritis profuit, præsentibus præstat auxilium, & futura fœlicitabit. Quare, ut ait Damascenus Mariam alloquens, *certabant sæcula quodnam maxime ortu tuo gloriaretur. Verum eorum concertationem, præfinitum Dei, à quo sæcula facta sunt consilium superavit, & postrema prima facta sunt, dum ipsis fœlicissima tua Nativitas obtigit*. Postrema sæcula de Deiparæ nativitate gloriantur, quia tamen Virgo, ut ait Anonymus, *est temporum fœlicitas*; Deus illam voluit præfigurari per lunam: *A luna signum diei festi*. Uti enim Judæi accipiebant à luna signum & indicium diei festi: nam festum Neomeniæ, id est, novæ lunæ, incidebat in novilunium: festum verò Paschæ, à quo cætera computabantur, incidebat in plenilunium. Non absimiliter Maria per lunam significata, est signum lætitiæ & fœlicitatis cunctarum nationum. *Ipsa enim est signum ævi, insigniens omnem ætatem, præsentem, præteritam, & futuram*. Virgo Deipara est omnium temporum decus; & licèt in una duntaxat ætate nascatur, insignem tamen reddit omnem ætatem. Quasi parum foret quod Maria ortu suo suam ætatem insigniter fœliciter, & fœliciter illustret: nisi etiam antiqua retro sæcula, & mox exinceps perpetuo futura suis fulgoribus irradiet, præsidiis fulciat, & favoribus opulenter ditet. Ut sit temporum fœlicitas, fœlicitatem ad omnes temporum differentias debet extendere, & subvenire præterito, præsenti, & futuro.

Ps. 76 — S. Bernardin. Sen. to. 1. ser. 61. c. 2 — In Encō. Angel. — orat. de Nat. Virg. — Eccles. 43 — Richard. à S. Laur. lib. 7. de laud. virg.

Ser. 2 de Pentec. Neque minori mentis acumine vocitatur Maria à D. Bernardo, *negotium omnium sæculorum.* Non tantum quia sæcula sæculis æmulabantur, quodnã illorum fœlicitaretur Mariæ nativitate: neque adhuc cuncta retro sæcula ad Mariæ generationem cucurrerunt, cùm per varias cunctorum sæculorum generationes ab Adamo suam ducat originem: sed maxime quia reconciliationem cum Deo hominum qui in cunctis sæculis vel fuerunt, vel sunt, vel futuri sunt, negotiatur: & ut fatur D. Bernardus: *Maria nobis facta dicitur advocata, quia apud Deum salutis nostræ negotia, efficaciter pertractat;* Dei iram immutans in clementiam, justitiam in favores, odium in amorem, bellũ in jucundissimam pacem: *Per hanc diuturnũ illud bellum, quod nobiscum erat Creatore erat, sublatum & extinctum est: per hanc nobis reconciliatio sancita; pax & gratia donata.* Quod ipsamet affeverat: (Ego murus, & ubera mea sicut turris;) *ex quo facta sum coram eo, quasi pacẽ reperiens.* Quasi dicat, expendit Guilelmus; (Mox ut ex carne mea Verbum caro factum est, inveni & sensi me habere in utero de Spiritu sancto; & reperi in utero meo quasi pacem, nõdum quidem pacem, sed quasi pacem.) Ad plenam & consummatam mundi pacẽ necesse erat, ut Filius sese offerret in cruce, offerreturq; à Matre tanquam hostia pacis: ad consummandam pacem sanguine Christi, prævia debuit esse incarnatio, in qua est fœlix pacis inchoatio, quasi pacẽ reperit Maria eam inchoans in Filii nativitate, & Verbi humanationem accelerans.

Ser. 1. de Assumpt.

Damasc.

Cant. 8

3. *Joannes in Epistola eos maxime Antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse.* Ante mundi constitutionem electa est Maria, ut de ea carnem sumeret Dei unigenitus. Quod innuit Evangelista de Christi generatione ex utero Virginis, aiens: (Christi autem generatio sic erat.) *Non dixit; sic facta est. sed sic erat, quia Christi generatio erat apud Patrem, quando generabatur ex Matre; quod erat, semper erat: quod factum est, hoc reddebatur.* Et quia Christi generatio non potest esse apud Patrem, quin Deipara esset etiam apud Patrem, inde ad Mariam convertens sermonem Chrysologus subjungit: *Aut quomodo non ante conceptum mater, quæ post partum Virgo mater? aut genitrix quando non, quæ sæculorum generavit auctorem?* Verum licẽt incarnatio sit ab æterno in idæis & decretis divinis, Deus humanationem Verbi distulit juxta istud Davidicum: *Distulisti Christum tuum.* Hanc dilationem ægre ferentes Patriarchæ & Prophetæ, votis, desideriis, precibus, suspiriis postulabant à Deo Nativitatem Matris quæ debebat Deum concipere, & parere: Observat Clemens Alexandrinus summum sacerdotem sanctuariũ ingressurum tot habere tintinnabula in fimbria vestimenti, quot sunt in anno dies; nimirum trecenta sexaginta sex, ad innuendum singulis diebus audiri voces Patriarcharum & Prophetarum postulantium cum lachrymis & gemitibus adventum auroræ quæ erat paritura justitiæ solem: Unde D. Bernardus sic alloquitur hominem: *Dedit tibi Deus Christum per Mariam propter sanitatem: sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes: quæ per hoc quod Mater est, genuit tibi Deum; pre*

Tert. l. de Præsc. hæret. 33
Matth. 1
Chrysol. ser. 146

Ps. 73

Strom. 5

Serm. 3. de Nat. Virg.

hoc quod Virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua, & totius generis humani.

Verbum etiam divinum quod est *desiderium collium aeternorum* non tam desiderabatur à Patriarchis & Prophetis, quàm ipsum Verbum, quod est *totum desiderium*, venire desiderabat. Quod si quætas cur non venerit ab initio mundi, vel saltem in lege Naturali, aut in exordio legis Mosaicæ, ut tum suis, tum prophetarum desideriis satisfaceret, hujus rationem subministrat Euthymius: (Olim ante mundi constitutionem prædestinata fuerat incarnatio Dei; verum usque ad Mariam nondum incarnatione digna inventa fuerat officina, quæ simul atque est inventa, tunc demum incarnatus est.) Et ob hanc causam S. Ildephonsus sic Mariam alloquitur: *Procido coram te sola opus incarnationis Dei mei.* Tum quia, ut ait Bernardinus Senensis, Verbũ divinum præsertim pro Mariæ amore carnem sumpsit, plusque pro illa redimenda quàm pro omni alia creatura humanatum est. Quomodo intelligit hæc sponsi ad sponsam verba: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum.* Tum quia licet, ut vult Doctor Angelicus, (ex congruo meruerint sancti Patres incarnationem desiderando & petendo;) ad Incarnationis tamen opus expetitus & expectatus est Mariæ consensus, & beata Virgo fuit velut arbitra & sequestra tanti mysterii, quod Deus ab ejus arbitrio dependere voluit; ut ipsa post Deum sit bonorum omnium principium, & gratiarum omnium conceptaculum. *Quid est hoc quod sine Maria consensu non perficitur incarnationis mysterium? quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse principium.* Tum quia etsi (sancti Patres flagrantissimis desideriis meruerint de congruo Incarnationis accelerationem;) Maria tamen ferventissimis suis precibus Deum exoravit, & præ cunctis Patriarchis & Prophetis Incarnationem acceleravit, Regemque sæculorum, Altissimi Filium properare, festinare, & instar gigantis currere fecit. *Saliens in montibus* in morem saltantis, tripudiantis, exultantis, choreas ducentis.

Cant. 5 | L. de virg. c. 12 | To. 2. ser. 51. a. 3. c. 3 | Cant. 4 | 3. p. q. 2. a. 11 | D. Iren. apud Corn. à Lap. in c. 31 Prov. | D. Bonav. in 3. dist. 4 a 2 q. 1 | Cant. 2

Quanto autem desiderio Virginis Nativitatem exoptarit Dei Filius, ipsemet declarat his verbis: *Surge, propera amica mea, columba mea:* quibus eam ita accelerare velle declarat, ut instar columbæ inter volucres celerrimæ, veloci penna advolet. Nam ut animadvertit Rupertus Abbas, *vox Dei ad Mariam optantis, desiderantis, festinantis est.* Tanta autem celeritate, ad natam Virginem venit Dei Filius, ut Evangelico Prophetæ præceperit æternus Pater: *Voca nomen ejus, Accelera, festina*: ideoque D. Augustinus meditatur Dei Filium de cunctato Virginis consensu anxium, & de reditu Angeli Incarnationis nuntii valde sollicitum, & Angelum moræ impatientem, Virginem sic alloquentem repræsentat: *Deus in porta est: Angelum quem moraris expectat: usquequo moraris, ô Virgo, nuntium festinantem? Intuere Deum in cœli vestibulo me sustinentem? responde verbum & suscipe Filium.* Dato autem à Virgine consensu, *nec mora revertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus.* Subjungit D. Bernardus, Dei Filium Angelo nuntio fuisse velociorem & præ

Cant 2 | Isai. 8 | Ser 17. de Nat Dom.

nimio desiderio non expectasse nuntii reditum; sed moræ velut impatientem ad Virginem quàm velocissime descendisse. *Hoc mirandum quomodo qui Angelum miserat ad Virginem, inventus est esse cum Virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse perveniret ad terras? nimio enim prævolans desiderio, prævenit suum nuntium ad Virginem quam amaverat.* Vix Virgo sanctissima cœlesti nuntio consenserat, cùm Deus volatu mirabili ad Virginem descendit: vix ore sacro hæc verba protulerat Virgo: (Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum:) cùm in ejus utero, (Verbum caro factum est) Tantum fuit humanationis desiderium, ut Verbum non sustinens moram donec aperirentur cœli, inclinavit cœlos & descendit.) *Celeritatis studio, non eos aperuit ad descendendum, sed inclinavit secum, & in terram traxit*, ut sublimaret ad divinam Maternitatem, Virginem quæ præsentata fuerat in templo, ut Patriarcharum desideria consummaret, & sanctis suis occupationibus Deum glorificaret.

Serm. 3. sup. Missus est.

Genebr. in Ps. 17

III. PARS

Gloriæ suæ causâ Deus molitus est mundum, in mundoque posuit hominem, ait D. Augustinus, ut eum cognosceret, diligeret, laudaret, & per cognitionem, amorem, & laudum decantationem glorificaret. Belle ad propositum Petrus Damianus. *Vita activa & contemplativa Virginem perfectiori diligentia ambierunt.* Vitæ activæ vacabat Maria, ministrans in templo, & mira diligentia & industria operans quæ spectabant altaria & sacrificia. At vitæ contemplativæ majori adhuc studio occupata fuit, Deum indesinenter glorificans. 1. mentis cognitione: 2. cordis dilectione: 3. oris laudatione.

Tert. lib. adv. Hermog. 10

Serm. 1 de Nat. Virg.

1. Deus qui est infinite cognoscibilis, quique semetipsum ab æterno comprehendit, produxit hominem in tempore, eumque intellectu donavit, & ad sui imaginem formavit, ut prototypum suum cognosceret, & cognoscédo glorificaret. *Oportebat Deum cognosci; bonum hoc & rationale: oportebat dignum aliquid esse quod Deum cognosceret: quid tam dignum prospici posset, quàm imago & similitudo Dei?* Angeli qui non secus ac homo, sunt imagine Dei insigniti, eum clare conspiciunt, & videndo glorificant. Ex D. namque Augustino, *gloria est clara cum laude notitia.* Homines viatores qui Deo non potiuntur, illum duntaxat cognoscunt in suis creaturis, quas Deus produxit *in ornamentum majestatis suæ*, quia ejus perfectiones in illis mire resplendent, & homines ex effectuum cognitione primam causam cognoscunt, & cognoscendo glorificant. Quomodo Petrus Damianus intelligit istud: Plena est omnis terra gloriâ ejus. *Scilicet cum dicit plenam majestate, intelligit dicere majestatis cognitione*: quæ quanto major fuerit, tanto major erit gloria quam ex ea captat divina majestas. Ut autem appareat quantum beata Virgo Deum per cognitionem glorificaverit, consideranda est cognitionis Marianæ sublimitas; quæ Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorum, & Angelorum viatorum superavit notitiam. *Prophetæ de officio præfandi vocantur,* quia divinitus inspirati futura nuntiant; *Voces eorum in thesauris litterarum manent.* S. Ildephonsus Mariæ prophetissæ elogia commendat. *Audite Mariam*

Tert. l. 2 adv. Marc. 6.

Tert: apol 17

Isa. 6

Tert. Apol. 18

Ser. 2. de Assumpt.

trem prophetissam Dei. Accipit enim ab Spiritu sancto singulare donum, quod dari solet Scriptoribus sacris ad canonicam Scripturam scribendam: uti enim Scriptori canonico Spiritus sanctus dictat singula verba, ita beatæ Virgini dictavit singula verba quæ in illo celebri Cantico continentur, quod ad Dei gloriam decantavit. Quare salutatur ab Andrea Cretensi; *Salve veteris noviq; Testamenti obsignatrix; totius prophetiæ perfecta plenitudo; inspirata à Deo veritatis Scripturarum Acrostichis; Dei ac Verbi animatus tomus, in quo sine voce ac scripto, inscriptor ipse Deus ac Verbum quotidie legitur.* Belle dicitur Scripturarum Acrostichis, quia sicut in acrostichide totius tractationis argumentū ex summis statim litteris cognoscitur; ita etiam Scriptura tota in Maria intelligitur, quæ est *veritas Prophetarum, magistra Evangelistarum.* Evangelistæ jam facta clare & perspicue referunt, quæ Prophetæ futura obscure vaticinantur: Mariam, *Evangelistam*, nuncupat adhuc S. Ildephonsus: (Joannes in Apocalypsi, De throno ait, scilicet de Maria, procedebant fulgura, & voces, & tonitrua; quia Mater filii Jesu Christi Parabolas, Ænigmata legalia, mirifica gesta, dicta, opera avidius ebibit, sincerius luculentiusq; aliis edidit) Evangeliorum fontem in quatuor ora sectum, de Maria, tanquam de paradiso amœnissimo dimanare asseverat Basilius Seleucus: *Ave florentissime virginitatis paradise, ex quo Evangeliorum fons in quatuor ora sectus, miserationum flumina credentibus deducat.* Sapientissimi fuerunt Apostoli, *quos magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu:* At beatissimæ Matri majorem quàm Apostolis contulit Christus scientiæ plenitudinem: nam ut subjungit Bernardinus Senensis: (Maria Virgo, quæ Salvatorem genuit, peperit, & aluit; quæ jugiter ejus adhæsit lateri, quæ comes individua, nullo fere abfuit itinere, quæ intensa præ cæteris invigilavit Verbo, & operi ejus, sola Salvatoris actuum insignia opera, melliflua prædicationis geneta, inaudita contra mundum & peccatum divinæ severitatis acerrima eloquia, quod eis diu interfuit, secretius audivit, citius agnovit, propensius retinuit, & Apostolis aliisque discipulis locupletius edidit, diligētius retulit, fœlicius tradidit.) Nam ut ratiocinatur D. Anselmus, (licet Apostoli per revelationem Spiritus sancti omnem fuerint veritatem edocti, incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius Maria, per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc multa eis per Mariam revelabantur, quæ in se non solum ipsa scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat.) Non immerito Maria juxta etymon nominis, *doctrix*, seu *magistra* interpretatur, quoniam *Maria Apostolorum magistra facta est, qui nostri postea magistri facti sunt, & ascendente Domino Apostolos novum docuit Testamentum, quod ad docendum nos iidem Apostoli conscripserunt.* Ideoque à D. Bonaventura, *doctrix Apostolorum* prædicatur: quam adhuc Rupertus pleno ore buccinat: *Prophetissam Prophetarum, Magistram Magistrorum, id est, Apostolorum, fidei ac religionis Magistram.* Quo pacto autem beata Virgo Apostolos ab Spiritu edoctos erudierit, belle declatat Rupertus: *Quia sicut Spiritus san-*

Ser. 2. de Nat. Virg.

D Bonav.

S. Bernardin. Sen. to. 2. ser. 2. de Virg.

Orat. 35

Tert. L. de Præsc. hæret. 22

L. de Excell. virg. c. 7.

Corn à Lap in c. 1. Matth. Richard. à S. Laur. 2. de laud. Virg.

L. 1. in Cant.

sanctus Apostolos edocuit, idcirco vocis magisterio non opus illis fuit : imo vox tua vox illis fuit Spiritus sancti ; quidquid supplementi opus erat eisdem mortalibus, vel testimonii ad confirmandos singulorum sensus , quos acceperant ab eodem Spiritu dividente singulis prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt. Vox Deiparæ Apostolis fuit vox Spiritus sancti, ad eum modum quo Spiritus sanctus suggessit & declaravit Apostolis, ea quæ dum scholares Christi erant , ex ejus divino ore audierant, nec plene intellexerant. Ad eum modum beata Virgo quæ eminentius & manifestius penetraverat profunditatem doctrinæ quam Apostolis Spiritus sanctus suggessit, illam declarabat Apostolis, vicario Spiritus sancti magisterio; ut sicut Spiritus sanctus fuit quodammodo Christi lingua & interpres; sic Maria foret interpres & lingua Spiritus S. Inter Apostolos Joannes & Paulus sublimiori sapientia illustrati videntur. Joannes quidem de quo D. Ambrosius : *Mirum non est præ cæteris fuisse locutum mysteria, cùm ei præsto esset aula cœlestium sacramentorum.* Paulus quoque qui raptus fuit usque ad tertium cœlum , audivitque arcana verba quæ non licet homini loqui: at beata Virgo *non solum secundùm humanitatem, sed etiam secundùm divinitatem, & contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit*; fuitque Joanne & Paulo longe sapientior. Joanne quidem; nam ut fatur D. Ambrosius : *Vere autem alvus ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem piæ cognitionis gratiam, divinitatis suæ plenitudinē subministrans.* Paulo etiam, unde Rupertus asseverat Virginem *raptam esse in tertium cœlum & vidisse arcana mysteria, quæ non licet homini loqui, perfectius & excellentius, quàm Paulum.* Cherubini *contemplatione angelicorum luminum*; sic dicti quasi plenitudine scientiæ splendeant : at beata Virgo plenitudinem scientiæ Cherubinorum longe excedit; super quos etiam sedere perhibetur Christus Dominus (Ascendit super Cherubin, & volavit, volavit super pennas ventorum.) Quasi dicat : Altius assurgit dominicus intellectus quàm cherubicus, siquidem ubi hic stat, ille volat : hic est infra, ille superius assurgit: hic est plenitudo scientiæ, ille superplenitudo : *itaque exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret.* Dominicæ sapientiæ plenitudinem æmulatur Deipara, plenitudinem scientiæ Cherubinorum longe superans, cui probe congruit, ait Richardus à sancto Laurentio, *quod de ascensione filii Psalmista: Ascendit super Cherubin, & volavit: super Cherubin quod interpretatur plenitudo scientiæ.*

[Marginal notes: L. 1. de Instit. Virg. c. 7 — Euseb. Emissen. Ser. 1. de Assumpt. — L. 1. de instit. virg. c. 14 — L. 3. in Cant. — Tert. lib. adv. Valent. 7. — Ps 17 — D: Aug. — Lib. 3. de laud. virg.]

Verum unde Mariæ supereminens scientiæ plenitudo? unde sublimis illa sapientia? Ad altissimam illam divinorum mysteriorum sublimata est notitiam per 1. fidei illustrationem: 2. scientiæ infusionem: 3. Scripturæ sacræ lectionem: 4. specialem Angelorum revelationem: 5. Christi conversationem: 6. Spiritus sancti eruditionem: 7. continuam contemplationem: 1. Beatam Virginem merito Patres nuncupant *Matrem credentium* , quia accepit à Deo perfectissimam fidem : tum ex parte subjecti omnem omnino dubitationis modum excludentem : tum ex parte objecti, distinctissime credentem Trinitatem, Incarnationem, aliaque divinitatis & humanitatis

[Marginal note: Apud Abul. in Parad. 1. c. 31]

Chris

Christi mysteria. 2. Primis parentibus perfectam cunctarum rerum scientiam contulit DEUS: at B. Virgo in primo instanti suæ conceptionis, supernaturalem à DEO infusam habuit scientiam. *In prima sanctificatione quantum ad rationem & intellectum, tanta ei sapientia claritas à DEO superinfusa est, quod perfecte intelligebat creaturas & creatorem, & spiritus & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.* 3. Multi Patres Scripturæ lectione divinam consecuti sunt sapientiam: B. Virgo à tenera ætate didicit sanctam linguam, & quamdiu fuit in templo, lectioni sacrarum Scripturarum & meditationi vacavit. *Verisimile est illam, & de clara stirpe natam, & Davidis filiam, haud ignaram divinorum, quæ in divinis litteris habentur, oraculorum fuisse.* Quod si quæramus ab Origene, cur in salutatione Angelica turbata fuerit Virgo. Respondet: *Habebat legis scientiam, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat*; nec unquam in sacris paginis legerat, ad ullam filiam similem habitum fuisse sermonem: *Sic Virgo angelico quidem sermone muniebatur, Domini verò partum commentabatur.* Idcirco D. Augustinus sic Virginem alloquitur: *Recole Maria propheticam lectionem, neque enim te scientia potest divinorum præterire librorum, qua ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum.* Rupertus hæc Canticorum elucidans verba: (Introduxit me rex in cellaria sua,) Virginem sic loquentem inducit: *Et quæ sunt ista cellaria regis DEI? Nimirum sacra mysteria quæcunque continentur in Scripturis sanctis. Nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriavit. Qui enim Verbum suum quod erat, & est in corde suo, mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo omnia mihi donavit?* 4. Ceciliam solam in cubiculo cum Angelo conversantem invenit Valerianus: at B. Virgo in templo *tunc minus sola esse videbatur, cum sola esset: nam quomodo sola, cum tot libri adessent, tot Prophetæ, tot Archangeli*, cum quibus conversabatur, & à quibus multa per revelationem audiebat? At 5. incomparabiliter plus Christi convictu quàm Angelorum conspectu illustrata fuit Virgo. *Sub Mariæ disciplina, infans DEUS versatur:* quasi infans JESUS esset scholaris Mariæ. At verius Maria dicitur à Doctore Angelico, scholaris & discipula Christi. *Considera prudentissimam Mulierem Mariam, veræ sapientiæ Matrem, qualiter scholaris sit pueri.* Maria Magdalena ad Christi scholam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius: & Maria Mater JESU, considerabat omnia ejus verba conferens in corde suo. Quam ideò nuncupat sanctus Epiphanius, *perpetuam JESU sectatricem.* Quantam autem Deipara à Filio DEO mutuârit sapientiam, sapienter colligit D. Anselmus expendens istud: (Intravit JESUS in quoddam castellum.) *Christus, ut dicit Apostolus, est DEI virtus & DEI sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI; & Christus est in Maria: ergo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI sunt in Maria*, quos habuit ex sapientiæ DEI inhabitatione & conversatione, & ex Spiritus sancti instructione. Belle Virgo nuncupatur à sancto Ildephonso *sacrarium Spiritus sancti*; quia Spiritus sanctus non solum ad illam sanctificandam, sed adhuc erudiendam deputatus videtur.

Bernardin. Sen.

Sophron. Serm. de Assumpt.
Andr. Jerosol. Orat. in salutat. Deipar.
Hom. 6. in Luc.

Procl Orat. 6
Serm: 5 de Nat. Virg.
Cap: 1

D. Ambr. lib. 2. de Virginib.

S. Ildeph: l. de Virg. Mar.
In Cat. in c. 2. Luc.
Luc. 10

Hæret. 78
Hom: in c. 10. Luc.
1. Cor. 15
Coloss. 2

Laur: Just: Serm. de Nat: Virg: tur. *Illam profectò adamavit Verbum, sibique in Genitricem elegit, utpotè eam superabundanti benedictione praeventam, jamque sancti Spiritus magisterio deputatã.* Quis posset Marianam concipere notitiam, quæ in suo utero increatã concepit Sapientiam, & cui Spiritus S. veritatis Doctor, Magister est deputatus? D. Bonaventura multo magis assiduâ contemplatione, quàm librorum lectione, aut magistrorum eruditione in divinâ sapientiâ profecit. Beata Virgo divinæ contemplationi continuo vacabat. *Nulla unquam inordinata affectio, distractio, fragilitas, mentem Virginis, à contemplationis lumine revocavit, nec occupatio ulla exterior.* Multi etiam graves Auctores censent, etiam tempore somni, contemplationi vacâsse: alii adhuc plus audent, visionemque beatificam beatæ Virgini per modum transeuntis concedunt. *Maria virtute contemplandi quodammodo patria donata est; unde de illa dictum est, Sap. 18. Cælum attingebat, stans in terra.* His gradibus *Maria profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum; ut quantum sine personali unione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Quod innuere videtur Scriptura, Mariæ accommodans non solum lunæ decorem, sed etiam solis lucem & splendorem. Ubi autem sol luce, ita calore commendatur, sic B. Virgo in templo existens glorificabat DEUM, sublimi mentis contemplatione, & ardentissimâ cordis dilectione.

Dion: Carthus: lib: 2 de laud: Virg. Richard: à S. Laur: l. 4. de laud: Virg: D. Bern: super Sign. Mag:

Tert. l. 4. adv. Marc 26

2. *Creatori diligendo ædificaverat hominem* DEUS. Ad DEI amorem electa Virgo semper in DEI amore perseveravit: Meritò Maria Mater pulchræ dilectionis nuncupatur; quia à DEO perfectè diligitur, & DEUM ardentissimâ charitate diligit. A DEO diligitur, qui eam elegit in Matrem: DEUM ardentissime diligit, quem præ amoris vehementia DEUM cordis sui vocitat, *DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.* Hanc sententiam de Incarnationis mysterio intelligit Cassiodorus. Itaque non tantum Christus pars Mariæ dicitur, quia illi utpote veræ Matri, concorporatus & convisceratus fuit, sed DEUS cordis: Tum quia, ut diximus in superioribus, ex purissimo Mariani cordis sanguine formata fuit Christi caro: Tum maximè, quia beatissima Virgo toto corde DEUM diligebat, neque ab ardentissimo illo amore cor ejus unquam vacavit. Sed quia aliorsum Mariani amoris fuse demonstrata est perfectio: nunc sufficiat dicere cum D. Anselmo: *Amorem quem pater & mater singuli debent filio suo, debet hæc felicissima matrum soli Filio suo: amorem etiam quem debet filius simul patri & matri, ille Filius veræ Virginis, sua debet soli Matri: nam sicut alii filii nascuntur ex patre & matre; ita Filius natus est. Ex tâ sola Matre. Excedit itaq; omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius Matris in Filium suum.* Eloquenter declarat Anselmus vehementiam amoris & Christi in Deiparam, & Deiparæ in DEUM; sed non minus lepide Gregorius Nyssenus puritatem Mariani amoris demonstrat, Virgini aptans hæc sponsi verba: (Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.) *Anima liberata à corporali affectione habet speciem columbæ in oculis suis, hoc est characterem vitæ spiritualis: sic quoniam purus factus est animæ oculus, capax est characteris columbæ & Spiritus S.*

Ps. 72

Ter. Præd to: 1 Tract: de Perf: Ange: Conc. 6 L. de Excell. Virg. c. 4

Cant. 1 Hom. 4. in Cant.

Trinum

Trinum reperio Spiritûs S. characterē, ſpiritualitatem, ſanctitatem, & charitatem. Trinum illum characterem in Virgine conſpicio: 1. ſpiritualitatem, quia liberata erat ab affectionibus corporeis: 2. ſanctitatem, quia à primo conceptionis momento ſanctificata fuit: 3. charitatem quæ cum ſit idem realiter habitus cum gratiâ ſanctificante, tanto ardentior fuit Virginis amor, quo ſanctitas ejus perfectior. Neque minus adhuc lepide Rupertus hæc verba expendens: (Veniat dilectus meus in hortum ſuum;) animadvertit B. Virgo, non dicitur ager, aut campus, aut mons, aut collis, ſed hortus: *quod ſemper ibi aliquid oriatur; quia cum alia terra ſemel in anno aliquid creet, hortus nunquam ſine fructu eſt. Vnde ergo hortus es tu, ô dilecta dilecti, niſi quia in te natum eſt aliquid, quod nunquam deſinit, nunquam marceſcit, nunquam deficit?* Cæteri homines donec habeant uſum rationis, ſunt campi inculti & ſteriles, qui nullum actum dilectionis DEI producunt; obtento autem uſu rationis ſunt montes, à quibus ſemel in anno forte oritur DEI amor. Colles ſunt fœcundiores; verum non ſemper producunt fructus, interdum otiantur. At B. Virgo hortus deliciarum ab initio ſuæ creationis DEI amorem produxit, neque unquam ab ejus dilectione deſtitit, & quemadmodum continuo DEUM glorificavit cordis delectione, ita & oris laudatione. Cant. 5

3. *DEO etiam inanimata & incorporalia laudes canunt apud Danielem.* Quanto magis B. Virgo cæteras creaturas in dignitate ſuperat, tanto magis in divinis decantandis laudibus cunctis antiſtat. (Gloria Domini plenum eſt opus ejus.) Mundus, eſt plenus gloriâ DEI, in quo *magnificentia auctoris, ex operum diverſitate ſignatur.* Verum illa Eccleſiaſtici verba quæ cuivis divino operi conveniunt, ſpecialiter ad Mariam referuntur. *Inter omnia hujus artificis opera, Maria ſpeciale eſt opus, de quo dicitur; Gloria Domini plenum eſt opus ejus.* Antonomaſtice opus Domini eſt Maria, opus excelſi, cui nullum unquam invenitur ſimile. *Hoc opus plenum eſt dominica gloria, quia ſupra omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſime in Maria.* In cœlis relucet DEI gloria, cœli namque enarrant gloriam DEI: In terra fulget DEI gloria; gloria namque DEI plena eſt terra. Glorioſus apparet DEUS in Sanctis ſuis; at ſuper omnem puram creaturam in Maria relucet pleniſſime gloria DEI. Etenim *per ipſam, & in ipſa, & ex ipſa augetur gloria Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Vnde in Pſalmo: Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in civitate DEI noſtri, in monte ſancto ejus. Licet enim in omni creatura ſit DEVS magnus & laudabilis nimis; tamen nominatim dicitur magnus & laudabilis nimis in civitate DEI noſtri, quæ eſt Maria, de qua dicitur in Pſalmo: Glorioſa dicta ſunt de te civitas DEI.* In Maria magnus & laudabilis eſt DEUS, quia Virgo eſt opus ſingulare, in quo DEI magnalia mirè relucent. Ex Maria magnus & laudabilis eſt DEUS, quia homines & Angeli, ex donis quæ DEUS largitus eſt Virgini, laudant & prædicant datoris magnificentiam, & liberalitatem. Per Mariam magnus eſt DEUS & laudabilis nimis, quia B. Virgo continuo divinas decantat laudes. Ad inſtar Deiparæ laudemus DEUM, magnificemus Trinitatem cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

Tert. l. adv. Hermog. 44
Eccl. 42.
Tert. l. de An. 8
Richard. à S. Laur. Lib. 10 de laud. Virg.
D. Bonav. in Spec. Virg. c. 7
Richard. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg.

CON-

CONCIO QUARTA.

L. de Res. Car. 13 — A *Litem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum* prædicat Tertullianus. Quod de Phœnice refert Tertullianus, idipsum de Maria asseramus, quæ est de posteritate monstruosa, & de singularitate famosa. De posteritate monstruosa, monstrum enim in natura videtur, quod Virgo remanens Virgo concipiat & pariat Filium. *Sed & Virginem parere natura non patitur, & tamen credendum est Prophetæ. Et merito. Præstruxit enim fidem incredibili rei dicendo, quod signum esset futurum, Ecce Virgo concipiet in utero, & pariet filium. Signum autem à DEO, nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur.* Maria est etiam de singularitate famosa, unde decantatur ab Ecclesiâ: Virgo singularis; & ut ait Jacobus Monachus, *singulari substantia appellat eam quæ unius esset ac singularis naturæ.* Licet enim Maria sit ejusdem specificæ naturæ cum cæteris hominibus, ita tamen singularis est in suis privilegiis, ut alterius & singularis naturæ esse videatur: & ut fatur Tertullianus, *singularitas tota est.* Singularitas in Conceptione in qua originalem non contraxit culpam; singularitas, in Nativitate; nascens sine lachrymis, gaudium annuntians universo mundo; singularitas in vita nunquam à divinâ cessans dilectione; singularitas in morte, potius amoris violentiâ quàm naturæ defectu efflans animam; singularitas in Maternitate, quæ Virginis non violavit integritatem. DEUS *solitudinem quandam de singularitate præstantiæ suæ possidens* unicus est. Maria solitudinem quandam de singularitate præstantiæ suæ possidens, unica est: 1. ab æterno Patre fœcundata: 2. à Filio fabricata: 3. à Spiritu sancto obumbrata.

Ter. l. adv Jud. 9

Orat. de Nat. Virg

Lib. de Car. Chr. 13

Tert. l. 1 adv. Marc 4.

I. PARS. *Nullus omnium hominum nativitatis Christi fuit conscius in conceptu, cum Maria Verbo DEI prægnans invenitur.* Nam ut belle ad propositum fatur Rupertus: *solus Pater Virginis conscius est,* qui eam fœcunditatis suæ fecit participem, quo nihil singularius & gloriosius pro Virgine potest decantari. *Ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa Mariæ, quod Filium unum eundemq; cum DEO Patre meruit habere communem.* Nam 1. Pater æternus est vere DEI Pater, Maria est vere DEI Mater: 2. solus Pater æternus est Pater DEI; Maria sola est DEI Mater: 3. Pater habet omnem majestatem Patri DEI conformem; Maria habet omnē sanctitatem Matri DEI convenientē.

Tert. lib. adv. Jud. 13

In cap. 1. Joan.

D. Bern. Serm. 3. de Annunt.

Ter. l. adv Jud. 13 — 1. *Christus secundùm carnem ex Virgine natus est.* Arrius primæ divinæ Trinitatis personæ fœcunditatem tollere ausus est. Nam prædicando Filium creaturam Patreque minorem, æternam Verbi destruere molitus est generationem: quia Pater nequit generare Filium nec majorem, nec minorem, sed æqualem. Si Pater generaret Filium se majorem, ipse non esset DEUS: si generaret Filium se minorem, genitus Filius non esset DEUS. Cum enim DEUS sit *summum magnum,* repugnat ut detur aliquid DEO majus

Tert. lib. 1 adv. Marc. 4

Ergo

Ergo Pater necessario generat Filium sibi æqualem, consubstantialem, unū & eundem cum Patre & Spiritu S. DEUM. Nestorius Virgini, Deiparæ voluit auferre dignitatem: Sacrilegus ille impie docuit, aut Christum non esse DEUM, aut Mariam vere non esse DEI Matrem. Nam si pura creatura est ejus Mater, quomodo ipse erit DEUS? Absurdum namque est ut mulier Filium se antiquiorem concipiat, & in tempore parturiat divinum Verbum à Patre in æternitate generatum? Hoc Achille Nestorius divinam Mariæ maternitatem labefactare molitus est: at in vanum impius ille laboravit: nam elegit *Virginem sibi DEUS in Matrem*; & unigenitus ab æterno à Patre generatus, in tempore de Virgine nasci dignatus est. *Merito itaq; B. Maria dicitur oriens orientis, fons fontis, vivi origo principii.* Maria auctorem sui concepit, & parturivit principium à quo producta est: *Creator ex creatura sua nascitur, & fructū ventris sui Mater innupta miratur, ac fœmina auctoris auctor efficitur.* Petro Damiano & Eusebio Emisseno arridens Chrysologus sic Mariam alloquitur. *Virgo, concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est DEUS tuus.* Sed super omnes de ineffabili illo mysterio mirum in modum ratiocinatur Cassianus. *Non solum antiquiorem se Maria peperit, sed ipsum sui auctorem, omniumq; progenitorem: facta est parentis parens, quia quàm facile DEO fuit, ut hominem nasci faceret, tam facile fuit ut ipse ex homine nasceretur.* Si Christus esset duntaxat Deus & non homo, Maria ejus non esset Mater: sed quia est Deus & homo simul, & divinitas & humanitas in unâ & eâdē Verbi personâ uniuntur in utero Virginis: *Audistis inauditâ ratione, in uno corpore DEUM hominemq; misceri*; eâdem ratione quâ tribuimus Deo quæ propria sunt hominis, & vice versâ homini ea quæ sunt propria DEI, tribuimus Virgini divinam maternitatē: *ita utriusq; substantiæ census, hominem & DEUM exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde spiritalem: hinc infirmum, inde præfortem: hinc viventem, inde morientem*: hinc DEI, inde Mariæ filium. Non est magis difficile fœminam fieri DEI Matrem, quàm hominem uniri divinæ personæ; si repugnat quod Virgo in tempore nata, generet DEUM æternum, repugnat quoque quod DEUS æternus assumat ad hypostaticam unionem naturam in tempore productam: in utroque nulla est impossibilitas, nulla contradictio. Verbum æternum potuit, imò de facto sibi personaliter univit humanitatem in tempore productam: & quia ex Mariano sanguine formata est caro quā assumpsit Verbum ad hypostaticam unionem. *Joannes unum DEUM novit creatorem universitatis, & Christum JESUM ex Virgine Maria Filium DEI creatoris.* Prima Trinitatis persona ob generationem Verbi est DEI Pater, Maria ob Christi generationem est DEI Mater: Filius est Patri consubstantialis, quia est de ejus substantiâ generatus, DEI Filius *consubstantialis esse dignatus est Matri*, quia humanitas quā assumpsit de substantiâ Mariæ, est generata: Solus Pater ab æterno est DEI Pater, Maria sola in tempore est DEI Mater.

2. Maria est *sine masculo Mater*: quia virtute Spiritus sancti ex *semet-*

Chrysol: Serm: 140
Petr Dam Serm. 46
Euseb. Emiss. Hom 2 de Nat: Dom:
Serm: 142
Lib. 4. de Incarn.
Chrysol: Serm: 142
Tert. l de Car. Chr. 5
Tert. l. de Præsc hær 36
D. Leo Ep. 13. ad Pulcher.
Tert. l. adv Valent. 10

Tert. *semetipsa sola, nulla opera conjugii concepit & procreat*: unde vocitatur à D. Ignatio, *cœleste prodigium, sacratissimum monstrum.* Nonnulli homines nascuntur monstruosi (qui sunt absque capite, quibus oculi sunt in humeris, pro naso & ore duo foramina habent in pectore.) Maria sacratissimum monstrum caput non habens: Vir caput est mulieris; cæteræ mulieres habent caput, nempe virum, qui cum illis concurrat ad prolis generationem: at sola Virgo caput non habet: sine masculo Mater. Quare illam sic alloquitur Spiritus S. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno crine colli tui.* Annon potius dicendum erat: Vulnerâsti cor meum in uno crine capitis tui, quàm in uno crine colli tui? Capilli non in collo sed in capite nascuntur & prodeunt: sicut natura capiti comam indulsit, sic eandem collo negavit. Verum non sine mysterio sponsæ declarat Spiritus S. Vulnerâsti cor meum in uno crine colli tui, subjungere volens, ut acute animadvertit Rupertus, *caput non habentis, id est virum*, qui est caput mulieris, & communiter concurrit cum illa ad prolis generationem. Maria sola caput non habens filium generat; & ut fatur Chrysippus; *nutriebatur Filius, & non inveniebatur pater, ager fructum edebat, & fructus carebat cultore, messem reddebat, qua semen non receperat.* Monstruosam illam Christi generationem de sola Virgine absque capitis seu viri concursu, eloquenter declarat S. Zeno Veronensis Antistes. *Mira res! concipit Maria de ipso quem parit; tumet uterus majestate, non semine; nascitur sine Patre Filius, non totus Matris; sibi debens quod conceptus est: dans Matri quod natus est.* Concepit Maria Filium, non viri semine, sed divinâ virtute, nascitur sine patre filius, quia nullus vir uteri virginalis conscius fuit. Christus ab æterno de solo Patre nascitur sine matre, & in tempore à sola Matre sine homine patre generatur. *Itaque sicut nondum natus ex Virgine, Patrem DEUM habere potuit, sine homine Matre: aque cum de Virgine nasceretur, potuit Matrem habere hominem sine homine patre.*

D. Anselm Li. de Imag Mund. 9

Cant. 4

Lib. 3. in Cant. 4

Serm. de laud Mar.

Ser. 3. de Nat. Filii

Tert. l. de Car. Chr. 17

Ter. l. adv Jud. 13

D. Aug. l. 50 Ho. ho. 36

Belle exclamat Propheta Evangelicus: *Nativitatem ejus quis enarrabit?* (Quam generationem? Ante Luciferum genui te. Ecce una generatio. Ante Luciferum, ante omnia quæ facta sunt, ante omnes Angelos, ante omnem creaturam. Quare? quia omnia per ipsum facta sunt. Sed forte secunda ejus generatio narratur. Quis illam narrat? Fide concipitur, masculus non accedit, uterus Virginis tumet, procedit tanquàm sponsus de thalamo suo. Mirabilis ista generatio, mirabilis ista humana, quia sine patre: mirabilis illa, quia sine matre.) Duæ sunt Christi generationes: æterna & temporalis.

Tract. 14 in Joan.

Orat 4 de Nat: Chr.

Ut autem ait D. Augustinus, *amba generationes Christi inusitata sunt, divina, & humana; divina non habet matrem: humana non habet patrem.* De utraque simul fatur Proclus Patriarcha Constantinopolitanus: *Ave gratia plena, Dominus tecum, & ex te, & ante te: in te, ut ei placuit illapsus: ex te, ut voluit egressus: ante te, ut ante omnem animi cogitatum, ineffabili ratione, incorrupte, mirabiliter, ex natura, impollute, impatibiliter, sine teste, sine medio, nulla alteratione, ineffabiliter, ac ea, qua DEUM decet ratione, ex DEO & Patre genitus, qui in cœlis sine*

sine matre; in terra sine patre est. Ecce tibi humana Christi generatio, divinam æmulatur generationem : tum quia utraque ineffabilis : tum quia utraque incorrupta & impassibilis: tum quia utraque visibiliter singularis, quia a terna à Patre solo sine matre ; temporalis à Matre solâ sine homine patre.

DEI Filius non potuit ab æterno, nisi à solo Patre generari: quia non potuit generare semetipsum : *Nulla omnino res est, quæ seipsam gignat ut sit* : aliàs esset prior seipsa. Pater enim saltem ordine originis est prior filio, quia filius est à patre : deinde filius distingueretur realiter à semetipso, quia relatio realis non est nisi inter extrema realiter distincta, pater autem & filius referuntur ad invicem. Neque potuit generari filius à Spiritu sancto, qui cum sit *tertius gradus majestatis*, non erat productus in illo instanti naturæ, seu rationis in quo Pater generavit Filium, quia dictio intellectus quæ terminatur ad Verbum, præcedit instanti naturæ seu rationis spirationem activam, quæ terminatur ad Spiritum sanctum : Ergo à solo Patre generatur ab æterno Filius : & etiam in tempore de Matre solâ sine homine patre natus est Christus : Nam ut profunde ratiocinatur Tertullianus: *de filio hominis duplex est nostra præscriptio, neque mentiri posse Christum, ut se filium hominis pronuntiaret, si vere non erat, neq; filium hominis constitui, qui non sit natus ex homine vel patre, vel matre ; atque ita discutiendum, cujus hominis filius accipi debeat, patris an matris. Si ex DEO Patre est, utique non ex homine, si non & ex homine, superest ut ex homine sit Matre : si ex homine, jam apparet quia ex Virgine : cui enim homo pater non datur, nec vir matri ejus deputabitur, porrò cui vir non deputabitur, virgo est.*

D. Aug. l. de Trin. 1

Tert. lib. adv. Prax. 30

Lib. 4. adv Marc. 10

Multiplici autem de causâ conveniens fuit ut Christus ex Virgine Matre nasceretur : Tum ut adimplerentur Prophetarum vaticinia. *Iste DEI radius ut retro semper prædicabatur, delapsus in virginem quandam, & in utero ejus caro figuratus, nascitur homo DEO mistus.* Tum ob pollicitationem Davidi factam: Ex fructu ventris tui collocabo super thronum tuum. *Ideoq; & fructum ventris tantum nominavit, ut propriè ventris ; quia solius ventris, non etiam viri:* Tum ne DEUS de mendacio culpetur, à quo *in signum nobis posita Virgo Mater merito creditur :* Tum ob externam Spiritûs S. fœcunditatem : etenim *de cælo venerat ipse Spiritus ad Virginem.* Ideò Maria audiens ab Angelo Incarnationis negotium à Spiritu sancto pertractandum divinæ annui Maternitati, quam sic loquentem inducit Philippus Abbas. (Ille quem diligo, mihi mirabiliter conjungatur, suo mihi osculo, suo mihi spiritu, interna suavitas effundatur; cujus ope & opere mea carnis integritas muniatur, & in me Verbum carni, DEUS homini personaliter uniatur. Videte miraculum Matris Domini, Virgo sponsi osculum accipit, osculantis Spiritum percipit, & in osculo jam mater concipit, dum operante spiritu conceptum recipit.) Ut autem ratiocinatur Tertullianus : *Ergo jam DEI Filius, ex Patris DEI semine, id est spiritu, ut esset & hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine, vacabat enim viri semen, apud habentem DEI semen :*

Tert. Apol. 21

Tert. l. 3 adv. Marc. 26

Ter. l. adv Jud. 9

Ter. l. adv Jud. 13

Lib. 1. in Cant. 4

Lib. de Car. Chr. 17

 sic

Tert. l. de Car Chr. *ſic deniq́; homo cum DEO dum caro hominis cum ſpiritu DEI: caro ſine ſemine ex homine: ſpiritus cum ſemine ex DEO.* Tum ob dignitatem Chriſti: D. Bern: Ser: 2 sup: Miſſus eſt. *Porrò DEVM hujusmodi decebat nativitas, qua nonniſi de Virgine naſceretur.* Sicut purus homo Virginem Matrem habere non decet, ita DEUM homo Matrem niſi Tert. Virginem habere convenit: *Non competebat ex ſemine humano DEI Filium naſci, ne ſi totus eſſet filius hominis, non eſſet & DEI Filius, nihilq́; haberet amplius Salomone, & amplius Jona, & de Hebionis opinione credendus erat:* Tum ob Mariæ puritatem, ut omni virtute floreret. Nam ut ſubjungit D. Bernardus, *talis congruebat Virgini partus, ut non pareret niſi DEVM.* Inde concludit adverſus Marcionem Tertullianus (Lib. 4 adv. Marc. 10): *Si hæc ita diſtinguuntur, id eſt, ſi ex Matre filius eſt hominis, quia ex Patre non eſt; ex Matre autem Virgine, quia non ex Patre homine; hic erit Chriſtus Iſaiæ, quem concepturam Virginem prædicat.* Tum ob æterni Patris majeſtatem; ne cum viro titulum patris DEI partiri videatur. *Habebit enim virum, ut Virgo non ſit; & habendo virum, duos patres faciet DEVM* Tert. ibid. *& hominem, ei qui & DEI & hominis eſſet filius: talem ſi forte Caſtori aut Herculi nativitatem tradunt fabulæ.* Nam Caſtorem fabulantur Jovis, ex Læta Tindari conjuge, non ſecus ac Herculem ex Alcmena uxore Amphitryonis. Verum licet æternus Pater nullum virum habere voluerit in Chriſti Patrem, D. Bern. Ho. 3. ſup. Miſſus eſt. cum Virgine tamen ſuam fœcunditatem velut dividit: *quia etſi Chriſtus, nec totus de DEO, nec totus de Virgine; totus tamen DEI, & totus Virginis eſt; nec duo filii, ſed unus utriuſq́; filius.* Chriſtus homo DEUS, nec totus de DEO Patre, quia æterna nativitas quam habet à Patre, non excludit temporalem nativitatem quam habet à matre; nec totus de Virgine Matre, quia temporanea generatio non negat æternam; totus tamen DEI & totus Virginis, quia accipit à DEO Patre totam naturam divinam: (Omne quod habet Pater de- Joan. dit Filio,) & à Matre accipit totam naturam humanam: (Totam huma- S. Bernardin. Sen. to 3. Serm. de S. Joſeph. nitatem à Virgine accepit atq; dignitatem quæ ad humanitatem ſequitur;) neq; duo filii, ſed unus utriusq; filius: Ut autem ait D. Auguſtinus; *in cœlo* Ser. 20. ad Frat. *qualis eſt Pater, talis Filius: & in terra qualis eſt Mater, talis eſt ſecundùm carnem Filius.* In cœlo Pater habet majeſtatem Patri DEI conformem, in terra Mater habet ſanctitatem Matri DEI convenientem.

3. *Habeat neceſſe eſt Pater Filium, ut pater ſit:* Pater refertur ad Filiũ, & quia Ter. l. adv. Prax: 10 relativa ſunt ſimul naturâ & cognitione, pater reduplicativè ut pater, nec eſſe nec intelligi poteſt niſi intelligatur & exiſtat filius ejus correlativus. *Propriè* Cyril Alex. Dial. de Trin: l. 2. col: 2. *Patrem eſſe, non ob aliam cauſam, quam quod genuit ex ſe filiũ.* Titulus Patris primæ Trinitatis perſonæ longè nobiliori modo convenit quàm hominibus filios habentibus. Homines de paternitate gloriantes, aut 1. plures habent filios; aut 2. ſi unicum duntaxat habent filium, illũ ex parte duntaxat genuerunt: nam mater non minus quàm pater concurrit ad prolis generationẽ: 3. Non ſtatim ac fuerũt homines, fuerũt patres; diu namq; extiterũt homines, antequã procrearẽt filios, fierentq; generationis capaces. 4. Neq; in ſuis perſonis, paternitate conſtituũtur, ſed propriâ ſubſiſtẽtiâ quæ eorũ naturâ ulti-

mâ è

mate complevit & terminavit in sua productione. Aliter de æterno Patre differendum est. *Patrem esse credamus multo verius quàm qui apud nos id nomen obtinent: Tum quia solius, nempe unigeniti : Tum quia in totum & totius pater: Tum quia à principio, nec enim posterius pater esse cœpit.* Belle Gregorius Nazianzenus singulares æterni Patris dotes declarat. Pater unicum duntaxat habet filium, qui cum sit infinitus, totam exhaurit paternam fœcunditatem. 2. In totum & totius pater, quia se solo generat filium, eique non partem substantiæ, sed totam suam substantiam communicat. 3. A principio pater, quia ab æternitate pater, nec initium aliquod habuit ejus paternitas: 4. Nec posterius pater esse cœpit, quia paternitas in sua persona constituitur, neque existere aut intelligi potest tanquam prima Trinitatis persona, quin existat & intelligatur ut pater. Gregi Naz. orat. 23

Maria sola singularem æterni Patris æmulatur gloriam: Tum quia est unigeniti mater : Tum quia sola absque virili concursu est unigeniti mater: Tum quia totius mater, ab ea enim filius accepit non partem humanæ naturæ, sed totam humanitatem : Tum quia non prius electa est tanquã mulier, quin electa sit tanquam Christi mater: Totum illius esse refertur ad filiũ: & in æterna prædestinatione ejus existentia & maternitas æquo, ut dicitur, ambulaverunt pede. Nisi dicamus præordinatam fuisse ad esse naturale accipiendum à suis parentibus: quia ad divinam maternitatem præordinata & electa fuerat. Quod innuere videtur Angelus Josephum admonens ut fugeret in Ægyptum: Nam ut acute animadvertit D. Chrysostomus, *non dixit: Accipe matrem & puerum ejus, sed accipe puerum & matrem ejus: quia non propter illam Matrem iste filius natus est, sed propter illum filium illa præparata est Mater.* Bene Deipara propter Deum filium præparata dicitur, ut tanti filii digna esset mater, ut sicut æternus Pater habet totam majestatem patri Dei conformem, ita Maria omnem haberet sanctitatem Matri Dei convenientem. *Maria electa est & omnibus gratiis fœcundata, ut de mundissima matre filius mundissimus nasceretur: & sicut in cœlo filius habet patrem immortalem & æternum, sic & in terra matrem haberet omni corruptione carentem.* Tria notatu dignissima ait D. Augustinus: 1. Mariam electam esse in Dei matrem, & omnibus gratiis fœcundatam : nam ut ratiocinatur Angelicus Doctor, *omne quod elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione quæ sit supra naturam.* Divina maternitas naturam excedit, itaque ad illam disposita est Maria, dispositione supernaturali, & eminentissimæ gratiæ infusione; non solum toto vitæ decursu, sed etiam in suo cõceptu. *Maria siquidem maternitas, conceptionis illius comes fuit, & administra.* Vis nosse puritatem & dignitatem Marianæ conceptionis? Cogita Deiparæ maternitatem quæ conceptionis illius comes fuit. Vis nosse incomprehensibilem gratiam quam accepit Virgo toto vitæ decursu? Pensita Mariæ maternitatem, quæ totius Marianæ vitæ comes est. In Dei namque mente & mysteriorũ prævisione, nec Mariæ conceptio, nec ejus præsentatio, nec vita,

Hom. 1. in Matth.

D. Aug. serm. 0. ad Frat.

1. p. q. 10. a. 5

Salmer. to. 3. in Evang. Tract. 30.

sine maternitate computatur. Licèt enim in executione Mariæ cóceptio tredecim annis Angelicam annunciationem præcedat, in æterna tamen prædestinatione non prius ordinatur Mariana conceptio ex utero Annæ, quàm Dei maternitas quæ fuit conceptionis comes, & gratiæ Virgini collatæ administra. Singulare gratiarum privilegium Mariæ concessum: ex divina nascitur maternitate, quæ est cunctarum gratiarum matrix, ut 2. de mundissima matre filius mundissimus nasceretur. Quanta sanctitate splendere debuit Maria quæ Sancti mater electa est? Angelus namque Virgini nuntiâs incarnationis mysterium ait: (Quod ex te nascetur, Sanctum vocabitur.) Ad hûc loquendi modum stupet D. Bernardus: *Ut quidita simpliciter Sanctum, & absque additamento? Credo quia non habuit, quid proprie digneve nominaret; illud eximium, illud magnificum illud reverendum, quod de purißima videlicet Virginis carne, cum sua anima unico Patris erat uniendum; si diceret sancta caro, aut sanctus homo, vel sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur: Posuit ergo indefinite Sanctum, quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit.* Vide qualis quantusque sanctitate Virginis Filius ex Matris utero prodierit: Sed vide etiam qualē & quantam gratiam Homo-Deus Deiparæ contulerit. Ex Virginis utero Sanctum indefinite natum est, & Virginis Filius largitur Matri, quidquid sancti citra Deum est: ut sicut 3. in cœlo habet Patrem æternum & immortalem; ita habeat in terra Matrem omni sanctitate possibili decoratam. *Quod Deus generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex natura conveniret, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale: sed quòd fœmina conciperet & pareret Deum, est & fuit miraculum. Oportuit enim fœminam elevari ad quamdam æqualitatem divinam, per quamdam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum; quam æqualitatem creatura nunquam experta est.* Nonne omni est stupore dignissimum, mirabiliorem haberi Deiparæ quàm æterni Patris fœcunditatem? Etenim quòd Pater æternus generet Filium Deum, non est mirabile; nam cùm habeat memoriam infinite fœcundam, necessitate naturæ Filium sibi consubstantialem, & unum eo Deum generat; at quòd Maria in tempore concipiat & parturiat Deum æternum, est omnium miraculorum maximum. Deinde Pater æternus nulla perfectione extrinseca indiget, ut habeat majestatem Patri Dei convenientem: quia cùm sit Deus infinitus, omnimodam perfectionem in sua essentia complectitur: Maria verò singulari indiget gratia, ut habeat sanctitatem Matri Dei convenientem; quia cùm sit creatura de nihilo producta; redolet originem de qua creata est: neque ex se, sed ex divina liberalitate habet gratiam Deiparæ conformem quam tanta cum abundantia à Deo mutuata est, ut D. Hieronymus expendens Isaiæ vaticinium: (Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, audeat dicere. *Virga Mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohærente; & ad similitudinem Dei unione fœcunda Virgo, flos Christus est.* Deipara est pura, quia immunis ab omni peccato, est simplex nullo extrinsecus germine cohærente, quia absque viri concursu con-

Luc. 1. Hom 4. sup Missus est.

S. Bernardin. Sen. to. 1. Cóc. 61. c. 1

Isa. 11 Epist. 22

concepit: ad similitudinem Dei unione fœcunda, quia ejus fœcunditas adeo est singularis, ut paternam æmuletur fœcunditatem. Hujus virgæ flos Christus est, quia est ejus Filius, & Matrem de qua natus est, fabricavit.

Jam diximus Deum universitatem hanc mundi verbo, & ratione, & virtute molitum. Dei Filius cunctarum rerum causa efficiens & exemplaris: Deiparam fabricavit, ut ipsemet testatur apud D. Augustinum: *Ego matrem de qua nascerer feci*; & ut nulla ei congrua deesset perfectio, eam ad sui formavit ideam, non secus ac ipse ad Patris productus est imaginem: Dei Filius nuncupatur ab antiquo Authore *expressa similitudo exemplaris primarii*; quia est perfectissima sui Patris imago: beatissima quoque Virgo est *exemplar exemplaris æterni*, quia ad imaginem Filii producta exemplaris æterni præ se fert similitudinem: Filius tanquam expressa similitudo exemplaris primarii, est *candor lucis æternæ, speculum sine macula, imago bonitatis illius*: Maria quoque perfecta Filii imago, & expressa exemplaris æterni similitudo, est 1. Candor æternæ lucis: 2. speculum sine macula divinæ majestatis: 3. imago dominicæ bonitatis.

II. PARS. Tert. Apol. 21 L. 5 Hæres. c. 5 Alex. ab Alex. Sim. Cass. l. de laud. virg. c. 1 Sap. 11

1. Dei Filius ab æterno procedit à Patre, *ut lumen de lumine*: & in tempore à Maria generatur, ut decantat D. Prosper: *Esset ut in utero lumine lumen homo*: sive consideretur in sinu Patris, sive in utero Matris, semper est luminis fructus. Ab æterno *Dei filius vernantis vulvæ flore conceptus est*: quia de sinu Patris procedit tanquam lumen de lumine, in tempore de sinu Matris tanquam luminis fructus egreditur. *Cujus ventris futurus est fructus caro Christi, quæ ex utero floruit*: Eodem autem modo quo se habet Filius erga æternum Patrem, se habet Maria erga Filium. Filius accipit lumen à Patre, & Maria lumen mutuatur à Filio, qui eam *lucere magis fecit lumine ortus sui*. Filius est radius Divinitatis, quia Pater illum producit tanquam *sol radium*; & quia Filius Matri communicat lucem, Mariam nuncupat D. Bonaventura *radium Divinitatis*. Filius utpote paterni solis radius, est *candor lucis æternæ*: Mariam quoque uti radium divinitatis Filii, *candorem lucis æternæ* appellat Petrus Damianus. Filius candor paternæ lucis & radius æterni solis, repræsentat paternam lucem, quia *solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur*. Maria quoque radius Divinitatis Filii, & candor lucis æternæ repræsentat justitiæ solem. *Oritur sol de stella, & repræsentatur sol per stellam*; quæ tanto lucis splendore fulget, ut solis lumen æmulari videatur; *Et erit lux lunæ sicut lux solis*. Non dicit Propheta Evangelicus, Luna mutabitur in solem, sed tanta erit lucis ejus plenitudo, ut luci solis quodammodo assimiletur. Philippus Abbas fulgidam Virginis admirans lucem, sic eam alloquitur: *Tu es ergo omni claritate, & splendore solis clarior & splendidior; tu super omnem stellarum fulgorem, utpote stella maris fulgentior inveniris: candor quippe es æternæ claritatis.*

Tert. Apol. 21 Lib. Epig. Incarn. tom. 5. Bibliot. Patr. Tert. l. 3. adv. Marc. 30 Tert. l. adv. Jud. 9 Tert. lib. adv. Prax. 7. In Speculo B. Virg. Serm. 40. Tert. Apol 21 Pet. Dam. Serm. 1. de Epiph. Isa. 30 In Cant.

Maria Angliæ regina, Philippo secundo Hispaniarum regi matrimonio conjuncta, voluit in pictura repræsentari sponsum tanquam solem, seipsam

verò

verò juxta Philippum tanquam stellam fulgidam, cum hoc lēmate: *Sola dicata luci.* Quod potiori jure Mariæ Virgini competit, ob unionem quā habet cum Christo justitiæ sole. *Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis & mulieris*, quæ sole amicta describitur. Alcuinus hæc Canticorum verba elucidans, ubi beata Virgo *quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol* repræsentatur; comparat Mariam auroræ, cujus lux non differt à luce solis, Christum verò diei, auroræque fulgorem ex diei splendore censendum existimat: *Quia talem auroram talis dies, & talem diem talis aurora decuit.* Plus audet Petrus Blesensis, Mariam vocitans, *diem imperialem.* Belle Maria comparatur diei; dies enim splendoribus integratur & coastat; *cùm dies ipsa lux sit.* Maria nitore lucis rutilans, est dies imperialis, quasi splendoris primatum, & cæterarum dierum teneat principatum: Et quia est tenebrarum expers, à Vate Regio dies cœli vocitatur: *Thronus ejus sicut dies cœli.* Thronus enim de quo loquitur Propheta, & quem diei cœli comparat, est Virgo Maria, ait Doctor Seraphicus: magnum est autē discrimen inter dies terræ & dies cœli: dies enim terræ ex luce & tenebris permixti sunt, incipiūt in tenebris, finiunt in luce: *Factum est vespere & mane dies unus:* dies verò cœli in luce incipiunt, in luce progrediuntur, in luce terminantur, nullam obscuritatem neque in initio, neque in medio, neque in fine habent. Alii Sancti dies terræ dici possunt, quia incipiunt in vespere & caligine originalis peccati, terminantur in luce & die gratiæ: at beatissima Virgo thronus Dei, est dies cœli, semper in gratia fulget, splendet, nullaq; peccati obscuritate, nec in initio nec in fine offuscata fuit: *Virgo solem, lunam & stellas flore lucis excedit: neque enim sol perpetuo nobis splendet, cum contraria vicissitudine nox diei succedat; nec semper luna orbem illustrat, cum cœlorum conversione noster hic mūdus certo temporis spatio tenebris obvolvatur: Maria verò & sole & luna & astris illustrior, suo lumine, nulla sui commutatione, aut vicissitudine complet, ac ambit omnia, flammis lustrat, luce vestit, non enim illi succedit nox.* Maria stellas flore lucis excedit, quia nullis unquam obvolvitur tenebris: Dies imperialis præ cæteris sanctis splendidiores lucis spargens radios; dies cœli, cui nec succedit nox, nec nocte completur; neque ullas in ortu, non secus ac in occasu admittit tenebras. *Singularis enim continentia puritas, in candorem lucis æternæ conversa est*, & Deipara ob eminentem qua fulget sanctitatem, est candor lucis æternæ, & speculum sine macula majestatis Dei.

2. Filius est *repræsentator patris*, seu speculum in quo videtur Pater. In filio patris natura cognoscitur, & probi etiam mores elucere debent. In filio patris natura cognoscitur: *Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit*: Definitio, ut constat ex Logica, nihil est aliud quèm explicatio, seu declaratio naturæ rei. Ut autem subjungit Gregorius Nazianzenus, *filius compendiosa faciliśque paternæ naturæ declaratio est.* Perfecta reperitur æqualitas inter definitum & definitionem: filius est ejusdem speciei cum patre quem repræsentat. *Nulla res specu-*

[Marginal notes: D.Bern. ser. 3. sup. Mulier amicta sole. — Cant. 6 — Serm. 1. de Nat. Virg. — Ep. 14 — Tert. l. de An. 14 — Psl. 88 — Gen. 1 — Idiot. l. de laud. virg. c. 2 — Pet. Dam. ser. 44 — L. adv. Prax. 24 — Gregor. Naz orat. 36 — Tert. lib. adv. Hermog. 40]

ſpeculum alterius æquid est non coaquale : Filius quoque ingenia mores & affectiones patris debet repræſentare. *Vult & Cleantes non ſolum corporis lineamentis, ſed etiam animæ notis ſimilitudinem in filios reſpondere, de ſpeculo ſcilicet morum & ingeniorum & affectuum.* Filius eſt ſpeculum paternæ majeſtatis; patris naturam repræſentans,& ingenium adhuc referens : patris naturam repræſentans,& ut fatur Gregorius Nyſſenus, *totum in ſe monſtrans genitorem.* Ingenium adhuc & mores referens: & ideo *Philippus ſuggillatur Patrem videre deſiderans quaſi viſibilem, & inſtruitur viſibilem eum in Filio fieri;ex virtutibus,non ex perſonæ repræſentatione.* Reprehenditur Philippus æternum Patrem in via videre deſiderans;*quia inviſibilis Pater, quod & Philippus didicerat in lege, & meminiſſe debuerat:Deum nemo videbit & vivet.* Inſtruitur adhuc Philippus dum Filius ait ; Si me cognoviſſetis, & Patrem meum cognoviſtis, quia filius eſt ſpeculum in quo videtur pater : *Secundum hac enim, vicarium ſe Patris oſtenderat,per quem Pater & videretur in factis,& audiretur in verbis, & cognoſceretur in Filio,facta & verba Patris adminiſtrante.* Tert. lib. de An. 5. Tert. lib. adv. Prax. 14.

Chriſtus duplicem habet nativitatem. Unam à Patre, alteram à Matre. In æterna nativitate eſt ſpeculum paternæ majeſtatis , paternam naturam & virtutes repræſentans;in ſecunda nativitate,ordine inverſo Mater eſt *ſpeculum ſine macula*, filii puritatem repræſentans & virtutes referens : Maria poteſt conſiderari in ſua Conceptione,in conceptione & parturitione Filii, in morte Chriſti,& in toto vitæ decurſu,& ubique eſt ſpeculum ſine macula Maria in ſua conceptione eſt ſpeculum ſine macula ullius peccati, quam nec infecit, nec devenuſtavit,nec obſcuravit etiam vel levis ſerpentis, id eſt peccati originalis anhelitus · *Ei quæ pulchra facta eſt,recte dicit Verbum : A malis quidem societate recedens mihi appropinquaſti, appropinquans autem primariæ & exemplari pulchritudini , ipſa quoque pura facta es veluti quoddam ſpeculum conformatum meo charaſteri* Quinam eſt Verbi character? Sanctitas & puritas. Maria in ſua conceptione fuit ſpeculum conformatum ſanctitati Verbi: & 2 in conceptione Verbi divini fuit ſpeculum ſine macula conformatum puritati eius *Verbum abſque ulla corruptione cordis concipitur: quia ergo caro ſic fuit à Verbo Dei aſſumpta,ut eſſet caro Verbi Dei, conveniens fuit quod etiam ipſa ſine corruptione Matris conciperetur.* Quo perfectius concipitur,eo magis pura ac magis à corruptione aliena mens debet eſſe. Quantum à corruptione & macula aliena fuit Maria,quæ divinum verbum carne veſtivit! Neque duntaxat humanæ mentis conceptioni qua abſque ulla corruptione humanum concipitur verbum , ſed divinæ adhuc conceptioni qua æternus Pater divinum concipit & generat Verbum,comparatur Verbi conceptio in utero Virginis. Patri ſimilis extitit Maria in conceptu & in partu : & ut appoſite ait D. Ambroſius, *que nadmodum Virgo Divinitas ediderat,ita eum & Virgo Maria generavit.* Speculum abſque ulla fractura ſolis radios ſuſcipit, & emittit : Dei Filius eſt æternitatis radius, beata Virgo extitit perlucida chryſtallus. *Sicut vitrum abſque ſui diſſipatione ſolarem radium ſuſcipit & emittit, ſic Mariæ virginitas illibata filium* Greg. Nyſ. Hom. 4. in Cant. D. Thom. 3 p. q. 28. a. 1 Serm. 11. Richard à S. Laur. l. 4. de laud. Virg.

lium Dei concepit & peperit. De hoc nemo potest dubitare, ait Petrus Damianus; nisi qui de Dei omnipotentia dubitaverit. *Specular non frangit radius solis, & integritatem Virginis conservare non potuit omnipotentia Redemptoris?* 3.

Opusc. 1. de Fide Cathol.

In morte Christi speculum amoris & compassionis fuit Maria. *Cor Virginis fuit clarissimum speculum passionis Christi, & perfecta mortis eius imago;* tolerans intus in anima cruciatus quos in corpore tolerabat Christus. Speculum solis radiis expositum inflammatur: Christus cruci affixus est sol calidos emittens radios; Maria stans juxta crucem est speculum calori solis expositum, itaque illuminatur, accenditur, amorisque & passionis æstuat ardore. Tandem 4. Maria toto vitæ decursu fuit speculum sine macula, eminentes filij repræsentans virtutes Christiane, *servi igitur exemplo; & conserva speculum eius* Perfectum virtutum speculum & exemplar Virgo exhibet; in ipsa videre potes quid corrigere, quid tenere debeas. Solent mulieres venustatis studiosæ *speculum omni occasione consulere*, ut ea quæ maculant, tollant, & quæ decorant, adhibeant: ad duplex illud munus speculum consulitur. Conjice Christiane oculos in Virginem, in illo speculo te intuere, ut tollas quæ animam tuam contaminant, & adjicias quæ illam venustant. *Quoniam virginitas, & vita Beata Mariæ speculum & species fuit totius castitatis, & integritas virtutum decus pudicitia, & magisterium valde eximium probitatis, in qua rogo, videant virgines, quid vitare, quid corrigere, quid tenere debeant honestatis, ut valeant suis moribus exprimere Virginem, quæ est imago divina bonitatis.*

Laur Iust. l. 6 de Triump. Agõ. Chr.

Tert lib de Res. Car. 52.

Tert. lib. 2. Cult. Fam. 8.

S Ildeph. Ser 3 de Assumpt.

3. *Aut quæ est facies Dei* nisi Dei filius imago bonitatis illius? At cur Sapiens filium solius paternæ bonitatis imaginem propalat? Nonne est imago sapientiæ, potentiæ, misericordiæ, justitiæ, cæterarumque perfectionum divinarum? Cum Dei Filius sit notitia genita est imago potentiæ, sapientiæ, justitiæ, misericordiæ, & cunctarum generatim perfectionum de quarum cognitione producitur. Sapienter tamen dicitur à Sapiente imago bonitatis quia cum ejus generatio sit perfectissima nullam imperfectionis patitur umbram. Potentia Dei respicit non ens seu nihilum, de quo cuncta creata produxit, misericordia respicit miserias quibus obnoxii sunt mortales; sapientia intuetur non solum bonum, sed etiam malum; Justitia peccata condemnat & vindicat; Bonitas sola neque etiam terminative ullum defectum importat: Idcirco Filius prædicatur imago paternæ bonitatis. *Fœmina facies Christus Iesus*: quia ab illo suam mutuatur pulchritudinem. Constat *omnes virgines esse species Christi; Beatam autem Virginem esse specialem eius speciem, qua speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale aut veniale maculavit.* Quapropter à sacro Sponso tota pulchra prædicatur: (Tota pulchra es amica mea, quia macula non est in te,) ut emphatice in Hebræo legitur. Nullus est defectus sive in ejus anima, sive in corpore, sed tota pulchra es Maria, tum in corpore, tum in mente. Tanta est Mariæ pulchritudo ut patres æmulentur quis eam majoribus decantet encomiis. Nam à Joanne Damasceno humanæ pulchritudinis corona vocitatur; à D. Epiphanio ipsis Seraphi-

Tert. lib. adv. Prax. 14.

Tert lib. de Cor. Mil.

Rich Vict. in Cant. c. 39.

Cant. 4.

nis formosior declaratur: *Quæ solo Deo excepto cunctis superior existis, formosior es ipsis Cherubin & Seraphin, omni exercitu Angelico.* A Georgio Nicomediensi, omnium pulchritudinum decus & ornamentum recognoscitur. *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! ô Dei genitrix pulchrorum omnium summum ornamentum!* Nec mirum si Patres uno ore Mariam de pulchritudine laudant; quæ ut ait Rupertus, *pulchritudine divina* pulchrescit; non solum quia pulchritudinem suam à Deo mutuatur; neque adhuc quia Filius Dei in fabricanda Mariana pulchritudine totum suum adhibuit ingenium: *Gaude Virgo decus naturæ, pulchraque imago, quæ summi genium contines artificis:* sed præsertim quia est imago divinæ bonitatis; & ut fatur Andreas Cretensis, *eximia pulchritudo, vivi architipi imago.* Uti Filius est imago paternæ bonitatis, ita Maria est imago bonitatis Filij; uti Filius est figura substantiæ Patris, paternos characteres repræsentans; ita Maria exprimit *impressum sibi decorem divinæ similitudinis.* Pater est filii facies & pulchritudo: *Quis enim pater non facies erit filii, nomine auctoritatis quam genitus à generante consequitur?* Filius vicissim est Patris facies & decor, ut innuit Regius Vates de ignita Spiritus sancti productione ajens; (Ignis à facie eius exarsit.) Filius est Matris facies & decor; & Mater est Filii facies & pulchritudo. Unde apud Rupertum Mater Filium pulchritudinem nuncupat; & Filius Matrem suam pulchritudinem suam vocitat: *Vere tu dicis mihi: Ecce tu pulchra es: & dico tibi. Ecce tu pulcher es; quia tu pulchritudo mea es, quod ego pulchra sum, totum tibi attribuendum est.* Filius est pulchritudo Matris, quæ à filio accipit tum naturæ, tum gratiæ decorem; tum animæ, tum corporis venustatem. Unde dicitur imago bonitatis illius; seu ut habet Siriaca lectio, *forma gratiæ illius:* quasi idem sit imago bonitatis Dei, ac pulchritudo, sive species, sive forma gratiæ illius. Mater est pulchritudo Filij, qui à Matre corporis accepit venustatem: de quo Mariæ congratulatur D. Augustinus. *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Semel & iterum Mater Filium de pulchritudine commendat: (Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. *Ita pulcher ut sis ipsa substantia pulchritudinis; ita decorus, ut sis ipsum decus humani generis.* Filius etiam Matrem bis de pulchritudine laudat: (Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.) Non solum ob internam & externam qua decoratur pulchritudinem; sed duplici potissimum de causa: Tum quia sicut Filius est decus humani generis, ita Mater est *humanæ naturæ venustas:* Tum quia sicut Filius est forma quam imitari debet Christianus; *Ex forma dominica agere debebis*; ita Maria est forma ad quam fideles respicere debent. Quia, ut fatur D. Hieronymus, seu potius Sophronius, est *forma disciplinæ Christi.* Maria est forma, facies, species, pulchritudo christianæ disciplinæ; quæ quemadmodum apparet pulchrior, venustior, formosior, expressa in vita & moribus Mariæ, quam eleganter à Christo dictata. Comparat Hieronymus Christi disciplinam Mariæ opere expressam, cum eadem disciplina à Christo ore duntaxat dictata, nedum opere expressa: Christiana namque disciplina, in ore etiam

Orat. de laud. Virg. *Orat. de Oblat.*

Lib. 6. in Cant.

Ioan. Geo. Hym. 3. *Orat. de Dormit.*

Richard. à S. Laur. l. 9. de laud. Virg. Tert. lib. adv. Prax. 14.

L. 6. in Cant.

Serm. 3. de Assumpt. *Rupert. l. 3. in Cant.*

Tert. lib. de Idol. 18. *Serm. de Assumpt.*

Christi, dum ore duntaxat erudit homines, consistit in verbis; Maria vero suis moribus disciplinam à Filii ore dictatam resculpit, idem vitæ lingua docens, quod Christus ore prædocuit. Et quia omnem Christianæ disciplinæ perfectionem à filio edoctam perfecte adimplevit Maria, belle prædicatur forma disciplinæ Christi. Christiani, *apposita est nobis forma cui imprimamur* nimirum Maria, cui species & pulchritudo imitanda est. *Maria tota in se formosa erat tota in virtutibus & actionibus formosa*: Qui sunt in peccato in se non sunt formosi, sed deformes, qui male operantur non sunt formosi in actionibus, neque Mariam imitantur quæ tota est formosa: qui à Filio fabricata, & ab Spiritu sancto obumbrata.

Greg. Mag. Hom. 14. in Evang. Sim. de Cass. de B. Vit. c. 3.

III. Pars. Tert. Apol. 23.

Maria *quasi sub umbraculo* Spiritus sancti semper extitit. Maria & Spiritus sanctus sibi mutuo fuere umbraculum. Maria Spiritum sanctum obumbravit, quia sub eius umbraculo requievit Spiritus sanctus. Unde salutatur à Methodio: *Ave Spiritus sancti obumbraculum*. In aliis hominibus ob culpam vel actualem, vel originalem non semper obumbratur Spiritus sanctus: Maria vero ab æstu peccati fuit peccati fuit immunis, in eaque velut sub umbraculo semper requievit. Verum si Spiritus sanctus semper sub Mariana umbra requievit, ipse vicissim Mariæ præbuit umbram; fuitque *umbraculum per se efficax in ipsa*, ut fatur Andreas Hierosolimitanus. *Nunquam sine aqua Christus* ait Tertullianus: *nunquam Spiritus sine umbra*, ait Gregorius Thaumaturgus. In Jordane namque sub specie columbæ sedit supra Dominum illumque suis alis obumbrat, in monte Thabor sub specie nubis lucidæ magistrum & discipulos simul obumbrat: (Ecce nubes lucida obumbravit eos.) Mariamquoque obumbrat in sua Conceptione, in Angelica Annuntiatione, & in sanctitatis infusione. Nam 1. in sua Conceptione ab originali culpa præservat: 2. in angelica Annutiatione mirabiliter fœcundat: 3. in sanctificatione cũctis gratiis cumulat.

Orat. in Hypapant.

I. de Bapt. 9. Ser. 2. de Annunt.

1. In Mariæ Conceptione Spiritus sanctus *obumbrans corruptelam conditionis*, eam præservat ab originali culpa, cui addicti erant cuncti Adami nepotes, via communi generati: *Sicut umbra corpus*, *sic peccatum animam sequitur, gestorum imaginem referens*. Originalis peccati labe obumbrati sunt in sua conceptione Adami nepotes, & criminosi parentis deferunt imaginem: Maria sola scelerosi protoplasti non defert imaginem, neq; in sua Conceptione obumbratur umbra peccati: *Christus corpus sine umbra gestabat*: Maria quoque animam ab umbra peccati habuit immunem: quia in sua Conceptione fuit ab Spiritu sancto obumbrata & præservata ne originalem contraheret culpam. Quod ipsa probe cognoscens, in gratitudinis monumentum prædicat. (Obumbrasti super caput meum sicut in die belli. Ut autem docte animadvertit Abulensis: *Caput principium vitæ est*; *dies autem belli est instans illud Conceptionis*, *in quo dæmon peccati originalis macula, dominatur de anima: principium autem vitæ Beatæ Virginis obumbratum fuit ab instanti Conceptionis*, *& nullam contraxit maculam originalem*, *unde gratias agens Deo pro tanto beneficio*, *dixit*: *Obumbrasti super caput meum sicut in die belli*. Ubi umbra

Tert. lib. de Cor. Mil. 7. D. Basil. ho. 7.

S. Zen. Veron. Orat. 1. de Nat. Dom.

Ps. 139. in Matth.

sequitur.

sequitur corpus, ita peccatum originale habet umbras, quæ illud inseparabiliter sequuntur. Quænam sunt umbræ originalis peccati? Ignorantia, malitia, concupiscentia, aliaque ejusmodi quæ cum non fuerint in Virgine, sub umbra peccati non fuit concepta.

Satis non fuit Spiritui sancto præservasse Mariam ab umbra originalis culpæ, illam in sua Conceptione obumbravit: Nam ut Mariæ congratulatur Joannes Geometra expendens ista Gabrielis Archangeli verba: (Spiritus sanctus superveniet in te, *invisibilem suam formam in te obumbratice depinget*: *vel etiam ipsum Spiritus sigillum in te exprimetur.* Duplicem illam Joannis Geometræ expositionem tantillum illustremus. *Spiritus sanctus invisibilem suam formam in te umbratice depinget* Quænam est forma Spiritus sancti? nimirum sanctitas. Hanc formam Mariæ in sua Conceptione largitus est. (Quærat aliquis: cum & Pater spiritus, & Filius spiritus; & Pater sanctus, & Filius sanctus sit, quam ob causam vocabulum hoc, quod est Spiritus sanctus, proprium adscribitur personæ huic, & sola hæc persona sic vocari debuit: Ad hæc inquam: nimirum quia tota personæ hujus operatio, non aliud nisi sanctificatio est:) & quia Mariam in sua Conceptione sanctificavit, in ea formam suam, scilicet sanctitatem umbratice depinxit? Uti peccatum originale habet umbras quæ illius deformitatem manifestant: ita gratia originalis qua in suo conceptu sanctificata fuit Virgo, habet umbras quæ illius venustatem propalant, nempe scientiam in intellectu, rectitudinem in voluntate, concupiscentiæ extinctionem, eminentem virtutem, quæ in cunctis suis elucebat actibus, in quibus miram animi præferebat venustatem. *Pulchritudo est vitalis fulgor ex ipso bono per umbras effusus, animos excitans ut per bonum in unum redigantur.* En verum Mariani in sua Conceptione nitoris speciem: gratia qua sanctificata est originem sumit ab Spiritu sancto cui appropriatur bonum: hæc gratia Virginis animam decorans per umbras virtutum effunditur exterius internamque denotat venustatem: & quemadmodum Virginis sanctitas à bono procedit, ita ad bonum tendit, omnia sua opera referens ad gloriam Spiritus sancti, qui in illa formam suam umbratice depinxit suumque sigillum impressit.

In Caten. Pat. Græc.

Rupert l. 1. de honor. & glor. Filii hominis.

Plato in Menone.

Spiritus sanctus cunctos electos sigillavit eo quod ad illum pertineant, non secus ac servi ad dominum. In quo signati estis, seu ut habet Græca lectio; *in quo sigillati estis Spiritu promissionis.* Verum non eodem modo sigillati sunt quo beatissima Virgo: illis namque 1. suum adhibuit sigillum postquam concepti sunt; mundans illos ab originali macula; vel per baptismum, vel per circumcisionem, vel per aliquod aliud remedium. At Beatæ Virgini suum adhibuit sigillum in ipso conceptionis momento. *Vitam à conceptu agnoscimus*; vitam scilicet gratiæ qua ejus anima vivificata fuit eodem instanti quo creata. *Exinde enim vita quo anima.* 2. Illi prius detulerunt characteres diaboli, ejusque fuerunt mancipia, quam fuerint sigillati ab Spiritu sancto

Ephes. 1.

Tert. lib. de An. 27. Tert.

ĉto eiusqu ſervi effecti: Maria vero nunquam fuit tyrannidi dæmonis ma..d-pata, ſed ſemper extitit dominio Spiritus ſancti ſubdita, & decoros gratiæ detulit colores. *Simul in ea collecta gratia plenitudo: quia ab exordio ſuæ conceptionis aſperſione Spiritus ſancti tota Deitatis gratia eſt ſuperfuſa.* 3. Cæteri in fronte ſigillati ſunt. *Quoadusque ſignemus ſervos Dei in frontibus eorum:* Maria vero non in fronte, ſed in corde ſigillata eſt *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum.* Ratio autē hujus diſcriminis eſt, quia, ut docet Philoſohpus natura in generatione hominis ante omnia format cor quod eſt ſpirituum vitalium origo, format caloris naturalis, principium motus, & vitæ ſuſtentaculum: unde cor dicitur primum vivens: formato autem corde, natura procedit ad alias corporis partes, ultimo format caput quod eſt quinq; ſenſuum ſedes. Cæteri electi ſignati ſunt nō in corde, ſed in capite, quia ſanctificati non ſunt in ſua conceptione; ſed poſtquam formati ſunt; poſtquam nati vel concepti ſunt: Maria vero ſigillata fuit in corde, quia in ſua conceptione ſanctificata fuit, animæ namq; creationem & ſanctificationem *vindicamus contemporales eiuſdemque momenti.* Ut autem ait D. Athanaſius, *ipſe Spiritus ſanctus eſt ſigillum,* quo in ſua conceptione Virgo ſigillata & ſanctificata fuit, & umbraculum quo in angelica Annuntiatione fuit fœcundata.

Pet. Coll. L. de Pan. 6. *Apoc. 7.* *Cant. 8.* *Lib. 1. de nat. Animal.* *Tert. lib. de An. 17.* *Ep. ad Serapion. de Spir. ſanct.* *Tert. lib. adv. Prax. 27.*

2. *Certe enim de Spiritu ſancto Virgo concepit:* Spirituſque ſancti umbraculo fuit fœcundata. Magnum eſt diſcrimen inter æternam & temporalem Verbi generationem. Illa in ſplendore, hæc in umbra. *In ſplendore Sanctorum ex utero ante luciferum genui te. Verum id quidem Patri: At Mater ſane eundem ipſum in ſplendore non genuit, ſed in umbra.* Ut autem philoſophatur Magnus Gregorius, *umbra non aliter exprimitur, niſi per lucem & corpus. Virtus Altiſſimi Mariam obumbrat, quia in eius utero lux incorporea corpus ſumpſit.* Ex unione lucis incorporeæ Verbi divini, & carnis ſumptæ in utero Virginis, Dei Filius qui generatur à Patre in ſplendore, concipitur in umbra in utero Mariæ, & Verbi humanati umbra & Spiritu ſancti obumbratio decebat Marianam mortalitatem, virginitatem, & ſanctitatem. 1. Ob Mariæ mortalitatem. *Virtus Altiſſimi obumbrabit ei; & aſſumpta carnis velamine interiecto, ſusceptrix & conceptrix maieſtatis effecta, nequaquam opprimeretur à gloria.* 2. Maria ob ſuam virginitatem, ſubjungit Richardus à ſancto Laurentio; Spiritus ſanctus *virtus vegetans, umbra refrigerans. Spiritus ſanctus eam fœcundavit, virtus à corruptione ſervavit.* Tria præſtant viri uxoribus: Primo, illis conjunguntur nuptiali vinculo: ſecundo, illas obumbrant, ſeu nube tegunt: unde nubere à nube denominatur: tertio illas gravidant. Illa tria præſtat Mariæ Spiritus S. abſque virginitatis jactura: 1. Illam ſibi aſſumpſit in ſponſam: *Virgo ſpecialiter ſancto coniugata Spiritui.* 2. Illam fœcundavit: Nam ut ait D. Ambroſius, *Superveniens Spiritus ſanctus in Virginem, conceptionem operatus eſt, & generationi munus implevit.* 3. Obumbrabit tibi, *non lædendo ſicut umbra non lædit, nec gravat; ſed refrigerium præſtat.* Licet omnes Trinitatis perſonæ operatæ ſint Verbi humanationem, incarnatio tamen ſpecialiter tribuitur Spiritui ſancto,

D. Bern. de Nat. V. *Richard. à S. Laur. l. 12. laud. Virg.* *Pet. Dam. Serm. de Aſſumpt.* *Lib. de iis qui initiantur c. 11.* *Richard. à S. Laur. l. de laud. Virg.*

cto, cujus plures afferuntur rationes à Patribus. Inter quas maxime mihi arridet hæc D. Thomæ. *Ratio assignatur in gestis Niceni Concilii, & est quod in nobis est duplex verbum: Verbum cordis, & verbum vocis. Verbum cordis est ipsa conceptio intellectus, quæ occulta est hominibus, nisi quatenus per vocem exprimitur, sive per verbum vocis, verbo autem cordis comparatur Verbum æternum ante incarnationem, quando erat apud Patrem, & nobis absconditum. sed verbo vocis comparatur Verbum incarnatum, quod in nobis apparuit, & manifestatum est: verbum autem cordis non coniungitur voci, nisi mediante spiritu: & ideo recte incarnato Verbi per quam invisibilis apparuit, mediante Spiritu sancto facta est.* Hæc Spiritus sancti cum humana respiratione comparatio, mirè elucidat tum divini Verbi incarnationem, tum Marianæ virginitatis puritatem. Divini Verbi incarnationem: nam sicut spiritus seu respiratio hominis velut devehit verbum mentis, & voci imprimit, quo extremum & audibile verbum proferatur; sic Verbum divinum in mente Patris ab æterno invisibile & occultum, mediante Spiritu sancto quasi spiritu & respiratione conjungitur carni in utero Virginis & visibile apparet. Tum Marianæ virginitatis puritatem; nam quemadmodum integritate & puritate respiratio devehit verbum mentis, vocique imprimit, ita Spiritus sanctus mira puritate Verbum divinum velut devehit ab intellectu Patris in uterum Virginis, illudque conjungit carni ex purissimo Mariæ sanguine desumptæ. Debuit obumbrare Mariam Spiritus sanctus ob ejus virginitatem, & 2. suam sanctitatem. Nam, ut vult Rupertus, *Spiritus sanctus maxime ex hoc facto suo nominatur: quia quod in ea natum est de Spiritu sancto est. Antehac Spiritus Dei, sive Spiritus Domini dicebatur: nec facile in omni serie veteris Testamenti reperies hoc insigne vocabulum, Spiritum sanctum. Ab hoc loco fere primum sonuit in auribus nostris hoc reverendum & insigne vocabulum proprium, atque absolutum, Spiritus sanctus. Quam ob causam, nisi quia maxime ex hoc opere quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod vere sanctus sit?* Tantam & tam auguste excelsam gratiarum exuperantiam velut effudit Dei Spiritus in Mariam, ut qui hactenus Spiritus Dei, aut Spiritus Domini communiter dicebatur, reverendum atque insigne vocabulum proprium atque absolutum Spiritus sanctus habuerit, à plenitudine gratiarum, quibus Mariam cumulavit.

3. Nam Angelus ad Mariam ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* Verum qua ratione Angelus Mariæ dicit: Spiritus sanctus superveniet in te, quam nuper gratia plenam prædicarat? Hoc dubium proponit & acute resolvit D. Bernardus: *Superius dicta est fuisse gratia plena, & nunc quomodo dicitur, Spiritus sanctus superveniet in te? nunquid potuit repleri gratia & necdum habere Spiritum sanctum, cum ipse est dator gratiarum? Si autē iam Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, veniet in te, sed addidit super; quia prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam?* Quam

In 1. p. q. 32. a. 1. ad. 1. (margin: In cap. 1. Matth. 12.)

In c. 1 Matth.

Tert. lib. adv. Prax. c. 19.

Serm. 4. sup. Missus est.

Quam exuberanti gratiarum plenitudine exundat Maria, quæ licet gratiis plena, ulteriori Spiritus sancti plenitudine, uberius superfundenda dicitur? Superveniens illa gratiarum plenitudo quadruplici via investigari potest. 1. Spiritus sanctus invisibiliter mittitur & venit in animam, non solum quando primam gratiam sanctificantem recipit, sed etiam quando in ea incrementatur gratia. Maria in sua conceptione sanctificata inhabitantem habuit Spiritum sanctum: nam *in quo potiore templo inhabitaret Dei Spiritus?* Et quia in Verbi humanatione magnum accepit gratiæ augmentum, in ea Spiritus sanctus supervenire dicitur. 2. Quando quis assumit sponsam, illam opulenter dotat; magnaque ei largitur munera. Spiritus sanctus Virginem in sponsam assumens, opulenter eam dotavit, & singularia ei largitus est gratiarum dona. Singularem hanc gratiarum largitionem denotat Angelus dicens: Spiritus sanctus superveniet in te: (Spiritus Dei omnipotentis Patris & Filii venit in eam, singularique gratia, præ omnibus quæ creata sunt, sive in cœlo, sive in terra, & omnium quæ in eis sunt, fecit sponsam suam.) Ineffabilem illam gratiarum largitionem ab Spiritu sancto Mariæ sponsæ factam belle declarat D. Athanasius. *Quemadmodum nunc in præsentia & in æternum usque, habet hæc Virgo sibi obumbratam virtutem Altissimi, & superventum Spiritus sancti, ut sit gratia plena, ita enim istis opinamur illi per gratificationem Spiritus sancti, & virtutem Altissimi donata fuisse.* 3. Quia, ut fatur Proclus Patriarcha Constantinopolitanus, *Maria est unitarum inter se naturarum officina: Maria thalamus in quo Verbum humanam carnem desponsavit: Maria salutaris reconciliationis panegyris.* Debuit esse convenientia & proportio inter Matrem & Filium. *Omnis plenitudo spiritualium charismatum in Christo* fuit: in Maria quoque fuit plenitudo spiritualium charismatum; ubi enim Deum utero concepit; tunc ait D. Athanasius, *descendit Spiritus sanctus in Virginem, cum omnibus suis virtutibus essentialibus, quæ illi per rationem divini principatus adsunt imbuens eam gratia, atque idcirco gratia plena cognominata est, eo quod impletione Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret.* Quid est quod cum Spiritus sanctus supervenit in Virginem, cum omnibus virtutibus suis essentialibus venire perhibetur? Hoc dicit Athanasius: Vel ad innuendam gratiarum abundantiam quam Virgini præ aliis Sanctis largitus est: vel quia extincto in Virgine connaturali vitiorum fomite, velut connaturalem ad virtutem Virgini ingessit fomitem, & ut fatur Hildebertus, *in ea præter virtutem, nihil virtus invenit:* vel quia Mariæ contulit omnes simul virtutes, quibus divisim floruerunt Sancti. Abraham fide enituit, Isaac obedientia, Jacob oratione, Joseph castitate, Moïses mansuetudine, Elias zelo, Job patientia, alii aliis virtutum excelluere ornamentis. In veteri adhuc Testamento multæ fuerunt fœminæ, aliqua singulari virtute commendatæ, ut Abigail prudentia, Judith fortitudine, Ruth honestate, Anna religione, Jahel sapientia, Esther proximi dilectione. At in Virgine omnes virtutes simul in gradu eminenti collectæ & coadunatæ sunt. *Quod vel paucis mortalibus constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari*

Tert. l. 1. adv. Marc. 20.

D. Ansel. de excell. Virg. c. 4.

Ser. de san. Deip.

Hom. de Nat. Chr.

Tert. lib. adv. Iud. 9.

Epist. 48.

D. Bern. Ep. 174.

suspicari, tanta Virginu fuisse negatum, quæ à nullo illustrium Sanctorum excellitur in privilegiis gratiæ. Tandem 4. Spiritus sanctus in Mariam supervenit; quia septem sua dona illi contulit. Cuncta hæc dona Christo collata asseverat apud Tertullianum Propheta Evangelicus: *Et nascetur, inquit, virga de radice Iesse, quod est Maria, & flos de radice eius ascendet: & requiescet super illum Spiritus Dei, & Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & virtutis, Spiritus timoris Dei implevit illum. Neque enim ulli hominum universalitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum, flori quidem ob gratiam adæquatum, ex stirpe autem Iesse deputatum, per Mariam scilicet inde censendum.* Quod de Christo affirmat Tertullianus idipsum de Maria asseverant Rupertus Abbas, & Cardinalis Petrus Damianus: septem dona Spiritus sancti collata Virgini docentes, quod ex hoc loco colligit Rupertus, ubi Deiparæ oculi columbarum tribuuntur. *Quinam sunt oculi columbarum, nisi dona septem gratiarum? Isti oculi mei, sunt oculi tui, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum? omnium quippe gratiarum vel spirituum, tu effecta es particeps, ex quo me castis visceribus suscepisti.* Septem adhuc dona Spiritus Sancti Mariæ collata probat Petrus Damianus, Virgini istud Proverbiorum accommodans: Sapientia ædificavit sibi domum excidit columnas septem. *Septem namque Virginitatis hæc domus subfulta columnis extitit: quia venerabilis Mater Domini, septem sancti Spiritus donis, idest sapientiæ, & intellectus, consilii, & fortitudinis, scientiæ & pietatis, atque timoris Dei donata est.* Et ut Mariæ nullum desit gratiæ genus apud D. Antonium (concludit Albertus: quod universitatem gratiarum gratuitarum & gratis datarum omnifariam habuit.) Gratias gratis datas non omnes singulis contulit Deus, sed pro sua voluntate variè dispersit.) Alii datur sermo sapientiæ, alii prophetiæ, alii genera linguarum, alii gratia sanitatum) Omnes autem gratiarum tituli, in aliis divisi, simul in Virgine uniuntur & fluunt. Illa gratiarum abundantia denotatur dum dixit Angelus Virgini, Spiritus sanctus superveniet in te: *Ad quid putas supervenit, nisi ut etiam superimpleat eam? ad quid, nisi ut adveniente iam Spiritu, plena sibi, eodem superveniente, nobis quoque superplena, & supereffluens fiat?* Eleganter Cassiodorus, *Fundit potius qui mittit in plenum.* Spiritus sanctus qui novis indies gratiarum augmentis cumulabat Mariam, gratiarum plenitudinem non tam sibi quam nobis conferebat: idcirco vocitatur à Petro Damiano, *fons benedictionum, & bonorum omnium scaturigo.* Ab hoc fonte exundat aqua quæ homines bonorum steriles fœcundat humore cœlestis gratiæ. Spiritus sanctus qui fœcundavit Virginem, eam gratiarum replevit benedictionibus, ut homines aquis gratiæ quæ ab illo fonte exundant, irrigati fœcundentur, & virtutis producant fructus. *Hinc est Fratres, quod Virgineum fontis uterum cœlestis Spiritus arcana luminis sui admixtione fœcundat, ut quos origo limosa stirpis profuderat sub misera conditione terrenos, cœlestes pariat, & ad similitudinem sui perducat auctoris.*

L. adv. Iud. 9.
Cant. 1. Lib. 1. in Cant. 1.
Prov. 9.
Ser. 2. de Nat. Virg.
4. Part. tit. 15. c. 15.
1. Cor. 12.
D. Bern. Ser. 2. de Assump.
Lib. 12. Var. Epist. 27.
Orat. de Assumpt.
Chrysol. Ser. 117.

CONCIO QUINTA.

Tert. lib. 2. Ux. 4.

ADmiranda olim mulierum Christianarum devotio quæ *visitandorum fratrum gratia vicatim aliena & quidem pauperiora quæque tuguria circuire* solebant. Sed absque ulla comparatione magis stupenda Mariæ pietas quæ abiit in montana cum festinatione ut visitaret Elizabeth. Verum ad quid Maria visitavit Elizabeth? non ut Deum offenderet, sed glorificaret: non ut proximo aliquod nocumentum afferret, sed ut ei prodesset: non ut alicui molesta foret, sed ut grata & urbana esset. Visitationes quæ fiunt in sæculo, ut plurimum sunt imperfectæ, ex defectu charitatis, humilitatis, & sanctitatis. Ex defectu charitatis, sunt inurbanæ: ex defectu humilitatis, sunt incommodæ; ex defectu sanctitatis sunt noxiæ. In Visitatione Mariæ non hujusmodi inveniuntur defectus, sed perfectiones eis oppositæ coruscant; quæ est 1. urbana ob charitatem 2. commoda, ob humilitatem: 3. proficua, ob sanctitatem.

I. PARS. Tert. lib. de Pat. 11. Tert. lib. 2. de Cast. Fam. 11. Tert. lib. 2. ad Ux. 8.

Dilectionem Apostolus totis viribus sancti Spiritus commendat. Commendationem Apostoli quamplures Christiani despiciunt: nam *aut imbecillus alicui ex fratribus visitatur*, ipsi vero minime eum visitant, præsertim si sint in dignitate constitui, & imbecillus frater sit humili loco natus, aut adversa prematur fortuna: aut *æger visitatur*; visitationem vel recusant, vel cunctantur. Hunc defectum dilectionis, suo condemnat Deipara exemplo, quæ charitate fragrans Elizabeth: 1. ardenter visitat: 2. ad eam festinanter properat: 3. itineris incommoda patienter tolerat.

Tert. lib. de Car. Chr. 4.

1. *Certe Christus dilexit hominem.* Absolute Verbi humanatio non fuit necessaria ad humanam redemptionem, potuit enim Deus vel benigne & ex mera misericordia condonare protoparentis delictum: vel ad placandam suam justitiam potuit acceptare aliquam satisfactionem; vel Angeli, vel puri hominis; voluit tamen Dei Filius humanam operari salutem; non per vicarium hominem, vel Angelum, sed per semetipsum. Poterat Beatissima per aliquem fidelem nuntium Elizabeth de suo conceptu gratulari: & quemadmodum Paulus absens per filios suos spirituales Timotheum: Clementem, Lucam, omnes consolabatur Ecclesias: & sicut Joannes in carcere Christum per suos discipulos visitavit; ita Beatissima Virgo, domi clausa ab hominum aliena commercio potuit tanquam Angelorum Regina ad illam delegare Gabrielem conceptionis Præcursoris, & humanationis Verbi paranimphum; attamen non per aliquem nuntium, sed per semetipsam Elizabeth visitat, ut imitaretur Dei Filium qui usus non est alicujus hominis vel Angeli ministerio, sed *visitavit nos oriens ex alto.* Visitatio Dei ad homines est perfectissimum exemplar, expressa hujus prototipi imago, est Visitatio Mariæ ad Elizabeth.

1. Cor. 4. 1. Cor. 16. 2. Cor. 8. Luc. 1.

Tert. lib. adv. Iudæos. 3.

Amat figura Spiritus sancti, orientem Christi figuram. Orientis vocabulo Christus in sacris paginis intelligitur. Ut enim ait Zacharias Propheta, *Ecce*

vir

vir oriens nomen eius. Nuncupatur autem oriens, quia in diebus ejus orta est justitia: Columba autem est figura Spiritus sancti, qui est *columbæ figura delapsus in Dominum* dum super Jordanis aquas à Joanne præcursore suscipere voluit baptisma. Per columbam adhuc denotatur beatissima Virgo *Una est columba mea.* At cur sacer Sponsus Virginem columbam nuncupat? Quia columba est simbolum charitatis. *Charitatem hieroglifice nonnulli per columbam interpretantur:* Columba valde amat homines & ob hunc in homines affectũ, multum ex humana societate delectatur, & *hospitia humana diligit.* Non immerito Spiritus sanctus qui proprio charactere amor est, denotatur per columbam. Per columbam adhuc significatur Deipara quæ vulgo mater pulchræ dilectionis vocitatur. Ex dilectione visitavit nos oriens ex alto: amat figura Spiritus sancti orientem Christi figuram, & Maria tanquam columba charitate fragrans & orientis Christi dilectionem æmulans, Elizabeth visitat.

Tert. lib de Bapt. 8. *Pier l. 20.* *D. Cypr. l. de unit. Ecclef.*

Ab æterno Filius in sinu Patris existit, ut ipsemet fatetur, *Ego in Patre*, est namque *cordis Patris nobilis inquilinus.* In sinu Patris quiescit, ibi delectatur divinam contemplans essentiam, divinasque perfectiones infinite diligens: In tempore Dei Filius à paterno sinu velut exiens venit in mundum, ut ipsemet adhuc testatur; *Ego ex Deo exivi, & veni.* Quietem autem & contemplationem qua deliciabatur in sinu Patris, propter hominis amorem velut derelinquens: *propter hominem descendit.* Deipara quiescebat in cubiculo, divinorum contemplationi & amori sedulo vacans: adeo enim contemplationi studebat, ut in extasim rapta, velut dormiens habeatur, & tanto dilectionis ardore ferebatur in Deum, ut eam sacer Sponsus charitatem & dilectionem appellet: *Ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam:* Hebraïca lectio habet: *Charitatem.* In Hebræo autem legitur, *dilectionem & amorem.* Uti autem Dei Filius è sinu Patris velut exiens, venit in mundum in suum hominibus ostentaret amorem: ita beatissima Virgo à cœlesti raptu cui quodammodo indormierat in divini Verbi conceptione, à sacro Sponso evigilatur, ut suam Elizabeth demonstret dilectionem: (Surge propera amica mea.) (Quid est quod superius filias Hierusalem idem Sponsus adjurabat, ne suscitarent, neve evigilare facerent dilectam; hic vero ipse eam suscitat & surgere hortatur? Quia omnia tempus habent, tempus contemplationis, tempus actionis.) Eodem fere modo hanc difficultatem enodat D. Bernardus: (Agnoscite hic commendari vicissitudines sanctæ quietis, ac necessariæ actionis, & quia non fit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otii, ubi officii, & operis cogentior urget instantiorque utilitas.) *Beatissima Virgo utriusque vitæ, activæ videlicet & contemplativæ, plus cæteris omnibus privilegia custodivit.* Ideo in intimis domus penetralibus morabatur tota contemplationi addicta: attamen Spiritus sancti impulsu, à suavi illa extasi excitata, *etiam exurgere dicitur à loco orationis, à quiete contemplationis, ab habitaculo mansionis;* & ad activam vitam exercendam, ad domum Elizabeth cum festinatione properat.

Tert. lib. adv. Prax. 10. *Tert. lib. adv. Prax. 21.* *Tert lib de Car. Chr. 4* *Cant. 3.* *Cant. 2.* *Cassiod.* *Serm 51. In Cant.* *Euseb. Emiss Hom. de Assump.*

Tert. Apol. 7. D. Bern. hom. 1. super Missus. Tert. lib. de Pat. 3. Act. 10. Cant. 8.

2. Dei Filius adeo *velox* venit in mundum, quod hominum amore velut impatiens, neque reditum Angeli quem ad Virginem miserat expectare valens, *nimio prætervolans desiderio prævenit nuntium suum Deus*; in utero adhuc matris velut moræ impatiens post nativitatem adhelat, ut quam citius suum hominibus demonstret amorem. *Nasci se Deus in utero patitur Matris, & expectat*; denique postquam ex Matris utero prodivit. Velocissimus fuit in largiendis beneficiis, quippe *pertransibat benefaciendo, & sanando omnes.* Tanta namque velocitate circuibat Judæam, Galilæam, Samariam, ut non tam ambulare quam volare videretur. *Lampades eius, lampades ignis.* Simmachus legit: *Impetus eius impetus ignis.* Belle impetui ignis & alis comparatur amor: quia sicut impetus ignis & alæ volantes semper tremulo agitantur motu, & numquam quiescunt, sic amor incessanter operatur, & quietem nescit. *Innata est charitati sollicitudo quædam*: Alæ ejus, alæ ignis. Deipara filij æmulatur celeritatem, & ab ipso edocta, omnes tollit moras, dum beneficii impendendi occurrit negotium. (Ruth interpretatur videns & festinans, & significat beatam Virginem: quæ vere videns in contemplatione, & bene festinans in actione.) Exurgens namque à contemplatione, abijt in montana cum festinatione ut salutaret Elizabeth. Virginis festinationem vaticinans Jeremias ait: *Date florem Moab, quia florens egredietur.* Flos est virginitatis simbolum, & ita dum Propheta flores geminat, Marianæ virginitatis florem figurate amplificat. Septuaginta vertunt, *Date signa Moab*, quia ut in superioribus persæpe dictum est: In signum data est Virgo: Sitis & Arabicus legunt: *Date coronam Moab*; quia Dei maternitas Mariæ attulit coronam. Pagninus habet, *Date alam Moab, quia volando volabit*: Vatablus vero in plurali, alas geminat; *Date alas Moab, quia volando exibit.* Quam tempestive geminatus virginitatis flos, in geminatas refingitur alas; quam festinat qui alas assumit. Ubi primum beata Virgo Dei mater efficitur, quasi geminas alas de geminata virginitate assumens abiit in montana cum festinatione; neque gallinæ aut philomelæ, aut turturis assumpsit alas Maria, sed columbæ, quæ præ cæteris volucribus citissime volat. Idcirco D. Thomas à Villa Nova *celerem columbam per culmina montium pervolantem, Virginem Deiparam* nuncupat.

Gilbert. Serm. 26. in Cant. D. Bonav. in Spec. Virg. Cap. 48. Conc. de Visit.

At cur tanta cum festinatione beata Virgo properat in montana? Hujus plures D. Ambrosius subministrat rationes. 1. *Festinavit Virgo, ne extra domum diu moraretur in publico*, suo exemplo erudiens virgines, fugere publicum. *Discite virgines non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones: Maria in domo sera festinat in publico.* 2. Spiritus sancti gratia qua abundanter erat repleta. Mariam impellebat ut magna celeritate iter perageret: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, qua tum vehementer impellebatur.* 3. Ut doceret Christianos opera pietatis prompte & expedite absolvenda: *Non satis est recte facere, nisi etiam cures maturare quod facias, uberiores fructus habet accelerata devotio.* 4. Quia gaudium & lætitia maximam dant celeritatem: *Maria festinat præ gaudio.* Nam ut ratiocinatur Dion. Carth. *quia iam plena fuit*

In cap. 1. Luc. D. Ambr. l. de Cain. c. 2. D. Amb. c. 1. Luc.

fuit Spiritu sancto, spiritualique gaudio, charitatis fervore, & sanctæ dulcedine devotionis festinanter processit, præsertim quia cognatæ congaudere optavit & obsequi. Ultra quatuor illustrationes ex D. Ambrosio mutuatas, 5. subjungit Origenes, *Jesus qui in utero eius erat, festinabat adhuc in ventre matris Ioannem positum sanctificare.* 6. Et magis ad propositum Seraphicus Doctor, Mariæ celeritatem ejus dilectioni tribuit. *Quid eam ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas quæ in corde eius fervebat?* Urgebatur Virgo charitatis stimulis Elizabeth opem ferre. In Virgine duplex erat amor; consanguinitatis unus, charitatis alter; ille à natura procedebat, iste à gratia oriebatur, utroque sufflammata ad cognatam citissime properat: Et quia omnia vincit amor, Virgo cuncta itineris incommoda constanter tolerat. Hom. 7. in Luc. D. Spec. Virg. 4.

3. *Dilectio omnia sustinet, omnia tolerat*, ut constat ex divino illo Pastore cujus ovicula *conquiritur, & tandem invenitur, & humeris Pastoris ipsius refertur: multum enim errando laboraverat.* Pastor ille est Christus Dominus, qui humanam naturam errantem quæsivit, & inventam humeris detulit, deferens crucem quo illam redemit. Christi adhuc æmulans charitatem Maria, *per iter devium, & abrupta montium veniens, ut deferret amicæ actualis vitæ laboriosum officium. Zachariæ vatis ingreditur domum.* Tria sunt quæ Virginem ab illo charitatis officio poterant dimovere: 1. Tenera & delicata complexio, non assueta laboribus: 2. Asperitas montium qui non nisi magna difficultate poterant superari: 3. Itineris longitudo: Civitas enim in qua habitabat Elizabeth, juxta nonnullos, distabat à Nazareth quadraginta milliariis, juxta alios septuaginta milliariis. Tam longum & difficile iter, sine gravi incommodo non confecit per tres dies pedestris Virgo tenella & gravida: Omnes tamen difficultates constanter superavit Deipara; & ut fatur D. Ambrosius, *non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit.* Tert. lib. de Pat. 1 2. S. Ildph. Ser 5. de Assumpt. In cap. 1. Luc.

Nonnulli volunt nullum Virginem in conficiendo longo illo itinere sustinuisse laborem, vel quia deferebatur à Filio quem in utero gestabat. *Ascendit Maria portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans à quo portabatur*; vel quia ab Angelis miraculose portabatur: (Tradunt quidam ex revelatione, iter sex dierum fuisse à Nazareth usque ad civitatem Zachariæ, & uno die à beatissima Virgine juvantibus Angelis fuisse emensum: & propterea dictum esse cum festinatione.) Verum qui recurrunt ad miracula charitatem ejus offendunt, & conformitatem ejus cum Christo tollere satagunt: Quemadmodum enim divinum Verbum non exemit humanitatem sibi hypostatice unitam ab itinerum incommodis; nam ut constat ex Evangelio Joannis Christus *fatigatus ex itinere*, juxta puteum sedit, ita nec liberavit Deiparam à labore diuturni & ardui itineris, quod constanter & lætanter peregit præ amoris quo intus ardebat magnitudine. *Quando quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat, sed eo quod fuerit plenum periculis, & multa miseria, leviter fert, ad unum hoc attendens quomodo suo potiatur voto & desiderio.* D. Bern. Ser sup. Sign. Mag. Salmer. t. 3. Tract. 1 ov. Ioan. 4. D. Chrysost. Hom. 8. in Gen.

Sic beata Virgo charitatis ardore sufflammata non cogitabat itineris longitudinem, non montium asperitatem, non tenelli corporis laborem & lassitudinem; sed altissimæ charitatis fervorem. Et *sicut is qui sensibilem cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, animo ad cursum intento; facile omnia transit festinans ad destinatum scopum*: sic beata Virgo charitatis licæum ingressa, totam se cursui dabat, festinabatque lætans ad Elizabethæ domum, velut ad scopum, quem dilectionis exercendæ gratia quærebat.

D. Chrys. Hom. 18. in Gen.

Uti beata Virgo æmulata est Christi dilectionem, ita & nos Mariæ imitemur charitatem. 1. Maria non per alium, sed per semetipsam visitavit Elizabeth; non per servos, sed per nosmetipsos charitatis negotia tractemus, ad instar Abrahami qui ad tres illos viros qui circa meridiem prope tabernaculum ejus apparuerunt, *cucurrit, ne quis alius charitatis officium præriperet.* Servo commisit Patriarcha negotium quærendæ uxoris Isaac unigenito filio suo, charitatem vero non per famulum, sed per semetipsum exequitur. 2. Maria festinat ferre auxilium Elizabeth, cito etiam & nos impendamus beneficia. *Omnis benignitas properat, & proprium est liberaliter facientis, cito facere.* 3. Amemus Deum, & cunctos labores nullo negotio superabimus. *Omnia enim sæva & immania, prorsus facilia reddit amor*, ut Virginis comprobatum est exemplo. Nam *in ipso conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabiliter affliguntur; Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elizabeth ministraret*; & non minus humilitatis quam charitatis negotio incumberet.

Lippom. in c. 18. Gen.

Senec. l. 2. de Benefic.

D. Aug. Serm. 9 de V. Dom.

II. PARS. *Dilectio non inflatur, non proterit.* Homines superbia inflati cæteros proterunt suamque arrogantiam ostendunt, præsertim dum visitandi incumbit negotium, aliosque recusant vel primi visitare, vel salutare, vel eis ministrare. Inde tot lites inter familias, tot contentiones, tot animadversiones, tot duella, tot cætus: *Conferuntur in examinationem qua constet quis eorum præcellat in substantiis, viribus, dignitatibus, generis splendoribus*: Vanitatem illam ex qua quotidie tot oriuntur dissidia & domorum excidia, suo exemplo condemnat Deipara quæ *humilis fuit corde, humilis in verbo humilis in conversatione, humilis & in obsequiis*: nam Elizabeth licet dignitate longe inferiorem, prior 1. visitat: 2. salutat: 3. ei demisse ministrat.

Tert. lib. de Pat. 12.

Tert. lib. adv. Marc. 4.

D. Bern. sup. Miss.

I. *Dilectio nec sua requirit, si offert sua, dum alteri prosit.* Si sua requisisset Maria, expectasset ut ad ipsam venisset Elizabeth, sed quia sua non requisivit, prior Elizabeth visitavit. Unde Elizabeth Mariam sic alloquitur apud Eusebium Emissenum: *Ego potius ire debui ad te, sed tua, tuique filij humilitas te coegit venire ad me.* Duplici humilitatis incentivo Elizabeth visitat Maria 1. humilitate filii. Etenim *Dei Filius in tantum humilitatis exhaustus*, ut in utero Virginis abjectam carnis nostræ non exhorruerit societatem: quapropter Deipara tantam filii Dei attente considerans demissionem, ad humilitatem exercendam urgebatur, in utero suo habens humiliationem, cui probe competebant Michææ verba: *Humiliatio tua*

Tert. lib. de Pat. 12.

Ho. de Visit.

Tert. lib. de Car. Chr. 17

tua in medio tui. Christus in utero Virginis existens erat illi humilitatis incentivum. & humilitatis exemplar. Humilitatis incentivum nam *humilem paritura, humilitatem debuit ipsa præferre.* Humilitatis exemplar: ob hanc causam hiperbolice sic fatur Petrus Damianus : *Hac tam singularis tam incomparabilis Virgo, si non sequeretur humilitatem Christi nunquam pertingeret ad celsitudinem Christi.* Nulla pura creatura pertingere potest ad Christi Dei celsitudinem: verum si aliqua pura creatura posset ad Christi celsitudinem sublimari, maxime Virgo quæ perfecte Christi imitata est humilitatem : nam quemadmodum Dei Filius superior Angelis & hominibus factus est minor Angelis humanam assumens naturam, minor adhuc hominibus vermem se & non hominem nominans: Ita Deipara ad regiam dignitatem sublimata , se recognoscit & profitetur ancillam: & ut fatur Magnus Gregorius apud Thomam Hibernicum: *Dum unigenitus Dei existens ante sæcula, ex Mariæ utero natus est homo, investigabili miraculo facta est & ancilla hominis per Deitatem; & Mater Verbi per carnē.* Non est adeo incomprehensibile quod Maria sit Verbi divini Mater per carnem ex qua formata est humanitas cui divinum Verbum est hipostatice unitum: at prorsus est in investigabile quod facta sit ancilla hominis per Deitatem : In ea natus Deus quem vere genuit & portavit in utero, ex ancilla facit matrem & reginam, non ancillam ex matre. Quænam potest esse societas inter ancillarem ignominiam, & sublimen Deiparæ gloriam ? Verum enimvero acute dicitur Maria facta ancilla hominis per Deitatem : quasi divina maternitas sit origo ancillaris humilitatis, & ancillaris humilitas sit sequela divinæ maternitatis : Maria Deo humilitate placuit, & dum se ancillam Domini profitetur, Dei mater efficitur : Maria Domini mater effecta fit hominis ancilla per Deitatem : Tum quia Verbi deitas in suo utero existens matrem ad humilitatem stimulat : Tum quia propriæ dignitatis consideratione, Virgo ad humilitatem ferebatur : *Maria quanto maior erat humiliabat se in omnibus, certe humiliata est præ omnibus , quia maior omnibus extitit* : Ideo Deipara præ omnibus humilis fuit, quia sublimitatis prærogativa omnibus excelluit : celsior altitudo fit humilitati vectigalis, & augustior sublimitas fit tributaria humillimæ abjectioni. Multum sane discriminatur humilitas nostra ab humilitate Virginis. Humilitas in nobis ex nostra dejectione sumenda est; humilitas Virginis ex ejus celsitudine procedit. Nos debemus esse humiles, quia sapimus nihilum de quo producti sumus : Maria humilis extitit, quia ad eminentem Deiparæ dignitatem sublimata est : *Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipsa se cognoscit & confitetur ancillam : quia devotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium ; augetur ad gratiam, non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit.* Hoc est discrimen inter honores qui oriuntur de terra, & honores qui de cœlo dimanant, quod illi superbiam & elationem ingenerant; isti vero humilitatem & demissionem inspirant. Divinam maternitatem non ab hominibus & à terra , sed a cœlo & à Deo mutuata est Maria. Quapropter *mox ut Angelus qui loquebatur ei, ad superna redit* , surgit,

Marginalia: Cap. 6. — D. Ambros. l. 2. de Virg. — S. in ib. Ser. 45. — In lib. Reg. — D. Bern. sup. Signū Magn. — Chrysol. Ser. 142. — V. Bed. Hom. de Visit.

surgit, ac montana conscendit, seniorem visitat; & ad humilitatis augmentum prior Maria Elisabetham salutat.

Tert. lib. de vel. Virg. 15. 2. *Nihil est Deo charius humilitate: nihil perosius gloria.* Quantum Deo displiceat gloria, constat ex Lucifero, qui super astra exaltare volens solium suum tanquam fulgur de cœlo cecidit. Quantum vero humilitas Deo placeat, ex Maria comprobatur: Nam ut fatur D. Bernardus: Serm. sup. Missus est. *Si Maria humilis non fuisset, super eam Spiritus sanctus non descendisset.* Multum fuit Deo chara Mariæ humilitas antequam ad divinæ maternitatis sublimaretur honorem: sed adhuc charior postquam ad tantam evecta est sublimitatem. D. Bonav. in Spec. Virg. c. 4. *O mira & profunda humilitas Mariæ! ecce Mariam Archangelus alloquitur; Maria gratia plena dicitur, in Matrē Domini assumitur, iam omnibus creaturis anteponitur, iam Domina cœli & terræ efficitur, sed in omnibus mira humilitate deprimitur, dicens: Ecce ancilla Domini.* Plerique homines aut sanguinis nobilitate conspicui, aut in honoribus & dignitatibus constituti, aut fortunæ bonis locupletati, aut ingenii acumine, & corporis venustate decorati, superbia tument, insolenter se jactant, cæteros despiciunt, nullo civilitatis urbanitatis aut humilitatis officio, non solum inferiores aut æquales, sed neque etiam superiores præveniunt. Maria vero venit ad Elizabetham & ratione humilitatis, urbanitatis, dignitatis, & ætatis, prior illam salutat. Ratione humilitatis, *quia humillima fuit*, ait Herod. l. 2. Dionysius Carthusianus; ratione urbanitatis, virtus enim inurbana non est; ratione dignitatis, qui enim est in honore major, debet esse in humilitate & civilitate prior; ratione ætatis, juniores enim senioribus honorem præstare tenentur. Solemnis erat apud Ægyptios consuetudo, ut etiam nobilissimi, cum D. Ambr. in c. 1. majores natu obvios haberent, eis via locoque cederent, advenientibusque assurgerent, & locum darent. Itaque *venit propinqua ad proximum, junior ad seniorem, nec solum venit, sed prior salutavit: decet enim ut quanto castior Virgo, tanto humilior sit, noverit deferre senioribus, sed magistra humilitatis, in qua est professio castitatis* Castitatem decet humilitas, sanctitas aliorum semper movetur exemplo, & Maria humilitate, castitate, & sanctitate prædita, Greg. Thaumat. Ser. 2. de Visit. *cum festinatione ad Elizabeth cognatam suam contendebat, & ingressa domum Zachariæ domum salutavit Elizabeth, Angelum imitata.* Angelus de cœlo veniens salutat Virginem, eique incarnationis revelat mysterium. Cognata Angelis Mariæ virginitas Deiparam urget ut ad Zachariæ domum contendat, salutet Elizabeth, eique Incarnationis revelet sacramentum: D. Bern. Ser. de Nat. Virg. *Ascensiones in corde suo disposuit Virgo, conversatione pariter & oratione ascendens Abiit in montana, & salutavit Elizabeth, ut iam tum posset dicere matri mater, quod tanto post filio dixit filius: Sine modo sic enim decet nos implere omnem iustitiam* Maria dominicæ humilitatis æmula visitat Elizabeth priorque eam salutat Matri Joannis Matth. 3. aliquomodo præponere dicens idipsum quod Christus dicturus erat Joanni: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Venit Jesus à Galilæa in Jordanem ut baptizaretur à Joanne, qui prohibebat eum dicens: Ego à te baptizari debeo, & venis ad me? Respondens autem Jesus dixit

Joanni

Joanni: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Quænam vero sit illa justitia, quam adimplevit Christus de manu Joannis suscipiens baptismū, belle declarat D. Augustinus. *Quid est impleatur omnis justitia? impleatur omnis humilitas: propterea venit Ioannes baptizans ut Domini humilitas demonstraretur.* Christus omnem implevit humilitatem. Tum quia prior ad Joannem accessit: Tum quia de manu Joannis baptismum suscepit: Tum quia minor Joanne videri voluit, quia sublimius est baptizare quam baptizari: Tum quia baptismi habitu inventus est ut homo quasi peccator, quæ est maxima dejectio in homine Deo. Maria ad exemplum Filij omnem implens humilitatem ascendit ad domum Zachariæ, prior salutat Elizabeth: *Quid hac humilitate sublimius? venisse eam mirabatur Elizabeth: unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me: sed magis miretur, quod instar utique filij, & ipsa non ministrari venerit, sed ministrare.* Miratur Elizabeth Deiparam venisse ad suam domum, eamque humiliter salutasse; sed majori est adhuc admiratione dignum, quod Maria in domo Zachariæ tanquam ancilla ministret. Tract. 4 in Ioan. D. Ber Ser. de Nat Vir.

3. Christus Dominus *potestatis jus quoque nullum, ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est* Dei filius de cælo descendit, servi formam assumpsit, non sibi ministrari voluit, sed alijs vile ministerium præbuit: *Aquam ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit*; & ante illos provolutus cunctorum pedes, Judæ etiam proditoris lavit: Maria Filij humilitatem æmulans ancillæ sectabatur officium: *Ideo nuntiatur Mariæ conceptus Elizabeth, ut audiens cognatam vetulam & gravidam, cogitet juvencula de eius officio* Mox ut Maria gravedinem consobrinæ audivit ad domū Elizabeth se transtulit, ut suum ministerium ei præberet. *Intravit Virgo domum Zachariæ, non ut verbum Angeli mulieris attestatione probaret, sed mulieri provectæ ætatu, Virgo juvencula ministerium sedula impenderet:* Non abiit Virgo in domum Zachariæ ut reipsa probaret an vera essent quæ de Elizabeth ab Angelo audierat ut falso voluit Theophilactus: *Non abijt quasi incredula de oraculo, sed quasi læta pro voto, festina præ gaudio, religiosa pro officio* Scilicet ut Cognatæ de admirando filij conceptu gratularetur, eique famularetur. Quod non solum ardentissimæ fuit charitatis, sed eximiæ humilitatis, quod Domina ad famulam, Regina ad subditam, Dei Mater ad Elizabetham venerit ministrare. *Contuendum est, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur.* Admirandum illum humilitatis spiritum hauserat Deipara à Filio quem utero gestabat; sciebat enim servi formam accepisse; ut in ea Dominus ipse servis suis, Imperator cœli & terræ subditis, Deus homini ministraret, quod primum fecit ubi ad Virginem majestatem suam inclinavit, deinde cum Mariæ & Josepho submisse famulatus est; tandem cum inter discipulos suos quasi minister conversatus est, ut qui venerat ministrare, non ministrari. Maria vera demissionis dominicæ imitatrix, properat ad domum Zachariæ non ministrari, sed ministrare, non ad suscipienda, sed ad præstanda Cognatæ servitia; quantumvis

Tert. lib. de Idol. 8. Tert. lib. de Pat. 3. D. Ber. Ho. 4. sup. Miss. V. Beda Ser. de Visit. D. Ambr. in c. 1. Luc D. Ambr. Matth. 20

vis abjecta. Profunda profecto humilitas, stupenda corporis animique demissio, qua se Regina cœli, Domina mundi, Mater Dei, Elizabethæ submitteret; submisit tamen humili ac domestico ministerio. (D. Amb. in c. 1 Luc.) *Quæ propter officium venerat, inhærebat officio*, cui se totam impendit, non uno die aut hebdomada una, sed tribus mensibus; quod eximiæ & raræ humilitatis fuit: (D. Bern. sup. Missus est.) *Non magnum est esse humilem in abjectione; magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.* Admirandan prorsus Deiparæ humilitas, quæ ut fatur Cassianus, *in profunda se dejecit, quæ invitebatur ad alta, & à dominatu ad ancillatum, animum convertit & corpus*, vilissimis vacans officijs. (Tert. lib. de An. 47.) *Superstitio Romana Deam finxit Partulam, quæ partum gubernet; & Lucinam, quæ producat in lucem.* Deipara tanquam divina quædam Partula, Elizabeth partum gubernavit. Nam in domo Zachariæ (D. Bern. Ser. de privileg. Ioan.) *morata est Maria donec puerum beatissimo confoveret sinu, & propinquiorem redderet præsentia Creatoris*; & tanquam cœlestis aliqua Lucina cognatæ partum produxit in lucem: Petro namque Damiano teste, (Serm. de S. Ioan.) *ipsa Dei genitrix, filium puerum primo de terra levavit.* Hujus Cardinalis testimonio accedat Seraphici, & purpurati Doctoris testimonium (Lib. 5 Vit. Chr.) *Peperit Elizabeth filium, quem Domina levavit à terra, & diligenter aptavit. Considera magnificentiam Ioannis, nullus unquam talem gerulam habuit.*

Sat non est admiratos fuisse Deiparæ humilitatem, imitanda est ejus demissio. (D. Ambr. L. 2. de Virginib.) *In illa velut in speculo refulget forma virtutis*, Cunctæ virtutes resplendent in Maria, sed humilitas præ cæteris splendidiores emittit radios. Nam ut belle ait Rupertus, (Cap. 2.) *cunctæ virtutes, omnes gratiæ, cuncta dona, quæ Virginem exornabant, humilitati ejusdem tributa pendebant.* Imitationis tributa cunctis Deiparæ debemus virtutibus, quæ in illa velut in speculo refulgent, sed potissimum humilitatis vectigales sumus: neque ullum possumus solvere tributum Virgini gratius & acceptius humilitate. Tanti facit animi dejectionem Maria, ut sit (D Ignat. Ep ad Io. Evang.) *humilibus devota, & devotis reverentius humiliaretur.* Sic magni æstimat humilitatem beata Virgo, ut quemadmodum aliqui pietate præstantes Marianæ devotioni eximie studient, ita Maria devota humilibus dicatur. Christiani, simus devoti erga Mariam, & ut ipsa sit nobis devota, ejus imitemur humilitatem. 1. Maria non expectavit ut Elizabeth veniret ad ipsam, sed properavit in domum ejus: nos quoque præveniamus alios civilitate, urbanitate, charitate. 2. Maria etsi superior, nobilior dignior, prior salutavit. Elizabeth; nos quoque priores salutemus non solum superiores, sed æquales, imo & inferiores. 3. Maria humiliter famulata est, nos quoque ministremus, non solum propinquis sed extraneis, non solum divitibus, sed etiam pauperibus. Tandem Visitatio Mariæ fuit proficua ob sanctitatem, & nos in omni conversatione sancti simus.

III. PARS

Quam noxiæ sint plures visitationes, (Tert lib. de Præsc. Hæret. 14.) *conversationis vitium* evidenter demonstrat. In illis enim ut plurimum aut crimen perpetratur; aut fides periclitatur; aut Deus blasphematur. At quantum exitiosæ sunt mundanæ visitationes, tantum utilis & fructuosa est Virginis visitatio. *Mysteria quæ in hac sacra Visitatione peracta sunt, in tota æternitate celebrari satis, & exhauriri*

cogitatione, & sapientia omnium creaturarum, nequeant Inter Mariæ figuras non modicum tenet Arca locum. [Maria etenim, testamenti arca verissima divinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, atque imputribilibus lignis spiritualiter facta, suavissimum in se manna continuit.) Mansit arca Dei in domo Obededon tribus mensibus & benedixit Dominus domui ejus, & omnibus quæ habebat. Quod si quæramus à Lirano quænam fuerit hæc benedictio, respondebit, *Benedixit Obededon multiplicando eum in bonis spiritualibus & temporalibus.* Maria tribus mensibus remansit in domo Zachariæ, & Dominus domui ejus spiritualiter benedixit. Nam 1 Joannes criminosus sanctificatur: 2. Elizabeth ignara illustratur: 3. Deus laudibus prædicatur.

Laur. Iust. de Nat. Virg.

L. 1 Paral. 6.

1. Deus *exemplo leprosi non contingendi, imo ab omni commercio submovendi, communicationem prohibebat hominis delictu commaculati: cum qualibus Apostolus quoque vetat cibum sumere: participari enim stigmata delictorum, quasi ex contagione, si quis se cum peccatore miscuerit.* Quam sit contagiosa malorum societas, Vates Regius decantat, ajens: Cum perverso perverteris. *Humanæ conversationis inquinamentum*; probe sciens Moralis Philophus sic fatur *Inimica est multorum conversatio: Nemo non aliquod vobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut allinit*: commendat exemplo, imprimit sermone, allinit conversatione. Quare tanquam pestes vitandæ sunt eorum visitationes, qui obscœnis sermonibus oculo lascivo, petulanti manu virus afflant, pestes aspirant, animis infertinis interitum. Non contagiosa aut exitiosa fuit Virginis visitatio, sed utilis, fructuosa; & ut fatur Tertullianus, *in auspicia resurrectionis* facta, in qua mortuus suscitatur, immundus mundatur, peccator justificatur, & Joannes criminosus sanctificatur. Nec mirum si gratiis, & cœlestibus benedictionibus repletur Joannes. Qui sub fœlici aliquo nascuntur sidere, fortunati dicuntur. Maria juxta præsagium sui nominis est fœlix stella, fausta quæque influens. Fausta illa stella benignos Joanni largita est influxus; & ut fatur D. Ambrosius, *elevavit Ioannem in utero constitutum qui ad vocem eius exiluit, & infans exultavit, in gaudio, prius sensu devotionis, quam spiritus vitalis infusione animatus.* Duplex est Joannis animatio. Naturalis una, supernaturalis alia: in illa corpus Joannis, in ista ejus anima animatur. Anima corpus informat, gratia animat animam dum Maria Elizabeth salutat. *Vocem prior audivit Elizabeth; sed Ioannes prior gratiam sensit: exultavit infans, repleta est mater: non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu sancto, replevit & matrem.* Ad unde Elizabetham replevit Joannes? unde repletus & ipse: scilicet à Virgine & à Virginis Filio. Ex Euthimio namque. (Christus locutus est per os Matris suæ; Joannes autem audivit per aures Matris suæ, & agnito Domino, sua exultatione illum prædicavit.) Productum Adamum Deus spiritu suo animavit: Et *factus est homo in animam vivam.* Ad salutationem Mariæ factus est Joannes in animam vivam, repletur gratia, quia animatur à Maria: sanctitatem media Virgine

Tert: lib. 4. adv. Marc 9.

Tert. lib. de Orat. 1 L. Epist. 3.

Lib. de An. 37.

Lib. de Inst. Virg. 13.

D. Ambr.

Tert. lib. de Res. Car. 5.

gine suscipiens. Ex D. Bonaventura Beata Virgo etiam *in hac vita ornata extitit iis virtutibus, quæ cum dotibus corporis similitudinem habent : Fuit enim agilissima per pietatem, impassibilis per patientiam, subtilissima per humilitatem, clarissima per sanctitatem.* Quatuor illæ virtutes potissimum in hac solemnitate coruscant. Deipara namque fuit agilissima per pietatem, festinans in montana, ut charitatem suam demonstraret Elizabethi; fuit impassibilis per patientiam læto animo sustinens labores & ærumnas diuturni & laboriosi itineris: fuit subtilissima per humilitatē, vilibus incumbens ministeriis : fuit clarissima per sanctitatem, in Joannē influens sanctitatem. *Virginalis integritas, nunc dulciore colloquio, nunc amplexu fœliciore Ioannem puerum consecrat; & insignit.*

In Spec. Virg. c. 6.

Petr. Damian. Ser. 12.

Aliorsum fusè demonstratum est quantum gratiæ largitatem in Visitatione Mariæ receperit Joannes: ibi Christiane me videbis. Nunc animadverte *Christum esse verum disceptatorem & elimatorem humanarum macularum*; quas pretioso suo emūdat sanguine; & adhuc *dimissorem delictorum Christum recognosce.* Dei enim proprium est dimittere peccata & largiri gratiam. Per Mariam autem Christus Joannem, peccato mortuum ad vitam gratiæ revocavit; maculas ab Adamo contractas mundavit ; delictum originale delevit; in utero materno sanctificavit; 1. Quia filius in utero Matris existens velut eadem persona habetur cum matre. Itaque *Ioanni Deus & homo; Mater & Virgo; Caro & Verbum: In his omnibus misericordia fabricatur* ; qua liberatus fuit à captivitate diaboli, & libertate donatus. 2. Quia *Deus redempturus humanum genus, pretium universum prius contulit in Mariam*; Maria autem anticipata solutione contulit Joanni , in utero matris latitanti pretium quo redemptus est. 3. Quia *à tempore quo concepit Virgo Deum in utero suo, quandam (ut sic dicam) iurisdictionem, seu auctoritatem habet in temporali missione Spiritus sancti.* Hac auctoritate seu jurisdictione utens Maria , salutans Elizabeth , Joannem filium ejus replevit Spiritu sancto uti ab Angelo fuerat vaticinatum. (Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero Matris suæ.) 4. Quia (tota Ecclesia dicitur unū corpus misticū per similitudinē ad corpus naturale hominis, quod secundum diversa membra, habet diversos actus) Christus est corporis illius caput, Maria verò collum. *In Christo fuit plenitudo gratiæ sicut in capite influente, in Maria vero sicut in collo transfundente.* Nam ut philosophatur D. Bernardus: (Sicut per collum vitales spiritus à capite descendunt in corpus: sic per Virginem à capite Christo vitales gratiæ in ejus corpus mysticum transfunduntur.) 5. Quia licet Christus absens à Joanne potuerit illum sanctificare, voluit tamen primum illud miraculum operari per suam præsentiam: Virgo autem properans in domum Zachariæ reddidit Christum præsentem Joanni: *Quare non prius repletus est Spiritu sancto, quam ea quæ Christum Dominum utero gestabat, illi se adiunxisset.* Uti enim Sacerdos deferens viaticum ægroto, ad nutritionem eius spiritualem cooperatur, præbens ei Eucharistiam, quæ est spirituale animæ alimentum; sic B. Virgo ad Joannis cooperata est sanctificationē; quia *peccati mortisq; in utero portavit redempto-*

Tert. Præscr. 10. 1.
Tract. de Festivit. Sacr. Conc. 23
Tert. l. 4. adv. Mar. 35.
Tert. l. 4. adv. Marc 10.
Petr Dam in Vigil. Nat.
D. Bern. de aqua duct.
D. Bern. Ser. 10. 1. Ser. 52.
Luc. 1.
D. Thom 3. p q 1. a. 10
D. Hieron.
Tit. Bostr.
D. Bern. Ep. 174.

redemptorem. 6. Quia salutatio Mariæ fuit oratio quædam qua Deum exoravit Joannis & Elizabeth deprecans sanctificationem : Ut autem vult Gregorius Thaumaturgus : *Vox Mariæ efficax fuit, & Spiritu sancto replevit Elizabeth, ac veluti ex perenni quodam fonte, flumen charismatum, per Prophetam cognatæ suæ emisit.* 7. Quemadmodum Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ tanquam Christi minister per verba absolutionis dimittit peccata & largitur gratiam : non absimiliter, ait Theophilactus, *Vox Virginis, vox erat incarnati in illa Dei, & idcirco etiam Præcursorem in utero, gratia prosecutus est.* 8. Uti Christus per Sacramenta quæ sunt instrumenta virtutis suæ, communicat gratiam; ita *os Mariæ ministravit Filio Dei, qui in utero eius erat* ad largiendam gratiam Joanni. Quem sanctificavit *instrumento linguæ*, ait Gregorius Thaumaturgus, qua Maria salutavit Elizabetham : Idcirco belle nuncupatur à sancto Ildephonso *arca Sacramentorum Dei.* Non solum quia in ea operatū est magnum Incarnationis Sacramentum; neque quia in ejus utero occultatur Christus Sacramentorum auctor; neque adhuc quia sanguis Christi qui effusus est in Calvario, & fluit in Sacramentis, desumptus est ex puris Mariæ visceribus, sed præsertim quia Maria Joannem in utero sanctificavit, ad modum quo Sacramenta novæ legis ritè suscipientes sanctificant. In Sacramentis duo consideranda sunt : Unum sensibile, seu visibile, ut aqua in Sacramento Baptismi, vox sacerdotis absolutionem impartientis : aliud insensibile, seu invisibile, seu occultum, ut corpus Christi in Eucharistiæ mysterio. Ita in illa arca Sacramentorum duo erant : Unum sensibile & externum, nempè vox Virginis; aliud occultum, nempè Christus latens in utero Mariæ Ex his duobus, velut Sacramentum integratum est, quo Joannes sanctificatur, & Elizabeth illustratur.

Ser. 2. de Annunt.

In cap. 1. Luc.

Theophil.

Ser. 1. de Assumpt.

2. *Conversatio divinæ disciplinæ, non factis tantum, verum etiam verbis periclitatur.* Sunt homines criminosi qui non alio fine visitant, nisi ut eos quibuscum conversantur suorum criminum efficiant participes. sunt adhuc malè de religione sentientes, qui fidem in aliorum mentibus destruere moliuntur, apertè mysteria impugnantes, & veritates Christianas errorum tenebris in cordibus obnubilantes; quia *nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.* Merito Maria *illuminata & illuminatrix* nuncupatur, quia non in tenebras ducit, sed in lucem; undè Elizabetham visitat non ut contenebret, sed illuminet; ut eam sublimiora quæque religionis mysteria doceat : Ideo Paulus Burgensis Deiparæ accommodat istud Isaiæ vaticinium : (Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.) In Hebræo legitur, *super montem excelsum ascende Evangelizatrix Sion. Dic civitatibus Iudæ: Ecce Deus vester.* Beata namq; Virgo præpropere exurgens abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, & Christum quem in utero portabat prima Evangelizavit Joanni, Elizabeth, Zachariæ. O bona evangelizatrix Maria, & Evangelistarum primiceria, quæ Angelos & Evangelistas munere antevertens, Evangelistæ implevit officium. Neque enim Angeli in Filii sui nativitate, neque Marcus,

Tert. lib. de Idol. 10.

Tert. lib. de Præsc. Hæret. 12.

Isa. 40.

cus, aut quilibet alius Evangelista, in descriptione Evangelii Mariæ præcurrerunt, sed ipsa omnium prima Evangelistæ nomen dedicavit: Joannem, Elizabetham, & Zachariam de humanatione verbi erudiens.

Tert. lib. de An. 26. *D. Amb. l. de Isaac. c. 6.*

Agnoscunt matres suos invicem fœtus. Maria certo noverat se Deum humanatum in utero gestare, Elizabeth quoq; didicit, se Præcursoris gravidam; & adhuc Dei Filium in utero Virginis agnovit. *Præsentia Mariæ cum utero gravis esset, erudivit Ioannem in utero constitutum, adeo ut exiliret Domini præsentiam recognoscens.* Eruditus Joannes à Maria in suo utero divinum Verbum gestante, erudivit Elizabeth. Nam ut fatur auctor operis imperfecti: *Ioannes in utero matris existens divini introitus scientiam Matri donavit, & os illius in verbo confessionis aperuit, ut cuius non videbat personam, agnosceret Divinitatem; dicens: Vnde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me?* Sicut in infusione gratiæ, ita in illustratione servatur ordo. Joannes repletus est Spiritu sancto, Elizabeth quoque repleta est Spiritu sancto, sed Joannes ante Elizabetham repletur: Joannes adhuc cognitione Christi eruditur, eadem notitia illustratur Elizabeth, sed filius ante Matrem Verbum humanatum cognovit: & acceptam à Deipara lucem in Matrem transfudit. *Exultat Elizabeth, Ioannes intus impulerat.* Vox Verbi personans per os Mariæ filium & Matrem illuminavit. Illustrata autem Elizabeth, Virginis præsentia, Joannis exultatione, *revelante Spiritu sancto, quo impleta erat, intellexit quid exultatio infantis significet, scilicet venisse Matrem illius, cuius Præcursor erat futurus.* O res mirabiles! exclamat D. Chrysostomus; quæ in cœlo ignoraverunt Angeli, cognovit Joannes qui gestatur in utero: Thronos latuit, & eum qui gestabatur in utero minime prætetiit. Celavit Dominationes, & ei qui erat in ventre revelavit, mysterium susceptæ carnis. Superni Spiritus humanationis Verbi nesciebant Sacramentum; & Elizabeth admirabile incarnationis Sacramentum, tot sæculis absconditum à Spiritu sancto didicit. Prima post Mariam Virginem & Joannem illud agnovit, prima patefecit; prima Virginem Matrem Dei appellavit; prima in Deiparæ laudes, os illud Spiritu sancto plenum reservavit: prima Mariam uteri fructum benedixit; prima divinam & humanam Christi naturam prædicavit. Nam, ut acutè animadvertit Cajetanus, *didicit à Spiritu sancto, quod erat Mater Dei, & hominis: propter naturam enim humanam dixit, Benedictus fructus ventris tui; propter divinam: Vnde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Ioan. c. 1. Lu. *Tert. lib. de An. 26.* *V. Bed. Ser. de Visit.* *Luc. 1.*

Non hominis sed Dei opus est efficere Prophetas. Ut enim ait D. August. *Deus aperire solebat ora Prophetarum:* ideoque postquam Deus constituit Moysen Deum Pharaonis, dixit illi: *Aaron frater tuus est propheta tuus*: Quia, ut interpretatur Oleaster, *non est Deus sine Propheta.* Christus in utero Virginis existens est verus Deus qui divinitatem suam ostendere volens per os Mariæ Joannem efficit Prophetam, & medio Joanne Elizabethæ largitur prophetiæ donum. Nam ut fatur Guarricus Abbas de Jo. loquens, *Qui Propheta & plusquam Propheta futurus erat, imo ante prophetare quam prosari, prius Deum, quam se ipsum sentire poterat; parentes quoque suos Prophetas faciebat; & in eos qui in se trans-*

Lib. 1. de Ser. Do. in Mont. *Exod. 7.* *Ser. 1 de Nat. Ioann.*

fuderant carnis substantiam, Spiritus sui & gratiæ superabundantiam infundebat. Verum in parentes non infundebat Joannes gratiæ superabundantiam, & prophetiæ donum; nisi quia à Christo per os Mariæ fuerat repletus Spiritu sancto, & Propheta Dei constitutus. Quod luculenter declarat Theophilactus: (Vox itaque Virginis, vox erat incarnati in illa Dei, & idcirco etiam Præcursorem in utero gratia prosecutus est, & Prophetam fecit. Quæcunque enim dixit Elizabeth prophetice ad Mariam, non verba fuerunt Elizabeth, sed infantis: Os autem Elizabeth tantum ministravit, sicut & os Mariæ tantum ministravit filio Dei, qui in utero ejus erat. Nisi enim puer exultasset, non prophetasset illa. Itaque sicut dicunt, Prophetas primum mente excedere, & divinum quid pati, ac tum denique prophetizare: ita & Joannes forte prius saliavit, ut divinũ quiddã patiens, postea per os Matris prophetaret.) Belle, licet longiuscule, Theophilactus declarat in hoc Præcursorem divino assimilari Verbo, quod sicut Verbum humanatum per os Mariæ loquens, Joannem prophetam constituit; ita Joannes per os Elizabeth prophetavit. Verum Guarricus multo clarius ostendat ordinem quo Maria, Joannes & Elizabeth à divino Verbo mutuarunt, tum gratiam, tum prophetiam. *Vox Mariæ dum auribus Elizabeth intonat, ad cor Ioannis penetrat: qui abstrusus intra materna latebat viscera, & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeo ut etiam de plenitudine filij copiose videatur in matrem refundi.* Ecce tibi tres gradus quibus Dei filius ad quem pertinet efficere Prophetas, prophetiæ donum contulit Mariæ, Joanni, & Elizabethæ. Primo per semetipsum Deiparam prophetissam & Prophetarum magistram efficit: secundo per Mariæ vocem Joannem in Prophetam consecrat: tertio Joannes Prophetiæ donum per vocem Mariæ acceptum transfudit in Elizabeth. Et quia quod est causa causæ est etiam causa causati; Christus & Deipara sunt causa prophetiæ quâ in signitus fuit Joannes, & illustrata Elizabeth. Christus Deus tanquam causa principalis & efficiens; Maria tanquam causa instrumentalis, & administrans, os Verbo subministrans, & vocem qua Joannem & Elizabeth Prophetas efficit, eodem momento quo Maria Elizabetham salutavit: (Ecce enim ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit infans in utero meo.) Quasi dicat: Ideo agnovi te Dei Matrem, quia ad tuam vocem exilivit infans in utero meo: *Vocem prius mater audivit, gratiam prior sensit filius: illa naturæ ordine audivit, iste exultavit ratione mysterii: illa Mariæ, iste Domini sensit adventum: istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres, spiritu parvulorum* Maria & Elizabeth pietatis agnoscunt mysterium, ambæ prophetizant ambæ Deum laudant.

In c. 1. Luc.

Serm. 1. de Nat. Ioan.

D. Amb. in c. 1. Luc.

3. *Odisse debemus istos conventus & cœtus ethnicorum, vel quod illic nomen Dei blasphematur.* Utinam in cætibus tantum ethnicorum blasphemaretur Deus. At proh dolor! blasphematur etiam in cœtibus multorum Christianorum, qui aut impie de Deo loquuntur, aut nomen ejus jurant in

Tert. lib. de Spect. 26.

vanum, aut blaſphemo adhuc ore divinam majeſtatem inhonorant. Quantum impii illi conventus à domo Zachariæ diſcriminantur, ubi pietas mirum in modum elucet; ubi Chriſtus ſe gratiæ donis manifeſtat; Joannes ſanctificatus de adventu Redemptoris exultat; Elizabeth in gratitudinis monumentum Deiparæ encomium prædicat. *Glorificat Dominum Maria*: divina maternitate Elizabeth Mariam commendat. Verum has laudes recuſans Virgo, inde ſeſe dejiciendi, Deumque magnificandi ſuſcipit incentivum. *Magna quidem præconia, ſed devota, humilis, nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis univerſa refudit, cujus in ſe beneficia laudabantur.* Unde Liranus Deiparam ſic cognatam alloquentem inducit: (O Elizabeth! tu me magnificas, ſed ego totum Deo attribuens, ipſum magnifico in hoc carmine: Magnificat anima mea Dominum.) Dicit Virgo *Magnificat*: hic enim modus loquendi denotat continuam & nunquam interruptam Dei magnificentiam, ita enim divinis addicta erat laudibus, ut nec per momentum ſive vigilans ſive dormiens ab illis deſiſteret: Magnificat Deum Maria non tantum externa voce, ſed continua mentis conſideratione, devoto cordis affectu: magnificare enim, devotam quamdam erga perſonam magnificatam includit reverentiam. Unde Maria magnificando Dominum, perfectiſſimum quemdam expreſſit reverentiæ & venerationis actum: & licet Virgo ſit æterni Patris filia, unigeniti Dei Mater, Spiritus ſancti ſponſa: attamen (non dicit Sponſum, non Patrem, non Filium; quamvis quodlibet eorum vere potuiſſet dicere, ſed tantum dicit Dominum, ut omni via proprias laudes fugeret. Si dixiſſet Sponſum in multum ſe laudaſſet; ſi dixiſſet Patrem aut Filium; æque laudis eſſet: ſed dicit Dominum, quod eſt relativum ad ſervam & ancillam.) Deiparæ non æmulantur humilitatem multæ mulieres vanæ quæ aut continuo ſeſe de generis nobilitate, honorum dignitate, corporis venuſtate, ingenii ſolertia, divitiarum abundantia jactant: aut laudari ab aliis omni ſtudio ſectantur: quæ veros quibus dedecorantur non intuentur defectus, & chimæricas & imaginarias ſibi falſo arrogant perfectiones. At beatiſſima Virgo quanto magis ab Elizabeth laudabatur, tanto magis dejiciebatur, quanto majoribus dotata erat naturæ & gratiæ donis, tanto magis ſe iis prædicabat indignam, decantans: Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Et forte ob hanc cauſam: *oculi eius ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum quæ lacte lotæ ſunt.* Alii liquores ſunt veluti ſpecula nitidiſſima, in quibus homo ſeſe intueri & contemplari poteſt. Ex D. autem Gregorio Nyſſeno *vere in lacte obſervatum eſt, ſolum inter liquida proprietatem hanc habere, quod in eo nullius rei ſimulachrum aut ſimilitudo conſpiciatur.* Oculi Virginis ſunt oculi columbarum lacte loti, quia non conſpiciebat ſe Patris Filiam, Filii Matrem, Spiritus ſancti Sponſam, cœlorum Reginam, Angelorum imperatricem, totius orbis reginam: ſed *continuo Maria conſiderabat Dei maieſtatem, & ſuam nihileitatem.* Specula ſecundum varias ipſorum figuras, diverſimode objecta repræſentant: Speculum convexum & elevatum, objecta minuit eaque parva repræſentat; Speculum è contra concavum &

Tert. lib. de An. 26.
D. Bern. Ser. in Sig. Mag.
D. Anton. 4 par. tit. 17 c. 21. §1.
Cant. 5.
Orat. 13 in Cant.
D. Bernardin. Senen. To. .. Ser. 5..

& profundum. objecta incrementat eaque magna repræsentat: Homines superbia inflati veluti specula convexa & elevata Dei minuunt majestatem illamque terrenis fortunæ bonis post ponunt: *Solus in comparatione omnium Deus vilis est*: Maria vero tanquam speculum concavum & profundum, Deum infinite magnum repræsentat: *Solus Deus est altissimus, quo altius nihil est.* Illi neque Dei majestatem neque suam vilitatem intuentur, unde semetipsos magnificiunt, Deum vero despiciunt; Maria vero conspiciens suam vilitatem Deique majestatem, seipsam dejicit, Deumque magnificat. *Salv. l. 6. de Provid.* *D. Aug. l. de Mor. Eccles. 1.*

Objicit tamen Origenes. *Si Dominus nec incrementum, nec decrementum recipere potest, qua ratione tunc Maria loquitur, Magnificat anima mea Dominum?* Hoc dubium solvit Origenes supponendo unumquemque nostrum esse Dei imaginem in qua velut in speculo repræsentatur Deus, quique tanto magis magnificatur, quanto major per virtutem efficitur ejus imago. *Quanto igitur grandem fecero imaginem, idest animam meam, & magnificavero eam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur & ipse Dominus cuius imago est, in nostra anima magnificatur. Anima igitur Mariæ primum magnificat Dominum.* Quo sanctior erat Deiparæ anima, eo magis Deus in illa magnificabatur. Deipara Deum magnificat per suam magnitudinem in qua Dei majestas tanquam in perfecta sui imagine conspicitur; per suam humilitatem tanto magis Deum magnificans, quanto profundius coram infinita ejus majestate dejiciebatur, & per continuam divinarum laudum decantationem. Ad instar Deiparæ magnificemus Deum, mente, ore, & opere. Mente ejus majestatem contemplantes; ore divinas laudes decantantes; opere nos ante divinam majestatem dejicientes, animas nostras gratiæ ornamentis decorantes, Dei imaginem virtutum coloribus pingentes; ut in illa Deus magnificetur in tempore & in æternitate. *Hom. 8. in Luc.*

CONCIO SEXTA.

Quod servi obsequantur, non est stupendum: quod mulieres immundæ munditiam sectentur, non est novum; quod barbari, hostes in bello captos immolent idolis, non est inusitatum: Quod vero Regina tanquam ancilla obtemperet, Virgo tanquam immunda sese purificet, mater Filium suum unigenitum immolet, est prorsus omni admiratione dignissimum: Hæc est inaudita novitas Purificationis Mariæ, quæ regiæ derogans auctoritati, velut ancilla obsequitur; virgineam quoddammodo devenustans puritatem, velut immunda purificatur; maternam velut exuens pietatem, filium morti devovet & immolat. Quod si tantæ novitatis sciscitemur à D. Bernardo causam, respondebit Mariam alloquens: *O beata Virgo vere non habes causam, nec tibi opus est Purificatione: sed nunquid Filio tuo opus erat Circumcisione! Esto igitur* *Serm. 3. de Purif.*

inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Christus Dominus legi Circuncisionis non erat addictus, Deipara legi Purificationis non erat obnoxia: Christus ultro sese subjecit Circuncisioni, Maria libenti animo sese Purificationi addixit: In Circuncisione rex obsequitur, innocens sub figura criminosi conspicitur, immortalis doloribus subjicitur: in Purificatione quoque, 1. Regina obtemperat: 2. Virgo se purificat: 3. Mater Filium suum sacrificat.

1. PARS. Quia *imperium summa dominationis* habet Christus, *merito Dominus* nuncupatur: ut autem merito Dominus recognoscitur Christus, sic Maria, ait Joannes Damascenus, *merito creaturarum omnium declarata est Domina, quæ illum enixa est, per quem condita sunt omnia.* In Virgine est vere *sacramentum nominis*, quia ut animadvertit V. Beda: *Maria Syriacè Domina vocatur, & merito: quia & totius mundi Dominum, & lucem sæculis meruit generare perennem* Virginis dominium Gabriel Incarnationis nuntius innuit Mariæ dicens, Dominus tecum, non dixit *Deus*, sed *Dominus*; nec *in te*, sed *tecum*: denotans hoc modo loquendi, Deiparam ex unione materna cum Domino omnium Dominam constitutam: quapropter Arnoldus Carnotensis ex dominatione Christi recte colligit Mariæ dominationem: *Christus Dominus, Maria Domina: ex quo enim Domini facta est Mater, constituta est Domina mundi.* Marianum imperium ex ejus maternitate passim colligunt Patres, *quandoquidem Christus rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus & Deus, eapropter & Mater qui eum genuit, Regina, & Domina, & Deipara proprie appellari debere censetur.* A lege Circuncisionis Christus Dominus *quasi culmen dominationis excipitur*. Maria quoque dominii Christi particeps, à lege purificationis excipitur: *Mariam vocat Angelus Dominam, ut dominatoris genitricem, trepidatio deserat servitutis, quam nasci & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetravit auctoritas* Hodie tamen Dei genitrix *sub cujus disciplina vel arbitrio infans Deus versatur*; Regina mundi *Virgo revera est Domina cælestium, terrestrium, & infernorum*, legi Purificationis obsequitur ad 1. exactam legis observationem: 2. Christi obtemperantis imitationem: 3. inducendos nos ad Purificationem.

Tert. Apol. 24. — Tert lib. de Res. Car. 4. — Tert. l. 3. adv. Marc. 10. — L. laud. Mar. — Tert. l. 1. adv. Mar. 4. — D. Bonav. in Spec. Virg. c. 1.

1. *Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis à quibus obsequium expectat.* A Deipara non expectabat obsequium lex Purificationis: Tum quia mulieres duntaxat legi Purificationis erant obnoxiæ quæ suscepto viri semine conceperant: Beatissima autem Virgo concepit non suscepto viri semine, sed virtute Spiritus sancti: *Vacabat enim viri semen, apud habentem Dei semen.* Tum quia lex Purificationis instituta erat, ut mulieres mundarentur ab immunditiis & sordibus quæ consequuntur partum: Virginis autem partum nullæ sordes, nullæ immunditiæ consecutæ sunt: unde impium Deiparæ immunditias in partu adscribentem sic pungit D. Augustinus: *Stulte, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?* Tum quia lex vetabat ne mulier ante Purificationis diem sanctum tangeret; Virgo autem ipsum

Tert. Apol. 4. — Tert. lib. de Car. Chr. 17. — L. 5 Hæres. c. 7.

ipsum Sanctum sanctorum in gremio tenebat, & Virgineo lacte nutriebat. Ex his
rationibus constat Mariam legi purificationis non fuisse addictam: Sicut *Eusth Emiss.*
Dominus noster, non necessitate, sed voluntate factus est sub lege: ita ejus
Genitrix non indiguit sacrificiorum Purificatione: quia sicut Virgo ante *D. Aug. Ser. 1 de Purific.*
partum, ita remansit Virgo post partum: siquidem ad ejus distinctionem di-
xit Moyses, Mulier si suscepto semine pepererit: prævidebat enim istam sine
susceptione hominis parituram; ideo non est ausus dicere absolutè: Mulier
si pepererit immunda erit.) *Putas non poterat animus Virginis commoveri ac*
dicere: Quid mihi opus est purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cuius *D. Ber Ser. 3 de Purif.*
uterus nesciens virum factus est templum Spiritus sancti? Cur non ingrediar tem-
plum quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum
fuit, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem
venerit facere delictorum. Verum etsi Deipara purgatione non indigeat, nec
sit legi purificationis obnoxia: purificationis tamen voluit subire legem. 1.
Ad dandum obedientiæ exemplum. Ex D. Ambrosio, *Maria velleri comparatur;* *Dion Carthus. Serm. 11.*
quia mollis ad obsequium: quia scilicet ad modum velleris facile flectebatur,
prompte obsequens; nulla unquam pura creatura adeo fuit parata divinæ ob-
temperare voluntati ac Maria. 2. *Ut Deum veneraretur in lege, legem voluit Pu-* *Laur. Iust.*
rificationis implere. Ut enim per transgressionem legis inhonoratur legislator,
juxta istud Apostolicum, *Per prævaricationem legis Deum inhonoras;* ita per
legis observationem honoratur. 3. *Merito Mater legem servavit cuius Filius &*
legem dederat, & venerat ut in se legem adimpleret, quam alijs dederat ante. Cum
esset Legislatoris Mater, observat legem à Filio datam, ne quis suspicetur
quod jure maternitatis licentiam sumeret violandi legem. 4. *Ad vitandum Iu-*
dæorum scandalum, ne Judæis scandali præberet occasionem amore aliarum *Dio. Cart.*
fœminarum legi se purificationis subjecit. 5. Virgo à purificatione exempta
purificationis observans legem, *docuit nos debitis supererogare indebita, quia*
quanto indebita, tanto magis gratiosa. Suo exemplo docuit nos Virgo & ad-
implere præcepta obligationis & edere opera supererogationis. 6. Ut enim
ait Dionysius Carthusianus, *perfecta obedientia plus pergit quam tenetur;* non
solum mandata adimplens, sed adhuc consilia exequens. 7. Ut Christi Domi-
ni imitaretur exemplum.

2. *Legis statum Christus non dissolvit, sed implevit.* Christus Domi- *Tert. lib. de Pud. 6.*
nus legi Circuncisionis minime obnoxius, Circuncisionem suscepit: 1. Ut
sua observantia legis adimpleat defectum. *Qui legem in monte Sina scripsis-*
set, tanquam legis reus, legis constitutionem adimplet: Ecce enim Deus
puer factus est, ac sub lege vivit, ut eis qui sunt sub lege auxilietur, adim-
plens legis defectum. Christus Dominus venerat salutem offerre Judæis qui
sub lege erant: unde ipse legis obsequio prorsus exemptus, indebito le-
gis obsequio, defectum supplet legis Mosaicæ, à Judæis hactenus inob- *D. Aug.*
servatæ. 2. *Christus suscepit Circuncisionem, ablaturus Circuncisionem:* *Ser. 9. in Nat. Dom.*
suscepit umbram, daturus lucem. Christus suscepit umbram peccati appa-

V. Beda. Tert. l. 4. adv. Marc. 3.

tens in Circumcisione tanquam peccator, ut nobis gratiæ largiretur lucem. 5. *Vt nos legis vinculo solveret, legi est sponte subiectus.* Ut Christianos à Mosaicæ legis onere liberaret, ipse legis portavit onus. *Compendiatum est enim novũ Testamentum, & legis laciniosis oneribus expeditũ.* 4. Ut Iudæis scandalizandi tolleret

Tert. lib. de Spect. 30.

ansam. Iudæi continuo Christum calumniabantur tanquam legis destructorem. *Hic est ille Sabbati destructor, Samarites, & dæmonium habens.* Quapropter ne minimum haberent scandali offendiculum, indebitam suscepit Circumcisionem.

Pasch. l. 3 in Matth.

5. Ut adimplendo legem cui erat obnoxius, nos ad perfectionis viam erudiret: *Implevit Legis ac Prophetarum omnia quæ præmissa sunt ad inchoationem agendæ vel significandæ vitæ, dum & plura superaddidit ad perfectionem moralium præceptorum.*

D. Ambr. in Ps. 61. Ser. 1. de Purific.

6. Ut nobis obedientiæ præberet exemplum: *suscepit ipse obedientiam, ut nobis eam transfunderet.* Ut enim ait D. Augustinus: *Si ille qui author legis erat legem observare una cum sua genitrice voluit, magna nobis qui peccatores sumus instat necessitas, ut divinis legibus subditi, quidquid nobis præcipitur, implere satagamus.* Propter easdem rationes quibus Circumcisionem suscepit Christus, legi Purificationis Maria se subdidit, præsertim ut Filii

D. Thom. 3 p. q. 37. 3.

imitaretur obsequium. *Decuit ut Mater humilitati Filii conformaretur: & ideo sicut Christus licet non esset legi obnoxius, voluit tamen Circumcisionem, & alia legis onera subire; ad demonstrandum humilitatis exemplum, & ut approbaret legem, & ut calumniæ occasionem Iudæis tolleret, propter easdem rationes voluit & Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.* Ultra tot rationes quibus conveniens fuit ut Deipara Purificationis observare legem, voluit adhuc huic legi se adstringere, ut nos suo exemplo ad purificationem induceret.

Tert. lib. de Exh. Cast. 10. D. Bern. Ser. 6. de Parvis.

3. *Apostolus temporalem purificationem orationum commendandarum causa adiecit.* Ad quam nos adhuc stimulat Mariana Purificatio: *Quid est autem quod dicimus Beatissimam Virginem purificari? quid vero, quod Iesum Christum dicimus circumcidi? Illa enim vero tam non indiguit Purificatione, quam neque ille Circumcisione. Nobis vero & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primum per se ipsam continentiam circumcidantur, deinde à commissis purificentur.* Si Maria ab omni sorde tum animæ, tum corporis immunis, purificata est, quanto magis nos debemus purificari? Nos, inquam, qui sumus & anima & corpore immundi.

Guarr. Ser. 4. de Purif.

O filii hominum tempus purgationis advenit, quando Mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies fest[illegible] exemplum dedit nobis, quod debeamus purgari. Ad hanc animi purgatio[illegible] Deiparæ exemplum multimoda adhuc urgemur ratione. 1. Qui[illegible]bit studium Deo placendi: *Deus cum sit purus, nihil habet* [illegible]*am puritatem.* 2. Quia puri & immaculati Redemptoris [illegible]une. *Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex sanctus,* [illegible] *segregatus à peccatoribus.* 3. Quia Christus fundavit

Ep[illegible]

[illegible], *non habentem maculam neque rugam.* 4. Quia [illegible] & rite accedentibus conferunt gratiam, sunt *purissima*

purissima & sacratissima signa. 5. Quia Christianismus est professio sanctitatis ex D. autem Dionysio *sanctitas est ab omni immunditia libera, perfecta & omnino immaculata immunditia.* 6. Quia cœlestis Hierusalem nihil patitur immundum, *& non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.*

D. Dionys. l. c. a. c. s. Hier. c. Lib. de Div. Nom. 12. Apoc. 21.

Homines in cunctis munditiem sectantur: in vestibus, in victu, in lecto, ubiq; quærunt munditiem; non enim vestes maculosas deferunt, nec vinum immundum bibunt, nec faciem contaminatā sustinent; animā vero veste, victu, & corpore multo digniorem, in peccati cœno volutant, nec attendunt, ut ait ad propositum Alexandrinus Clemens: *Nequaquam decet vestem quidem habere candidam, animam vero nigram.* Quapropter peccatores mundamini ab inquinamentis vestris, purificate corpora à venereis voluptatibus; mundate corda à terrenis affectionibus; purgate animas à vitiis & iniquitatibus: *Lavamini qui estis polluti, vos veris aspergite guttis, mundos homines oportet ad cœlum ascendere.* Acute animadvertit Innocentius tertius eadem elementa insumenda esse ad purificationem microcosmi, seu parvi mundi, quibus utitur Deus ad purgationem universi seu magni mundi. Ab exordio mundi aquis diluvii purgavit Deus orbem à sordibus quas hominum peccatis contraxerat: in fine adhuc mundi, orbem adhuc purgabit Deus per ignem. *Cum tanta seculi vetustas, & tot eius nativitates uno igne haurientur.* Ad purgandas animas à peccatorum maculis necessariæ sunt contritionis lachrymæ, ad instar Regii Vatis qui die ac nocte fundebat lachrymas (Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo:) *ut ostendat lavacrum & purgatorium peccati lachrymas esse.* Requiritur adhuc ignis amoris Dei, quem misit Dominus in terras ut hominum corda accenderet: *Penes veteres, quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat.* Verum à suis non mundabantur criminibus Gentiles scelerosi, quia ut subjungit Tertullianus; *viduis aquis sibi mentiuntur.* In baptismate ab originali culpa mundantur renati, quia abluuntur non ab aqua vidua, sed ab aqua sancto Spiritui conjuncta. Ut peccatores in Pœnitentiæ Sacramento à suis mundentur criminibus, debent fundere lachrymas non viduas sed divino amore sufflammatas. Qui fundunt lachrymas nec Dei æstuant amore, *viduis aquis sibi mentiuntur*, neque ab immunditiis scelerum mundantur. *Væ nobis si dies impleatur, & purgatio minime impleatur, & postea necesse sit illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, nihil vehementius in hac vita excogitari potest.* Ne pœnalis illius ignis sustineamus ardores fundamus lachrymas igne divini amoris accensas. *Quapropter quando aliquis nostrum, in grege virtutum suarum innocentiam invenerit defuisse, offerat aut duos turtures, aut duos pullos columbæ, hoc est habeat duplicem gemitum. ista enim aves pro cantu gemitus habent: & ideo recte per ipsas, Sanctorum gemitus designatur: qui primus plorans in peccatorum suorum recordatione, postea pro cœlestis patria amore.* Turtur simbolum est amoris, doloris, & castitatis. Amoris, nam ardenter masculum diligit: doloris, nam mortuum seu deperditum mas-

Orat. Adhort. ad Gent.

Clem. Alex.

Tert. lib. de Spect. 30.

Ps. 6.

D. Chrysost. Hom. 3. de Purif.

Tert. lib. de Bapt. 5.

Guarr. Ser. 4. de Purif.

D. Aug. Ser. 2. de Purific.

culum continuo gemit: castitatis, quia nulli unquā alteri turturi se conjungit. Peccatores æmulentur turturis amorem, dolorem, castitatem. Amorem, Deū vehementer diligentes; dolorem de deperdito per peccatum Deo gementes & lachrymantes; castitatem, nunquam amplius peccato adhærentes, sed munditiam sectantes, ut rite hodiernum festum celebrent, in quo Virgo purificatur in humilitatis exemplum.

II. PARS — Tert. lib. de Ieiun. 2. — Lib. 7. cont. Gen. til.

Gentiles singulis annis *magnam matrem purificant*: nempe Cibelem cujus statuam purificationis gratia immergebant in aquam; Gentilium venerationem merito irridet Arnobius eisque facetè exprobrat, non sine ratione purificandam esse Cibelem, quæ pastorem Athin impudice amaverat, & cum eo luxuriata fuerat. Quanto immunda fuit Cibele & purgationis indiga, tanto munda fuit Maria & à Purificatione immunis. Ceremoniæ hujus diei immaculatam ejus puritatem evidenter demonstrant. Columba quæ est figura Spiritus sancti, est sensibile testimonium sanctitatis & gratiæ, quam in sua conceptione mutuata est à divino illo Sponso. Lux in templo splendens, Mariā *Matrem lucis* denotat quæ absque ullo integritatis dispendio, concepit & peperit divinum Verbum quod procedit à Patre tanquam *lumen de lumine.* Cera, quæ ut vult D. Ambrosius, est fructus quem apis virginea confecit de rore cœli, & de pulchris & suavissimis quibusque floribus, erudit nos Christum esse fructum floridum virtute Spiritus sancti de purissimo Mariæ sanguine productum: *Cujus ventris futurus est fructus caro Christi quæ ex Virgine floruit.* Verum purissima illa Virgo, à lege Purificationis exempta in humilitatis argumentum, sese legi Purificationis subdidit, 1. Filii humilitatem æmulans. 2. suam Virginitatem occultans: 3 sub apparenti immunditia puritatem suam obumbrans.

Hesich. — Tert. Apol. 21. — Tert. lib. 5. Marc. 19. — Tert. lib. 1. adv. Marc. 4.

1. *Ut sit nobis in testimonium, sine dubio quo testabatur se legem non dissolvere, sed adimplere.* Loquitur de Christo Tertullianus, qui non dissolvit legem Moysis ut falso calumniabantur Judæi, sed adimplevit suscipiens etiam Circumcisionem, cui non erat obnoxius. Plures aliorsum subministravimus rationes ob quas Christus circumcidi voluit, nunc autem sufficiat dicere Christum ex humilitate fuisse circumcisum: Ob eandem rationem Purificationis legi sese addixit Deipara: *Noscitur humilitas in purificatione, cum ea non indigeret.* Purificatione non indigebat Maria, cum non conceperit ex viri semine, nec in partu aliquam passa sit corruptionem, ut humilitatem tamen demonstraret Purificationis legem adimplevit: *Virgo sanctissima quæ legis præcepto de purificatione non fuit astricta, quia suscepto semine non concepit, nec peperit; legis præcepto obtemperavit, ut præberet perfectæ humilitatis exemplū.* Deipara Christi Domini æmulata est exemplum, & sicut filius ex humilitate fuit circumcisus, ita Mater ex humilitate purificationis servavit legem; *Quare ergo circumcisus est Christus? quare hostias obtulit pro emundatione sua, Genitrix eius; nisi propter humilitatis exemplum?* Quanto dignior erat Matris & Filii dignitas, tanto profundior utriusque humilitas. Magna fuit humanati Verbi demissio, nasci in præsepio inter duo pecora, sed longe major

Tert. Prad. To. 2 Trac. de Christ. Conf. 2. — D. Thom. Ser. de Purific. 2. — Dion. Carth. in cap. 2 Luc. — D. Aug. S. de Serm. de Purific.

suscipere circumcisionem; nam philosophatur D. Bernardus; *Ipsa die nativitatis minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo, hodie vero mirabilius aliquid audio; iam minoratus est multo minus ab Angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris, & insigitur quodam velut cauterio latronis.* Magna fuit Mariæ humilitas in annuntiatione Angelica, quam sic commendat D. Bonaventura: [O mira & profunda humilitas Mariæ! Ecce Mariam Archangelus alloquitur; Maria gratia plena dicitur; superventio Spiritus sancti promittitur; in Matrem Domini assumitur; jam omnibus creaturis antepomitur; jam Domina cœli & terræ efficitur; & pro his omnibus non extollitur, sed in omnibus mira humilitate deprimitur, dicens: Ecce ancilla Domini.) Hanc Mariæ humilitatem merito miratur Seraphicus Doctor; quam adhuc stupet D. Bernardus: *Quæ est hæc tam sublimis humilitas quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam Dei se nominat; non mediocris revera humilitatis insigne; neque (oblata tanta gloria) oblivisci humilitatem.* Inter puras creaturas est Maria & maxima & minima; maxima, in rei veritate; minima in sui existimatione. Quod homo de fæce plebis, nulliusque momenti, se humiliet, non est stupore dignum: sufficientem enim habet ex sua vilitate humiliationis causam. Quod adhuc aliquis singularibus privatus gratiis & dotibus, demissam de semetipso concipiat opinionem, non est prodigij loco habendum; quia non habet unde possit gloriari: quod vero homo in sublimi dignitate constitutus, & singularibus naturæ & gratiæ ornatus donis, sese dejiciat: rarissimum simul & mirificum est. *Non magnum est esse humilem in abiectione, rara virtus humilitas honorata.* Singularis prorsus & admiranda Mariæ humilitas, quæ specialissimis decorata prærogativis; & ad altissimam Deiparæ sublimata dignitatem, ad fastigium tanti honoris non attendit. *In nullo de se præsumit Virgo, in nullo de se aliquid altum sapit, solum sibi vindicat humilitatem ancillæ, quæ Mater Salvatoris ab Angelo salutatur.* Magna equidem Mariana hæc humilitas, nam *humilitas est contemptus propriæ excellentiæ*: Sed absque illa comparatione magis adhuc se dejicit Deipara Purificationis legem observans. *Quis non miretur, quam in die Purificationis Maria ostentaverit humilitatem, dum quæ Angelis purior erat, quasi sordibus scateat purificationis remedium ad eas abstergendas assumpserit?* Tantum se dejecit Deipara, ut Filij æmularetur humilitatem, & Virginis puritaté occultaret.

Ser. 1. de Circunc.

In Spec. B. Virg. c. 4.

Hom. 4. sup. Missus est.

D. Bern. Hom. sup. Missus.

S. Ildeph. Ser. 1 de Assumpt.

2. *Carpocrates hanc tulit sectam, Christum non ex Virgine Maria natum, sed ex semine Ioseph hominem tantummodo genitum.* Hæreticus ille offendit tum Christi divinitatem: tum virginalem Mariæ puritatem: Christi divinitatem; dum eum purum hominem prædicat: virginalem Mariæ puritatem, dum de semine Joseph concepisse prolem asseverat: Christi autem divinitatem, & virginalem Mariæ puritatem recognoscit Tertullianus. Christi quidem divinitatem *Nobis omnes Scripturæ veteres & nova Christum Dei, & Filium Dei præfiniunt.* Virginalem adhuc Mariæ puritatem Evangelistarum testimonio probat Tertullianus. *Nobis ex*

Tert. lib. de Præsc. Hæret. c. 48.

Tert. lib. adv. Prax. 30.

Apostu-

Apostolis Ioannes & Mathæus insinuant, ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurant, Christum natum ex Virgine. Ludovicus Hungariæ Rex voluit repræsentari in speculo auro inserto cum hoc lemmate: *Vndique illæsus*, ad denotandam per crystallum & aurum, corporis integritatem, & qua pollebat animi puritatem: Verum potiori jure tale stemma Deiparæ competit, quæ est undique illæsa; quia est Virgo ante partum, in partu, & post partum. Idcirco, ut animadvertit Richardus à Sancto Laurentio, ter conclusa & sigillata à cœlesti prædicatur Sponso. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hortus conclusus ante Verbi incarnationem, & ut fatur Chrysologus, *virginitatis insigne, collegium sanctitatis.* Ob hanc causam postquam Angelus Mariæ prædicavit virginitatem, nuncupat illam gratia plenam *Ita enim Virginitas & sanctitas inseparabiliter sunt adjuncta.* Hortus conclusus in humanatione Verbi divini, in qua, ait Gregorius Nyssenus: *Thalamus Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans, fax nuptialis, Spiritus sancti splendor.* Tandem fons signatus in partu: ex D namque Augustino, *qui produxit panes in eremo sine aratore, ipse parere fecit Virginē sine corruptione.*

Tipot. in Hierogl Reg. Hung. *Cant. 4.* *Serm. 146* *Richard. à S Laur. l. 1. de laud. Virg. c. 1.*

Trinam invenio Virginitatis marianæ consecrationem. Prima facta est in templo, dum Maria virginitatis emisit votum. Secunda in Nazareth, quando Maria Spiritus sancti virtute divinum concepit Verbum: Tertia in Bethleem ubi Maria parturivit Christum. Mariæ pietas cœlitus illustrata primam operata est consecrationem: Spiritus sancti amor operatus est secundam consecrationem; puritas Christi nascentis tertiam operata est consecrationem; De prima consecratione loquitur Petrus Damianus. *Hæc sunt duo quæ virginalem substantiam tota circundedere virtute; continentia scilicet & devotio; quarū altera carnem altera mentem ita possedit, ut caro mundissima, & mens purissima, genetricem Domini singulariter consecrarent.* Sanctus Ildephonsus secundam recognoscit cōsecrationem in Incarnatione operatam; in qua Maria effecta est *Mater Dei, & sacrarium Spiritus sancti.* D. Augustinus tertiæ meminit consecrationis cujus consecratorem prodit Dei Filium. *Consecravit autem virginitatem; quia de Virgine nasci voluit.* Mariana puritas in sua consecratione multum elucet virginitatem Deo vovens. *Egregia Maria quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Deo vexillum levavit.* Mariana puritas magis adhuc coruscat in secunda consecratione; unde sanctus Ildephonsus de humanatione Verbi in utero Virginis loquens, concludit: *Hanc ergo fæminam conceptio virginem reddit*: non quod ante incarnationem Maria non esset virgo, sed quia in conceptione filii quasi denovo acquisivit virginitatem Virginitas & fœcunditas in Maria sunt velut duæ causæ, quæ ineffabili quodam circulo adinvicem se producunt; & ut fatur D. Bernardus; *In Deipara virginitas ex fœcunditate & ex fœcunditate virginitas: mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videntur.* Virginitas est velut dispositio qua Maria ad virginitatem præparatur; & maternitas Mariæ virginitatem augescit & perficit: *Nunquam Mater, nisi quando*

Serm. de Assumpt. *D. Ambr. l. de Instit. Virg. c. 5* *De B. Virg. c. 11.* *Ser in Sig. Magn.*

quando & Virgo, & postquam Mater, nobilior est Virgo. Et ut belle ait ad propositum B. Amedæus, *Dei Genitrix in conceptione virginior:* Tum quia novum jus per fœcunditatem acquirit ad virginitatem: Tum quia fœcunditas Marianam virginitatem nobilitat: Tum quia Spiritus sanctus fœcundando Mariam ejus virginitatem insignit & consecrat. Tandem Mariana puritas in tertia consecratione magis adhuc splendet; incrementum mutuans in partu à Nativitate Filij. *O Mater intemerata, Mater intacta! integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit.*

Hom. 4. de laud. Virg.

Guarr. Ser. 4. de Purif.

In virginea Mariæ puritate tres sunt considerandi perfectionis gradus. Primus elucet in voto virginitatis quod emisit Maria: Secundus, primo perfectior, fulget in obumbratione Spiritus sancti Marianam virginitatem fœcundantis: Tertius, isque perfectissimus, rutilat in Nativitate Christi Matris virginitatem consummantis; & ob hanc causam, ut acute animadvertit D. Chrysostomus, Evangelista Matthæus nunquam Mariam nisi in conceptu & partu Filii, Virginem nuncupat. (Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium,) *Crevit enim in ejus partu integritas, potius quam decrevit, & virginitas ejus ampliata est potius quam fugata.* Ante Incarnationem Verbi Maria erat virgo virginum; in Verbi humanatione Mariana puritas ab Spiritu sancto fœcundata incrementum accepit; & quasi puritas quam habet Maria ante incarnationem, & in ipso incarnationis momento non sufficiat ad Marianæ virginitatis perfectionem, Evangelista Mariam duntaxat vocat Virginem in nativitate prolis, quia *virginitas Mariæ mirabiliter est in prole consignata & confirmata; in prole consecrata; in prole nobilitata, in prole glorificata, in prole ditata & dotata.*

Hom. 5. in Matth.

D. Bonav. in specul. Virg. c. 4.

Maria tamen Virgo tot consecrationibus consignata voluit Purificationis observare legem, ut singularis & admirabilis ejus puritas novum perfectionis acquireret gradum. Ex D. namq; Antonino puritas bifariam sumitur. Primo, per recessum ab impuro; secundò, per accessum ad summe purum. Maria non subivit legem Purificationis ut acquireret puritatem per recessum ab impuro, in ea enim erat maxima post Deum puritas, tum corporis, tum mentis; Corporis, ob virginitatem tot consecrationibus nobilitatam & incremẽtatam: Mentis, quia in ea nullum erat peccatum sive mortale, sive veniale, sive originale sed Purificationis legem implevit, ut acquireret puritatem: accedens ad summum purum, sese primæ puritatis regulæ, nempe Christo conformans, ejusque humilitatem æmulans qua sese addixit Circumcisionis legi, cui nequaquam erat addictus Et fortasse ob hanc causam Christus qui sese vocitat lilium (Ego flos campi, & liliũ convallium,) beatissimã Virginem lilium etiã nuncupat: (Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ:) quia ex imitatione Christi, Mariæ puritas multum enitet. Et hæc est causa ait Origenes. *cur qui in campo flos fuerit, voluerit esse in convallibus lilium: nimirum ut proxima ejus imitatione ipsius efficeretur & lilium* Ut autem Christus in Circuncisione est Deus absconditus, in Purificatione Maria est Virgo abscondita, intemeratam oc-

3 p. tit. 5. c. 10. §. 7.

Cap. 2.

Hom. 1. in quatuor.

Hug. Card. in c. 2. Luc. cultans puritatem. *Hæc est vera humilitas, qua non vult humilis prædicari, sed vilis reputari; & quamvis Virgo esset purißima, non renuit inter cæteras mulieres immundas recenseri*, puritatem suam apparenti immunditia obumbrans.

Tert. lib. 4. adv. Marc. 4. Tert. lib. de Car. Chr. 4. 3. Christus etsi Dominus, *ipsam servitutis notam*, *Circumcisionem* accepit, etsi Sanctus inter peccatores tamen voluit deputari. Dei Filius *omni se humilitate deiecit*, non solum quia *sublimia divinitatis humili sensu incarnationis occultat*: sed etiam quia innatum decorem nigredine devenustat, ut belle quamvis longiuscule demonstrat D. Bernardus. Serm. 25. in Cant. *Vade ad Isaiam & describet tibi, qualem in spiritu illum viderit, tanquam leprosum à Deo & humiliatum. Ecce quam niger: Niger plane, cui non erat species neque decor: Niger, quia opprobrium hominum & abiectio plebis; Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere vereat? Intuere sane pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte, & nigrum vel tunc profecto fatebere: Ergo formosus in se, niger propter te.* Pro nobis factus est niger, speciosus forma præ filiis hominum. Niger in stabulo, vilibus indutus pannis. Tert. lib. de Idol. 18. Niger in conversatione, *vestitu in cultus, vultu & aspectu inglorius*. Niger in æstimatione hominum; idcirco *vermem se pronuntiat & non hominem, ignominiam hominis & abiectionem plebis*. Tert. lib. adv. Iud. 14. Niget in cruce: *Homo in plaga positus*, sputis turpatus, flagellis dilaceratus, spinis coronatus, clavis transfixus, & toto corpore dilaniatus: Tert. Niger in Circuncisione, ubi asseverat Apostolus, *in similitudine carnis peccati fuisse Christum*; quia suscepit peccatoris insigne, & cum tanta nigredine apparuit, quod *si quodammodo Deus posset non cognoscere Filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc signo maxime poterat ignorare eum*. Tert. lib. de Car. Chr. 16. Christi exemplum qui in Circuncisione factus est niger, D. Bern. Serm. de Circunc. sanctitatem suam peccatoris similitudine obumbrans, impulit Virginem ad Purificationis observantiam, ubi nigra apparuit, & incomparabilis ejus puritas fuit impuritate obumbrata. *Non enim erubescit nigredinem, quam novit & præceßisse in Sponso, & vidit præceßisse in Filio.*

L. 1. Pædag. 5. Aptius de Maria quam de columbis, quas ipsa in Purificatione obtulit, dixit Clemens Alexandrinus: *Nos iubet per Moysem duos pullos columbarum pro peccato offerre, eorum quæ nullam, quæ eis inest cum peccato affinitatem.* Maria non modo non est peccatis cognata, nec ullam habet cum peccato affinitatē: sic à peccato & immunditia peregrinatur Virgo, ut nec etiam habeat affinitatem nominis cum muliere delicto & impudicitia dehonestata: & ob hanc causam de Magdalena ante conversionem loquens Evangelista, ait: *Mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Cap. 7. Peccatricis nomen omisit Lucas non quod fuerit anonima, aut Evangelistam latuerit hujus fœminæ nomen; sed ob reverentiam Mariani nominis, tacetur peccatricis nomen, & Mariam Magdalenam à licentia libidinis bene notam non nominat Evangelista, ne purissimum Mariæ nomē ex affinitate cum impudica muliere aliquatenus dehonestaretur. Serm. 77. Quod innuere videtur Chrysologus agens de Magdalena peccatrice & pœnitente, *Venit mulier, sed redit Maria.* Quando venit, mulier dicitur, quia adhuc

adhuc peccatrix, nec Maria vocatur nisi postquam de peccatis doluit, Domini pedes lachrymis lavit, criminum remissionem obtinuit. *Venit mulier, sed redit Maria*, ne præclarum Mariæ nomen ullam habeat cum peccato & immunditia affinitatem. Verum beatissima Virgo quæ adeo est à peccato aliena & ab immunditia immunis, ut neque etiam nominis habeat affinitatem cum muliere peccatrice, crimine & lascivia dehonestata, Purificationis legem observat ut imundæ & peccatricis deferat similitudinem, & ut talis habeatur ab hominibus

Lex Purificationis triplici ratione instituta erat: 1. Tum ob jacturam virginalis integritatis quam passæ fuerant fœminæ via communi concipientes; ob *spurcitias genitalium in utero elementorum, humorum & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ per novem menses*: Tum ob fluxum sanguinis, menstruorum & secundinarum; aliasque *naturæ contumelias*, quæ sequebantur partum: Tum ob peccatum, vel matris æstu libidinis concipientis, vel filii, qui contrahebat originale delictum per parentum generationem: ideo lex jubebat ex duobus pullis turturis aut columbarum alterum offerendum pro peccato: unde in mulieribus trina erat purganda immunditia. Naturalis, legalis, & moralis; Naturalis quam contraxerant concipientes cum detrimento virginitatis; Legalis cui subjacebant ex lege quæ ob fluxum sanguinis illas à contactu Sanctorum arcebat vel quadraginta diebus si parturissent puerum, vel octoginta diebus si puellam in lucem edidissent; Moralis, quia fuerant contaminatæ: vel ob inordinatam carnis voluptatem, vel ob contractam à filio genito originalem culpam: Nulla ex his immunditiis fuit in Maria. Non 1. naturalis; quia concepit & peperit filium absque ullo virginitatis detrimento. Tenemur namque *credere in Deum natum, & quidem ex Virgine*: & ut fatur D. Ambrosius. *Christus ita exivit de Virginis utero, sicut aqua exivit de petra.* Non 2 legalis, quia in Christi partu *nullus matri dolor, nulla naturæ contumelia*, nullus fuit sanguinis fluxus. Non 3. moralis, quia nec ullum peccatum commisit in conceptione Virgo, quia concepit sine voluptate, nec Filius ejus peccato originali fuit obnoxius. *Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere*, scilicet ex natura: ex gratia enim concessum est Mariæ quæ concepta est sine peccato originali, & absque ullo peccato actuali semper permansit. Verum licet Maria nullam habuerit immunditiam, neque naturalem, neque legalem, neque moralem; observans tamen Purificationis legem, apparuit immunda, & ab hominibus his tribus immunditiis dehonestata est habita Ubi profundissima ejus elucet humilitas: Tum occultando divinam Maternitatem, virginalem Integritatem, originalem Sanctitatem, quibus exempta erat à Purificationis lege: Tum apparendo in similitudinem mulieris in conceptu corruptæ, in partu menstruatæ, vel in se, vel in prole criminosæ, ob quæ fœminæ erant legi Purificationis obnoxiæ.

Tert. lib. de Car. Chr. 4 — *Tert. ibid.* — *Levit. 12* — *Tert. ibid.* — *Epist. 1 L.* — *D. Cypr. l. de Nat. D.* — *Tert. lib. de Præsc. Heret. 1.*

Teste Gregorio Thaumaturgo Maria est *credentium firmamentum*, *& piorum perfectum exemplum.* Nostrum est in eam inspicere, & exemplar nobis propositum imitari. Non satis est inspicere, oportet adhuc *Ser. 2. de Annunt.*

inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Christus Dominus legi Circuncisionis non erat addictus, Deipara legi Purificationis non erat obnoxia: Christus ultro sese subjecit Circuncisioni, Maria libenti animo sese Purificationi addixit: In Circuncisione rex obsequitur, innocens sub figura criminosi conspicitur, immortalis doloribus subjicitur: in Purificatione quoque, 1. Regina obtemperat: 2. Virgo se purificat: 3. Mater Filium suum sacrificat.

1. PARS.

Tert. Apol. 34.

Tert lib. de Res. Car. 4.

Tert. L. 3. adv. Marc. 10.

Quia *imperium summa dominationis* habet Christus, *merito Dominus* nuncupatur: ut autem merito Dominus recognoscitur Christus, sic Maria, ait Joannes Damascenus, *merito creaturarum omnium declarata est Domina, quæ illum enixa est, per quem condita sunt omnia.* In Virgine est vere *sacramentum nominis*, quia ut animadvertit V. Beda: *Maria Syriacè Domina vocatur, & merito: quia & totius mundi Dominum, & lucem sæculis meruit generare perennem* Virginis dominium Gabriel Incarnationis nuntius innuit Mariæ dicens, Dominus tecum, non dixit *Deus*, sed *Dominus*; nec *in te*, sed *tecum*: denotans hoc modo loquendi, Deiparam ex unione materna cum Domino omnium Dominam constitutam: quapropter Arnoldus Carnotensis ex dominatione

L. laud. Mar.

Christi recte colligit Mariæ dominationem: *Christus Dominus, Maria Domina:* ex quo enim Domini facta est Mater, constituta est Domina mundi, Marianum imperium ex ejus maternitate passim colligunt Patres, *quandoquidem Christus rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus & Deus, eapropter & Mater qui eum genuit, Regina, & Domina, & Deipara proprie appellari debere*

Tert. l. 1. adv. Mar. 4.

censetur. A lege Circuncisionis Christus Dominus *quasi culmen dominationis excipitur*. Maria quoque dominii Christi particeps, à lege purificationis excipitur: *Mariam vocat Angelus Dominam, ut dominatoris genitricem, trepidatio deserat servitutis, quam nasci & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrāvit auctoritas* Hodie tamen Dei genitrix *sub cujus disciplina vel arbitrio infans Deus versatur*; Regina mundi *Virgo revera est Domina cœlestium, terrestrium, &*

D. Bonav. in Spec. Virg. c. 2.

infernorum, legi Purificationis obsequitur ad 1. exactam legis observationem: 2. Christi obtemperantis imitationem: 3. inducendos nos ad Purificationem.

Tert. Apol. 4.

1. *Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis à quibus obsequium expectat.* A Deipara non expectabat obsequium lex Purificationis: Tum quia mulieres duntaxat legi Purificationis erant obnoxiæ quæ suscepto viri semine conceperant: Beatissima autem Virgo concepit non suscepto viri se-

Tert lib. de Car. Chr. 17

mine, sed virtute Spiritus sancti: *Vacabat enim viri semen, apud habentem Dei semen.* Tum quia lex Purificationis instituta erat, ut mulieres mundarentur ab immunditiis & sordibus quæ consequuntur partum: Virginis autem partum nullæ sordes, nullæ immunditiæ consecutæ sunt: unde impium Deiparæ immunditias in partu adscribentem sic pungit D. Augustinus: *Stulte, unde sordes*

L. 5 Hæres. c. 5.

in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem? Tum quia lex vetabat ne mulier ante Purificationis diem sanctum tangeret; Virgo autem

ipsum

ipsum Sanctum sanctorum in gremio tenebat, & Virgineo lacte nutriebat. Ex his rationibus constat Mariam legi purificationis non fuisse addictam : Sicut Dominus noster, non necessitate, sed voluntate factus est sub lege : ita ejus Genitrix non indiguit sacrificiorum Purificatione: quia sicut Virgo ante partum, ita remansit Virgo post partum : siquidem ad ejus distinctionem dixit Moyses, Mulier si suscepto semine pepererit : prævidebat enim istam sine susceptione hominis parituram ; ideo non est ausus dicere absolutè : Mulier si pepererit immunda erit.) *Putas non poterat animus Virginis commoveri ac dicere : Quid mihi opus est purificatione ? cur abstineam ab ingressu templi, cuius uterus nesciens virum factus est templum Spiritus sancti ? Cur non ingrediar templum quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil purgandum : nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum.* Verum etsi Deipara purgatione non indigeat, nec sit legi purificationis obnoxia: purificationis tamen voluit subire legem. 1. *Ad dandum obedientiæ exemplum.* Ex D. Ambrosio, *Maria velleri comparatur ; quia mollis ad obsequium* ; quia scilicet ad modum velleris facile flectebatur, prompte obsequens ; nulla unquam pura creatura adeo fuit parata divinæ obtemperare voluntati ac Maria. 2. *Vt Deum veneraretur in lege, legem voluit Purificationis implere.* Ut enim per transgressionem legis inhonoratur legislator, juxta istud Apostolicum , *Per prævaricationem legis Deum inhonoras* ; ita per legis observationem honoratur. 3. *Merito Mater legem servavit cuius Filius & legem dederat, & venerat ut in se legem adimpleret, quam alijs dederat ante.* Cum esset Legislatoris Mater, observat legem à Filio datam , ne quis suspicetur quod jure maternitatis licentiam sumeret violandi legem. 4. *Ad vitandum Iudæorum scandalum*, ne Judæis scandali præberet occasionem amore aliarum fœminarum legi se purificationis subjecit. 5. Virgo à purificatione exempta purificationis observans legem, *docuit nos debitis supererogare indebita , quia quanto indebita, tanto magis gratiosa.* Suo exemplo docuit nos Virgo & adimplere præcepta obligationis, & edere opera supererogationis. 6. Ut enim ait Dionysius Carthusianus, *perfecta obedientia plus pergit quam tenetur* ; non solum mandata adimplens, sed adhuc consilia exequens. 7. Ut Christi Domini imitaretur exemplum.

Euseb. Emiss.
D. Aug. Ser. 1 de Purific.
D. Ber Ser. 3 de Purif.
Dion. Carthus. Serm. 11.
Laur. Iust.
Dio. Cart.

2. *Legis statum Christus non dissolvit, sed implevit.* Christus Dominus legi Circuncisionis minime obnoxius, Circuncisionem suscepit : 1. Ut sua observantia legis adimpleat defectum. *Qui legem in monte Sina scripsisset , tanquam legis reus, legis constitutionem adimplet : Ecce enim Deus puer factus est , ac sub lege vivit , ut eis qui sunt sub lege auxilietur , adimplens legis defectum* Christus Dominus venerat salutem offerre Judæis qui sub lege erant : unde ipse, legis obsequio prorsus exemptus, indebito legis obsequio, defectum supplet legis Mosaicæ, à Judæis hactenus inobservatæ. 2. *Christus suscepit Circuncisionem , ablaturus Circuncisionem : suscepit umbram, daturus lucem.* Christus suscepit umbram peccati appa-

Tert. lib. de Pud. 6.
D. Aug. Ser. 9. in Nat. Dom.

V. Beda. tens in Circumcisione tanquam peccator, ut nobis gratiæ largiretur lucem. 5. *Vt nos legis vinculo solveret, legi est sponte subiectus.* Ut Christianos à Mosaicæ legis onere liberaret, ipse legis portavit onus. *Compendiatum est enim novū Testamentum, & legis laciniosis oneribus expeditū.* 4. Ut Iudæis scandalizandi tolleret ansam. Iudæi continuo Christum calumniabantur tanquam legis destructorem. *Hic est ille Sabbati destructor, Samarites, & dæmonium habens.* Quapropter ne minimum haberent scandali offendiculum, indebitam suscepit Circumcisionem 5. Ut adimplendo legem cui erat obnoxius, nos ad perfectionis viam erudiret: *Implevit Legis ac Prophetarum omnia quæ præmissa sunt ad inchoationem agenda vel significanda vitæ, dum & plura superaddidit ad perfectionem moralium præceptorum.* 6. Ut nobis obedientiæ præberet exemplum: *suscepit ipse obedientiam, ut nobis eam transfunderet.* Ut enim ait D. Augustinus: *Si ille qui author legis erat legem observare una cum sua genitrice voluit, magna nobis qui peccatores sumus instat necessitas, ut divinis legibus subditi, quidquid nobis præcipitur, implere satagamus.* Propter easdem rationes quibus Circumcisionem suscepit Christus, legi Purificationis Maria se subdidit, præsertim ut Filii imitaretur obsequium. *Decuit ut Mater humilitati Filii conformaretur: & ideo sicut Christus licet non esset legi obnoxius, voluit tamen Circumcisionem, & alia legis onera subire; ad demonstrandum humilitatis exemplum, & ut approbaret legem, & ut calumniæ occasionem Iudæis tolleret, propter easdem rationes voluit & Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia.* Ultra tot rationes quibus conveniens fuit ut Deipara Purificationis observare legem, voluit adhuc huic legi se adstringere, ut nos suo exemplo ad purificationem induceret.

Tert. l. 4. adv. Marc. c. 1. — Tert. lib. de Spect. 30. — Paschas. l. 3 in Matth — D. Ambr. in Ps 61. Ser. 2. de Purific. — D. Thom. 3 p. q. 37. a. 3.

3. *Apostolus temporalem purificationem orationum commendandarum causa adiecit.* Ad quam nos adhuc stimulat Mariana Purificatio: *Quid est autem quod dicimus Beatissimam Virginem purificari? quid vero, quod Iesum Christum dicimus circumcidi? Illa enim vero tam non indiguit Purificatione, quam neque ille Circumcisione. Nobis vero & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, ut à vitiis continentes, primum per se ipsam continentiam circumcidantur, deinde à commissis purificentur.* Si Maria ab omni sorde tum animæ, tum corporis immunis, purificata est, quanto magis nos debemus purificari? Nos, inquam, qui sumus & anima & corpore immundi. *O filii hominum tempus putationis advenit, quando Mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est, exemplum dedit nobis, quod debeamus purgari.* Ad hanc animi purgationem ultra Deiparæ exemplum multimoda adhuc urgemur ratione. 1. Quia nobis incumbit studium Deo placendi: *Deus cum sit purus, nihil habet in tanto pretio, quam puritatem.* 2. Quia puri & immaculati Redemptoris redempti sumus sanguine. *Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, & segregatus à peccatoribus.* 3. Quia Christus fundavit Ecclesiam in qua sumus, *non habentem maculam neque rugam.* 4. Quia Sacramenta quæ significant & rite accedentibus conferunt gratiam, sunt

Tert. lib. de Exh. Cast. 10 — D. Bern. Ser. 6. de Parvis. — Guerr. Ser. 4. de Purif. — Greg. Naz. Orat. 4. — Hebr. 7. — Ephes. 5.

purissimæ

purissima & sacratissima signa. 5. Quia Christianismus est professio sanctitatis: ex D. autem Dionysio *sanctitas est ab omni immunditia libera, perfecta &* D. Dionys.
omnino immaculata immunditia. 6. Quia cœlestis Hierusalem nihil patitur l. c. 1. 3. Hier. c.
immundum, *& non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem* Lib. de Div.
faciens. Nom. 1 2.
Apoc. 21.

Homines in cunctis munditiem sectantur: in vestibus, in victu, in lecto, ubiq; quærunt munditiem; non enim vestes maculosas deferunt, nec vinum
immundum bibunt, nec faciem contaminatã sustinent; animã vero veste, victu,
& corpore multo digniorem, in peccati cœno volutant, nec attendunt, ut ait Orat. Ad-
ad propositum Alexandrinus Clemens: *Nequaquam decet vestem quidem habe-* hort. ad
re candidam, animam vero nigram. Quapropter peccatores mundamini ab Gent.
inquinamentis vestris, purificate corpora à venereis voluptatibus; mundate Clem.
corda à terrenis affectionibus; purgate animas à vitiis & iniquitatibus: *Lava-* Alex.
mini qui estis polluti, vos veris aspergite guttis, mundos homines oportet ad cœlum
ascendere. Acute animadvertit Innocentius tertius eadem elementa insumenda esse ad purificationem microcosmi, seu parvi mundi, quibus utitur Deus
ad purgationem universi seu magni mundi. Ab exordio mundi aquis diluvii
purgavit Deus orbem à sordibus quas hominum peccatis contraxerat: in fine Tert. lib. de
adhuc mundi, orbem adhuc purgabit Deus per ignem. *Cum tanta seculi vetu-* Spect. 30.
stas, & tot eius nativitates uno igne haurientur. Ad purgandas animas à pecca- Ps. 6.
torum maculis necessariæ sunt contritionis lachrymæ, ad instar Regii Vatis
qui die ac nocte fundebat lachrymas (Lavabo per singulas noctes lectum D. Chrysost.
meum, lachrymis meis stratum meum rigabo:) *ut ostendat lavacrum & purga-* Hom. 3. de
torium peccati lachrymas esse. Requiritur adhuc ignis amoris Dei, quem misit Purifi.
Dominus in terras ut hominum corda accenderet: *Penes veteres, quisquis se* Tert. lib. de
homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat. Verum à suis non munda- Bapt. 5.
bantur criminibus Gentiles scelerosi, quia ut subjungit Tertullianus; *viduis a-*
quis sibi mentiuntur. In baptismate ab originali culpa mundantur renati,
quia abluuntur non ab aqua vidua, sed ab aqua sancto Spiritui conjuncta. Ut
peccatores in Pœnitentiæ Sacramento à suis mundentur criminibus, debent
fundere lachrymas non viduas, sed divino amore sufflammatas. Qui fundunt Guarr. Ser.
lachrymas nec Dei æstuant amore, *viduis aquis sibi mentiuntur*, neque ab im- 4 de Purif.
munditiis scelerum mundantur. *Væ nobis si dies impleatur, & purgatio minime*
impleatur, & postea necesse sit illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius,
nihil vehementius in hac vita excogitari potest. Ne pœnalis illius ignis sustineamus ardores fundamus lachrymas igne divini amoris accensas. *Quapropter* D. Aug.
quando aliquis nostrum, in grege virtutum suarum innocentiam invenerit defuisse, Ser. 2 de
offerat aut duos turtures, aut duos pullos columbæ, hoc est habeat duplicem gemitum. Purific.
ista enim aves pro cantu gemitus habent: & ideo recte per ipsas, Sanctorum gemitus
designatur: qui primo plorant in peccatorum suorum recordatione, postea pro cœlestis
patria amore. Turtur symbolum est amoris, doloris, & castitatis. Amoris, nam
ardenter masculum diligit: doloris, nam mortuum seu deperditum mas-

culum continuo gemit: castitatis, quia nulli unquã alteri turturi se conjungit. Peccatores æmulentur turturis amorem, dolorem, castitatem. Amorem, Deũ vehementer diligentes; dolorem de deperdito per peccatum Deo gementes & lachrymantes ; castitatem, nunquam amplius peccato adhærentes, sed munditiam sectantes, ut rite hodiernum festum celebrent, in quo Virgo purificatur in humilitatis exemplum.

II. PARS Gentiles singulis annis *magnam matrem purificant :* nempe Cibelem cujus
Tert. lib. de Ieiun. 2. statuam purificationis gratia immergebant in aquam ; Gentilium venerationem merito irridet Arnobius eisque facetè exprobrat, non sine ratione puri-
Lib. 7. cont. Gentil. ficandam esse Cibelem, quæ pastorem Athin impudice amaverat, & cum eo luxuriata fuerat. Quanto immunda fuit Cibele & purgationis indiga , tanto munda fuit Maria & à Purificatione immunis. Ceremoniæ hujus diei immaculatam ejus puritatem evidenter demonstrant. Columba quæ est figura Spiritus sancti, est sensibile testimonium sanctitatis & gratiæ , quam in sua conceptione mutuata est à divino illo Sponso. Lux in templo splendens, Mariã
Hesich. *Matrem lucis* denotat quæ absque ullo integritatis dispendio, concepit & pe-
Tert. Apol 21. perit divinum Verbum quod procedit à Patre tanquam *lumen de lumine.* Cera, quæ ut vult D. Ambrosius , est fructus quem apis virginea confecit de rore cœli, & de pulchris & suavissimis quibusque floribus, erudit nos Christum esse fructum floridum virtute Spiritus sancti de purissimo Mariæ san-
Tert lib. 4. Marc. 10, guine productum : *Cujus ventris futurus est fructus caro Christi quæ ex Virgine floruit.* Verum purissima illa Virgo, à lege Purificationis exempta in humilitatis argumentum, sese legi Purificationis subdidit, 1. Filii humilitatem æmulans. 2. suam Virginitatem occultans: 3. sub apparenti immunditia puritatem
Tert. lib 2. adv Marc. 4. suam obumbrans.

1. *Ut sit nobis in testimonium, sine dubio quo testabatur se legem non dissolvere, sed adimplere.* Loquitur de Christo Tertullianus , qui non dissolvit legem Moysis ut falso calumniabantur Judæi, sed adimplevit suscipiens etiam Cir-
Tert. Prad To 2 Trac de Chris. Conc. 2. cumcisionem, cui non erat obnoxius. Plures aliorsum subministravimus rationes ob quas Christus circumcidi voluit, nunc autem sufficiat dicere Christum ex humilitate fuisse circumcisum : Ob eandem rationem Purificationis
D Thom. Ser de Purific : legi sese addixit Deipara: *Noscitur humilitas in purificatione, cum ea non indigeret.* Purificatione non indigebat Maria, cum non conceperit ex viri semine, nec in partu aliquam passa sit corruptionem, ut humilitatem tamen demon-
Dion Carthu in cap. 3 Luc, straret Purificationis legem adimplevit: *Virgo sanctissima quæ legis præcepto de purificatione non fuit astricta , quia suscepto semine non concepit, nec peperit; legis præcepto obtemperavit, ut præberet perfecta humilitatis exemplũ.* Deipara Christi Domini æmulata est exemplum , & sicut filius ex humilitate fuit circumcisus, ita Mater ex humilitate purificationis servavit legem ; *Quare ergo circumcisus est Christus ? quare hostias obtulit pro emundatione sua , Genitrix*
D. Aug. Serm de Purific. *ejus ; nisi propter humilitatis exemplum ?* Quanto dignior erat Matris & Filii dignitas , tanto profundior utriusque humilitas. Magna fuit humanati Verbi demissio , nasci in præsepio inter duo pecora , sed longe major

fufci; ere circumcifionem; nam philofophatur D. Bernardus; *Ipfa die nativitatu minoratus eft ab Angelis, & habitu inventus ut homo, hodie vero mirabilius aliquid audio; iam minoratus eft multo minus ab Angelis, qui non folum formam hominis, fed formam habet peccatoris, & infigitur quodam velut cauterio latronis.* Ser. 1. de Circumc.
Magna fuit Mariæ humilitas in annuntiatione Angelica, quam fic commendat D. Bonaventura: [O mira & profunda humilitas Mariæ! Ecce Mariam Archangelus alloquitur; Maria gratia plena dicitur; fupervenetio Spiritus fancti promittitur; in Matrem Domini affumitur; jam omnibus creaturis antepomitur; jam Domina cœli & terræ efficitur; & pro his omnibus non extollitur, fed in omnibus mira humilitate deprimitur, dicens: Ecce ancilla Domini.) Hanc Mariæ humilitatem merito miratur Seraphicus Doctor; quam adhuc ftupet D. Bernardus: *Quæ eft hac tam fublimis humilitas quæ cedere non novit honoribus, infolefcere gloria nefcit? Mater Dei eligitur, & ancillam Dei fe nominat; non mediocris revera humilitatis infigne; neque (oblata tanta gloria) oblivifci humilitatem.* Inter puras creaturas eft Maria & maxima & minima; maxima, in rei veritate; minima in fui exiftimatione. Quod homo de fæce plebis, nulliufque momenti, fe humiliet, non eft ftupore dignum: fufficientem enim habet ex fua vilitate humiliationis caufam. Quod adhuc aliquis fingularibus privatus gratiis & dotibus, demiffam de femetipfo concipiat opinionem, non eft prodigij loco habendum; quia non habet unde poffit gloriari: quod vero homo in fublimi dignitate conftitutus, & fingularibus naturæ & gratiæ ornatus donis, fefe dejiciat: rariffimum fimul & mirificum eft. *Non magnum eft effe humilem in abiectione, rara virtus humilitas honorata.* Singularis prorfus & admiranda Mariæ humilitas, quæ fpecialiffimis decorata prærogativis; & ad altiffimam Deiparæ fublimata dignitatem, ad faftigium tanti honoris non attendit. *In nullo de fe præfumit Virgo, in nullo de fe aliquid altum fapit, folum fibi vindicat humilitatem ancillæ, quæ Mater Salvatoris ab Angelo falutatur.* Magna equidem Mariana hæc humilitas, nam *humilitas eft contemptus propria excellentia*: Sed abfque illa comparatione magis adhuc fe dejicit Deipara Purificationis legem obfervans. *Quis non miretur, quam in die Purificationis Maria oftentaverit humilitatem, dum quæ Angelis purior erat, quafi fordibus fcateat purificationis remedium ad eas abftergendas affumpferit?* Tantum fe dejecit Deipara, ut Filij æmularetur humilitatem, & Virginis puritaté occultaret.

In Spec. B. Virg. c. 4.

Hom. 4. fup. Miffus eft.

D. Bern. Hom. fup. Miffus.

S. Ildeph. Ser. 1 de Affumpt.

2. *Carpocrates hanc tulit fectam, Chriftum non ex Virgine Maria natum, fed ex femine Iofeph hominem tantummodo genitum:* Hæreticus ille offendit tum Chrifti divinitatem: tum virginalem Mariæ puritatem: Chrifti divinitatem; dum eum purum hominem prædicat: virginalem Mariæ puritatem, dum de femine Jofeph concepiffe prolem afleverat: Chrifti autem divinitatem, & virginalem Mariæ puritatem recognofcit Tertullianus. Chrifti quidem divinitatem *Nobis omnes Scriptura veteres & nova Chriftum Dei, & Filium Dei præfiniunt.* Virginalem adhuc Mariæ puritatem Evangeliftarum teftimonio probat Tertullianus. *Nobis ex*

Tert. lib. de Præfc. Hæret. 49.

Tert. lib. adv. Prax. 20.

Apofto-

Apostolis Ioannes & Mathæus insinuant, ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurant, Christum natum ex Virgine. Ludovicus Hungariæ Rex voluit repræsentari in speculo auro inserto cum hoc lemmate: *Vndique illæsus*, ad denotandam per crystallum & aurum, corporis integritatem, & qua pollebat animi puritatem: Verum potiori jure tale stemma Deiparæ competit, quæ est undique illæsa; quia est Virgo ante partum, in partu, & post partum. Idcirco, ut animadvertit Richardus à Sancto Laurentio, ter conclusa & sigillata à cœlesti prædicatur Sponso. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Hortus conclusus ante Verbi incarnationem, & ut fatur Chrysologus, *virginitatis insigne, collegium sanctitatis.* Ob hanc causam postquam Angelus Mariæ prædicavit virginitatem, nuncupat illam gratia plenam *Ita enim Virginitas & sanctitas inseparabiliter sunt adjuncta.* Hortus conclusus in humanatione Verbi divini, in qua, ait Gregorius Nyssenus: *Thalami Altissimi potestas, quasi quædam nubes virginitatem ipsam inumbrans, ex nuptialis, Spiritus sancti splendor.* Tandem fons signatus in partu: ex D namque Augustino, *qui produxit panes in eremo sine aratore, ipse parere fecit Virginē sine corruptione.*

Tipot. in Hierogl. Reg. Hung.

Cant. 4.

Serm. 140

Richard. à S. Laur. l. 1. de laud. Virg. c. 2.

Trinam invenio Virginitatis marianæ consecrationem. Prima facta est in templo, dum Maria virginitatis emisit votum. Secunda in Nazareth, quando Maria Spiritus sancti virtute divinum concepit Verbum: Tertia in Bethleem ubi Maria parturivit Christum. Mariæ pietas cœlitus illustrata primam operata est consecrationem: Spiritus sancti amor operatus est secundam consecrationem; puritas Christi nascentis tertiam operata est consecrationem; De prima consecratione loquitur Petrus Damianus. *Hæc sunt duo quæ virginalem substantiam tota circumdedere virtute; continentia scilicet & devotio; quarū altera carnem altera mentem ita possedit, ut caro mundissima, & mens purissima, genetricem Domini singulariter consecrarent.* Sanctus Ildephonsus secundam recognoscit cōsecrationem in Incarnatione operatam; in qua Maria effecta est *Mater Dei, & sacrarium Spiritus sancti.* D. Augustinus tertiæ meminit consecrationis cujus consecratorem prodit Dei Filium. *Consecravit autem virginitatem; quia de Virgine nasci voluit.* Mariana puritas in sua consecratione multum elucet virginitatem Deo vovens. *Egregia Maria quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Deo vexillum levavit.* Mariana puritas magis adhuc coruscat in secunda consecratione; unde sanctus Ildephonsus de humanatione Verbi in utero Virginis loquens, concludit: *Hanc ergo fœminam conceptio virginem reddit*: non quod ante incarnationem Maria non esset virgo, sed quia in conceptione filii quasi de novo acquisivit virginitatem Virginitas & fœcunditas in Maria sunt velut duæ causæ, quæ ineffabili quodam circulo adinvicem se producunt; & ut fatur D. Bernardus; *In Deipara virginitas ex fœcunditate & ex fœcunditate virginitas: mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videntur.* Virginitas est velut dispositio qua Maria ad virginitatem præparatur; & maternitas Mariæ virginitatem augescit & perficit: *Nunquam Mater, nisi quando*

Serm. de Assumpt.

D. Ambr. l. de Instit. Virg. c. 5

De B. Virg. c. 11.

Ser. in Sig. Magn.

quando & Virgo, & postquam Mater, nobilior est Virgo. Et ut belle ait ad propositum B. Amedæus, *Dei Genitrix in conceptione virginior:* Tum quia novum jus per fœcunditatem acquirit ad virginitatem: Tum quia fœcunditas Marianam virginitatem nobilitat: Tum quia Spiritus sanctus fœcundando Mariam ejus virginitatem insignit & consecrat. Tandem Mariana puritas in tertia consecratione magis adhuc splendet; incrementum mutuans in partu à Nativitate Filij. *O Mater intemerata, Mater intacta! integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit.*

Hom. 4. de laud. Virg.

Guarr. Ser. 4. de Purif.

In virginea Mariæ puritate tres sunt considerandi perfectionis gradus. Primus elucet in voto virginitatis quod emisit Maria: Secundus, primo perfectior, fulget in obumbratione Spiritus sancti Marianam virginitatem fœcundantis: Tertius, isque perfectissimus, rutilat in Nativitate Christi Matris virginitatem consummantis; & ob hanc causam, ut acute animadvertit D. Chrysostomus, Evangelista Matthæus nunquam Mariam nisi in conceptu & partu Filii, Virginem nuncupat. (Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium,) *Crevit enim in ejus partu integritas, potius quam decrevit, & virginitas ejus ampliata est potius quam fugata.* Ante Incarnationem Verbi Maria erat virgo virginum; in Verbi humanatione Mariana puritas ab Spiritu sancto fœcundata incrementum accepit; & quasi puritas quam habet Maria ante incarnationem, & in ipso incarnationis momento non sufficiat ad Marianæ virginitatis perfectionem, Evangelista Mariam duntaxat vocat Virginem in nativitate prolis, quia *virginitas Mariæ mirabiliter est in prole consignata & confirmata; in prole consecrata; in prole nobilitata, in prole glorificata, in prole ditata & dotata.*

Hom. 5. in Matth.

D. Bonav. in specul. Virg. c. 4.

Maria tamen Virgo tot consecrationibus consignata voluit Purificationis observare legem, ut singularis & admirabilis ejus puritas novum perfectionis acquireret gradum. Ex D. namq; Antonino puritas bifariam sumitur. Primo, per recessum ab impuro; secundò, per accessum ad summe purum. Maria non subivit legem Purificationis ut acquireret puritatem per recessum ab impuro, in ea enim erat maxima post Deum puritas, tum corporis, tum mentis; Corporis, ob virginitatem tot consecrationibus nobilitatam & incrementatam: Mentis, quia in ea nullum erat peccatum sive mortale, sive veniale, sive originale sed Purificationis legem implevit, ut acquireret puritatem: accedens ad summum purum, sese primæ puritatis regulæ, nempe Christo conformans, ejusque humilitatem æmulans qua sese addixit Circumcisionis legi, cui nequaquam erat addictus. Et fortasse ob hanc causam Christus qui sese vocitat lilium: (Ego flos campi, & liliũ convallium,) beatissimã Virginem lilium etiã nuncupat: (Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ:) quia ex imitatione Christi, Matris puritas multum enitet. Et hæc est causa ait Origenes. *cur qui in campo flos fuerit, voluerit esse in convallibus lilium: nimirum ut proxima ejus imitatione ipsius efficeretur & lilium.* Ut autem Christus in Circuncisione est Deus absconditus, in Purificatione Maria est Virgo abscondita, intemeratam occultans

3 p. tit. 5. c. 20. §. 7.

Cap. 2.

Hom. 1 ex quatuor.

Hug. Card. in c. 2. Luc. cultans puritatem. *Hæc est vera humilitas, quæ non vult humilis prædicari, sed vilis reputari; & quamvis Virgo esset purissima, non renuit inter cæteras mulieres immundas recenseri*, puritatem suam apparenti immunditia obumbrans.

Tert. lib. 4. adv. Marc. 4. Tert. lib. de Car. Chr. 4 3. Christus etsi Dominus, *ipsam servitutis notam, Circumcisionem* accepit, etsi Sanctus inter peccatores tamen voluit deputari. Dei Filius *omni se humilitate deiecit*, non solum quia *sublimia divinitatis humili sensu incarnationis occultat*: sed etiam quia innatum decorem nigredine devenustat, ut belle quamvis longiuscule demonstrat D. Bernardus. *Serm. 25. in Cant.* *Vade ad Isaiam & describet tibi, qualem in spiritu illum viderit, tanquam leprosum à Deo & humiliatum. Ecce quam niger: Niger plane, cui non erat species neque decor*: Niger, *quia opprobrium hominum & abiectio plebis; Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Intuere sane pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte, & nigrum vel tunc profecto fatebere: Ergo formosus in se, niger propter te*. Pro nobis factus est niger, speciosus forma præ filiis hominum. Niger in stabulo, vilibus indutus pannis. *Tert. lib. de Idol. 18.* Niger in conversatione, *vestitu in cultus, vultu & aspectu inglorius*. Niger in æstimatione hominum; idcirco *vermem se pronuntiat & non hominem, ignominiam hominis & abiectionem plebis*. *Tert. lib. adv. Iud. 14.* Niger in cruce: *Homo in plaga positus*, sputis turpatus, flagellis dilaceratus, spinis coronatus, clavis transfixus, & toto corpore dilaniatus: *Tert.* Niger in Circuncisione, ubi asseverat Apostolus, *in similitudine carnis peccati fuisse Christum*; quia suscepit peccatoris insigne, & cum tanta nigredine apparuit, quod *si quodammodo Deus posset non cognoscere Filium; in quo ei bene complacuit, ex hoc signo maxime poterat ignorare eum*. *Tert. lib. de Car. Chr. 16. D. Bern. Serm. de Circunc.* Christi exemplum qui in Circuncisione factus est niger, sanctitatem suam peccatoris similitudine obumbrans, impulit Virginem ad Purificationis observantiam, ubi nigra apparuit, & incomparabilis ejus puritas fuit impuritate obumbrata. *Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse in Sponso, & vidit præcessisse in Filio.*

L. 1. Pædag. 5. Aptius de Maria quam de columbis, quas ipsa in Purificatione obtulit, dixit Clemens Alexandrinus: *Nos iubet per Moysem duos pullos columbarum pro peccato offerre, eorum quæ nullam, quæ eis inest cum peccato affinitatem*. Maria, non modo non est peccatis cognata, nec ullam habet cum peccato affinitatẽ: sic à peccato & immunditia peregrinatur Virgo, ut nec etiam habeat affinitatem nominis cum muliere delicto & impudicitia dehonestata: & ob hanc causam de Magdalena ante conversionem loquens Evangelista, ait: *Mulier quæ erat in civitate peccatrix*. *Cap. 7.* Peccatricis nomen omisit Lucas non quod fuerit anonima, aut Evangelistam latuerit hujus fœminæ nomen; sed ob reverentiam Mariani nominis, tacetur peccatricis nomen, & Mariam Magdalenam à licentia libidinis bene notam non nominat Evangelista, ne purissimum Mariæ nomẽ ex affinitate cum impudica muliere aliquatenus dehonestaretur. *Serm. 77.* Quod innuere videtur Chrysologus agens de Magdalena peccatrice & pœnitente, *Venit mulier, sed redit Maria*. Quando venit, mulier dicitur, quia

adhuc

adhuc peccatrix, nec Maria vocatur nisi postquam de peccatis doluit, Domini pedes lachrymis lavit, criminum remissionem obtinuit. *Venit mulier, sed redit Maria*, ne praclarum Mariæ nomen ullam habeat cum peccato & immunditia affinitatem. Verum beatissima Virgo quæ adeo est à peccato aliena & ab immunditia immunis, ut neque etiam nominis habeat affinitatem cum muliere peccatrice, crimine & lascivia de honestata, Purificationis legem observat ut imundæ & peccatricis deferat similitudinem, & ut talis habeatur ab hominib9

Lex Purificationis triplici ratione instituta erat: 1. Tum ob jacturam virginalis integritatis quam passæ fuerant fœminæ via communi concipientes; ob *spurcitias genitalium in utero elementorum, humoru & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alenda per novem menses*: Tum ob fluxum sanguinis, menstruorum & secundinarum; aliasque *naturæ contumelias*, quæ sequebantur partum: Tum ob peccatum, vel matris æstu libidinis concipientis, vel filii, qui contrahebat originale delictum per parentum generationem: ideo lex jubebat ex duobus pullis turturis aut columbarum alterum offerendum pro peccato: unde in mulieribus trina erat purganda immunditia. Naturalis, legalis, & moralis; Naturalis quam contraxerant concipientes cum detrimento virginitatis; Legalis cui subjacebant ex lege quæ ob fluxum sanguinis illas à contactu Sanctorum arcebat vel quadraginta diebus si parturissent puerum, vel octoginta diebus si puellam in lucem edidissent; Moralis, quia fuerant contaminatæ: vel ob inordinatam carnis voluptatem, vel ob contractam à filio genito originalem culpam: Nulla ex his immunditiis fuit in Maria. Non 1. naturalis; quia concepit & peperit filium absque ullo virginitatis detrimento, Tenemur namque *credere in Deum natum, & quidem ex Virgine*: & ut fatur D. Ambrosius. *Christus ita exivit de Virginis utero, sicut aqua exivit de petra.* Non 2 legalis, quia in Christi partu *nullus matri dolor, nulla naturæ contumelia*, nullus fuit sanguinis fluxus. Non 3. moralis, quia nec ullum peccatum commisit in conceptione Virgo, quia concepit sine voluptate, nec Filius ejus peccato originali fuit obnoxius. *Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere*, scilicet ex natura: ex gratia enim concessum est Mariæ quæ concepta est sine peccato originali, & absque ullo peccato actuali semper permansit, Verum licet Maria nullam habuerit immunditiam, neque naturalem, neque legalem, neque moralem; observans tamen Purificationis legem, apparuit immunda, & ab hominibus his tribus immunditiis dehonestata est habita Ubi profundissima ejus elucet humilitas: Tum occultando divinam Maternitatem, virginalem Integritatem, originalem Sanctitatem, quibus exempta erat à Purificationis lege: Tum apparendo in similitudinem mulieris in conceptu corruptæ, in partu menstruatæ, vel in se, vel in prole criminosæ, ob quæ fœminæ erant legi Purificationis obnoxiæ.

Tert lib de Car, Chr. 4

Tert. ibid.

Levit. 12

Tert ibid. Epist. 12.

D. Cypr. l. de Nat. D.

Tert. lib. de Præscr. Heret. 1.

Teste Gregorio Thaumaturgo Maria est *credentium firmamentum, & piorum perfectum exemplum.* Nostrum est in eam inspicere, & exemplar nobis propositum imitari. Non satis est inspicere, oportet adhuc juxta

Ser. 2. de Annunt.

juxta exemplar operari: Non prodest inspectio nuda; opere sunt adimplenda quæ in exemplari inspeximus. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Christiani, idem nobis censeamus dictum à Deo quod Moysi, cum Maria nobis in *virtutum exemplar* proponitur. Deipara est cunctarum exemplar virtutum, sed potissimum ut animadvertit Alanus, *fuerunt in Virgine duo exemplaria bene vivendi, castitas & humilitas, quas nobis in exemplum proposuit.* Mariana humilitas in Purificatione præsertim enitet, huic legi se subjecit Virgo ut filium imitaretur, & nobis humilitatis præberet exemplum. Unde Guarricus Abbas in eius ore ponit verba quæ habuit Christus ad Joannem quando de manu illius suscipere voluit baptisma: *Sic decet nos omnem implere iustitiam, ut quæ summa mater electa sum iustitiæ, speculum sim quoque & iustitiæ exemplaris. Novi ego superbiam filiorum Evæ, quod promptior est ad excusandum, quam ad expurgandum commissa.* Electa Dei genitrix Virgo in exemplum justitiæ, justitiam adimplere debuit, ut homines qui peccant imitantes Evæ superbiam, peccata purgent imitantes Mariæ humilitatem. Ut enim subjungit Guarricus, *necessarium arbitror ut vitiis originis antiquæ, statim in initiis omnia novæ generationis occurrant exempla; mater prævaricationis peccavit procaciter, Mater redemptionis non peccat, & satisfaciat humiliter, ut filii hominum qui de Matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.*

Exod. 25. Idiot. — In cap. 1. Cant. — Serm. 4. de Purific.

Imitanda non est Evæ superbia, sed prorsus imitanda Mariæ humilitas; multo tamen plures Christiani imitantur Evæ superbiam quam Mariæ humilitatem. Maria 1. Filii æmulans humilitatem humiliter Purificationis servavit legem, cui non erat obnoxia; & ipsi insolenter recusant obligationis custodire præcepta: nec attendunt quod *intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit maiestas, vermiculus infletur & tumescat.* 2. Maria occultavit præ humilitate, Divinam Maternitatem, originalem sanctitatem, virginalem integritatem; ipsi vero naturæ & fortunæ dona præ gloria ostentant & jactitant, D. Augustini despicientes consilium: *Ne arbitremur in nobis quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est.* 3. Maria quantumvis purissima apparet immunda, & ut talis habetur ab hominibus, & ipsi sunt vere peccatores, & peccatores haberi nolunt: quo nihil insolentius potest excogitari. Christus Dominus *qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari.* Deipara quoque quæ peccatum non fecit, non dedignata est se peccatricem reputari: *nos esse volumus, & nolumus æstimari*; offendentes non solum Christi Circumcisionem, sed etiam Mariæ Purificationem, in qua Virgo sese purificat ex humilitate, & Mater ex charitate Filium sacrificat.

D. Bern. Ser. 1. de Nat. Dom. — Epist. 4. — D. Ber. Ser. 1. Circum.

III. PARS. Tertullianus ut confundat Marcionem veram Christo carnem denegantem, argumentantur ex his quæ facta sunt in templo Salomonis quando Beatissima Virgo suum detulit & obtulit Filium. *Nec ad templum deferatur infans, ne parentes suos oneret sumptu oblationis; nec in manus tradatur Simeoni, ne senex moriturus exinde contristetur: taceat & anus illa, ne fascinet*

Lib. de Carn. Ch. 2.

fascinet puerum. Pulchre dinumerat Tertullianus cuncta quæ acciderunt in templo quæ evidenter dominicæ carnis probant veritatem: Nam Simeon senex suscepto inter sua brachia Infante, decantat: Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum: Anna Prophetissa & hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, non discedens de templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac noctu, ipsa hora superveniens qua Christus delatus est in templum, *infantem Dominum & agnovit & multa super eo prædicavit, exspectantibus redemptionem Israël.* Deipara charitate fragrans Unigenitum suum Deo obtulit. Canticum Simeonis est consideratione dignissimum. Annæ confessio, non est minus recogitanda, sed super omnia stupendum est oblatum à Maria sacrificium, quod mirum in modum commendat, 1. Dei. cui offertur majestas: 2. victimæ, quæ offerur sanctitas: 3. offerentis matris, charitas. *Tert. lib. de ieiun. c. 8.*

I. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur.* Verum impia crudelitate, crudelitate quidem, quam punire volens Tiberius tunc proconsulatus munere fungens, *ipsos Sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbraticibus scelerum, votivis crucibus exposuit.* Impietate: adhuc nam puro homini sacrificare nefas est, cum sacrificium ad solum Deum pertineat. *Unum sciant insipientes, tardi ad intelligendum, præcipites ad reprehendendum, quod dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi vero Deo deberi sciret. Falsus enim Deus sic se voluit honorari ab eis quos decepit quomodo verus Deus honoratur ab eis quibus consulit: & maxime sacrificium est quod præcipue debetur Deo. Nam obsequia cætera, quæ divinitati exhibentur, ausi sunt etiam sibi superbiæ fastu homines arrogare. Rarissimi autem commemorantur qui sibi ut sacrificaretur, tum regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicunque tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt*, ut Saturni comprobatur exemplo, qui divinitatem usurpare molitus est. & Idolatris ut Deus & deorum parens agnitus est. Quod Romanis exprobrat Tertullianus: *Ante Saturnum Deus penes vos nemo est: ab illo census totius. vel potioris, vel notioris divinitatis.* Verum quantumvis Saturnus sibi falso divinitatem arrogaverit, superstitioseque à Romanis tanquam Patriarcha Deorum sit agnitus: *Saturnum itaque, quantum litteræ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator eiusmodi antiquitatum, aliud quam prominlgaverunt.* Idcirco impie & crudeliter Afri Saturno immolabant infantes. *Tert. Apol. 8.* *Tert.* *D. Aug. l. 1. cont. Adversar. Legis 18.* *Apolog. 10.* *Tert. ibid.*

Ad Sacerdotes proprie pertinet offerre sacrificia. *Verus summus Sacerdos Patris Christus Iesus.* Ex dubio autem Augustino (Sacerdos Patris dictus est Filius Dei, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per mortem & passionem suam acceptabile Sacrificium Deo Patri obtulit, ut ipse esset Sacerdos qui & Sacrificium.) Quod elucidat adhuc incertus Augustinus, (Christus idem dicitur Sacerdos & Sacrificium, idem Deus & templum: Sacerdos, per quem sumus reconciliati; Templum, in quo reconciliati: Deus cui reconciliat. Solus tamen Sacerdos, Sacrificium, & Templum: & hæc omnia Deus secundum *Tert. l. adv. Iud. c. 1. L. de essentia Divinitatis.* *L. de Fide ad Petr. c. 2.*

dum formam servi. Non autem solus Deus Filius; quia hoc est cum Patre & Spiritu sancto secundum formam Dei. Reconciliati igitur per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum divinitatem.) Solus Dei Filius est Sacerdos ratione humanitatis assumptæ, sed non est solus cui sacrificium offertur. Cum enim Divinitatis sit communis Patri, Filio & Spiritui sancto, tota Trinitas sacrificio honoratur. A dubio incerto Augustino non

Super titul Ps. 26.

dissentit certus & indubitatus Augustinus: *Solus Christus Sacerdos extitit, ut ipse etiam esset Sacrificium quod pro nobis obtulit Deo, non aliud quam seipsum.* Dei Filius qui simul cum Patre & Spiritu sancto per sacrificia colitur, humanatur, efficitur Sacerdos & semetipsum Deo in sacrificium offert. *O profunditatem scientiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Offert hostias, qui per singulas honoratur cum Patre.*

Cyril. Alex. in Caten. D. Thom.

Tert. lib. adv. Jud. 2.

Mariæ non debetur sacrificium, quia divinitatis non donatur honore: *Sacrificamus sed Deo nostro*: in quo discriminatur à Filio, cum quo tamen multimode concordat: Tum quia sicut Christus Patri obtulit sacrificia, ita Beatissima Virgo *Sacrificia Deo offerebat*: Tum quia quemadmodum Christus est simul Sacerdos & Templum, ita Maria in Templo præsentans Christum, est *velut Sacerdos & Altare*: Tum quia quemadmodum Christus tanquam summus Sacerdos semetipsum hodie in Templo sacrificat, ita Maria velut Sacerdos Christum in Templo immolat. Apud Judæos parentes aliqua ratione, sacerdotali munere fungebantur, quia ex præcepto legis Mosaicæ tenebantur primogenitos præsentare in Templo, & Deo offerre in gratitudinis monumentum. Beata Virgo præ cæteris parentibus illa pollebat auctoritate: Tum quia jus obligationis quod inter patrem & matrem velut dividebatur, erat in illa unitum: Tum quia *Iesus Christus Dei Patris summus sacerdos.* Sacerdotii muneris participem effecit Matrem ut illum offerret in Templo. Idcirco duplici auctoritate Filium obtulit; naturali una, quæ illi tanquã Matri conveniebat; supernaturali altera, quæ illi contigerat ex benevolentia & deputatione Filii: *Non offertur aut servitur Deo, aut colitur arbitrio nostræ voluntatis, aut iudicio electionis, & directionis humanæ, sed decreto suæ legis.* Potentia qua pollebat Virgo, sive naturaliter, sive supernaturaliter, elucet hodie in Præsentatione Christi: Obtulerat equidem Filium Deo Patri in ipso Incarnationis exordio: non secus ac statim quo illum parturivit: sed quia eiusmodi oblationes non fuerant publicæ, Maria tunc proprie sacerdotis non obivit munus, hodie autem est *participatio sacrificii, executio officii* sacerdotalis, quia palam & publice Filium Deo præsentat & immolat.

D. Epiph. de laud. Virg.

Tert lib. Adv. Jud. 14.

Sim de Cass. l. 2. c. 22.

Tert lib. de Orat. 14.

D. Aug. l. 15. Civ. 7.

Recte offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui tantummodo sacrificandum est; vel ad ejus majestatem honorandam, ut fit in holocausto; vel ad munificentiam recognoscendam, ut fit in sacrificio Eucharistico; vel ad misericordiam implorandam, ut in sacrificio impetratorio; vel ad justitiam placandam, ut in propitiatorio. Filium obtulit Deipara, tum ad honorandam divinam majestatem: tum ad recognoscendam

dam divinam benevolentiam: Christus namque voluit à Matre præsentari in Templo, ut pro obtento tali Filio, æterno Patri gratitudinem suam demonstraret. Ut enim ait D. Thomas, *apparet gratiarum actio in Filij oblatione: ut sisterent eum Domino: quia tibi Domine quem dedisti, offerimus*: Tum ad placandam divinam justitiam, & reconciliandos homines Deo. Et ob hanc caussam beatus Thomas à Villa-Nova sic alloquitur Christum: *O bone Iesu; iam noster es, & duplici iure es: te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit; Noster es, quia datus: noster es, quia emptus. Duplici te iure possidemus.* Præsentatur Christus in Templo, ut duplici titulo nobis sit datus per virginem; tum quia ab ea genitus est: tum quia ab ea in nostram salutem pretio redimitur. Serm. de Purif. Serm. de Purif.

Quæcunque in ministerio templi multis modis de sacrificijs leguntur divinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significandam referuntur. Dilectionem Dei & proximi ostentavit Maria Filium sacrificans. Dei dilectionem; Tum quia illum obtulit Patri in holocaustum: Tum ob amorem Filii Purificationis legem observans. Consuetudo erat apud Judæos ut Mater purificaretur, dum Filius in Templo præsentabatur; onusque purgationis exolveret, dum Filius Deo in hostiam offerebatur. Christus & Deipara à lege immunes mutua sibi charitatis persolvunt officia, filius ob amorem matris, & mater ob amorem filii commune mandatum observans. Proximi adhuc dilectionem demonstrat Virgo offerens Filium pro hominum salute: ex D. autem Augustino, *gratior Deo est, pro fratre deprecatio, ubi sacrificium charitatis offertur.* Gratissimum fuit sacrificium à Maria oblatum, tum ob Dei, cui oblatum est majestatem; tum ob Christi qui oblatus est, dignitatem. D. Aug. l. 10. Civ. 5. Epist. 120

2. Obtulit Deo Maria, *non grana thuris unius assis, non arabicæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis, & post omnia inquinamenta, etiam conscientiam spurcam*; uti faciebant Gentiles, qui numinibus suis vilia quæque offerebant, ut eis merito exprobrat Tertullianus. *Non dico quales situ in sacrificando, cum enecta, & tabidosa, & scabiosa quæque mactatis: cum de opimis & integris supervacua quæque truncatis, capitula & ungulas: quæ domi quoque pueris vel canibus destinassetis; cum de decima Herculis, nec tertiam partem in aram eius imponitis.* Verum si Gentiles diis suis ignobiliora & viliora quæque sacrificabant, & ex optimis hostiis meliora truncabant: Maria æterno Patri offert *optimam & maiorem hostiam*, non dimidiatam sed integram, nempe totum Christum ex divinitate & humanitate ineffabiliter compositum: qui pontificio officio insignitus, *ipse etiam effectus hostia per omnia, pro omnibus nobis.* Incomparabilem illam hostiam, in pretio & valore in infinitum cuncta bona creata superantem immolat hodie in Templo Deipara, ad Dei gloriam, & hominum salutem. Tert. Apol. 30. Apolog. 14 Tert. Apol 30. Tert. lib. adv. Iud.

D. Augustinus sic alloquitur Christum. *Tu Christe es Sacerdos, tu victima: tu oblator, tu oblatio*; Ad hoc natus est Christus ex utero Virginis, ut sic simul Sacerdos & victima. *Nam secundum id quod natus est de Patre Deus apud Deum coæternus gignenti, non Sacerdos: sed Sacerdos propter* In Ps. 44. D. Aug. in Ps. 99.

carnem

carnem assumptam propter victimam, quam pro nobis offerret, à nobis assumptam, Dei Filius ante humanationem, nec Sacerdos fuit, nec Victima; quia utrumque dependentiam & finitatem importat, quæ Deo nequeunt convenire: ut autem tum sacerdotis tum victimæ fungeretur officio, humanatus est, & in utero Virginis factus est hostia æterno Patri offerenda. *Novum est altare sacrificij Christi, quoniam immolatio nova & admirabilis: ipse enim hostia erat & sacerdos: idem ipse qui offerebat & quod offertur.* In triplici autem potissimum loco Christus est simul sacerdos & hostia: in altari scilicet, in cruce, & in templo: 1. In altari adhuc sacerdos & victima, instituens hoc mysterium antequam cruci affigeretur: & ut belle fatur ad propositum Gregorius Nyssenus, *præoccupans impetum Iudæorum seipsum victimam offert, idem simul sacerdos & agnus:* 2. In cruce; nam ut concludit ibidem D. Augustinus, *simul ergo hostia & sacerdos in altari crucis perfectus est.* Tandem 3. in templo, ubi hodie præsentatur. *Idem sacerdos, idem & hostia,* ait D. Ambrosius. Maria sacerdotii dignitate donata trinam illam offert hostiam: 1. Christum in Eucharistia contentum; ideoque D. Epiphanius eam nuncupat, *velut sacerdotem pariter & altare; quæ quidem mensam ferens dedit nobis cœlestem panem Christum.* 2. Christum in cruce patibulatum: unde Arnoldus Cartonensis de Christo cruci affixo & de Deipara patienti Filio adstante, sic fatur: *Unum pariter holocaustum ambo pariter offerebant Deo: Maria in sanguine cordis, Christus in sanguine carnis.* Tandem 3. in templo Deipara *ipsas sanctas primitias carnis ex utero Virginis: in holocaustum obtulit Deo.*

D. Aug. Ser. 10. de Temp.

Orat. 1. de Res.

Lib. 3. de Fide c. 5.

Serm. de Virg.

Tract. de laud. Mar.

D. Aug. in Ps. 64.

Et quod est majori adhuc stupore dignissimum: in trino illo sacrificio, in quo tanquam hostia à Maria immolatur Christus, ipsamet etiam Virgo velut innocens victima offertur. Et quidem in Eucharistiæ sacramento Virginem oblatam recognoscit Petrus Damianus, qui postquam dixit: *Manat aliquid ex uberibus Virginis & in carnem vertitur Salvatoris;* statim subjungit: *Illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in sacramentum nostræ redemptionis haurimus.* Quod non erit difficile creditu consideranti substantiam illam carnis quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, aut extinctione caloris naturalis resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conservatam, & Verbo Dei unitam, & in mysterio altaris oblatam. In cruce adhuc hostia est Virgo: Tum quia caro Christi immolatur: Ex Arnoldo autem Carnotensi, *una est Mariæ & Christi caro.* Tum quia, ut fatur Eusebius Emissenus, Christus in ara crucis immolatus est, *de carne Mariæ coagulatus, de eius formatus visceribus, de eius substantia consummatus.* Inde belle ad propositum concludit: *Sanguinem etiam quem pro Matre obtulit de sanguine Matris accepit.* Tandem in templo hostia fuit Virgo & offerens Deo Filium, semetipsam obtulit: Nam ut ratiocinatur D. Augustinus, *sacrificium visibile, invisibilis sacrificij sacramentum; id est sacrum signum est*: Christus visibiliter in Templo immolatus, est sacrum signum invisibilis sacrificii quo Maria Deo cor suum

Serm. 45.

Suar. 3 p. D. Thom. Disp. 1. sect. 1. Tr. de laud. V. Hom. 1. de Nat. Dom.

Lib. 10. Civ. c.

suum obtulit: *Sed agnoscimus impleri propheticam vocem Simeonis super adhuc recentem infantem Dominum pronuntiantis*; nec non Mariæ doloris gladium annuntiantis, quem præpropere persensit Filium præsentans in templo. Ut enim ait sanctus Ildephonsus; *Venerabilis Virgo plusquam martyr fuit, quia in anima non minus mœroris quam amoris est intus vulnerata gladio*, offerens sacrificium Deo gratissimum tum ob dignitatem victimæ oblatæ: tum ob charitatem & sanctitatem sacerdotis offerentis. *Tertlib. de Car. Chr.* *Serm. 2. de Assumpt.*

3. *Ut miret, cum hostia probantur penes vos à vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quam ipsorum sanctificantium examinantur.* Gentilium sacrificia erant Deo otiosa ob trinam indignitatem. 1. Deorum, quibus offerebantur qui erant vel dæmones, vel homines scelerati: 2. Victimarum, quæ erant res vilissimæ & abjectissimæ: 3. Sacerdorum, qui erant immundi & criminosi, quorum conscientia potius quam hostiarum præcordia investiganda erat. *Ut sit quisque verus sacerdos oportet, ut non solo sacramento, sed iustitia quoque induatur, sicut scriptum est: Sacerdotes tui induantur iustitia.* Sacrificium quod offert hodie Maria in templo, his defectibus non dehonestatur; sed contrariis perfectionibus venustatur; estque Deo gratissimum ratione divinæ majestatis, cui offertur; dignitatis Christi seu hostiæ quæ offertur, sanctitatis & charitatis Mariæ quæ est sacerdos à quo innocens illa victima immolatur. Agamemnon Iphigeniam filiam immolavit, sed idolis; Jephte ex voto imprudenti filiam suam unigenitam sacrificavit: Rex Moab ex desperatione, & regnandi cupidine, primogenitum suum jugulavit: at Beatissima Virgo unigenitum Filium sacrificavit, non idolis, ut Agamemnon, sed vero Deo; non ex imprudenti voto, ut Jephte, sed ex cœlesti consilio; non ex desperatione ut Moabitarum rex; sed ex pietate & charitate. *Tert. Apol 105* *D. Aug. lib. 2. contr Petilan. 30 Ps. 131.* *Iudic. 11. L. 4. Reg. 3.*

4. Mandatum quo præcepit Deus Abrahamo, ut unigenitum suum Isaac immolaret, bellè vocitatur à Basilio Seleuco, *fidei exercendæ materies, & apertum stadium amoris in Deum.* Plures rationes catervatim sese offerebant Abrahami ingenio, quibus aut recusaret, aut cunctaretur parricidium: Naturalis humanitas quæ ab innocentium abhorret cæde; paterna pietas quæ non ad destructionem, sed ad conservationem prolis armatur; divina pollicitatio de multiplicanda sua posteritate quam in nece unigeniti fallacem & frustraneam conspiciebat; Religionis violatio vetans ne quis insonti contaminaretur sanguine. Tot conglobatæ rationes poterant Abrahamum dimovere ab obsequio: quapropter valde miratur Basilius Seleucus, quod difficilem hanc excipiens præceptionem, non naturæ vi infractus *in varias partes, consilia partitus sit*: at, ô stupenda Abrahami fides! in spem contra spem credens, rationis lumen extinguens, cæce obtemperans, nec dicens; *qua ab ingenio voluisset.* O admirabile virtutis Abrahami monumentum! respuens tot rationes, quæ ei ab humanitate, paterna pietate, religionis observandæ zelo obvenerant, ut cæce obtemperans fulguraret obedientiæ perfectio. Non eam ab obsequio dimovit falso opinata religio, *nec timuit, ne parricidium ei imputa-* *Orat. 7.* *Basil. Seleuc.*

S. Zen. Ser. 1 de Abraham: *imputaretur* ad culpam; non præbuit aures ad naturalem humanitatem, & paternam pietatem. sed surdus ad teneras naturæ & pietatis voces, cunctasq; rationes humanas, imo & divinas, quibus jussa detractaret; inhibuit, ut imperatum à Deo perpetraret parricidium. *Non emisit vocem Patre dignam, inquiens, O barbaricas preceptiones! ô imperia à natura legibus abhorrentia! Filij carnifex esse iubeor, ferus cum fuerim pater; in file cadem propere urgeor.* Basil Selen. Has aliasque his similes rationes quæ ex paterno affectu & ingenio erumpebant; cœcæ fidei, & perfectæ obedientiæ frenavit habenis. Illam fidei exercendæ materiam eloquenter declarat Chrysol. *Abraham maturus ad innocentiam, grandævus ad fidem, perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum offerebat filium suum; imo se immolabat in filio; sanctificabat mentem suam; latificabat fidem suam; ut esset idem victima & pontifex, sacerdos & sacrificium*, & in stadio amoris divini de paterno amore gloriose triumpharet. Serm. 11.

Abraham tenerrime diligebat filium: Tum quia eum in senectute genuerat, & dum de habenda prole desperabat ob uxoris Saræ sterilitatem & senectutem: Tum quia Isaac erat unigenitus: Tum quia filius bene moratus & parentibus obsequentissimus: Tum quia adhuc parvulus, cui major pietas & miseratio debebatur: hic tamen infans tam amabilis, & tam ardenter amatus, è cujus vita paternus pendebat affectus à Deo postulatur ad victimam. Gen. 22. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres illum in holocaustum.* Deus ad probandum Abrahæ amorem objicit illi cuncta incitamenta paternæ dilectionis. Nam 1. filium ejus nuncupat proprio nomine Isaac; & tener hujus vocabuli pronuntiatio, patris cor dolore vulnerat: 2. vocitat unigenitum suum, in quo cuncti patris uniebantur amores, non secus ac lineæ in centro: 3. addit: Quem diligis, ut sufflammet dilectionis teneritudinem erga adeo amabilem filium: 4. mandat ut pater sic carnifex inferatque propriis manibus mortem proli, cui communicavit vitam: 5. vult ut per tres dies circa montem conducat innocuam illam victimam, ut illo spatio temporis amabilis filii considerans dotes, majorem in corde persentiens dolorem, evidentius amoris divini præberet argumentum. Tert. lib. de Orat. 8. *Nam & Abraham non tentandæ fidei gratia sacrificare de filio iusserat, sed probandæ, ut per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat neque pignora Deo cariora habenda.* Tantus namque fuit Abrahami amor, adeo admirabilis constantia, ut non solum paratus fuerit summe dilectum immolare filium ut Deo obtemperaret; sed siccis adhuc oculis & velut lætanter, ut suam erga Deum quem præ filio diligebat, charitatem ostentaret. Phil. Iud. lib. de Abraham. *Ille quamvis maiore quam dici potest, teneretur filij desiderio, nec colorem immutavit, nec animum flexit, sed constantissime perstitit in eadem sententia: quippe qui amore Dei subactus fortiter vincebat omnes cognationis affectus, & omnia nomina.* Serm. 1. de Abraham. Philo Judæus ardentissimum Abrahæ erga Deum amorem declarat; sanctus Zeno Veronensis Patriarchæ magnanimitatem commendat. *O pater spiritum captans,*

ceptans, corpus vero mortemq́; contemnens! ô qui servum Domini ita se esse meminerat, ut patrem se esse nesciret! Quid est pater? ecce sub oculis jacet filius vinculis adstrictus; ubi sunt lachrymæ? ubi dolor qui in humanis sensibus versari consuevit? Parum est quod Abraham patrem dissimulet, multum est quod patris effectum ex devotione dediscat, ex amantissimo patre, intrepidus filii efficiatur carnifex, lachrymas siccis oculis sistat, nec colorem mutet, nec contrahat frontem, nec animum flectat, patrem se esse nesciat; neque ullum mutationis signum ostendat, dum loco Isaac immolandus ei subministratur aries. Ut enim subjungit Veronensis Antistes: *A filio ad agnum transtulit dexteram, semper latatus & gaudens: nec mutatus est vultus eius, cum esset victima commutata: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium.* Nec exinde quis Abrahamum aut de stupore, aut de defectu paternæ pietatis culpet. Plane *sensit pietatis affectum, sed non omisit devotionis negotium.* Amor divinus quo æstuabat, etsi triumpharet de pietate paterna, non abstulit tamen patris affectum: & quantumvis constans & magnanimus fuerit Patriarcha in exequendo divino mandato, acerbissimum in corde patiebatur dolorem; & ut fatur Chrysologus: *Patris erat passio ibi tota, ubi filius immolabatur.* Quapropter Deus explorata Abrahæ obedientia; comprobato patriarchæ amore, eius dolorem alleviare desiderans, retinuit manum ne immolaret filium, prompta fidelis servi submissione contentus. *Denique patris suspensa est dextera, patris gladius est remotus: quia non quærebatur mors filii, sed patris charitas probabatur; nec expetebatur sanguis filii: ubi tota victima in patris dilectione constabat. Scriptura dicente: Nunc scio quia diligis Deum; quia non pepercisti unigenito filio tuo propter me.*

D. Ambr. de Fid. Resur.

Chrysol. Serm. 11.

Magnus fuit equidem Abrahæ dolor, sed absque ulla comparatione maior Mariæ dolor, cuius magnitudo mutuanda est ex ardentissimo Christi amore, cruciatuum filii magnitudine, tormentorum unigeniti cognitione, martyrii longitudine, animæ transfixione viscerum oblatione, animi fortitudine, obedientiæ promptitudine. 1. Mariæ dolor ex eius amore mensurandus est; & si Marianum vultis concipere amorem. *Matrem considerate, matrem cogitate*; sed matrem Virginem; sed matrem solam, & *sine masculo matrem*; sed matrem unigeniti, sed matrem filii infinite perfecti, & summe amabilis; sed filii toto corde dilecti: ideo beatissima Virgo *tabescat quia diligebat.* Dolor quo angebatur erat conformis amori quo æstuabat, nam, ut subjungit D. Augustinus, *tantum necesse est ut urat dolor, quantum læserat amor.* Virgineus amor fuit mensura doloris eius: *Unde constat quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit.* Dilectionis magnitudo infert doloris magnitudinem. Vultis cognoscere Deiparæ dolorem? pensate eius amorem. Incomprehensibilis est Virginis amor, incomprehensibilis quoque est eius dolor. *Maria vicit sexum, vicit hominem & passa est ultra humanitatem; torquebatur enim magis quam si torqueretur in se quia supra se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat*, eiusque dolor

D. Ambr. l. 6 Hexam. 4

Tert. l. ad Valent. 10.

D. Aug. l. 15. Civ. 16.

D. Hier. Serm. de Assumpt.

D. Ansel. hom. de B. Virg.

erant tanto major, quanto 2. acerbior erat dilecti Filii cruciatus. Ex D. Ambrosio Abrahæ filium immolare volenti, apparuit Dominus, (revelans sui futuram passionem corporis, qua mundum redemit; demonstrans etiam genus passionis, cum suspensum ostendit arietem in virgulto: & virgultum illud patibulum crucis.) Mariæ dolor Abrahæ dolorem longè superat: Tum quia eius amor est ardentior: Tum quia loco Isaac immolandi immolatur aries; at loco Christi non alia victima substituitur, & aries loco Isaac positus, est figura Christi in cruce suspendendi. S. Zenon de illa victimæ commutatione in Abrahæ sacrificio facta sic fatur: *In illo sacrificio solus Deus doluit, quia alteram victimam procuravit.* Dolor in Deo peregrinatur, tanquam res Deo longissime extranea; verum enimvero si dolor in Deum cadere potuisset, maxime doluisset in proprii filii immolatione. Maria doloris capacissima, Filium offerens in templo, certo cognovit non victimam commutandam ut in sacrificio Abrahæ, sed Christum per suspensum arietem figuratum cruci patibulandum; itaque maxime doluit. Unde Arnoldus Carnotensis maternum considerans dolorem, sic alloquitur illius Filium: *Intuetur te illa benedicta inter mulieres, & fixis in te oculis vulnera tua, pietate considerat materna: & licet non ignoret quid boni conferat mundo mors tua, tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate dolorum arctatur*: quia (quascunque plagas, quæcunque vulnera, quoscunque dolores sentis, & suscipis in tuo corpore, compatiendo suscipit in visceribus cordis,) futuram tuam passionem 3. semper mente consideratis, & animo volvens. Abraham struens ligna filii necem certo futuram non intuetur; ad sacrificatoris paratur negotium, sed prophetiæ dono non illustratur: suscipit mandatum immolandi filii, sed omni spe non destituitur; aliquomodo enim sperare poterat Deum sua voluntate contentum, nolle ut de facto immolaret filium: Maria vero Filium offerens in templo, certo scit ex virtute eiusmodi oblationis moriturũ Christum. Nam (melius quã Prophetæ præscivit sui filii passionem; ideo eum lactans cogitabat felle & aceto esset potandus in cruce; quando eum manibus gestabat, videbatur illi quod crucis brachiis esset confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum ex cruce depositum; quando osculabatur, Judæ osculõ cogitabat; quãdo fasciis involvebat; funes cogitabat quibus ligandus erat ab impiis carnificibus; quando manu ducebat, ducendũ ad tribunalia ut impiis judicibus sisteretur.) & hodie præsentans illum in templo, & æterno Patri offerens pro hominum salute, cogitabat in cruce immolandum ut humanam operaretur redemptionẽ. Maria Filium inter brachia deferens, vere dicere poterat, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*: quia dum Virgo Filio præbebat ubera, simul cogitabat eum multa tormenta passurum; dum eum lactabat, ad effusionem sanguinis attendebat; dum eum pectori premebat, cruci affixum mente volvebat. Quapropter Rupertus Deiparam sic loquentem inducit: *Nolite solam attendere horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehensum male tractari,*

In Catm. Lippom. in c. 22. Gen.

Ser. 1. de Abraham

Hom. de Dep.

Richard. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg.

S. Birgitta

Cant. 1.

In incarn.

ctari, illudi, ſpinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori, & ſepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit, ſed antequam ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit: prophetiſſa namque eram, & ex quo mater eius facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum. Cum igitur talem Filium in ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem eius futuram mortem præ oculis haberem, qualem, quantam, quamque prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem? Hoc eſt quod dicit Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. 4. Juſſus Abraham filium Deo mactare, itinere trium dierum abiit circa montem; tribus autem diebus dilatū eſt Iſaac ſacrificium, ut illo temporis ſpatio paterna magis viſcera torquerentur: ſic interrogationi ſuæ reſpondet Alcuinus: *Et cur non ſtatim licuit illi occidere filium, ſed triduana itineris mora eum immolaturus, ſecum ducere iuſſus eſt? Reſpondeo. Quatenus longitudine temporis, tentationis etiam augeretur incrementum: Nam per triduum iter protenditur, & per totum triduum creſcentibus curis, paterna viſcera cruciantur: ut omni hoc ſpatio tam prolixo intueretur filium Pater, cibum cum conſumeret, ut noctibus puer penderet in amplexibus patris, inhæreret pectori, cubaret in gremio; quatenus per ſingula momenta in paterno affectu dolor occidendi filii cumularetur.* [Interro. 204. in Gen.] Mariæ martyrium non trium dierum, ſed triginta trium annorum ſpatio extenditur; à tempore enim humanationis Verbi & Nativitatis Chriſti quo filius ſemetipſum & Mater filium obtulit, ſemper ejus paſſionem in mente habuit. Diuturnam paſſionis ſuæ acerbitatem ſic dolenter publicat Chriſtus: *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper.* [Pſ. 37.] Per acerbum ſane cruciamentum pati ſemper imaginationis ſenſu quod ſemel aliquando patiendum eſt, diuturnior & acerbior eſt paſſio quam præſentia ad cruciatum anticipat, & præſenſio ad pœnarum diuturnitatem amplificat. Deipara non ſecus ac Dei Filius ſimili ſemper præpaſſione cruciabatur, cum Chriſto dicere valens: (Et dolor meus in conſpectu meo ſemper.) Quapropter Haidgridius Cardinalis expendens iſtud Canticorum: (Comæ capitis tui ſicut purpura Regis, juncta carnalibus,) [Cap. 76] ſic alloquitur Virginem: *Menstua, ô Virgo, & cogitationes tuæ tinctæ in ſanguine Dominicæ paſſionis, ſic affectæ fuere, quaſi recenter viderent ſanguinem de vulneribus profluentem.* Cum ſemper ita affectata fuerit Virgo, ac ſi ſanguinem recenter fluentem de vulneribus filii ſui oculis videret, recte dicere potuit cum Propheta: Et dolor meus in conſpectu meo ſemper. Cum filii paſſionem jugiter mente volveret Deipara, rectæ comæ eius purpuræ Regis comparantur. Matris namque cogitationes, quæ Filii quodammodo hauſerant ſanguinem, ſanguinem quoque referebant: quod Filius patiebatur jugiter cogitabat mater: Rubebat caro filii ſanguine paſſionis, rubebant maternæ illæ cogitationes, ſanguine compaſſionis. [Guillelmus] Bene Ergo illi dicitur: Comæ capitis tui ſicut purpura Regis:) Diuturni fuerunt Mariæ dolores, quia paſſionem Filii

antequam esset, antea cogitavit: Diuturni fuerunt adhuc Mariæ dolores, quia postquam Filius passus est, passionis ejus continuo cogitavit acerbitatem; assumpto namque in cœlum Domino, (beata Virgo individuo comite Joanne filio suo, frequentissime loca passionis filii invisit.) Parum est quod passionis tempore (quot vulnera filius accipiebat in carne, tot pia mater accipiebat in corde. Parum adhuc est quod transacta passione frequenter visitet loca, ut eam vivacius consignet memoriæ, nisi à nativitate Filij continuo moriatur, jugiter filij considerans mortem. *Statutum est hominibus semel mori.* Non pluries sed semel moriuntur homines, quia statuta à Deo lex unam dundaxat præscribit mortem: at beatissima Virgo pluries mortua est. Christi tormenta *innumerabiles illi consciscebant mortes: horum quodlibet ante etiam mortem dominicam, lethale illi vulnus infligebat*, & acerbissime ejus animam pertransibat. 5. In præparatione sacrificii Isaac patris erat passio ibi tota, ubi filius immolabatur: in præsentatione Christi in templo ibi Deiparæ erat passio tota ubi doloris gladius suam ipsius animam pertransibat. Non dixit Simeon cruciatum, sed gladium, ad magnum denotandum dolorem. Non dixit adhuc corpus, sed animam, quia in præcipua sui parte passa est. *Alij namque Sancti etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima (quæ immortalis est) pati non potuerunt. Beata vero Dei Genitrix, quia in ea parte passa est quæ impassibilis habetur, ideo (ut ita fatear) quia spiritualiter & atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit. Unde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit; in tantum ut animam eius totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium eximiæ dilectionis. Nimirum & eius dilectio amplius fortis quam mors fuit; quia mortem Christi suam fecit.* Deipara belle martyr amoris prædicatur; quia fortis est ut mors dilectio; & quia plus cunctis amavit, plus cunctis doluit, & quia plus cunctis doluit, præ cæteris tum amoris, tum doloris violentia martyr fuit; & cum animam suam ipsius animam pertransierit gladius, in ea parte passa est, quæ habetur impassibilis: adeo enim peracerba fuit ejus passio ut vel pars impatibilis pati dicatur. Nec mirum si ita atrociter passa est Maria quæ Christi passionem suam fecit: neque filij corpus transfixerunt clavi, qui prius ejus animam pertransisset gladius. *Vere tuam, ô beata Mater, animam gladius pertransivit; alioquin non nisi eam pertransiens, carnem filij tui penetraret*; adeo Christo Maria erat dilectione conjuncta ut nullum ferrum quantumvis peracutum potuerit Christi penetrare corpus, quin prius Virginis animam penetraret. Subjungit Bernardus Mariam alloquens: *Jesu non attigit animam crudelis lancea, quæ aperuit eius latus, sed tuam utique animam pertransivit: ipsius nimirum anima iam non erat ibi, sed tua plane inde nequibat avelli.* Mariæ animam pertransivit gladius in passione Christi: sed longo ante tempore pertransierat in oblatione filii. 6. Abraham se immolabat in filio: & Maria offerens Jesum in templo *facta est suorum viscerum immolatrix*; nam simul cum filio cor suum, viscera sua, animam suam sacrificavit. Mater in Filij

Lucius Dexter in Chronic. An. Chr. 57 Guillelm.

Hebr. 9.

Georg. Nicomed. Ser. 8 de Mar. juxta Cruc.

D. Hieron Serm. de Assumpt.

D. Bern. in c. 12 Apoc.

D. Chrysost. Hom. 6. in Gen.

Filij pectore velut in altari sese Deo immolavit. *Ipsa seipsam mactans, in altaris ligna, & flammas congerebat; altare erat in corpore filij*, & vicissim Filius in sinu Matris velut in altari, æterno sese immolabat Patri; & ob hanc causam D. Epiphanius beatam Virginem crucem appellat; quia filium ulnis gestans crucis præferebat formam. *Appellabo te thronum, cœlum simul, & crucem.* Infantem Jesum Deipara extensis in crucem brachiis pectori admovebat, non solum ut Filio crucem amanti, crucis objiceret figuram, sed etiam quia Filius inter brachia matris, velut in cruce immolabatur in templo: Certe *manibus eum gestans videbatur illi quod crucis brachiis esset confixus* 7. Magna constantia præditus *non contristat frontem devotissimus Abraham*, *nec dolor patri lacrymas persuasit.* Maria quoque *in expugnabilis erat, ac naturæ affectionibus superior.* In oblatione Filij in templo admirabilem prorsus demonstravit fortitudinem. *Gladius animam eius pertransivit, illa tamen modestiæ metas non transivit.* In passione quoque Christi incomparabilem ostentavit constantiam. *Hoc in dolore est maxime pensandum ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid serviliter muliebriterque faciamus.* Beata Virgo ad Filij mortem, non erupit in ejulatus & ploratus, non in lamenta vituperio digna non in vociferationes à civilitate & modestia alienas, sed stabat juxta crucem cum modestia, gravitate, fortitudine, quæ Dei decebat Genitricem. *Stabat & sancta Mater iuxta crucem Filij, & spectabat Virgo sui unigeniti passionem; stantem illam lego, stantem non lego.* 8. Abraham adeo fuit obsequentissimus ut absque ulla mora acerbissimum paratus fuerit exequi facinus Maria ita fuit divini voluntati conformis, & ut fatur sanctus Antonius, *ita proximum dilexit, quod si defuisset qui filium crucifixisset, ipsa pro salute humani generis, eum cum manibus suis in cruce posuisset.* Tantum hominum dilectione æstuabat beata Virgo, ut ejus charitas nonnisi cùm æterni Patris amore recte valeat comparari.

Arnold. Carn. Tract. de 7 Verb. Domi.

De laud. Virg.

S Birgit.

Sen Zen. Ser. 1 de Abraham.

Greg Nr. comed. Ser. 8.

D Anton. 4. p tit 15. cap 4. §. 1.

Cicer. in Tuscul.

D. Ambr. Ora funeb. de obit. Valentin.

4. part.

(*Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.*) Ex D. Chrysostomo, *vox, Sic Deus dilexit mundum, immensam amoris significat excellentiam.* Deipara excellentem æterni Patris æmulans charitatem sic, ait Doctor Seraphicus, dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret: Æternus Pater (proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.) Beatissima quoque Virgo proprio Filio suo non pepercit, sed sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quare sic fatur apud Rupertum: *optabam quidem ut non moreretur talis dilectus, sed amplius desiderabam humani generis salutem.* Græci Præsentationem Christi in templo nuncupant festum unionis & trinam invenio in hoc mysterio unitam voluntatem: scilicet æterni Patris, Christi, & Deiparæ. Æternus Pater Filium morti devovet; Christus paternæ optemperans voluntati, ultro mortem acceptat, & Deipara sese Patris & Filii conformans voluntati, filium velut victimam pro peccato præsentat.

Hom. 26. in Ioan.

Rom. 8.

Lib. 1. in Cant.

Christiani, hucusque considerastis sacrificium Deo à Virgine oblatum:

tum, ad ejus exemplum offerte sacrificia tribus rebus commendata, & majestate ejus; cui offertur? & dignitate victimæ, quæ offertur; & justitia & charitate sacerdotis victimam offerentis. 1. Sacrificate non idolis, *sed afferte Deo claritatem & honorem. afferte Deo sacrificia nomini ejus*; ad ejus majestatem honorandam, misericordiam implorandam; & munificentiam recognoscendam. *Sacrificium laudis quærit à nobis Deus; sacrificium laudis est gratias agere illi, à quo habes quidquid habes; & cujus misericordia tibi dimittitur quidquid tuum male habes.* Christiani 2. *tollite hostias, & introite in atria ejus*: & ut offeratis hostias Deo dignas rectè dividete: *Non autem rectè dividitur dum non discernuntur, vel qui offertur; vel res quæ offeruntur? vel qui offert.* Tandem 3. Christiani, sacrificate vel corde charitate sufflammato, vel saltem animo contrito: *Non enim vult Deus sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis.* Sacrificate sacrificium justitiæ, vel per veram pœnitentiam si estis conscii peccatorum? vel per bona opera, si cor vestrum ardet charitate: Nam *sacrificium justitiæ est quod fit per pœnitentiam Quid enim justius, quam ut suis quisque potius quam alienis irascatur peccatis, seque ipsum puniens Deo mactet? an non sacrificium justitiæ opera justitiæ sunt post pœnitentiam: ut extincto vel infirmato vetere homine per pœnitentiam, sacrificium justitiæ secundum regenerationem novi hominis offeratur Domino cum se offert ipsa anima jam abluta, & imponit in altare fidei divino igne; id est Spiritu sancto comprehendenda*; Sacrificium quo quis offert Deo animam suam post pœnitentiam ablutam, & igne divini Spiritus accensam, est Deo gratissimum. *O inauditum Christiani pontificatus officium! quando homo sibi ipse est & hostia & sacerdos: quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus inquirit quando homo secum, & in se, & quod pro se est, Deo sacrificaturus importat.* Quando homo immolat corpus suum super mortificationis altare, jugulat peccata sua in pœnitentiæ foco, mactat animam suam justitia & sanctitate decoratam, offert virtutum opera, quibus meritum acquiritur & gloria comparatur.

Tert. l. adv. Iud. 4.
D. Aug. in Ps. 49.
Tert. ibid.
D. Aug. l. 15. Civ. 7.
D. Aug. l. 10. Civ. 5.
D. Aug. in Ps. 4.
D. Chrysol. Ser. 108.

CON-

CONCIO SEPTIMA.

Tertullianus *novum hominem*, *& nove natum ex Virgine*, nuncupat Christum: quia scilicet novo & inusitato modo & præter rerum ordinem natus est ex Virgine: [Lib. 5. adv. Marc. 17.] quanto enim mira sunt rariora, magisque ab humana possibilitate remota, tanto *majorem hominibus afferunt stuporem*. Inter omnia autem naturæ & gratiæ miracula, divini Verbi humanatio potissimum naturæ superat vires, mentisque humanæ excedit aciem: [D. Aug: Tract. 9 in Joan.] Idcircò vocitatur ab Apostolo *mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus*: [Colos. 1.] & à D. Cyrillo [In Joan.] Alexandrino vocatur *sacratissimum ænigma*; quod sapientiores quique mortalium solo lumine rationis enodare non valent: Imò neque ipsemet Joannes, etsi vox Verbi ineffabile illud Verbum potest explicare sermone. Quod innuere videtur ajens: (Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est; cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.) [Joan 1.] *Corrigia calceamenti est ligatura mysterii Incarnationis; calceata enim ad nos venit divinitas: Ioannes solvere corrigiam calceamenti non valet, quia Incarnationis mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hoc prophetiæ spiritu agnovit.* [D. Greg: Hom. 7. in Evang.] Adeò profundissimum & inscrutabile est Incarnationis Sacramentum, ut nedum intellectus humanus, sed etiam Angelicus illud attingere non possit. *Iesu in carne apparitio, & ineffabilis est sermone, & omni ignota intelligentiæ; ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primatui non satis perspecta.* [D. Dion: de Div. Nom. 2.] Nec mirum si sacratissimum illud ænigma sit hominibus & Angelis inenodabile, cùm tam obscurum & intricatum apparuerit Mariæ, in cujus utero adimplendum erat; quod cœleste illud minimè valens penetrare secretum, expostulaverit ab Angelo: Quomodo fiet istud? [In c. 1. Luc:] quia, ut expendit Hugo Cardinalis, *quod potuit concipere, capere non potuit*. Potuit concipere Verbum, Verbi humanationem capere non potuit, quæ est *novum omnium novorum*. [Petr. Dam. Serm: de Ann.] Et quia est necessaria connexio inter Christum & Deiparam. D. Ignatius Mariam appellat *cœleste prodigium, sacratissimum spectaculum*. [Ep. ad Joan.] Sanctus Ephren illam salutando totius orbis miraculum prædicat: *Ave præstantissimum universi orbis terræ miraculum*. [Orat. de Deip.] D. etiam Bernardus post enarrata plura naturæ miracula quæ quotidiano usu viluerunt apud homines, mentem suam ad Virginem convertens, præ stupore exclamat: *O nova miracula! ô verè novitas inaudita! Virgo peperit, & post partum inviolata permansit. Crescunt miracula: quæ generat & Mater & Virgo est: qui generatur, & Deus & homo est.* [Serm. 4. in Vit. Nat.] Ubique Deipara est admirandum mundi miraculum, cœleste prodigium, sacratissimum monstrum, inusitatum Angelis & hominibus spectaculum: præsertim in sua morte seu dormitione, resurrectione, gloria seu assumptione: Est namque in 1. Dormitione, naturæ miraculum: 2. Resurrectione, gratiæ miraculum: 3. Assumptione, gloriæ miraculum.

Tert. lib. de Pall: 2. Nihil est tam admirabile in mundo, quam quod sit *diversitatibus corporatum.* Unio namque rerum quæ sibi contrariæ & incompossibiles videntur, Trismeg. maximè nobis stuporem ingenerat, & mirandorum loco habetur. *Magnum miraculum est homo*; non solum quia in eo coadunantur tot mira, quæ in toto universo dispersa sunt; sed etiam quia in sua essentia ex anima & carne componitur, quæ sunt duæ partes naturas adinvicem contrarias habentes. Quod agnoscens Gregorius Nazianzenus ait: *Ipsi iidem maximi sumus & abjectissimi, terrestres & cœlestes, temporales & æterni, lucis heredes & caliginis.* Christus Dominus præstantissimum divinæ potentiæ opus & stupendum prorsus naturæ miraculum confœderat in semetipso divinas & humanas dotes infinite abinvicem distantes, quasque Philosophia repugnantes & incompossibiles prædicat: *Miscente in semetipso hominem & Deum; in virtutibus Deum; in pusillitatibus hominem.* Tertulliano arridens Chrysologus ineffabilem illam admiratur unionem. *Audistis inaudita ratione, in uno corpore Deum hominemque misceri*; ita ut idem Christus sit magnus & parvus, immortalis & mortalis, temporalis & æternus, & tamen, ut fatur Gregorius Nazianzenus, *temporis interstitio à Deo scindimur & dividimur: Deus enim æternus est, nos verò subdimur tempori æque ac cætera res creatæ.* In beatissima adhuc Virgine contrariæ uniuntur inter se qualitates: quapropter Tertullianus nuncupat *signum contradicibile, conceptum & partum Virginis Mariæ*: Neque solum reperitur in Maria admirabilis unio virginitatis & fœcunditatis, sed adhuc plura in illa conspiciuntur naturæ miracula. Annon magnum naturæ miraculum, quod nata sit ex matre sterili; & ut fatur Tertullianus, *femini stupida*? Annon magnum naturæ miraculum, quod in utero matris existens habeat rationis usum, *de Sophia occulta liberalitate collatum*? Annon magnum naturæ miraculum, quod *ipsa Cedrus, quæ crevit in Libano, id est Christo, & dum Christum ipsa genuit, quasi Libanus Cedrum produxit, & mons processit ex arbore, cùm Deus prodiit ex homine: hoc est novum & inauditum, quod Deus fecit super terram, ut Cedrus proferret Libanum, arbor montem.* Annon magnum naturæ miraculum quod absque virili concursu Virgo concipiat? Unde de conceptione Joannis ex sterili, & Christi ex Virgine sic fatur Tertullianus: *Aspice singulares conceptus, & quidem monstruosiores, sterilis & Virginis, quæ vel hoc ipso imperfectos edere potuissent, pro eversione naturæ, ut altera femini stupida, altera intacta.* Annon magnum naturæ miraculum quod Virgo non solum concipiat sed adhuc pariat absque ullo integritatis damno? Quapropter Virginis partum, in signum dedit Deus regi Achab ad ejus retundendam incredulitatem: [Sed & Virginem, inquiunt, parere natura non patitur; & merito, præstruxit enim fidem incredibili rei; dicendo quod signum esset futurum: signum autem à Deo nisi novitas aliqua monstruosa fuerit, signum non videretur: propterea, inquit, dabitur vobis signum: Ecce Virgo concipiet in utero & pariet Filium:] suamque servabit Virginitatem post partum non secus ac in partu: O *magnum Sacra-*

Marginal notes: Tert. l. 2. adv. Marc: 27. — Serm: 142. — Orat. 5. — Lib. de Car. Chr. 23. — L. de An. 26. — Tert. lib. de An: 25. — Richard. Vict. in c. 5. Cant. — Lib. de An. 26. — Tert. lib: adv Jud 9. — S. Zen. Ser. 2. de Nat. Dom.

Sacramentum! Maria Virgo incorrupta concipit; post conceptum Virgo peperit; post partum Virgo permansit. Tot naturæ miracula sunt prorsus in Virgine stupenda, sed non minori admiratione dignum, quod Maria moriatur 1. sine dolore: 2. absque dedecore: 3. ex amore.

Hoc igitur opus mortis separationem carnis atque animæ ediximus. Utrum autem separationem illam animæ & corporis passa sit beatissima Virgo, determinare non audet sanctus Epiphanius. [Quærant vestigia Scripturarum, & invenierint utique neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, aut non mortua; neque an sepulta sit, aut non sepulta. *Inde subjungit*: Non autem definio hoc, & non dico quod immortalis mansit, sed neque affirmo an mortua sit.] Cæteri verò Patres uno ore mortuam Virginem confitentur, ut ratione & convenientia comprobatur: Tum quia omnes Adæ posteri morti sunt mancipati. *Homo damnatur in mortem, ob unius arbusculæ delibationem, & pereunt jam omnes, qui paradisi nullum cespitem norunt.* Ab hac generali regula non est excepta Virgo: Tum quia Christus Dominus à lege moriendi non fuit immunis: sed verè mortuus est. *Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, ut mori posset*: Deipara autem Christo Domino conformari & assimilari debuit.

Tert. lib. de An. 52.
Hæres. 78.
Tert. l. 2. adv. Marc. 22.
Tert lib de Car. Chr. 6.

Mariam ex dolore mortuam unus asseverat Petrus Damianus: [At fortassè dicitur, quia beata Virgo, quæ sine dolore vitæ auctorem edidit, dolorem moriendo non sensit: Sed qua auctoritate eam quis in corpore non doluisse morientem: cujus animam pertransierit gladius adhuc etiam in carne manentem, præsertim cùm & ipse Mediator Dei & hominum moriturus dicat: Tristis est anima mea usque ad mortem?] Cæteri tamen Patres Virginem ex dolore mortuam constanter negant; sed ex violentia amoris decessisse unanimiter asseverant: Et forsan hic est dolor quem Virgini morienti adscribit Damianus: ea enim inest vis amori ut amantes faciat languere & ardentissimè febricitare. *Nec enim minorem febrem amoris esse dixerim quam caloris.* Non quod amans doleat ab amore, sed quod sauciat amor, sicut dolor. Mortem & dolorem inferentem, *bifariam distinxit humanus affectus: in ordinariam & extraordinariam formam, ordinariam quidem naturæ deputans, placide cujusque mortis; extraordinariam verò, præter naturam judicans, violenti cujusque finis.* Mariæ mors etsi fuerit extraordinaria, quia miraculosa, non verò quod acciderit per violentiam extrinseci alicujus agentis, martyriumque cruentum subierit. Itaque mors Mariæ fuit ordinaria, evenitque absque aliqua ulla Virginis molestia sive interna sive externa. Cæteri Adami posteri in fine vitæ trinam ut plurimum patiuntur miseriam. 1. Interna animi affliguntur tristitia: *O mors quam amara est memoria tua!* 2. Timore conturbantur ob commissa scelera, nescientes an dimissa sint necne. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* 3. Ægritudinibus & doloribus corporis torquentur: *dolor autem consumet illos antequam moriantur.* Beatissima autem Virgo in sua morte non fuit 1. aliqua animi anxietate afflicta, quia erat sanctissima, divinis

Opusc. 51. c. 5.
D. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.
Tert. lib. de An. 52.
Eccles. 41.
Ps. 48.
Eccles. 27.

consolationibus repleta: supernæque voluntati magis conformata quam Moyses cui Deus (Ascende in montem & morere ibi;) *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino.* Lectio Hebræa habet: *Mortuus est Moyses in osculo Dei*: Obiit Moyses quasi inter amplexus Dei, sine agone & dolore, imò maxima cum suavitate & animi tranquillitate. Neque 2. aliquo tremore conturbata. Quid enim timeret *quæ ita ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint?* Neque 3. aliquo dolore cruciata, quia magna cum lætitia *ad vocem dilecti sui, Veni dilecta mea, gaudens & ridens soluta est illa beata anima Virginis, & perrexit ad Dominum, & quæ dolori non subjacuit in partu, nec labori in transitu.*

Deuter. 34. — S. Ildeph. Ser. 3. de Assumpt.

Dolores ex morbis, morbi ex intemperie humani corporis procedunt. Distemperamentum autem inducunt vel ingluvies & crapula, vel calor vehemens, vel frigus intensum, vel metus repentinus, vel melancholia pertinacior, vel bilis copiosior, vel amor impotentior, vel reliquæ passiones & vehementes animi impetus, quorum omnium origo est peccatum: in Deipara autem nullum fuit peccatum, nullus inordinatus animi motus, nullum distemperamentum, idcircò ratione optimæ corporis complexionis, cum magna animi moderatione conjunctæ, in nullum unquam incidit morbum: (Dissonum rationi est, beatam Virginem ægritudinem aliquam passam esse; quia similis debebat credi filio per omnia.) Et ob hanc causam non indiguisse extrema unctione docet Albertus Magnus, quæ infirmis duntaxat administratur. Ex his constat Deiparam decessisse absque ullo dolore: Nam *sicut antequam ullo partus dolore afficeretur peperit, ita etiam ex vita discessus doloribus caruit.* Inde exclamat Damascenus: *O res summa admirationis plena, mors quæ odio & execrationi prius erat, hic commendatur, & beata censetur; quæ olim luctum & mœrorem lachrymasque & tristitiam afferebat, nunc gaudii & lætæ celebritatis est causa*; cùm beatissima Virgo mortua sit sine dolore, & efflaverit animam absque ullo dedecore.

D. Thom. 3. p. q. 14 a 3. — Cajet. to. 2. Opusc 13. de Psalt. Virg. — In Mariali. Cap. 74. — D. Damasc. Orat. 2. de Dormit. Virg.

2. [Qui primordia hominis novimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa: nam si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturæ adscriberetur; porrò, non in mortem institutum eum, probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, & arbitrio hominis addicens mortis eventum:] Quapropter Deipara subjicitur quidem morti non tanquam peccatrix, quia originale non contraxit delictum; sed alia de causa: Tum quia est Adæ filia, licet non criminosa: Tum quia Mater Redemptoris à qua Filius sumpsit carnem, passibilem & mortalem: Tum ut appareat Virginis naturam non esse Angelicam & immortalem ut voluerunt nonnulli hæretici apud D. Epiphanium: Tum quia in tempore nata; at *mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate.* Verum, ut acutè animadvertit Tertullianus, *forma moriendi causa nascendi est*; & quia est diversa causa

Tert. lib. de An. 52. — Hæres. 74. — Tert lib de Car. Chr. 6.

causa nascendi Mariæ & cæterorum Adæ nepotum, forma quoque moriendi debet esse diversa. Isti nascendo participant Adæ culpam; formam quoque moriendi participare debent: Maria vero ab originali peccato immunis non participat formam moriendi cæterorum. Aliud est mors, aliud est forma moriendi: Mors est communis Mariæ non secus ac cæteris, quia est Adæ filia: forma moriendi non est illi communis cum cœteris, quia hi sunt criminosi, & illa innocua. Forma moriendi Adami & cunctorum hominum qui in illo peccarunt, est probrosa, quia est pœna peccati quod contraxerunt in Adamo: Maria autem non peccavit in Adamo, & ita non sustinet mortem cum dedecore tanquam pœnam peccati.

Trina ratione subditi sumus morti. 1. Tanquam homines in tempore nati; *non enim mori solet, nisi quod nascitur.* 2. Tanquam filii Adam criminosi qui in pœnam peccati morti obnoxii sumus. 3. Tanquam Christiani, & membra, quorum caput Christus, mortuus est. Mors cujus subditi sumus præcise tanquam homines, vel tanquam Christiani non est probrosa; mors vero quam patimur tanquam hæreditarii rei, est probrosa. Maria habens naturam humanam, & intime adhuc conviscerata Christo, non est hæreditaria rea, & ita mortem mutuatur non à peccato Adami, sed à natura humana, & à Christo: proinde nullum patitur dedecus in morte, quia non moritur in pœnam peccati. Cæteri Adæ posteri ignominia mulctantur in nativitate, in vita, & in morte. In nativitate, quia nascuntur cum originali delicto; in vita, quia vivunt in peccato saltem veniali; in morte, cui subjacent in pœnam peccati: Maria nullo afficitur dedecore, neque in nativitate, quia nascitur sine originali culpa; neque in morte, quia non moritur in pœnam peccati, ejusque mors est duntaxat vel naturæ debitum, vel sacrificium amoris in quo vitam suam tanquam sacratissimam hostiam Deo offert.

Tert lib. de Car: Chr: 6.

Quod si Christus Dominus ignominiosam sustinuit mortem, fuitque *omni in honestate prostratus*, hoc ideo est quia obsidem pro peccatoribus se fecit, *ut livore ejus sanaremur, ut dedecore ejus salus nostra constaret.* Factus est pro nobis peccatum qui non fecerat peccatum: pœnam peccati pertulit ut peccati deleret culpam: & ignominiosa mulctatus est morte, ut suo dedore nobis compararet gloriam. Quapropter Marcionitas sic urget Tertullianus: *Totum denique Dei mei penes vos dedecus, sacramentum est humanæ salutis.* Marcionem quoque eorum patriarcham Christi passionem & mortem tanquam Deo indignam negantem redarguit. *Scelestissime hominum, parce unicæ spei totius orbis. Quid destruis necessarium dedecus fidei? quodcunque Deo indignum est, mihi expedit.* Verum etsi Christus in morte sit affectus dedecore, non sequitur quod ullum reperiatur in morte Deiparæ dedecus. Et ratio hujus discriminis est quia Christus redemptoris peregit officium, & pœnam peccati sustinuit. Beata autem Virgo non egit officium redemptricis, idcirco mortua sine dedecore. *Fateamur necesse est eam decessisse reginam, cui nihil ex lenocinio sexus, ad honestatis periculum subrepsit: in ea præter virtutem, nihil virtus invenit:*

Tet. l. adv. Jud: 14. Tet: l. 4. adv Marc: 21.

Lib 2. adv. Marc 27.

L. de Carn. Chr. 5.

Hildeb. Epist. 42.

Ideo emisit Spiritum non in pœnam peccati, sed ex ardore charitatis.

Tert lib. de An: 52.

3. *Varii exitus mortis; ut est multimoda conditio causarum*, multi enim doloribus cruciati efflant animam, plures variis aliis modis: illi *præ gaudio, ut Chilon Spartanus, dum victorem Olimpiæ filium amplectitur*: isti *præ gloria, ut Chidemus Athenienfis, dum ab histrionibus ob præstantiam auro coronatur*, nonnulli *per somnium, ut Plato*; alii *per risum, ut Publius Crassus* Maria ex amore exhalavit spiritum. Aliud est mori in charitate, aliud mori pro charitate, aliud mori ex charitate. Mori in charitate, est efflare animam gratia habituali sanctificatam, & habitu charitatis informata; mori pro charitate, est pro Dei amore dare animam suam; mori ex charitate est violentia charitatis emittere spiritum. Omnes justi in justitia & sanctitate decedentes, moriuntur in charitate; cuncti Martyres pro Dei amore martyrium sustinentes excellentemque actum charitatis elicientes moriuntur pro charitate, *dilectio hominem martyrem excudit*. Beata autem Virgo mortua est in charitate, & ex charitate. Ut enim refert D. Hieronymus, *cum novis quotidie cremaretur ardoribus & ad filii sui clatissimum & indeficientem intuitum, affectuosissime suspiraret, in tantum evasit flamma incendium, ut ardori cedendum rata, ferventissimam in amore animam amatori suo reddiderit*.

Tert. Tet. Scorp. 6. Ser. de Assumpt.

Tet. Prædic. to. 1. Tra de Perfect An. Con 6.

Aliorsum demonstratus est modus, quo sanctissimam animam exhalavit Deipara, Christiane, vide ea quæ ibi dicta sunt. Nunc animadverte beatam Virginem posse considerari sub trino temporis spatio; 1. ab exordio suæ conceptionis usque ad Annuntiationem: 2. ab Annuntiatione usque ad Christi passionem: 3. à Christi passione usque ad obitum suum, & ubique est *athna charitatis*, ardentissimo Dei flagrans amore. Magnus sane amor quo Deum amavit Maria ab initio suæ conceptionis usque ad Annuntiationem Angelicam: *Quemadmodum stellæ sunt minores facula & velut scintilla ad solem, imo penitus se abdunt cum sol adest: ita Virginis divina charitas, ad cæterorum omnium Divorum collata, velut sol inter minora sidera*. Amor quo Virgo Deum amavit ab Annuntiatione Angelica usque ad Passionem, est major amore quo æstuavit ab exordio Conceptionis: Nam ut fatur D Bernardus, *sagitta electa est amor Christi, qua Maria animam non modo confixit, sed & pertransiit, ut nullam in pectore Virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret*. Præsentia Christi infinite amabilis adeo Deiparæ cor replebat amoris incendio, ut nihil in eo vacuum relinqueret, nihil inane: Tandem maximus fuit amor Mariæ à passione Christi usque ad ejus obitum: *Superat omnes omnium rerum creatarum amores & dulcedo amoris illius Virginis in Filium suum, & dulcedinis immensitas qua exultabat, & liquefiebat anima ejus in eundem Dominum*. Quemadmodum rosæ aut violæ solis ardore emorientes suavissimum exhalant odorem: sic Deipara vi ferventissimi desiderii, & amoris intensissimi fragrantem & benevolentem expiravit animam.

Jo Damasc Ser. de Assum Virg.

Serm. 14, in Cant.

D. Ansel: de Excell: Virg Cap. 4.

Serm. 2. de Dorm Vir.

3. Sanctus Joannes Damascenus trinam discriminat mortem: peccatorum scilicet, justorum, & Deiparæ: *Mors peccatorum pessima. Pretiosa in conspecta*

conspecta Domini mors sanctorum ejus;pretiosior quoque Matris migratio. D.Bernardus D.Damasceno assentiens ait: *Pessima quidem mors peccatorum, quorum & nativitas mala, & vita pejor*; & finis infœlicitas & damnatio. *Pretiosa est mors Sanctorum, pretiosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoria consummatio,tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.* Pretiosior Mariæ migratio, non tantum in conspectu Discipulorum & Apostolorum, qui ex diversis mundi partibus sunt divinitus congregati,ait Metaphrastes, *ut venerandum ejus corpus mandarent sepulturæ*: sed etiam in conspectu Domini, qui ut morienti adesset Matri, & ejus animam exciperet, de cœlo descendit. Mors peccatorum pessima, quia in peccato viventes in peccato morientes, post mortem interminabilem patiuntur pœnam. Mors justorum pretiosa, seu, ut legitur in Hebræo *gloriosa*: quia in charitate viventes, in charitate morientes: *Mors ipsa dilectis Domini somnus refrigerii est*; *Propheta attestante, qui ait*: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Pretiosior Deiparæ mors, quæ vivens sine ullo peccato,in charitate semper existens mortua est ex vehementissimo Dei amore, & tanquam gratiæ miraculum præpropere resurrexit.

Ser.in Transitu S. Malachiæ. Psal. 115.

Erga Deiparam Deus *miraculis operatur*, non solum quia illam effecit naturæ prodigium,sed adhuc gratiæ miraculum: Tum quia non in peccato,sed in sanctitate concepta est: Tum quia fomite peccati caruit: & ut fatur Hesichius, *nunquam Mariam concupiscentiæ fumus attigit*: Tum quia admirabilis ejus pulchritudo, non ad lasciviam sed ad pudicitiam alliciebat: *Tanta erat Maria gratia,ut non solum in se virginitatem servaret, sed etiam si quos inviseret integritatis insigne conferret.* Tum quia post obitum corpus ejus fuit à corruptione immune: & ut fatur Bernardinus Senensis,*fuit sine tertio væ, scilicet pœna, in separatione animæ & corporis, quæ est incineratio & corporis dissolutio*: Tum quia præpropere resurrexit neque finem temporum ad corporis resurrectionem expectavit: *Sacratissima caro ex mortuis jam resuscitata, expedita & spiritualis effecta est, utpote ad omnem immortalitatem & incorruptionem jam transformata*; & hæc corporis incorruptio & anticipata resurrectio debebatur Mariæ 1. virginitati: 2. maternitati: 3. charitati.

II. PARS. Tert.lib.de Idol 9. Hom: 2. de Deip. D.Ambr. L. de Instit. Virg cap.7. To.1.Ser.52 a.1.c.1. S. Ger. Ho. de Dormit. Virg.

1. *Abhinc enim definimus carnem quidem omni modo resurrecturam, atq; illam ex demutatione superventura,habitum angelicum suscepturam.* Loquitur de corporibus justorum Tertullianus in fine sæculi immutandis, & ex illa demutatione habitum angelicum,nempe incorruptibilitatem & immortalitatem suscepturis. Verum *expectandæ resurrectionis solatium* obtinuit Virgo triduo post suum obitum: *Quemadmodum illud sanctum & corruptionis expers corpus quod Deus Verbũ ex ea personaliter sibi copulavit,tertio die è monumento exurrexit; sic etiam hanc à tumulo arripi,par erat.* Ut sicut Christus triduo manens in sepulchro fuit à corruptione immunis; ita Virgo tribus diebus tumulata nulla corruptione fuerit affecta: Unde postquam D. Augustinus de Christo dixit, *nullã perpessus est corruptionem*; illico subjungit de Maria: *Quid ergo si dicimus Mariam humanæ*

Lib.de Res. Carn.42. Tert.lib de An. 55. Dams Ora. 2.de Assum. Serm. 2. de de Assum.

humana fortis mortem subiisse, nec vinculis ejus retineri: si voluit integram matrem cum Virginitatis servare pudore; cur non velit incorruptam à putredinis servare fœtore? Moritur Maria, in illa mors fuit non admissi pœna delicti, sed naturæ conditio, supernaturaliter tamen Deus qui integram matrem servavit cum virginitatis pudore, à putredinis etiam fœtore servavit incorruptam. De illa præservatione, Mariæ congratulatur Cosmas: *Tu sacra & casta Virgo, quæ prater natura ordinem, Deum enixa & clara victoriæ simbola deferens, illumq; qui te genuit æmulata, super naturam, naturæ legibus concedis. Nam & moreris, & mortuo cum filio denuo exsuscitaris, in omnem victura æternitatem.*

Ter à corruptione supernaturaliter præservata est Maria, 1. in sua Conceptione præservata fuit à corruptione peccati originalis: 2. in maternitate sua præservata est à corruptione virginitatis: 3. post mortem in sepulchro præser-
Glicas 3. vata est à putredine & corruptione corporis; *Tametsi Virgo mater naturæ legi-*
part. Annal. *bus fuit annexa, tametsi ut homo in sepulchrum est deposita: naturæ tamen fines atque terminos superavit & excessit; nec sepulchrum, nec mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam & ipsa de sepulchro resurrexit, prorsus uti filius ejus, idemque Deus etiam fecerat solis sepulchralibus exuviis in monumento relictis.* Cum hoc tamen discrimine quod Christus propria virtute surrexit, Maria verò non propria virtute, sed ex Dei gratia super naturæ leges est à corruptione corporis exempta, & immortalitate donata. Festinata illa resurrectio, etsi superna-
D. Aug. Ser. 4. de Assumpt. turalis, fuit tamen conveniens Mariæ; Tum ratione divinæ maternitatis: *Putredo namque & vermis humanæ est opprobrium conditionis, à quo opprobrio cùm Iesus sit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Iesus de illa sumpsisse probatur:*
Albert: in Mar. c. 172. Tum ratione Immaculatæ Conceptionis; *In peccato enim duo sunt, scilicet aversio à bono incommutabili, & conversio ad bonum commutabile, istis respondent duo in pœna; quia anima avertit se à sua vita, & incidit in necessitatem aversionis à corpore, cujus ipsa est vita, ex conversatione autem ad nihilum incidit in necessitatem redeundi in quasi nihilum, id est in pulverem: sed beatissima Virgo conversa non fuit actualiter ad quasi nihilum; ergo non debuit incinerari:*
Damasc. Orat. 1. de Dormit. Virg. sed animæ suæ reuniri. *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cœlestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est; sed cùm esset animatum cœlum, in cœlestibus tabernaculis collocatur.* Fuit autem animatum cœlum in quo tota Trinitas requievit in sua conceptione, in qua
Germ. Constant. sanctificata est: Tum ratione virginalis integritatis: *Corpus tuum virgineum omninò sanctum est & humanum quidem; sed quod ad summam immortalitatis vitam pervenerit, adeoque integrum sit, & absolutè vivum.* Ratione virginitatis, Mariano corpori immortalitatem tribuit Germanus Constantinopolitanus Antistes. Prætereundus non est Gregorius Nyssenus acutè animadvertens mortis tyrannidem usque ad Virginem grassatam esse, in Virgine verò fuisse
Orat. 13. de Virginit. contritam: *Neque enim fieri poterat ut hominum genere à nuptiis procreato mors unquam cessasset: sed superiores omnes hominum ætates prætergressa, cum his etiam qui hanc vitam ingrediuntur, simul jam illa percurrens, virginitatem*

muneris

muneris tui terminum invenit: quæ porrò transilire difficile est, tanquam Dei Matris Maria tempore ab Adamo usque ad eam regnum mors obtinuerit, posteaque sola efficit, ut cùm tanquam ad lapidem aliquem virginitatis fructum mors offenderit in ea contrita sit. In Mariana virginitate contrita est mors; non quod Deipara mortua non sit, non secus ac Christus virginitatis fructus; sed quia mors quæ cunctos retrò homines via communi generatos corruptioni & putredini subjecit, nullum imperium in Christum & Virginem exercuit.

Corpora justorum post resurrectionem nuncupat Tertullianus, *carnem reformatam & angelificatam*; quia corpora quæ in hac vita fuerunt materialia & corruptibilia, transmutabuntur *in statum angelicum per indumentum illum incorruptibilitatis.* Virgines autem etiam in terris cœlestem Angelorum possident statum; quod illis eloquenter declarat D. Cyprianus. *Quod futuri sumus jam vos esse cœpistis: vos resurrectionis gloriam in isto sæculo jam tenetis: per sæculum sine sæculi contagione transitis; cùm castæ perseveratis & Virgines, Angelis Dei estis æquales.* Quod si cæteræ Virgines integritatem mentis & corporis servantes, sunt æquales Angelis, & ut fatur Tertullianus, *sic æternum sibi bonum, donum Domini occupaverunt; ac jam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur*; nonne de familia angelica deputanda est Deipara, Virgo virginum, quæ ineffabili prorsus mysterio in semetipso maternitatem cum virginali integritate conjunxit? *Dei Mater fuit Virgo post connubium, Virgo post conceptum, Virgo post Filium. Si esset aliquid virginitate melius, Dei Filius potuerat hoc Matri suæ præstare, cui præstiterat ut divinæ virginitatis polleret honore*: Quid enim potest esse melius divino? virginitas autem est divina, cùm prima Virgo sit ipsa sanctissima ac divina Trinitas. Sublimi virginitatis honore nobilitatur Maria, quam sic ad Filium loquentem inducit D. Augustinus: [Ego te filium generavi & virginitatem meam non violavi. Regnum teneo Virginitatis, & regem genui castitatis. Ingredientem & egredientem habui in palatio ventris filium Imperatoris, & de manibus meis non amisi clavem regni pudoris. Porta facta sum cœli, janua facta sum filio Dei.] Quod si virgines de familia angelica deputantur, nonne conveniens fuit ut Deipara quæ cunctas virgines in puritate longè superat, quæ vivens angelicam incorruptionem æmulata est, post mortem corruptioni non esset obnoxia, sed festinate resurgens transferretur *in angelicam qualitatem & sanctitatem*? Hoc argumento à putredine Mariæ corpus vindicat Damasc. & immortalitatis honore commendat. *Non in morte manet, nec corruptione dissolvitur: nam cujus in partu virginitas incolumis mansit, eadem è vita migrante, ita conservatum est, ut non dissolutum sed ad præstantiorem & diviniorem vitam translatum sit.* Festina illa resurrectio, & ejusmodi incorruptibilitatis habitus, decebat virginalem Mariæ puritatem, & divinam ejus maternitatem.

Lib. de Resur. Carn. 26. Tert. lib. de Res. Car. 51. Lib. de Disc. & Hab. Virg. Lib. 1 ad Ux. 4. S. Zen. Ser. 1. de Nat. Dom. Serm. 16. de Temp. Tert. l. 1. ad Ux. 1. Orat. 1. de Dormit. Mar.

2. *Nihil resurgere spectabit, nisi quod ante succiderit. Qui ignorat carnem cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitam.* Cùm resurrectio sit suscitatio ad vitam, resurgere nequit nisi quod mortuum est: & Tert. lib. de Res. Car. 18.

quia mors in separatione animæ & corporis sita est, per resurrectionem denuo anima unitur corpori à quo separata fuerat per mortem. *Credimus quod post mortem Maria resuscitata fuerit & in cælum deportata.* Credimus etiam quod mortua fuerit, & corpus ab ejus anima separatum in sepulchro tumulatum.

D. Thom. Opusc. 8.

Memores conditionis humanæ Mariam mortem subiisse temporalem dicere non metuimus, quam idem ejus Filius, qui Deus & homo est, legem sortis humanæ sustinuit; & hoc, quia homo de ejus susceptus & profusus est utero. Debuit mori Maria, debuit quoque resurgere: mors illi fuit debita velut Adami filiæ, resurrectio illi conveniens, tanquam Deiparæ: mors ad illam descendit per continuam à prima parente successionem, vita ad illam ascendit per vivifici Filii generationem. *Vt filiæ veteris Adam, veterem sententiam subiit: nam & ejus Filius, qui est vita ipsa, eam non recusavit; ut autem Dei viventis Mater, ad illum ipsum dignè assumitur.* Verum licet mortua sit Maria tanquam Adam filia, ut Dei Mater à morte absorpta non est, neque ejus caro putredine consumpta. [Quonam pacto mors absorbebit? quonam pacto infernus excipiet? quonam pacto, corruptio corpus illud, quo vita suscepta est, aggreditur? Abhorrent omninò hæc, atque aliena sunt à deifera illa anima & corpore. Ipsius enim aspectum mors quoque ipsa pertimuit: siquidem ipsius Filium adorta, ex his quæ pertulit, erudita, periculoque facta prudentior reddita est.] Christum adorta est mors, illum corrumpere & in putredinem convertere tentans; verum à Christo detriumphata fuit; siquidem Dei Filius mortem quæ eum mordere ejusque corpus corrodere tentavit, momordit & profligavit, gloriosè de tumulo resurgens: quapropter mors ab eis quæ à Filio pertulit prudentior facta, corpus Matris aggredi & per vermes rodere minimè ausa est.

D. August. Damasc. Orat. 2. Dormit. Virg. Damasc. Orat. 2. de Assumpt.

Indecens erat ut Christi caro quæ Verbo erat hipostatice unita corruptioni subjaceret: Nam ut Regius Vates decantat: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quodnam est illud Sanctum, nisi Dei Filius, cui sanctitas essentialiter competit, quique corpus sibi personaliter uniens sanctum illud effecit? Sanctum autem non videbit corruptionem, qui vider vivit, videre namque actus est; cadaver pabulum vermibus subministrans, corruptionem non videt: quomodo enim cùm putridum sit, neque ullum vitæ actum habere denotetur? Christi corpus in sepulchro depositum videt corruptionem; quia licet ab anima separatum, est tamen inseparabiliter unitum Verbo divino viventi & vivificanti. Ex Bernardino autem Senensi, *sicut non dedit Dominus Sanctum suum, id est Christum, videre corruptionem; sic nec sanctam suam, de qua natus est Sanctus; sed corpore & anima in cælum assumpta est.* Cum hoc tamen discrimine quod non decet Sanctum videre corruptionem, ob unionem hipostaticam corporis dominici cum Verbo divino, non decet autem Sanctam seu Deiparam, videre corruptionem, non ob unionem hypostaticam, quia ipsa non est unita personaliter Verbo, sed ob unionem Marianæ carnis cum carne Christi divino Verbo hypostaticè unita, cum qua ita *adglutinatur, ita concarnatur & conviseeratur*, quod ex Arnoldo Carnotensi *una est Maria & Christi caro*,

Ps. 15

Tom. 1. Ser. 52 a. 1. c. 2.

Tert. lib. de Car. Chr. 20.

caro. Unitas divisionem non recipit, non secatur in partes; & licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest: Atque adeò Filii gloriam cum Matre non tam communem judico quam eandem. Ex intima illa unione Marianæ & dominicæ Carnis, rectè colligit Petrus Blesensis Mariæ corpus, etsi ab anima separatum, fuisse à corruptione immune. *Mater & Filius sunt una caro. Indecens videri debet si altera pars carnis virgineæ sit in cælo; & pars altera reddatur solo: si parti alteri datum sit non videre corruptionem, & altera solvatur in cinerem.* Mariæ caro dimidium à morte abstulit imperium; mortem vidit, corruptionem non vidit. Indecens enim erat ut caro virginea Christo agglutinata, concarnata & conviscerata, videret corruptionem. Et ob hanc causam Angelus Incarnationis nuntius, Sanctum de quo fuerat vaticinatus David, (non dabis Sanctum tuum videre corruptionem) & Deiparam, in dictione sua commiscuit, ajens: *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei*, ne à corruptione immunis non censeretur Deipara; sed sicut Dominus non dedit Sanctum, id est Christum, videre corruptionem; ita non dedit Sanctam, scilicet Mariam, videre corruptionem.

Lib. de laud Virg.

Serm. 1 de Assumpt.

Luc. 1.

Et ejusmodi immunitas à corruptione, tanto potiori jure decebat Virginem, quod Christus, quatenus ejus Filius, ab hoc humanæ naturæ dehonestamento videtur exemptus. Profectò illustre esset Mariæ encomium, quod immunitas corporis Christi ab horrore putredinis, & vermium squalore, debeatur Salvatori, tanquam incorruptæ Virginis filio; hoc tamen innuit D. Bernardus expendens istud Davidicum: (Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem:) Postquam enim dixit: *Haud dubium quin de corpore dicat, quod in sepulchro jacebat exanime; hoc enim sanctum & Angelus, qui nuntiavit Virgini, locutus est dicens: & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* statim subjungit: *Quo ergo pacto Sanctum videre poterat corruptionem, quando de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiam avidos Angelorum in se figi possit obtutus insatiabiliter oblectandos.* Deipara quodammodo dominicæ Resurrectionis negotium partitur cum Patre Deo: non subjacet Christus putredinis squalori, quia Dei Patris est Filius, Christus incorruptus gloriosè resurgit, quia etiam Virginis Filius est: itaque cum beatissima Virgo sua puritate, sit quodammodo causa ob quam Christi caro non fuerit putredine consumpta, qua ratione virginea Mariæ caro tradetur corruptioni? Quocirca Germanus Constantinopolitanus sic Virginem alloquitur: *Ideoque & corpus tuum quo Deum velut hospitio excepisti, sanè par erat nulla corruptione involvi, sed & sepulchrum velut hominis propriam messem suscipere, ac te viventem in cælestem domum in vitam traduci, invisibili ejus virtute qui ex te Virgine natus est Dominus Deus noster.* Sigillatim dinumerat Germanus, cuncta quæ in Dormitione, Resurrectione, & Assumptione Virginis facta sunt: Deipara enim tanquam Adami filia mortua est, deinde tanquam hominis messis corpus ejus in sepulchro susceptum est, tandem nulla corruptione involutū est; sed invisibili Domini virtute in cælestem domum in vitam traductum est virgineum illud Corpus, quod Dei

Serm. 75. in Cant.

De Dormit. Virg.

Verbum exceperat hospitio. Similibus ferè verbis Virgini congratulatur Damasc. [Non anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit, non corpus illud immaculatum; ac labis omnis expers in terra relictum est; verum in cœlo ac regiis sedibus, tu Regina ac verè Mater & Genitrix deposita es] Principum corpora deponuntur ad breve tempus ut editis postea monumentis marmoreis tumulentur & in pace quiescant. Immaculatum Deiparæ corpus corruptionem non vidit, nec in terra relictum est, sed postquam triduo in sepulchro depositum fuit, *in cœlestia transpositum & à Deo assumptum* est, ibi æternaliter permansurum. Quo alludere videtur Regius Vates Christo decantans: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua.* Ubi duo innuit Propheta: Unum, quod caro conservata in sepulchro sanctitate quam etiam in utero Virginis habuit resurrectionem maturavit. Aliud, quod beata Virgo arca sanctificationis, post resurrectionem Domini, nequibat in monumento permanere. Licet enim Christi resurrectio Marianam præcesserit resurrectionem, cœpit tamen in resurrectione sanctissimi Domini resurrectio arcæ sanctificationis ejus. [Dicatur, Deipara, mors tibi subjecta: quia vitam mortalibus protulisti: dicatur, sub te sepulchrum, quando sublimitatis inexplicabilis divinum facta es fundamentum: dicatur sub te egesta tellus: figura es etenim, quando materiæ ex limo corruptæ, Domina vocaris.] Quando Virgineum Mariæ sepelitur corpus, quando funestatur, & ad telluris viscera detruditur, tunc egestam tellurem calcat, materiæque ex limo corruptæ Domina gloriosius apparet, terræ sinus privilegio resurrectionis evacuans suo corpore: unde de Maria quam terram nuncupat, sic fatur Richardus à Sancto Laurentio: *Extrema hujus terræ dici possunt conceptio carnalis, & mors corporalis: à primo extremo excussit fomites et motus pravos in sanctificatione: ab ultimo extremo excussit putrefactionem, vermem et pulverem in resurrectione.* Virgo in sua conceptione exempta à corruptione peccati eximi debuit à corruptione corporis: anima Virginis in exordio sanctificata corporis sui auspicata est resurrectionem; Maria quæ est arca sanctificationis, assurgere debuit in cœlestem requiem. Maria quæ fuit *animatum Dei templum, natura illius incomprehensibilis capacissimum receptaculum*, debuit præpropere resurgere. *Tanta sanctificatio dignior cœlo est, quam Terra. Thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum Christi, dignum est ibi esse, ubi ipse ist jam: pretiosum enim thesaurum dignius est cœlo servari, quam terra: tantam integritatem merito incorruptibilitas, non putredinis aliqua resolutio sequitur.*

Orat. 1. de Dormit. Mar.

Andr. Cret. Encom. de Dormit. Virg. Ps. 131.

German. de Dormit. Virg.

Lib. 2. de laud. Virg.

Gregor. Thaumat. Ser. 3 de Annunt. D. Aug. to. 9 l de Assumpt.

Eucharistiam nuncupat sanctus Ignatius: *Mortis antidotum*; eandem vocitat Concilium Nicenum, *symbolum resurrectionis*: quia scilicet in illa continetur *caro vivificans, et interitum prorsus expellens*: nimirum Christi caro, quam in sacris Mariæ sumpsit visceribus. Nam ut philosophatur sanctus Bernardinus Senensis, *substantia panis transubstantiatur in solam substantiam carnis, non in divinitatem, nec in animam; et ut exprissimus magnificem illam dignissimam et beatissimam carnem de Virgine gloriosa decisam, dico quod tanta infinitate nobilitatis eam dignificavit Altissimus,*

Epist. ad Ephes. Cyrill. Alex. l. 3. in Joan. 17. Tom. 1. Serm. 31.

ſimus. Subſtantia panis in Euchariſtiæ ſacramento, non tranſubſtantiatur in divinitatem Verbi; neque adhuc in animam Chriſti, ſed in carnem quam mutuavit à Virgine, *quæ ipſam Sapientiam ſecundum carnem genuit; totam ſeipſam tanquam menſam myſticam, cœleſtemque paravit*, ob communionem carnis Mariæ, & carnis Chriſti in Sacramento. Sicut corpus Chriſti quod continetur in Euchariſtia, dicitur corpus dominicum, ita Mariæ caro prædicatur ab eodem Andrea Cretenſi corpus dominicum, quod nequaquam debet eſſe corruptioni obnoxium. *Te nequaquam poteſt habere ſepulchrum; corpus enim dominicum non decent ea quæ intereunt.* Quomodo enim virginea caro erit obnoxia corruptioni, quæ interitum prorſus expellit; & quid obſtat quin citius reſurgat, cum ſit caro vivificans, & ſimbolum reſurrectionis? Andr: Cret Hom: 2. de Dorm. Vir.

[Quod veſtimenta & calceamenta filiorum Iſraëlis quadraginta illis annis indetrita & inobſoleta manſerunt: Quod Babilonii ignes, trium fratrum, nec thiaras, nec ſarabatha, quamquam Iudæis aliena, læſerunt: quod Ionas devoratus à bellua maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo poſt incolumis expuitur: quod hodie Enoch & Elias, nondum reſurrectione diſpuncti, quia nec morte functi; quia tamen de orbe translati, & hoc ipſo jam æternitatis candidati, ab omni vitio, ab omni damno, & ab omni injuria & contumelia, emunitatem carnis ediſcunt, cuinam fidei teſtimonium ſignant, niſi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis eſſe documenta?] Iſraëlitici populi veſtes per annos quadraginta in deſerto non ſunt attritæ, ut incorruptæ viderentur, crederenturque à corruptione immunes, Deo ita diſponente. Per thiaras & ſarabatha quæ non attigit ignis Babylonicus intelligit pallia & clamides, quibus pueri induti erant: Quod ſi Deus Iſraëlitarum veſtes tot annis ſervavit incorruptas, quanto Marianæ *carnis magis utique conſervatorem* agnoſcere debemus Deum? Si tres pueros in fornace Babylonica cuſtodivit illæſos, *ut & Dominum potentiorem credamus omni corporum lege*; quanto magis potentiam ſuam erga Deiparam demonſtravit, ſervando corpus ejus à corruptione cui erat obnoxium ob generationem ab Adamo mutuatam? Jonas poſt triduum à ventre ceti egrediens incolumis, figura fuit non tantum dominicæ, ſed etiam Marianæ Reſurrectionis poſt triduum factæ: Enoch & Elias de orbe translati, ab omni vitio, ab omni damno, ab injuria & contumelia, carnis ediſcunt emunitatem. Non dicit Tertullianus immunitatem, ſed emunitatem, ne diverſæ cujuſdam ſubſtantiæ conditionem illis tribuere videretur, quaſi ex naturæ ſuæ qualitate ab omni labe immunibus, ſed eos jam emunitatem carnis diſcere ait, quaſi jam exemptos de communi & priſtina illa naturæ humanæ conditione: Enoch & Heliæ emunitas Marianæ emunitatis præbet documenta: Deiparæ corpus, non in fœlici aëris temperie, non in inoffenſa paradiſi regione deponitur, ſed intra terræ viſcera: & tamen nec à verme pungitur, nec à proprio pulvere aſpergitur; nec in cineres redigitur; ſed parvo interſtitio floridum & incorruptum reſurgit. Tert lib de Ref. Carn: 58. Tert. ibid. Tert. Tert: lib: de An: 55.

Quo jam tunc Patriarchæ & Prophetæ, appendices dominicæ reſurrectionis ab inferis migraverint. In Evangelio nam (legimus quia multa corpora Sancto- Sophr. Ser. de Aſſum.

ra Sanctorum qui dormierant, surrexerunt & venerunt & in sanctam civitatem: de quibus profecto nonnulli Doctorum senserunt, quod jam in illis completa sit perfecta resurrectio; fatentur enim quod veri testes non essent, nisi & vera esset eorum resurrectio.) Inde concludit Sophronius: *Quod quia Deo nihil est impossibile, nec non de beata Virgine factum abnuimus.* Præsertim cum miraculosam illam corporum resurrectionem Crysippus Hierosolimitanus presbyter tribuat Mariæ, *quæ genuit hujusmodi miraculorum opificem.* Neque solum tribuitur Virgini terræ motus, petrarum scissio, monumentorum apertio, mortuorum resurrectio, aliaque miracula, quæ acciderunt moriente Domino, sed etiam Patriarcharum & Prophetarum liberatio, quorum animas eripuit Christus ab Abrahæ sinu, corporibus propriis univit, ut tanquam suæ resurrectionis appendices sequerentur illum ascendentem in cœlum; *Per te ô beata Virgo mors conculcatur, & spoliatur infernus.* Quod si Christus suscitavit Prophetas ut eos secum duceret tanquam resurrectionis suæ appendices, quanto magis Matrem suam revocavit ad vitam, cum illi horum tribuatur resurrectio?

Hom. de S. Mar.

S. Epiph. Ser: de laud Virg.

Petrus Cellensis de die Paschatis loquens Christum Dominum suscitatum à mortuis diversis virtutum coloribus variegatum repræsentat: (Aliquid de Paschate prosequar quasi quendam pannum pretiosum, & multicolorium de divinis thesauris assumens: siquidem hic pannus, id est pascha, in exteriori facie plurimum nitoris exhibet, sed valde ampliora intrinsecus continet, & cariora pignora. *Rubet igitur purpureo colore propter passionem, rutilat hiacintina specie propter resurrectionem, subobscurus est propter sputorum, alaparum, & flagellorum, & cæterarum injuriarum coacervationem; albet unica nube propter innocentiæ integritatem, & peccati immunitatem.* Multicolor in resurrectione Christus, multicolor adhuc in sua resurrectione Maria, quæ conspicitur circumamicta varietate, variegataq; permanet ad primitias vitæ immortalis: *Eaque nunc ut regina assistens à dextris Filii ubique regnantis, quasi in vestitu deaurato incorruptionis & immortalitatis circumamicta & variegata, non quidem secundum spiritualem simplicitatem, aut quasi sine corpore & carne assistat; sed quod induta sit, quantum spectat ad sanctissimam ejus carnem incorruptibilitate immortalitate:* Quod sacer innuit Sponsus aiens ad Sponsam: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrorum cedrina, laquearia nostra cipressina.* 1. Florentem præmittit lectulum, versicoloribus floribus, & suaveolentis herbis decoratum: 2. Tigna domorum prodit in plurali, quia licet una Matris & Filii ex virgineæ generationis commercio, caro in lectulum floridum deponatur, sunt tamen duo corpora, non puttedine corrupta, sed incorruptione nitentia: 3. Domorum tigna dixit, non ex campestribus lignis fabricata, sed cipressina Cipressus namque incorruptionis simbolum, denotat Christi & Deiparæ corpora esse incorruptione & immortalitate donata. *Domus hæ intelliguntur corpus Christi, & corpus Virginis, tigna domorum, substantia corporum, quæ dicuntur cedrina, id est imputribilia: cedrus enim imputribilis est.* Sepulchrum

Lib. Epist. II.

D. Athan.

Cant. 1.

Alanus.

Christi

Christi & Virginis non devenustatur putredine, sed florum ornatur nitore, non scatet vermibus, sed charisinatibus, sed pretiosis unguentis suavem exhalat odorem. Quapropter Mariam sic alloquitur Andreas Cretensis: *Quodnam sepulchrum te teget? quibusnam unguentis unguent tuum corpus odoriferum, impollutum, & plenum sanctificatione; ex quo scatet remissio, ex quo manat immortalitas, ex quo est Deificatio, in quo est perfectio?* Sepulchra fœtere solent, tristitiam afferre, scatere vermibus; quia verò Mariam culpa non momordit, nec etiam culpæ appendix posthumus fœtor invasit, ejus tumulus non scaturit vermibus, non saniem & tabem eructat, sed flores odoriferos, unguenta suaveolentia spirat, incorruptionem redolet. Nec mirum si sapiat immortalitatem quæ fuit Dei immortalis thronus & hospitium. Ex hac throni prærogativa infert D. Augustinus, Mariam illico cum corpore cœlos penetrasse; ut ibi esset thronus, ubi Deus Filius; ibi thalamus, ubi sponsus; ibi domus, ubi incola: *Possidens in Christo corpus suum quod genuit, clarificatur in dextera Patris. Et quare non suum, per quod genuit? Verè credo, & quod genuit: quia tanta sanctificatio dignior cœlo est quam terra, thronum Dei, thalamum Domini, domum atque tabernaculum Christi, dignum est ibi esse, ubi ipse est.* Tot conglobatæ rationes probe demonstrant resurrectionem debitam fuisse Virginis maternitati, restat ostentandum convenientem fuisse Marianæ Charitati.

Hom. 1. de Dormit. Virg.

Serm. de Assumpt.

3. *Vti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Nullum amore nobilius genus mortis, sauciat suaviter, deliciosè cremat, tumulat dum enecat, sacrificat dum comburit, & flammis pereuntem, lucidiorem reddit dum extinguit. Hoc genus mortis apparet in Phœnice in igne moriente & resurgente; non cadit sed volat avis, quæ moritur in flamma; nullum est ab igne cadaver: *Multu passeribus antistare nos Dominus pronuntiavit, si non & phœnicibus, nihil magnum, sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis?* Phœnicis exemplo futuram hominis resurrectionem probat Tertullianus. Phœnice adhuc Christi Domini resurrectionem declarat. *Deus etiam in Scripturis suis: Et florebit, inquit, velut phœnix; id est, de morte, de funere, uti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi.* Ut resurrectionem corporum etiam in eo mortis genere, quo magis aboleri spes resurrectionis videbatur, confirmaret, proponit Tertullianus Phœnicis exemplum, de morte, de cremato corpore, de funere resurgentis. *Et florebit velut Phœnix*; quod Christo resurgenti aptat D. Epiphanius: *Cur igitur Iudæi iniqui Domini nostri Iesu Christi triduanam resurrectionem non crediderunt, cùm avis trium dierum spatio ipsa se suscitet? aut quomodo seipsum à mortuis suscitari non potuit, cùm de illo dixerit Propheta, Iustus ut phœnix florebit?* Singularem Phœnicis mortem & resurrectionem tradunt Auctores tum prophani, tum ecclesiastici, referentes Phœnicem, cum se morti proximum sentit, è thure, ac myrrha, cæterisque hujusmodi odoribus struere sibi nidum, eo mox alitem cōditum mori; ex mortui carne, nasci primo vermiculum, inde fieri pullum; Ad quod alludere videtur Regius Vates ajens; *Iustus ut palma*

Tert. lib. de Res. Carn.

Ibid.

In Phisiol. Cap. 11.

palma florebit; seu ut legit Tertullianus: *Florebit velut Phœnix*; Scripturam ad propositum suum accommodans. Phœnicis namque vocabulum æquivocum tum pro arbore, tum pro ave, usurpari potest. (Palma autem arbor secundum Græcos phœnix dicitur: avis quoque illa, quam multi facile quidem vivere antumant, phœnix eodem nihilominus vocabulo nuncupatur. Potuit fortasse de eadem hoc loco dixisse, ut sicut illa nidum sibi faciens, in ipso post multa tempora, à semetipsa concrematur, & rursus de ejusdem nidi cineribus fertur inter breve tempus resurgere, quæ deinceps multis vivat temporibus.) Sive autem Phœnix sumatur pro arbore, sive pro ave, Christi resurrectionem denotat, de quo vere dici potest; tum, *Iustus ut palma florebit*; tum, *Iustus sicut phœnix florebit*.

V. Bed: l. 2. de Expos. in Job:

11. Bina phœnicis significatio probe Virgini aptari potest, quæ sic fatur: *Quasi palma exaltata sum in Cades*. Tum quia sicut palma virgine ferax est, ex sola maris obumbratione producens, sic Deipara semper Virgo permansit, neque nisi obumbratione Spiritus sancti concepit: Tum quia in Cades Maria exaltatur. Cadaver à cadendo dicitur; Maria moriendo cecidit; verum in sepulchro velut phœnix resurgit apud Jobum dicens: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos*. Aliorsum hanc materiam tractavimus Deiparæ accommodantes *illum alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posterite monstruosum, qui semetipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens atque succedens; iterum phœnix, ubi jam nemo; iterum ipse, qui non jam, alius idem*. 1. Phœnix est de singularitate famosus, quia in orbe unus duntaxat existit, quem Solis avem nuncupat Claudianus eo quod unica sit: *Aiunt Græci avem quemdam esse soligenam uberem præbentem resurrectionis demonstrationem, quam dicunt comparem non habere, solamque in mundo reperiri, phœnicemque appellant*. Uti phœnix unicus est in mundo tanquam avis soligena, sic ex Richardo à Sancto Laurentio. *In mundo est unus sol, & Maria una est Mater & Virgo; unde & comparatur phœnici, quæ est unica avis sine patre, nec primam similem visa est nec habere sequentem*. 2. Phœnix est de posteritate monstruosus, absque conjuge generans, absque pudoris jactura renascens: Maria quoque de posteritate monstruosa absque virili concursu concipiens & paturiens filium. *Quid mirum videtur si virgo conceperit, cum orientis avem quam phœnicem vocant, & tantum sine conjuge nasci & renasci constet; ut semper & una sit, & semper sibi ipsi nascendo; vel renascendo succedat?* 3. Ad phœnicis immortalem interitum, cæterarum volucrum turbæ convolant, & admirabundæ spectant.

Eccles: 24.

Cap. 29.

Tert. Præd: to: 1. Tra. de Perf Angel. Conc: 6.

Tert ibid.

Clem. Rom l. Constit. Apost: c. 6.

Lib 7. de laud Virg.

D. Cypr: in Expos: Sym

Claudian:

Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro
Conveniunt aquilæ, cunctaque ex orbe volucres,
Ut solis mirentur avem.

Ad Deiparam tanquam solis avem, morti jam propinquam, ex toto terrarum orbe velut Aquilæ convolarunt Apostoli. *Apostoli qui passim toto orbe dispersi erant, velut Aquilas quasdam, Dei Filius compellens, atque*

Dama Ora. 2. de Assum.

in

in unum cogens ; ubi enim fuerit corpus , illic congregabuntur & aquilæ. 4. Phœnix de suavissimis quibusque lignis, & odoriferis unguentis componit sibi nidum, in quo tumuletur: Ovid. lib. 15 Metam.

Unguibus & duro nidum sibi construit ore,
Quo simul ac casias, & nardi levis aristas,
Quassaque cum fulva substravit Cinnama myrrha,
Se superimponit, finitque in odoribus ævum.

Maria quoque ad interitum properans, omnia odoramentorum coacervavit genera, nimirum cunctas ad praxim redegit virtutes, ex his suave & bene olens thymiama componens: (Tu ô Maria, divinis ignita colloquiis, tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suavissimum obtulisti! O phœnix aromatizans gratiùs in cinnamomo, & balsamo, & nardo suavius, Regem in aspectu tuo delectans! phœnix congregans omnes species, & igne circunfusa supersubstantiali, ut cœlum cœlorum, & cœli potestates Angelicas mirifico repleas suavitatis odore!) 5. Phœnix in igne renascens, est alius idem. *Post monumentum festo exultat in tumulo, non umbra, sed veritas; non imago, sed phœnix; non alia, sed quamvis melior alia, prior ipsa.* Maria quoque à morte resurgens eadem & altera, de mortali immortalis, de passibili impassibilis, de corruptibili incorruptibilis effecta: B. Amadæus Hō de laud. Virg. S. Zen. Ser. de Resur.

Ut phœnix moriens primos reviviscit ad ortus,
In mediis annis post plurima lustra renascens:
Atque novum veteri surgit de corpore corpus:
Haud secus egregiæ redduntur morte perennes,
Dum pia divinis ardescunt pectora flammis,

Greg. Naz. Serm. 3. ad Virg.

Tandem 6. phœnix igne combustus renascitur & renovatur, & Deipara ex igne charitatis mortua, in sepulchro renascitur, & immortalitate donatur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarij?* Si ut virgula fumi ascendit, ex igne ascendit non ex pulvere aut cinere: tam longè à cineribus fuit virgineum corpus, ut ignis putetur; postquam Deipara spiritum velut fumum in superos exhalavit: *Sicut virgula fumi, quia fumus agilis ex calore ignis nascitur, & in sublime evectus, humano se substrahit aspectui.* En verum Marianæ mortis specimen, cujus anima velut fumus ex igne amoris divini procedens ascendit in cœlum. *Et bene quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum, incendio pij amoris, & desiderio charitatis.* Fumus ille ab igne amoris excussus, ab expirante Maria exhalatus, non ex pulvere terræ, cui addictus Adam post periculum fuit, sed ex myrrha & thure. Myrrha corpori conciliat soliditatem, thus verò in immortalis Dei crematur honorem. Ex his aromatibus incorruptionem & immortalitatem redolentibus exhalatur Virginis anima tanquam virgula fumi, & pulveris opere pigmentarii contusi. Hac supra re audiatur Rupertus bellè ad præsentem thesim philosophans: *Tu dicis, pulvis sum terra, qualem ventus dispergit, aura tollit: & ille dicit, Non, sed pulvis pigmentarij. pulvis myrrha & thuris,*

Cant. 3. Hailgrinus. D. Hierom. Serm. de Assumpt.

qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suavitæ mentis, & ex myrrha probatissima; quod est incorruptio carnis. Spiritus sanctus qui proprio caractere amor est, erga Virginem unguentarii ac pigmentarii peregit officium: Tum quia in ejus utero unguenti plenitudine divinam sobolem unxit: *Vnde Christus dicitur à chrismate, quod est unctio*: Tum quia Deiparam gratiarum & virtutum unguento delinivit, præsagiens ex unctione & Filii & Matris, Mariæ corpus ex unguentorum redundantia delibutum, non visurum corruptionem, sed in officina Spiritus sancti, unguentarii & pigmentarii optimi, velut in odorifica aromata, unguentaque transiturum. *Quæ est hæc, quæ ascendit ex solitudine tanquam rami fumi suffisa myrrha, thure ex omnibus pulveribus unguentarij?*

Tert. lib de Bapt. 7.

Andr. Cret. Hom. 1. de Dorm. Mar.

Deipara velut Salamandra in igne concipitur, in igne vivit, in igne moritur, nec tamen ab igne assumitur. Maria in igne divini amoris concepta, pignus habuit immortalitatis; Maria igne Spiritus sancti fœcundata adversus carnis corruptionem accepit munimen; Maria in utero totum Deitatis ignem illæsa concipiens, exinde didicit corruptioni non subjacere Dei immortalis matrem; Maria post mortem incorrupta permansit, utpote ab amoris igne mortua, qui favillas ignorat: ignibus cingitur Maria, & inter ignes æternatur. *Quadam circulatio apparet in amore, secundùm quod est ex dono & ad bonum: & illa circulatio convenit æternitati divini amoris: quia solùm motus circularis potest esse perpetuus. Et hoc est quod dicit, quòd amor est sicut quidam circulus æternus*; Æternum illum circulum in divinis processionibus agnoscit Gerson, Sorbonæ Cancellarius, (Considerat fides circulum quemdam intelligibilem triangulo personarum, Pater enim dat se Filio quem diligit; Filius impendit se Patri per amorem. Hinc autem amor communis est Patri & Filio, tanquam nexus amborum) In Maria adhuc amoris circulum agnoscamus: Filius qui est terminus generationis paternæ, humanatur in utero Virginis; Spiritus sanctus, qui est terminus amoris, sese in Virginis animam cum suis charismatibus infudit, Deipara per amoris circulum divinas explicavit processiones: Patris processionem repræsentavit suscipiendo in castis suis visceribus eundem Filium, quem Pater generat, velut intra se trahendo suam essentiam: Processionem Spiritus sancti velut extra se exiens, ut in objectum amatum transformaretur: Divinum illum circulum perfectè non adimplevit Maria, donec moriens ex amore Filio summè dilecto & æternaliter diligendo tradidit animam & corpus: *In manus tuas Fili commendo spiritum meum, suscipe tibi charam animam, quam conservasti alienam ab omni reprehensione: meum corpus tibi trado, & non terræ; custodi salvum, quod tibi placuit habitare, & cùm natus esses, conservasti Virginem. Tu me ad te transfer, ut ubi tu es, fœtus meorum viscerum, ego tecum quoque degam; ad te enim propero, qui ad me ventitasti citra ullam spatij distantiam.*

D. Th. sect. 11. in cap. 4. Dion. de Div. Nom.

Tract. 3 sup. Magn.

Orat. de dorm. Virg.

Talis fuit Deiparæ exitus, quæ amoris impetu efflans animam, præproperè resurrexit; immortalitas Mariani corporis fuit velut sequela virgineæ puritatis, divinæ maternitatis, & ardentissimæ charitatis: *Nova mors*

Tert. lib de An. 19.

pro

pro Deo, & extraordinaria pro Christo, aliq & privato excipitur hospitio. Maria virginitatem illibatam semper custodiens, Dei Filium in utero suo suscipiens, ex Dei amore moriens, immortalitate donatur, & ad cœlestia regna assumitur. *Habent enim & mortes colores suos, habent & odores.* Maria moritur sanctitate ornata, virtutibus decorata, suavemque exhalans odorem, ascendit in sublime quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii. Quàm dissimilis à morte & resurrectione Virginis, peccatorum mors & resurrectio! nam moriendo efflat animam non virtutibus ornatam, sed vitiis turpatam, exhalantque non suaves, sed fœtidos odores; resurgentque in fine sæculorum, non ut in cœlum ascendant, sed ut in infernum detrudantur, interminabiles passuri pœnas. Christiani, satagite bene vivere, ut mors respondeat vitæ, & fausta resurrectio sit corona innocuæ mortis; æmulamini vitam & mortem, qua in cœlo tanquam gloriæ miraculum coronatur. D Bern. Ser. 71. in Cant. III. PARS.

Virgo tertium genus monstruosum aliquod. Semel prædicata est Virgo, velut naturæ miraculum; iterum propalata tanquam gratiæ prodigium; nunc tertiò velut gloriæ monstrum, commendanda est. *O Virgo sacratissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti; stupendum enim miraculum in terris, mulier gestans lucem in ulnis: stupendum miraculum in cœlo, mulier amicta Sole.* Duplex apparet in cœlo gloriæ prodigium, unum in Mariano corpore; aliud in Virginis anima. Marianum corpus gloriosum in cœlum assumptum est: ut enim Mariæ congratulatur Damascenus: *Non anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit, non corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnis expers in terra relictum est: verùm in cœlo ac regijs sedibus tu Regina, Domina, hera, ac verè Mater & genitrix deposita es.* In exordio sermonis de Mariano corpore in cœlum assumpto agit Damascenus, & postea ad totam se Matrem transfert, ut innuat, animam quoque Virginis esse gloriosam, imò gloriæ miraculum. Tanta namque gloria fulget Deipara, ut eam nec intellectus concipere, nec lingua valeat enarrare. *Quid dicam, & quid proloquar, quo pacto prædicabo gloriam radicitùs fundatam?* Mariæ namque 1. humilitas exaltatur: 2. gratia coronatur: 3. maternitas glorificatur. Tert. lib de vel virg 7. D. Epiphan. l. de laud. Virg. Orat 1. de Dorm Mat. S. Epiph de laud. Virg.

1. *Humiles sublimitate mutantur*, ut apparet in Maria, probè comparata palmæ, quæ plus aggravatur & deprimitur, eò magis exurgit & sublimatur, appositè velut dicens, *Inclinata resurgo.* Beatissima Virgo quasi palma exaltata in Cades, quò profundius ceciderat & sese dejecerat, eò sublimius exaltatur. Tres in præsentiarum humilitatis & sublimitatis gradus in Maria considero: 1. Ab Angelo Dei Mater salutatur, & se confitetur ancillam: 2. Elizabeth superior efficitur, & ad eam properat, & velut dominæ ministrat: 3. Ad excelsam divinæ maternitatis dignitatem exaltata, in infimo loco collocatur: Sed quia *Dei est judicium extollentis humiles*, ad trinam hodie Deipara exaltatur sublimitatem. Nam 1. Dei mater propalatur: 2. ab Angelis ei obviam venientibus cœli & terræ Domina prædicatur: 3. supra cœlestes spiritus in sublimi solio collocatur. Tert. Apol. 20. Tert lib. de vel. virg 25.

Postquam Ecclesiasticus providit lunam velut *luminare quod minuitur* Cap. 43.

in consummatione, statim subjungit; *Crescens mirabiliter in consummatione.* Verùm ut acutè animadvertit Richardus à Sancto Laurentio; (Hoc de luna materiali non potest intelligi, quia non minuitur in consummatione, sed post consummationem; priùs enim confirmatur per perfectionem, & postea minuitur decrescendo: Beata verè Maria, quando annuntiata est gratia plena, & in Matrem Domini electa est, quod fuit consummatio excellentiæ ejus, quasi se mirabiliter minuens, respondit: Ecce ancilla Domini; proinde autem dictum est, minuitur, id est, humiliatur; nec dictum est, decrescit, ne posset intelligi de minutione decrementi; quasi diceret: Cùm audisset Maria tantam sibi promissam celsitudinem, quòd fieret Mater Dei, & se imminuisset per humilitatem, se nominans ancillam, ex hoc consummata est & facta luna plena, quia in hoc verbo concepit Filium Dei; ideo paulò pòst subditur, crescens mirabiliter in consummatione:) præsertim hac die, in qua Dei Mater in cœlo velut gloriæ miraculum recognoscitur. *Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circundaret virum, nec alium quàm Christum. Novum quoque fecit Dominus in cælo, ut mulier Sole appareret amicta. Denique coronavit eum, & vicissim ab eo meruit coronari.* Signum illud quod apparuit in cœlo, cum stupore contemplatur Andreas Cretensis. (Erat spectaculum verè novum, & quod non poterat consequi cogitatio: Mulier quæ cœlorum superaverat naturam puritate, in adyta quæ sunt in cœlis sancta, commeans & ingrediens Virgo, ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo generationis: Mater, quæ ipsum vivere pepererat, consequuta vitæ finem, partui non absimilem, & miraculum Deo, & fide dignum.) Deipara Seraphinos ipsos superat, non in natura, natura enim Angelica nobilior est humana, sed dignitate materna, & sublimitatis præeminentia, qua tanquam gloriæ miraculum à supernis spiritibus recognoscitur. *Felix dies, in qua Virgo virginum, Sancta Sanctorum, misericordiæ mater assumitur, paradisus deliciarum, Angelorum gloria, ad regalis solij celsitudinem sublimatur*; & ab Angelis ei obviam venientibus cœli & terræ domina prædicatur. (Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi regina processerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo; quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus suscepta à Filio, & super omnem exaltata creaturam; cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit; cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium?

Lib. 7. de laud. Mar.

D. Ber. n. sup. Sign. Magn.

Hom. 2. de Dom. Virg.

Hug. Vict. l. 1 tit. 125.

D. Bern. Ser. 1 de Assũpt.

Deipara properavit festinanter in montana, ut salutaret Elizabeth, eique ministraret; & tota cœlestis curia ascendenti Mariæ in cœlum obviam venit, ut ei ministret: *Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea.* Sic loquitur Christus apud Guerricum, qui minimè contentus, quòd Angeli Deiparæ occurrerent, ipsemet ei obviam venit. *Et ecce subitò advenit Dominus Iesus cum magna multitudine Angelorum.* Duplex invenio discrimen inter Christum & Mariam. Unum, quòd Christus ascendens in cœlum, Maria verò assumpta perhibetur. *Intuere mentaliter oculis Filium ascendentem, & Matrem assumptam, & videbis*

Serm. 2. de Assumpt.
Melito Sard. Ep. de trans. Mar. c. 6. to. 2 Bibliot. Pat.
Petr. Dam. Serm. 41. de Assumpt.

aliquid excellentius in Assumptione Virginis demonstrari. Ascendit enim Salvator in cœlum potestativæ virtutis imperio, sicut Dominus & Creator, Angelorum comitatus obsequio, non auxilio fultus: Assumpta est Maria in cœlum, sed gratia sublevantis judicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam sublevabat gratia, non natura. Quando autem Maria assumi in cœlum dicitur, & evecta Angelico ministerio pingitur, hoc non est ita intelligendum, quasi indiguerit eorum opera ad ascendendum in cœlum: propria enim virtute quæ omnibus corporibus gloriosis communis est ob subtilitatis & agilitatis dotes, ascendit Virgo: sed ab Angelis assumpta repræsentatur, quia honoris causa eam comitabantur, & triumphus ejus dicitur assumptio, non ascensio, quia dotes agilitatis & subtilitatis habuit duntaxat Virgo ante communem resurrectionem ex gratia & peculiari miraculo; ideoque Christus ascendere, Maria verè assumi perhibetur. Alterum adhuc discrimen prodit ipsemet Petrus Damianus: (Attollite jam oculos ad Assumptionem Virginis, & salva Filii majestate, invenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri verò cœlorum palatia penetranti, Filius ipse cum tota curia tam Angelorum quàm Justorum solemniter occurrens, evexit ad beatæ consistorium sessionis,) ut quæ infra omnes se dejecerat, supra omnes collocaretur. Serm. 40. de Assump.

Miratur D. Bernardus, cur in enumeratione virorum & mulierum post dominicam Ascensionem, in oratione perseverantium, ultimo loco nominetur Deipara, (hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jesu.) *Nominetur & prima, quæ super omnes est, tam filij prærogativa, quàm sua privilegio sanctitatis; at Maria quantò major erat, humiliavit se non modò omnibus, sed & præ omnibus, & meritò facta est novissima prima, quæ cùm prima esset omnium, se novissimam faciebat.* Quonam potest profundiùs creatura demitti, quàm omnibus postponi? sed attende, ad quantam sublimitatem, à tanta humilitate exaltata sit Virgo! *Hæc est dies, in qua usque ad throni celsitudinem, intemerata Mater & Virgo processit, atque in regni solio sublimis post Christum gloriosa resedit.* Mariæ celsitudo conformis fuit ejus humilitati; sese dejecit infra homines & Angelos, exaltatur supra homines & & Angelos, sedens in sublimi throno incomparabili ejus convenienti sanctitati. Act. 1. Sup. Signi Magn. D. Hier. Ser. de Assump.

2. In beata Virgine *gratia coronatur*; & ut fatur D. Bernardus, *quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis.* Gloria namque gratiæ & sanctitati commensuratur; Ideoque Deipara à D. Hieronymo *gloriosa* nuncupatur; quia, ut ait Odo Episcopus Cameracensis, *gloriosum totum, quod totum gratia plenum.* Ut autem aliqualem Marianæ gloriæ valeamus obtinere notitiam: tria adnotanda sunt. Unum, beatam Virginem in suæ conceptionis exordio accepisse majorem gratiam, quam cæteri Sancti habuerint in vitæ termino: Aliud, beatam Virginem meruisse toto vitæ spatio quod ad septuagesimum secundum Tert lib. 1. ad Ux. Serm. 1. de Assumpt.

 dum

dum extenditur annum: Tertium, beatam Virginem quovis meritorio actu duplicasse suam gratiam.

Beatissima Virgo in momento suæ conceptionis accepit majorē gratiam quàm cæteri Sancti habuerint in vitæ termino, quomodo Gregorius Magnus istud Prophetæ Evangelici intelligit vaticinium, (Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium: *An non mons sublimis Maria, quæ meritorum verticem, supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.* Plus audet D. Vincentius Ferrerius, asseverans non solùm, quòd beata Virgo in sua conceptione (fuit sanctificata super omnes Sanctos, & Sanctas, & etiam Angelos, sed adhuc quòd cunctas quas largitus est Deus omnibus Sanctis gratias, Mariæ in sua conceptione dedit. Quod demonstrat elucidans istud Davidicum, (Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.) *Fluminis impetus, quia totum flumen divinarum gratiarum effusum est super eam: in sanctificatione aliorum Sanctorum infunditur una gutta gratiæ divinæ, at in Virgine Maria fluminis impetus.* Attende Christiane, quanta gratia concessa fuerit Patriarchis in lege naturali, quanta Prophetis & Justis in lege Mosaica; quanta in lege Evangelica Apostolis, Martyribus, innumerisque Sanctis; quanta tot Angelorum millibus: tantum tamen tot gratiarum cumulum excedit gratia, quam in sua conceptione accepit Virgo: In qua D. Thomas triplicem gratiæ perfectionem distinguit: Primam, qua dispolita fuit, ut esset idonea mater Christi; Secundam, quam accepit in conceptione Christi; Tertiam, quam habet in gloria. Tertia fuit intensior secunda; secunda perfectior prima; cui arridens Rupertus, ait, Virginem *in sua prima sanctificatione fuisse ut auroram, in Filii conceptione ut lunam, in morte ut Solem.* In sua autem conceptione, *excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est, quantam uni creaturæ puræ dari possibile est.*

Cap 22. Lib. 1. Reg. c. 1.

Serm. 1 de Nat. Virg.

3 p q 27. a 5

D Bernardin. Sen to. 1. Ser 61. a. 1. c. 10.

Non in vacuum tantam gratiam accepit beatissima Virgo, quæ non immeritò salutatur ab Angelo *gratia plena, quòd fœcunda sit gratiis*, ut habet Græca lectio; toto enim vitæ tempore fuit fœcunda virtutibus, & meruit gratiæ augmentum, quia status viæ est status meriti; viatorumque gratia per bona opera augeri potest: Beatissima autem Virgo fuit viatrix, quantòque meliora fuerunt ejus opera, tantò uberius meruit gratiæ augmentum. Mariæ vita tribus integratur temporibus. Primum à sua conceptione usque ad Filii conceptionem protenditur; secundum, ab humanatione Verbi usque ad Christi ascensionem sumitur; tertium, ab ascensu Domini usque ad Deiparæ obitum mensuratur; & his tribus vitæ temporibus, operibus meritoriis vacavit Virgo. Primo quidem tempore, nam ab instanti nativitatis meruit; cùm fuerit sanctificata, usu rationis & exercitio libertatis donata; tertio verò ætatis suæ anno, oblata fuit in templo, ubi, ut refert Sabellicus, à prima luce usque ad horam tertiam contemplationi vacabat; à tertia ad meridiem alicui operi incumbebat; reliquam verò diei partem sacræ lectioni, ac orationi impendebat. Secundo etiam tem-

Luc. 1.

L. 1 Exempl c. 4.

tempore opera meritoria elicuit Virgo, vitam agendo contemplativam & activam. Contemplativam, sedens ad Christi pedes, verba illius attenta audiens, & continuò in corde suo conferens; activum tum negotium domesticum tractans; tum sponso & Filio humiliter ministrans: Tandem tertio tempore usque ad obitum meruit Maria, tum erudiendo discipulos; tum juvando & consolando fideles; tum meditationi vacando; tum Deum amando tanta vehementia, quòd *nullus ardorem Virginis sufficit explicare, quanto desideriorum cremabatur incendio, quàm crebris suspirijs angebatur:* quàm indesinenter cunctarum virtutum edebat actus: & quod est consideratione dignissimum, *facili charitati, ex divina copia occasione* ita hærebat, ut nunquam à merendo vacaret, sed sive vigilans, sive dormiens continuò merebatur. Quomodo de Deipara expendit istud Canticorum Rupertus: (Ego dormio, & cor meum vigilat.) *Multarum quoque animarum fuit, & est, non solùm secundùm similitudinem otio sancto dormire, id est à terrenis curis vacare, & in cœlestibus per contemplationem corde vigilare: verùm etiam eodem modo, quo & Iacob dormivit, secundùm corpus dormire, & secundùm animam cœlestia videre: Sed tu ô cœlum Dei, unica sedes Domini, in utroque vigilandi modo cunctis mortalibus, sive terrenis hominibus, longè eminentior extitisti, longè studiosior ad contemplandum ejus, in quem desiderant Angeli prospicere, atque aptior fuisti.*

Laur. Justin Serm de Assumpt.

Ter lib. adv Valent. 1.

Cant. 5. Lib. 5. in Cant.

Tandem beatissima Virgo *momenta condensabat* ad meriti amplitudinem, & gloriæ auctarium. Singuli namque actus meriti quos eliciebat, cùm essent perfectissimi, & secundùm totam charitatis & gratiæ intensionem & latitudinem merebantur æquale gratiæ augmentum: unde si prior gratia Virginis fuit ut quatuor operando secundùm totam latitudinem ejus meruit quatuor gradus, & facta est gratia ut octo; operando deinceps secundùm latitudinem gratiæ ut octo, geminata est gratia & facta est ut sexdecim: & sic de cæteris. *Sicut est ineffabile quod percepit, sicut est incomparabile quod gessit, ita & incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit.* Dato autem, quòd Virgo singulis diebus sex duntaxat produxerit intensissimos charitatis actus secundùm totam latitudinem gratiæ habitualis, quolibet actu geminatum meruit gratiæ augmentum. Cogita quot continentur dies intra spatium septuaginta duorum annorum; attende quot gradus gratiæ meruit singulis actibus, illos quoslibet seorsim multiplica, & vide ad quem excessum gratiæ devenerat Virgo, dum exhalavit animam. Inde collige, si potes, quanta fruatur in cœlo gloria, immensitati gratiæ respondente: & fatere cum D. Anselmo: *Quid amplius dicere possum, ô Domina? immensitatem quippe gratiæ & gloriæ, & fœlicitatis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit.* Et tandem conclude cum sancto Chrysostomo: *Magnum revera miraculum fuit semper beata Virgo Maria.* Miraculum naturæ, in semetipsa confœderans contrarias qualitates; miraculum gratiæ, in se coadunans dispersas Angelorum & hominum sanctitates; gloriæ miraculum, fœlicitate fruens commensurata divinæ Maternitati.

Ennod. in vit. Epiphan.

S. Ildeph. Serm. 2. de Assumpt.

De Excell. Virg. c. 2.

De Nat. Virg.

3 Co-

Tert. lib. de Præsc. Hær. 48.

3. *Cerinthus Christum ex semine Ioseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine divinitate contendens.* Satis superque ex Scriptura & Patribus tum Christi Divinitatem, tum Mariæ virginalem integritatem demonstravimus: & quia Deipara est Virgo Maria, Christus suam Matrem, & gloriam maternæ dignitati conformem assumpsit. *Quid amplius quæris, quid ultra requiris in Virgine? sufficit tibi, quòd Mater Dei est, quænam obsecro pulchritudo, quæ perfectio, quæ gloria Matri Dei non congruit?* Profectò tam alta est Marianæ gloriæ sublimitas, ut nullus eam Angelus concipere, nullus homo quantumvis eloquens, valeat explicare: nam ut subjungit Valentinus Antistes: [Quid de tuis deliciis dicam, ô Maria? si oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligenti se, quis, quod præparavit gignenti se, & proculdubio præ omnibus diligentibus loquatur.] Plura sunt miracula, quæ mentis superant aciem, at præ omnibus *Christi generationem, & Mariæ assumptionem quis enarrabit?* Verbi humanationem cum Mariana assumptione componit Bernardus: utramque miraculosam, utramque incomprehensibilem, utramque ineffabilem prædicat: *Quis etiam, si linguis hominum Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum superveniente spiritu, obumbrante virtute Altissimi, caro sit factum Verbum Dei? sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosè hodie mundi regina processerit?* Duplex in Virgine consideranda est conceptio, scilicet conceptio uteri, & conceptio mentis. Concepit utero, dum humanatur Verbum; concipit mente, dum ejus anima glorificatur: siquidem beatitudo est nobilis quædam Dei in Beatorum mente conceptio. Prima conceptio adimpletur in terra, secunda fit in cœlo. Admirabilis terrena Virginis fœcunditas, stupenda prorsus Mariæ fœlicitas; & ut prosequitur Bernardus: *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Christum Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimavit. Fœlix nimirum utraque susceptio, ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est.* Verbi humanatio multum fuit gloriosa Mariæ: nam ut bellè ait sanctus Epiphanius: *Invenitur Virgo esse cœlestis sponsa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum accepit, dotis verò gratia cœlum unà cum paradiso.* A doni magnitudine, censenda est dotis magnitudo, æstimanda gloriæ celsitudo; adeo gloriosa est Virginis beatitudo, ut sicut sidera non apparent in conspectu Solis, ita cæterorum Beatorum gloria, coram Virginis gloria non conspicitur. Et quemadmodum oculi caligant ad radium Solis, ita Angelorum & animarum sanctarum mentes hebetat Mariana beatitudo. Et ob hanc causam electa ut Sol prædicatur; In tenebris fulgurant sidera, in media nocte principatur luna; at dum Sol matutinus exurgit, & jubare diffuso illustrat orbem, illico astrorum extinguuntur faces, albicantis lunæ splendor sepelitur, siderum profligantur luces; Virgo Mater est electa ut Sol, cui si compares Beatorum stellas, non apparent, neque fulgent. *Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior; nihil enim habuit spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Sol lucidiùs incan-*

Margin notes: Tho. à Vill. Nov. Ser. 2. de Nat. Virg. — D. Bern. Ser. 1. de Assumpt. — De Laudib. Virg. — Petr. Dam. Serm. 1. de Assumpt.

incandescens, ita siderum & lunæ rapuit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virga Iesse veri pravia luminis in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere. Maria non est sol, sed quia electa ut sol tanto coruscat splendore, ut beati Spiritus in con spectu ejus sint quasi non sint, neque ullatenus appareant non secus ac stellæ in conspectu solis: quia, ut belle ait Damascenus, *infinitum Dei servorum, ac Matris discrimen est.* Deus habitat lucem inaccessibilem, quia amictus lumine sicut vestimento. Signum magnum & prorsus inscrutabile apparet hodie in cœlo; Mulier amicta sole. *Plane amicta lumine sicut vestimento. Quam familiaris ei facta es Domina: quam proxima, imo intima fieri meruisti? Quantam invenisti gratiam apud Deum? In te manet & tu in eo: & vestis eum, & vestiris à Deo: vestis eum substantia carnis & vestit ille te gloria suæ maiestatis: vestis solem nube. & sole ipsa vestiris.* Acceptum à Matre beneficium rependit Filius. Maria Christum carne vestivit, quia ei non dedit neque animam, neque divinam personam: Filius non largitur Matri divinitatem, neque hypostaticam unionem, sed eam sole vestit tanta cum abundantia luminis, ut sola divinitate quæ est lux indeficiens excepta, dempto Christo sole justitiæ, nihil neque in terra, neque in cœlo lucidius & gloriosius valeat inveniri D. Bernard.

Bina hic admiranda est vestis: una vestis carnis, qua mulier vestivit solem; alia lucis, qua sol vestit mulierem. Maria concipit Filium, Filius glorificat Matrem. Novum fecit Dominus super terram, mulier circundedit solem. Signum magnum apparet in cœlo, mulier sole vestitur, sed tanto cum splendore, ut in Mariana gloria quandam infinitatis speciem agnoscere videatur Damianus. Serm. 45.
Gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem accepit, principium ignorat, nescit finem, de qua nihil aliud possumus dicere, nisi, Gloriosa dicta sunt de te gloria Dei. Marianam fœlicitatem principio & fine carentem prædicat, non quod finita non sit, sed quia naturæ fines videtur supergressa: Tum quia hominum & Angelorum superat notitiam, *quam non novit, nisi qui dedit, & cui eam donare dignatus est.* Tum quia uti in ascensione Filii, ita in assumptione Matris *didicit cœlum portare hominem*: Tum quia virgo etiam cum suo corpore *meruit exaltari supra choros Angelorum, & pervenire ultra quam nostræ humanitatis est natura.* Petr. Dam. D. Aug. Ser. 178. de Temp. D. Hie. Ser. de Assump.
Proprium namque est corporis ex terra compositi versus terram descendere, non versus cœlum ascendere: hodie tamen Virginis corpus sursum tendit & in cœlo supra Angelorum choros collocatur. *Sit igitur illud cœli palatium plenum sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se, & aptans se unicuique pro meritis. Non immerito tamen creditur sine injuria, vel invidia cæterarum sedium, quoddam esse speciale Regis solium excelsum & elevatum super gloriam omnium; Matrem dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater, nisi Filium suum.* Quantumvis sublimi beatitate potiantur sive Angeli, sive animæ sanctæ, illorum tamen sedes longissimo intervallo elongantur à Christi Domini solio, at beatissima Virgo juxta Filii so- Guarr. Ser. 4. de Assumpt.

D. Damasc. Orat. 1. de Dormit. Virg. Orat. de Assumpt. — lium stare perhibetur. *Non enim ut Elias in cœlum ascendisti; non ut Paulus ad tertium usque cœlum subvecta es; verum usque ad Regium filij tui thronum pervenisti:* Et ut fatur Damasc. *Opus erat, ut quæ Deum Verbum ventris sui hospitio conceperat, in divinis Filii tabernaculis collocaretur.* Unde ut apposite ait Bernardinus Senensis: (To. 3. Ser. 61. cap. 3.) *Sicut benedictus Iesus sedet à dextris Patris, idest in potioribus bonis paternis: sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis Filii sui Iesu, iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* Qualia quæso sunt potiora bona collata Filio à Patre, & Matri à Filio communicata?

Figuræ enim nostræ fuerunt Apostolo auctore, quæ scripta sunt, ut & Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis utique conservatorem; cujus etiam vestimenta, etiam calceamenta protexit ad sublimem illam sedem (Elevata cum vocibus exultationis & laudis, prima post Deum super omnes Cœligenas in sede gloriæ collocatur. Ibi resumpta (Amada. Ho. 7.) carnis substantia, & duplici stola indura, Deum & hominem in utraque natura; quanto cæteris clarius, tanto ardentius universis, mentis & carnis oculis contemplatur.)

Neque duntaxat juxta Filij solium exaltatur Mater; sed quod est magis adhuc stupendum, in Matre thronum sibi parat filius. (Guerr. Ser. 3. de Assumpt.) *Non poterat signantius vel elegantius describi prærogativa gloriæ eius, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine aut familiaritate copiam sui divina maiestas videtur indulgere, sicut illi, in qua specialiter præ cæteris sedere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur: In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes: Matri vero, cuius longe differens est meritum, nihilominus differens promittitur præmium: Veni, inquit, electa mea, & ponam in te thronum meum.* (Ser. 4. de Nat. Virg.) Belle beatissima Virgo nuncupatur à Petro Damiano, *Thronus Dei, solium divinitatis, palatium Regis æterni,* (Guerr. Ser. 1. Annunt.) quia in incarnatione fuit Maria thronus Dei peregrinantis: nam Dei Filius qui in sinu Patris requiescit ab æterno, in ejus utero humanari voluit: *Ut venientem à regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula Virginali Reginæ susciperet Matris, in ipsa quippe & ex ipsa sapientia ædificavit sibi domum, & in ipsa paravit sibi thronum, cum in ea, & ex ea corpus aptavit sibi.* Et ob hanc causam (Orat. de laud. Virg.) D. Epiphanius Constantiensis Episcopus vocitat illam *cœlum, thronum, & crucem; extendens enim sanctas ulnas, Dominum portavit, thronus Cherubicus, cruciformis & cœlestis.* (Guerr. Ser. de Assum.) In ultimo judicio futura est Maria thronus Dei judicantis: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. *In te mihi quandam regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces audiam*: In cœlo Maria est thronus Dei regnantis & triumphantis: Veni electa mea & ponam in te thronum meum. *Parum est ut iudicanti consideas, nisi & ipse mihi sedes sis, ut maiestatem regnantis eo facilius, quo familiarius in te contineas, & specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio, continebis immensum in animo: fuisti diversorium peregrinantis, eris palatium regnantis: fuisti tabernaculum pugnaturi*

turri in mundo, eris solium triumphantis in cælo. fuisti thalamus sponsi incarnati; eris thronus Regis coronati.

Christus est Deus & homo, unigenitus æterni Patris, & unigenitus Virginis: ob Deitatem quam æterna generetione accepit, sedere ad dexteram Patris asseritur, ob humanitatem quam à Maria temporali generatione suscepit, in ea sedem & thronum posuisse perhibetur. Subjungit Guerricus prodens Christum Deiparam adhuc alloquentem: *Communicasti mihi quod homo sum, communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabis osculum oris, quin imo tota de toto osculaberis. Non in prima labia labijs, sed Spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili.* Communicasti mihi quod homo sum, me in tuo utero concipiens, & humanam formam mihi communicans; novo conceptu; conceptum rependo, tibi communico quod Deus sum; Dei formam tuæ imprimens menti, ut intellectuali partu, in nobilissimam Divinitatis meæ profundas visionem. Nec sat istud, imo quod homo sum & quod Deus sum, ineffabili tibi largitate communico: utramque videndam exhibens formam, ut fruaris & divinitate, quam tibi do, & humanitate, quam mihi dedisti: sisque beata tum in anima, tum in corpore: in animo ex meo; in corpore ex tuo. Belle prosequitur Guerricus *Nunc autem & in ea, & cum ea, sicut interminabili ævo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum; foris quidem glorificata carnis formam exhibens; intus vero glorificantis Verbi formam imprimens.* In cœlo beatur Deipara secundum animam, & secundum corpus, utraque ejus pars essentialis, fruitur objecto suæ naturæ proportionato; corpus beatur visione humanitatis gloriæ Christi; anima vero visione divinitatis: quod ipsemet denotat, aiens Matri: *Tota de toto osculaberis*, idest visione spirituali osculaberis divinitatem; visione corporali osculaberis humanitatem. Duplex ejusmodi osculum præmiabit duo osculorum genera, quæ mihi peregrinanti in terra dedisti, anima tua osculo spirituali charitatis osculata est meam divinitatem; labia tua osculo corporali teneritudinis osculata sunt meam humanitatem: *Felicia prorsus oscula labiis impressa lactanti cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non fæliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo oris sui.* Serm: 1. de Assumpt. D. Bernar. Serm. 1. de Assumpt.

Dubium non est quin divinitatem suam Mariæ osculandam præbeat Christus; quin eam eminentiori satiet visione, quæ ei duplici ratione potissimum debetur, & tanquam Virgini & tanquam Matri. Tanquam Virgini, cum *integritas solida, & tota sanctitas de proximis visum sit faciem Dei.* Tanquam Matri, quæ cum receperit in incarnatione Verbi gratiam singularem, debet quoque in Empireo potiri gloria singulari. Unde Guerricus Christum alloquitur. *Tunc tibi posuisti in Maria sacrarium gratiæ, nunc thronum gloriæ.* Utrumque titulum quo sibi Maria peculiarem vindicat gloriam simul complectitur D. Cyprianus. *Erit ei privilegium speciale, quod nulla mulierum, nec antea, nec deinceps meruit obtinere:* Tert. lib. 1. Vx. 1. Ser. 1 de Assumpt. Selm de Nat. Virg.

obtinere: quod erat simul Mater & Virgo, singulis titulis insignita. Unde & Matri plenitudo gratiæ debebatur: & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali, intus & extra, Christi præsentia frueretur: Intus glorificantis Verbi formam imprimens; foris glorificatæ carnis formam exhibens.

Hæc posterior propositionis pars trinum potest habere sensum. Primus, ut Christus exhibeat sui corporis gloriam Virginis prospectui, ut Virginem recreet suæ pulchritudinis intuitu: Secundus, ut acceptam à Virgine carnem exhibeat glorificatam beetque Matris corpus visione carnis ab illa mutuatæ. Tertius, ut sicut Christus, quatenus Verbum, formam divinitatis imprimit Virginis intellectui, sic in carne Matris imprimat formam glorificatæ carnis [*Tract. de laud. Virg.*] dominicæ, ut una & eadem caro Matris & Filij, quasi eisdem gloriæ fulgeat dotibus. Hunc sensum intendere videtur Arnoldus Carnotensis, à Filij gloria Matris dimetiens gloriam: ut quibus est una caro, una anima, una charitas, una sit etiã gloria: *Una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus sit, una charitas: atque adeo Filii gloriam cum Matre, non tam communem iudico, quam eandem.* In laudem Gorgoniæ sororis, sic fatur Gregorius Nazianzenus: (Porro cum hoc unum Gorgonia reliquis omnibus antecedere cuperet, ut maritus quoque lustrali aqua tingeretur: ut sic toto corpore Deo consecraretur, ut non dimidia [*Serm. 1. de Assumpt. Virg.*] tantum ex parte tincta perfectaque discederet; ipsiusque aliquid imperfectum relinqueretur: hoc quoque à Deo precibus impetravit.) Et Guerricus Abbas Christum sic Matrem alloquentem inducit: *Nec satis glorificatus videbor mihi donec & tu glorificeris.* Filius divulsus à Matre cum qua unam & eandem carnem communem habebat, non satis sibi videbatur glorificatus: Hodie autem plene & integre est glorificatus ex glorificatione Matris, quæ cum Filio eandem carnem habens, communem videtur habere gloriam. Neque Christus [*S. Idelph. Serm. 6. de Assumpt.*] duntaxat Matris gloriosam exoptabat assumptionem quasi ad gloriæ integritatem: sed adhuc Mariam *Angeli desiderabant & cœlum ipsum de eius Ascensione querebatur.* Procul à cœlo cui nihil deest peregrinatur anxia quæsitio & insuspicabilis querimonia: Verum si in cœlo posset esse, ante assumptionem Virginis de ejus incolatu in terris, & in cœlis absentia, cœlites quærerentur, quasi tãtam gloriam inviderent; Terrigenis Regius Vates sic modulate canit: [*Ps. 1 9.*] (Ego autem in justitia apparebo, satiabor cum apparuerit gloria tua:) Theodotion scribit: *Implebor cum manifestabitur gloria tua.* Quasi complementum gloriæ extendat ad humanitatem Christi ad Patris dexteram residentis, aut ad Virginem [*S. Idelph. Ser. 2. de Assumpt.*] Matrem ad Filij dexteram auguste collocatam. *Hæc festivitas Assumptionis Virginis præcipua & venerabilis nobis, sed venerabilior in cœlo est Angelis & Sanctis omnibus quorum lætitia & gaudium proculdubio ex huius complețur diei exultatione; quando* [*De Excell. Virg. c. 8.*] *beata Dei genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis.* Tunc enim Cœlicolæ qui ex Dei visione essentiali fruuntur gloria; accidentalem quandam gloriam percipiunt ex visione Deiparæ: Quomodo intelligendus est Anselmus: *Dies Assumptionis non solum te, Domina, ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum quo penetrasti*

trasti

traſti, nec non cuncta quæ in eo ſunt, nova & ineffabili gloria decoravit. *De laudib. Virg.*

Adeamus nunc cum fiducia ad thronum gratiæ ut miſericordiam inveniamus, dicentes cum Epiphanio: *O beata Virgo, quæ gloriam cœleſtem portaſti, ne obliviſcaris nos in terra degentes: Nunquid quia ita Deificata, ideo noſtræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina, ſcis in quo diſcrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant ſervi tui. Non enim convenit tantæ miſericordiæ tantam miſeriã obliviſci: quia etſi ſubtrahit gloria revocat natura: non enim ita es impaſſibilis, ut ſis incompaſſibilis.* In cœlo regnat Deipara, ſed noſtri non obliviſcitur, *iſta ipſa Virgo cœleſtiũ pluviarũ pollicitatrix.* Aſcendẽs Chriſtus in altũ dedit dona hominibus: *Maria vera eſt, & unica Filij imitatrix: ex quo aſcendit in cœlum dabit & ipſa dona hominibus; ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas.* Verum uti Maria aſſumpta eſt ad cœlum humilitate, ſanctitate, & maternitate; ita & nos humilitate, ſanctitate, & divina Filiatione, in cœlum aſcendere debemus. Humilitate: etenim *humilitas ſcala eſt ad cœleſtia nos ſublimans:* 2. Sanctitate: nunc enim *habetis fructum veſtrum in ſanctificationem; finem vero vitam æternam.* 3. Divina Filiatione: quia *ſi filij & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti,* cum quo in cœlis poſſidebimus hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarceſſibilem & æternam.

Petr. Dam. Serm. 1. de Nat. Virg.

Tert. Apol. 23.

Epheſ. 4. Richard. à S. Laur.

Vmbertus c. 11. de Humil. Rom. 6.

MARTYR.

SCHOLIUM.

Martyrii. Pœna discriminatur : 2. Fortitudo commendatur : 3. Excellentia demonstratur : 4. Vita sacrificatur : 5. Victoria coronatur : 6. Passio remuneratur.

CONCIO PRIMA.

Lib. de Resur. Carn. 9

MARTYREM *testimonij sui militem* merito nuncupat ipsemet Deus apud Tertullianum : quia *Martyr Græce, Latine testis dicitur.* Ut autem animadvertit D. Augustinus, *sunt Martyres veri, sunt falsi : quia sunt testes sibi & falsi.* 1. Martyres falsi, Martyres diaboli . 2. Martyres falsi, Martyres sæculi : Martyres veri. Martyres Dei.

D. Aug. Ser. 11 de Sanct. Lib. 19. de Diversis.

1. PARS.

Tert l. 5. adv Marc 17

Tert lib de Præsc. Hæret. 40.

Diabolus qui *totum sæculum mendacio divinitatis implevit*, ut divinos sibi facilius conciliaret honores; res Dei semper æmulari molitus est. *Qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos; expositionem delictorum de lavacro repromittit. Mithra signat illic in frontibus milites suos; celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam.* Plura refert Tertullianus Christianæ religionis mysteria, à diabolo æmulata, qui sub gladio redimit coronam per falsos martyres inter quos annumerandi sunt plures: 1. Ethnici : 2. Hæretici : 3 Scelerati Christiani.

Tert. lib de Cor. Mil. 15.

1. *Mithra miles cum imitatur, in spelæo in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam ; quasi mimum martyrij ; idque in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento?* Neque solum Mithræ milites parati erant, omne pro Mithra tolerare supplicium ; sed etiam plures alij pagani, ultro pro tuenda idololatria, graviora quæque patiebantur tormente : at *illi non possunt habere Marty-*

D. Aug. Ep 6. ad Dulcitium

rum

rum mortem, qui Christianorum non habent vitam; *cum Martyrem non faciat pœna, sed causa.* Causa martyrii est vel gloria Dei, vel prædicatio veritatis; vel alienius propugnatio virtutis: Idolatræ diaboli martyres neque pro Dei honore, neque pro religionis veritate, neque pro defensanda aliqua virtute passi sunt: idcirco *tales occidi possunt, coronari non possunt*: quia etsi sustineant pœnam, non tamen justa de causa illam sustinent. Ut enim ratiocinatur D. Augustinus: (Quisquis in aliqua religionis quæstione fuerit ab Imperatore punitus, Martyr non efficitur. Neque enim vident qui hoc sentiunt in eum locum se progredi, ut etiam ipsos dæmones Martyrum sibi gloriam vindicare posse contendant, qui istam patiuntur persecutionem per Imperatores Christianos, ut pene toto orbe terrarum templa evertantur, idola comminuantur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorant, si deprehensi fuerint, puniantur. Quod si dementissimum est dicere: Non ergo ex passione certa est justitia, sed ex justitia passio gloriosa est) & quia Ethnicis deest justitia, si adest pœna, falsi sunt martyres, non secus ac hæretici martyres etiam diaboli. D. Cypr. Ep. 71. Lib. 1. cont. Ep. Parmen. c. 7.

2. *Doces scilicet & diabolus verberandam maxillam patienter offerre.* Hoc præstant Anabaptistæ, plures adhuc hæretici *mori magis eligunt quam converti*. Adeo enim in suis erroribus sunt obstinati, ut pietatem palam rejiciant, impietatem palam profiteantur, pro ea mortem subire parati; imo multoties capite plectuntur. Nam, ut subjungit Bernardus, *irruens in eos populus novos hæreticos sua ipsorum præsidia Martyres dedit*; Martyres non veros, sed falsos; non Dei, sed diaboli; licet qui eandem profitentur hæresim eos inter martyres Dei deputent: *Apud hæreticos qui propter iniquitates & errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine martyrii se jactant*: Sed falso: nam *Martyres veros non facit pœna, sed causa.* Octo autem generaliter de causis martyres efficiuntur: 1. pro justitia ut Abel: 2. pro lege Dei servanda, ut Machabæi: pro salute populi, ut Christus: 4. pro fide Christi, ut Stephanus: pro libertate & defensione Ecclesiæ, ut Thomas: 6. pro assertione veritatis, ut Isaias, Jeremias: pro objurgatione peccati, ut Joannes Baptista. Hæretici autem præsertim hujusce ætatis nulla ex his causis martyrium subeunt, ut absque ullo negotio probari potest. *Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ unitatis impiam divisionem; sed qui propter justitiam, persecutionem patiuntur, hi Martyres veri sunt*: Hæretici autem patiuntur non propter justitiam, sed propter iniquitatem & propter impiam Christianæ unitatis divisionem: Injustè enim adversus legitimos principes bellarunt, impie ab unitate Ecclesiæ defecerunt; proinde non sunt veri sed falsi martyres, martyres diaboli, quibus adnectendi sunt scelerati Christiani pro criminibus tormenta patientes, & in criminibus morientes. Tert. lib. de Spect. c. 1. D. Bern. Ser. 66. in Cant. D. Aug. Ser. 50 de Verb. Dom. D. Aug. Ep. 50 ad Bonif.

3. *Ne quis vestrum patiatur, ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alieni speculator.* Hujusmodi merito à judicibus damnantur suorumque criminum luunt pœnas, neque martyrii honore donantur. *Martyrem* Tert. Scorp. c. 12.

non

non facit pœna, sed causa: Nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent; omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur, coronarentur: omnes scelerosi atrocissimis etiam criminibus onusti essent martyres; itaque in patientibus non attendenda est pœna, sed discernenda causa. *Magnificamus Martyres, non quia gravioribus subiacuere supplicijs, sed quia iustitiæ causa toleravere supplicia: namque plurimos sceleratorum peiores pœnas vidimus esse perpessos, sed nihil eis prosunt: quia Martyres causa iustificat, sceleratos scientia sua damnat.* Martyrem non ex pœna, sed ex causa censendum, duplici comparatione belle declarat D. Augustinus: *Pater tradidit Filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Iudas Dominum suum: Cur in hac traditione Deus est pius, & homo reus; nisi quia in re una quam fecerunt, non est una causa qua fecerunt?* Pater enim Filium tradidit ex dignatione, Christus suum corpus tradidit ex hominum dilectione, Judas Dominum tradidit ex avaritia & proditione: *Tres cruces uno in loco erant; in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in medio Christus alterum liberaturus, alterum damnaturus: Quid similius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus?* Hæc autem dissimilitudo non est sumenda ex pœna, quæ in tribus est eadem, sed ex causa, quæ est diversa. Itaque *nemo se extollat & glorietur de passione; Nam si attendamus sola passiones, coronantur & latrones; si de passione gloriandum est, potest & ipse diabolus gloriari, eius ubique templa evertuntur, idola franguntur, sacerdotes eius arrepti caduntur. Nunquid potest dicere, Et ego martyr sum, quia tanta potior? Ergo homo Dei prius eligat causam, securus accedat ad pœnam; post pœnam accipiet Coronam.* Coronam non accipient martyres diaboli, quia accedētes ad pœnam, non eligunt causam. *Multi non eligerunt causam, ipso pro causa mala mortui sunt*: Cujusmodi fuerunt plures Ethnici, Hæretici, scelerati Christiani, & cujusmodi sunt hac ætate homines mundo dediti, qui pro terrenis bonis patientes dicuntur martyres sæculi.

D. Au. Ser. 11 de Sanctis.

Epist. 48. ad Vincentium.

D. Aug. Ser. 117. de Divers.

D. Aug. Ser. 6 de Martyrib.

II PARS. Bellè Tertullianus *debitricem martyrij fidem* prædicat. Quando incurrit negotium aut Christum negandi, aut mortem sustinendi, potius mors est sustinenda quam Christus negandus. Verum *discernendum est, pro quo quis patiatur: Erunt martyres veri, si pro veritate quæ Christus est, certent ut legitime coronentur.* Philosophi gentiles & hæretici non sunt veri Martyres, quia passi non sunt pro veritate, sed pro errore & impietate. Homines quoque mundo dediti, non sunt Martyres Dei, sed martyres sæculi; multa tormenta patientes pro 1. ambitione & superbia: 2. voluptate & lascivia: 3. terrena facultate & opulentia.

Scorp. 8.

D. Aug. Ser. 1 de Decoll. S. Ioan. Bapt.

1. Plura aliorum retulimus tormenta quæ patiuntur ambientes, ut vanos honores, vaniores sibi comparent dignitates. Illorum cruciatus in præsentiarum duplici demonstrat Tertullianus exemplo: 1. Athletarum: *nempe enim athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lautioribus, à potu iucundiore; coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laboraverint,*

Tert. Præs dicto. 1. Tract. de Ambit. Conc. 5. L. ad Mart 3.

verint, tanto plus de victoria sperant? Neque per tot exantlatos labores Martyres effecti sunt; quia illos ex vanitate tolerarunt, neque immortalitatis coronam sunt adepti, quia varios illos sustinuerunt cruciatus, ut duntaxat coronam corruptibilem consequerentur ex frondibus & floribus contextam. 2. Ambientes sæculi Martyres proponit Tertullianus: [Sed enim illos qui ambitus obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantum, verum & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis & lætitiæ felicitate.] Fuse refert Tertullianus incommoda animi & corporis quæ patiebantur qui apud Romanos ambiebant magistratus, misere renuntiantes cunctis vitæ oblectamentis. *Idque totum propter unius anni volaticum gaudium.* Homines hujusce ætatis post honores & dignitates anhelantes, non minores patiuntur pœnas, nec tamen Dei, sed sæculi duntaxat sunt martyres, pro quo illas tolerant. *Ideo in Psalmo, vox illa intelligenda est verorum Martyrum, volentium se discerni à martyribus falsis: Judica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit pœnam meam; sed discerne causam meam: potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est Martyrum causa.* Martyres patiuntur pro gloria & honore Dei, superbi pro vana gloria acquirenda & dignitatibus comparandis: Martyres pro adipiscendis cœli soliis, ambitiosi pro honoribus vanis: & ut belle ad propositum fatur Petrus Blesensis: [Pro hac vanissima vanitate militant hodie nostri Curiales in labore & ærumna, in vigiliis multis, in periculis magnis, periculis maris, periculis fluminum, periculis fontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus, in mortibus frequenter, in confractione & lassitudine corporis, atque in aliis vitæ discriminibus, in quibus gloriam Martyrii mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent; nunc autem sunt martyres sæculi:] non secus ac libidinosi qui venereas sectantur voluptates.

L. de Pœn. 11.

42.

D. August. Ep. 50. ad Bonif.

Ep. 14.

2. *Contristetur illic qui fructum sæculi suspirat.* Martyr sæculi est impudicus post carnis suspirans lascivias. Quot spinis pungantur qui quærunt lascivias, qui in eis volutantur, qui eas amittunt aliorsum fuse demonstratum est. Nunc ut appareat quam vere sint sæculi martyres, audiatur D. Augustinus probe illos cum venatoribus comparans. *Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab aquis, à fossis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi & sitiendi? quantas vilissimi & sordidissimi potus angustias, ut bestiam capiant, & interdum nec ipsa bestia carnes propter quas hæc tanta sustinent, sunt epulis necessaria.* Majora adhuc incommoda, damna & pericula, incurrunt libidinosi in captanda amasia, quam venatores in venandis bestiis: & sæpe sæpius post tot labores, tot cruciatus, tot jacturas, patiuntur repulsam, nec bestiæ caro eis ad epulandum ministratur. Quam dissimiles sunt lascivi sæculi martyres à veris Martyribus! *Per multas siquidem tribulationes intrant*

Tert. lib. ad Mart. 2.

Tert. Præd. tom. 2. Tract. de Beatitud. Conc. 1.

Serm. 41 de Temp.

Pet. Bles.

intrant Iusti in regnum cœlorum, hi autem per multas tribulationes promerentur infernum, ad quem detruduntur avari sæculi martyres, in captandis temporalibus divitiis multas pœnas sustinentes.

Tert lib 4. adv Marc. 15. 3. *Dei est maledictio in divites*, quia plus pro comparandis terrenis facultatibus laborant, quam justi pro adipiscendis æternis cœli bonis. Avarorum labores, angores, timores, & crudelitates in semetipsos aliorsum demonstravimus. Nunc præbendæ sunt aures querelæ veri Martyris adversus avaros. Sic enim fatur apud D. Augustinum Deum alloquens: [Judica me & discerne causam meam, discerne famem meam, pro auro acquirendo esuriunt & avari; discerne nuditatem meam, pro auro despoliantur & avari; discerne mortem meam, pro auro moriuntur & avari. Quid est, Discerne causam meam? Propter te mortificamur, illi propter aurum, nos propter te, similis pœna, sed discreta causa.]

Tert Præd. to 2 Tract. de Beatitud Conc. 1. Tract. de Avar. Côc. 5 in Ps. 42.

D. August: Christiani, sitis Martyres non sæculi, sed Dei. *Eligite Martyrum causas, si vultis pervenire ad Martyrum palmas*. Martyres non avaritia æstuarunt sed terrena bona contempserunt; venereas voluptates non quæsierunt, sed carnis illecebras continuo mortificarunt; dignitates sæculi non ambierunt, sed vanis honoribus renuntiarunt. *Non Martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum, pervenitur non solum occasu, sed etiam contemptu, ad carnis coronam. Carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna Martyrii est*. Quod si ex D. Augustino qui fortunæ bonis generose renunciant, Martyrii donantur honore, quanto verius sunt Dei Martyres, qui pro ejus amore constanter sustinent mortem?

D. August: Ser 46. de Sanct.

III. PARS. Tert. Scorp 6. *Porro etsi fidei propterea congruebat sublimitatis & claritatis aliqua prælatio, tale quid esse oportuerat illud emolumenti, quod magno constaret labore, cruciatu, tormento, morte*. Martyrium duplex est: unum improprium & similitudinarium tantum, cùm quis pro Christo tolerat non mortem, sed incommoda vitæ; aliud proprium & verum, cum quis libenter pro religione patitur mortem. De martyrio similitudinario loquitur D. Bernardus. *Quod Martyrium gravius est quam inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosa vestimenta algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas noster desiderat appetitus?* De Martyrio proprio fatur Tertullianus: *Agnosce igitur differentiam ethnici & fidelis in morte, si pro Deo occumbas, non in mollibus febribus, & in lectulis, sed in martyriis*. In præsenti est quæstio de Martyrio vero & proprio ad quod requiritur, 1. pœna: 2. causa, 3. forma.

Serm: 1. in Fest: omn: Sanct.

L. de An 55.

Tert: lib 4. adv: Marc. 21. 1. Ad verum Martyrium requiritur mors; *utique non simplex, nec de natura lege communis, sed illa insignis & pro fide militaris; in qua qui animam suam propter Deum perdit servat illam*. Nulla namque pœna sine morte propriè efficit Martyrium, quia maximam importat pœnam: sola autem mors est maxima pœna. Unde D. Augustinus: *Si nulla esset mortis molestia, nulla esset Martyrum gloria*, Quapropter proprie non dicitur quis Mar-

Tract 123. in Joan.

tyr

tyr pro toleratis contumeliis, carceribus, exiliis, bonorum rapinis, nisi ex prædictis sequatur mors. Licet omnis Martyr sit religionis Confessor, non tamen omnis Confessor Christianæ religionis est Martyr. *Confessio exordium est gloriæ, non meritum coronæ; nec perficit laudem, sed initiat dignitatem.* Martyrii corona non tormentis, sed morte compa ratur: *Si qui in metallis, in insulis, in custodiis, ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt:* atqui libenti animo pro religione sustinent mortem propriè sunt Martyres: *Ipsi Martyres, fidei Christi Martyres, id est hujus fidei testes fuerunt: huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non regnando, sed moriendo vicerunt:* Martyriique consecuti sunt honorem justa de causa mortem patientes. D. Cypr. l. de dign. præl. Tert. Apol. 39. D. Aug. l. 22 Civ. 9.

2. *Quod aliud negotium patitur Christianus nisi suæ sectæ?* Martyrium proprium non solum maximam importat pœnam; scilicet mortem, sed etiam causam justam & legitimam, pro qua violentam Martyr patitur mortem. Nam ut multoties dictum est cum D. Augustino: *Non pœna facit Martyrem, sed causa.* Trina autem est causa generalis pro qua Martyr potest sustinere mortem. 1. Pro confessione fidei voce facta. *Honorata est apud Deum mors religiosorum ipsius, quæ in ipso aditur ex testimonio religionis, & prælio confessionis, pro justitia & sacramento.* 2. Pro quocunque bono opere propter Christum faciendo: & ob hanc causam Christiani à tyrannis morte damnati, sic eos redarguunt: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio etenim innocentiæ nostræ, iniquitas vestra.* 3. Pro quocunque malo propter Deum vitando: ideoque beati Joannis Baptistæ Martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro fidei confessione; sed pro adulterii reprehensione sustinuit mortem. *Ante Christum multi qui mortui sunt, & martyres sunt, non propter confessionem nominis Christi, quo Christiani sumus, sed quia peccata hominum dicebant in eos, & eorum iniquitatibus liberius resistebant, & habentur inter martyres.* Tres illas generales subeundæ mortis pro Deo causas recognoscit Tertullianus etiam in Sanctis veteris Testamenti. *A primordio enim justitia vim patitur. Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio sortita est; qui Deo placuerat ceciditur, & quidem à fratre. Quo proclivius impietas alienum sanguinem sectaretur, à suo auspicata est.* Habes Abelem pro justitia & virtute facienda mortem passum. *Denique non modo Iustorum, verum etiam & Prophetarum; Helias fugatur, Ieremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans.* Ut quid adeo cruentas sustinuerunt Prophetæ mortes, nisi pro prædicata fidei confessione? Tandem capite truncatus est Joannes Baptista, eo quod Herodis redarguerit incestum. *Ipse clausula Legis & Prophetarum; nec Prophetes, sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ psaltricæ lucar.* In his omnibus legitima fuit causa martyrii, cujus forma est dilectio. Tert. Scorp. 4. L. 4. de Bapt. 17. Scorp. 8. Apol. 48. D. Aug. in Ps. 140. Scorp. 8.

3. *Virtute enim patimur ex dilectione in Deum, & sana mente, cum ob innocentiam patimur.* Sic loquuntur Martyres apud Tertullianum, de- Scorp. 12.

notantes & causam & formam martyrii: Causam, patientes ob virtutem & innocentiam; formam, ex dilectione Dei acerbam mortem sustinentes. Tert. Scorp. 6. *Dilectio quæ Deum diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.* Quasi dicat: Amor typus & forma Martyrum est: Dicitur autem amor Martyres cudere, ducta metaphora à moneta, typo excusa, cujus valor augetur ex sibi impressa regis imagine. Amor Dei sigillum est, veros excudens Martyres, imprimens in eorum cordibus Dei imaginem; & in eorum carne, passionem Christi, qui est forma & typus Martyrum; ex dilectione crucis patiens supplicium.

Orat. pro Basil. *Vivi Martyres* nuncupantur à Nazianzeno Christi passiones ritè tolerantes: nam, ut ait D. Augustinus, Serm. 32 de Sanctis *tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium.* Inde exclamat Tertullianus: Scorp. 8. *O Martyrium, & sine passione perfectum!* quia cruentum æmulatur Martyrium habetque pœnam, causam, & formam: 1. Pœna non deest. D. Aug. in Ps. 93. *Omnes Christiani patiuntur: & si non saviunt homines, savit diabolus; etsi Christiani facti sunt Imperatores, nunquid diabolus factus est Christianus?* Etsi nihil ab hominibus patiaris, neque à dæmonibus tenteris, Pet. Dam. Serm. 7 de Sanct. A post. *vis adhuc apertius discere, qualiter in pace sancta Ecclesia valeas martyrium invenire? Ascende igitur tribunal mentis, & temetipsum pertrahe ad judicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus judicet, pænitens conscientia velut carnifex feriat, lacbrymarum rivus velut vulnus erumpat. Sic, sic per martyrii similitudinem, ad veram pervenies Martyrum dignitatem.* 2. Justa de causa has aliasque tolerans pœnas. D. August. Ser. 231. de Temp. *Nemo dicat, fratres charissimi, quod in istis temporibus Martyres non sint. Martyr enim testis interpretatur, quicunque ergo pro veritate testimonium dederit, & omnes causas cum justitia judicaverit, quidquid pro testimonio veritatis vel justitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit.* Huic autem martyrio 3. charitas tanquam forma perficiens dat complementum. Quod egregie adnotavit D. Ambrosius elucidans istud Canticorum: Cap. 8. Fortis est ut mors dilectio: *Est & illa mors sanctorum Martyrum valida, cujus non impar est charitas, quæ adæquatur Martyrum passioni.* Et quia charitas diligit Deum propter semetipsum, & proximum propter Deum, Christianus vivus martyr Dei amore sufflammatus constanter pro illo omnia incommoda vitæ sustinet: Chrysol. Ser. 16. quia *verus amor nonnisi passionibus probatur*, & insuper pro Dei amore infensissimis quibusque inimicis benefacit. Greg. Naz. Orat. pro Basil. Cujus illustre habemus in Magno Basilio exemplum: qui quam dure & contumeliose à Ponti Præfecto tractatus, quod simul ac rescivit civitas in Præfectum impudentissimum armatur: pietatem existimantes cives impium hominem atrocissime trucidare. Imminens periculum evadere, volens Tyrannus, asilum quæsivit apud Basilium, qui immemor injuriæ, etiam dum præsens illi irrogabatur injuria, crudelem persecutorem ab instanti periculo liberavit: ideo Martyr & sine plaga victor à Gregorio Nazianzeno prædicatur. *Quid igitur audax ille, & insolens judex? supplex erat, miserabilis, calamitosus, quovis homine dejectior; quoad conspectum prodiens*

ille Martyr, & plagis victor ac populum pudore correptum per vim retinens, supplicem suum ac venatorem à periculo liberavit. Basilius crudelissimo benefaciens persecutori Martyr nuncupatur: & Christus in cruce pedens & crucifigentibus parcens, Christianos ad sui imitationem hortatur, ut Martyres esse possint: *Imo dicit tibi Deus: Doceam te, imiteris me in cruce pendens dixi: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, docui hoc milites meos; docui Martyres meos.* Qui de inimicis vindicari volunt, veri martyrii non merentur palmam, ut ex Sapricio presbytero constat, qui parcere nolens Nicephoro propositam amittens coronam, fidem perdidit. Nec sunt vivi martyres, quia sunt charitate distituti. *Manifestat hoc Apostolus, cum dicit: Et si tradidero omnem substantiam meam pauperibus, & si tradidero corpus meum ig nit ut ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Christiani, ut pœnæ hujus temporis vobis prosint, habete fidem & charitatem. Fidem, ut possitis habere charitatem: nam ut subjungit Chrysologus; *non enim habet charitatem Christi, qui Christo non fideliter credit;* Charitatem, ut in cœlo habeatis Martyrum coronam.

D Aug Ser. 4. de S. Stephan.

Chrysol. Ser. 119.

CONCIO SECUNDA.

MArtyres *utique beatos affirmavit, quibus donatum est non tantum credere in Christum: sed etiam pro ipso pati.* Quemadmodum nemo religionis mysteria credere potest nisi divinitus illustretur. quia fides est Dei do . um, ita nemo martyrium pati potest, nisi ei desuper concedatur. *Multi pati voluerunt, neque potuerunt: nulli tamen potuerunt, nisi qui voluerunt; sed ipsorum præparata est voluntas à Domino.* Ut quis pro Deo patiatur. Duobus indiget, & supernaturali Dei dono & libero voluntatis arbitrio: Dei donum necessarium est ut præparet, excitet & adjuvet & voluntatis arbitrium. Voluntatis arbitrium necessarium est, ut Dei dono moventi, prævenienti, excitanti liberum præbeat assensum: *Fortitudinem Christianorum, Dei facit charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris non per voluntatem arbitrii quod est à nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis:* quique patiendi subministrat potestatem: *Quando & nos pro Deo pati non possumus, nisi Spiritus Dei sit in nobis; non tam ipse patiens, sed pati posse præstans.* Martyres quibus donatum est pro Deo pati, accepto simul cum charitate Spiritu sa: ctos admirabilem ostentarunt fortitudinem: in 1. damnis sustinendis: 2. tormentis tolerandis: 3. hostibus debellandis.

Tert. Scorp. 12.

D. Aug Ser. 15 In Ps. 118.

D. Aug l de ver Innoc. c. 195.

Tert. lib ad v. Prax. 49.

Longum est si enumerem singulos, qui se gladio confecerint, animo suo ducti Loquitur Tertullianus de gentilibus tum viris tum fœminis qui violentam ultro subierunt mortem sub præmio laudis humanæ; *Sed hæc exempla constantiæ omittamus de affectione venientis*, quæ potius insaniam quam sapientiam redolent, quæ desperationem magis quam animi fortitudi-

L. ad Mart 4

D Cypr. de Orat Dom — tudinem sapiunt. *Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* Martyres veram à Deo sapientiam & fortitudinem mutuati, constanti animo timorem, horrorem, & dolorem superarunt; Homo naturaliter timet imminentia pericula, horret præsentia mala, dolet ob illata damna. Quam admirabilis Martyrum fortitudo, qui 1. absque ullo timore ad tribunalia ducuntur: 2. absque horrore carceres ingrediuntur: 3. absque dolore bonorum damnum patiuntur.

Tert. Apol. 45. — 1. Martyres *Deum non proconsulem timentes* ad tribunalia ducuntur, absque ullo mortis metu. Licet enim ex naturæ imbecillitate sint timori obnoxii, Gratiæ tamen auxilio efficiuntur intrepidi. Unde *tota illorum fortitudo, ad eum qui in Sanctis suis est mirabilis, referenda est; quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorum fragilitas humana succumberet:* & quod est prorsus stupendum illorum fortitudo orta est ex timore. Nam ut animadvertit D. Augustinus, *Deum timendo, hominem non timuerunt.* Magnum est discrimen inter homines mundo deditos, & Dei Martyres. Illi sunt *fortes reprehensibili, & damnabili fortitudine*: isti sunt fortes Christiana & laudabili fortitudine. Illi reprehensibili fortitudine fortes sunt, quia Deum non timent: nam ut ait D. Augustinus, *Perverse fortis est, qui Deum non vult timere, ut timendo audiat, audiendo diligat, diligendo non timeat.* Isti laudabili fortitudine fortes sunt: nam ut subjungit D. Augustinus de Christiano Deum timente & diligente loquens: *Tunc vero erit fortissimus: non superba duritia, sed secura justitia, sicut etiam scriptum est, Timor Domini spes fortitudinis* Inde concludit D. Augustinus: *quapropter discat timere, qui non vult timere.* Discat timere æternam mortem, qui temporalem non vult timere mortem; discat timere supremum judicem, qui non vult timere Prætorem aut Proconsulem; discat timere Deum, qui non vult timere hominem. *Times hominem, Christiane, quem timeri oportet ab Angelis, siquidem angelos judicaturus es, quem timeri oportet à dæmonibus, siquidem & in dæmonas accepisti potestatem; quem timeri oportet ab universo mundo, siquidem & in te mundus judicatur.* Time non creaturas, sed Creatorem, ad instar Martyrum qui Deum timentes absque timore ad Judicum tribunalia ducti sunt; Deum diligentes, absque horrore ergastula & carceres ingressi sunt.

[Margin: D Aug lib de ver. Innoc c. 33 — D. Aug. in Ps. 58 — Serm. 214 de Temp — Prov. 14 — Tert lib de Fug in Pers 10.]

2. Quam horribilis sit carcer, belle declarat Tertullianus: ubi *caro in vinculis caro in ligno, caro in solo, & in illa paupertate lucis, & in illa penuria mundi.* Caro in ligno, idest in compede lignea; caro in solo, idest in solitudine; in tristitia desolationis, vel in nuda humo: in illa paupertate lucis, idest in densis tenebris; in illa penuria mundi, scilicet in omnium rerum egestate. Idem argumentum tractat alio sum Tertullianus de carne loquens. *Cum in carceribus marceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, squalore, pedore, contumelia victus, ne summo quidem libera: quippe ipsis etiam cubilibus vincta; ipsisque stramentis lancinata.* Carceris adhuc incommoda & ærumnas eloquenter describit Cassiodorus, qui est [Cella gemituum, tristitiæ domus, locus perpetua nocte cæca-

[Margin: Lib de Pat 13. — Lib de Resur. Car 8 — Lib 11. Var Ep 40]

cæcatus: in qua non unum tormentum sustinet reus, qui antequam incurrat necis exitus, à supernis probatur abscissus. Primum pædor ille collega catenarum, obominabili mœrore discruciat, auditum alieni gemitus & lamenta conturbant; gustum jejunia longa debilitant; tactum pondera prementia defatigant; lumina diuturnis tenebris obtusa torpescunt. Non est unum clausis exitium: multifaria morte perimitur, qui carceris squalore torquetur.] Quod si tenebræ noctis horrorem ingenerant, quanto horribilior carcer, tot acerbissimos cruciatus includens? Quo majora sunt incommoda, eo majori opus est fortitudine: Siquidem *fortitudo est animæ affectio, qua omnia incommoda contemnimus.* Qualis quæso Martyrum fortitudo, qui absque horrore ullo ingrediebantur ergastula, & horribiles carceris constanter sustinebant ærumnas? Quos belle consolatur Tertullianus. [Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse; exisse vos è carcere, quã in carcerem introisse intelligimus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Graviores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremo reos mundus continet, scilicet universum hominum genus. Iudicia denique, non Proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos, Benedicti, de carcere in custodiarium si forte translatos existimetis: Habet tenebras, sed lux estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Tristis ordor illic expirat, sed vos ordor estis suavitatis. Iudex expectatur, sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi. Contristetur illic, qui fructum sæculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere autem etiam carceri. Nihil interest, ubi sitis in sæculo; extra sæculum estis.] Profunde Tertullianus declarat, 1. mundum esse carcerem: 2. Martyres in carcere, carceris immutare ærumnas: 3. absque horrore & tristitia tolerare cuncta carceris incommoda: 4. renuntiasse tum sæculo, tum carceri: 5. ubicunque sint absque dolore sustinere bonorum damnum & jacturam.

D. Aug. lib. de Lib. A. c. 13

L. ad Mart.

Tert. Apol. 45

3. *Sed & Epicurus omnem cruciatum, doloremque depretiat.* Verum ut bene philosophatur D. Augustinus adversus stupidum illum Philosophum; *omnino non dolere dum sumus in hoc loco miseriæ, profecto sicut quidam apud sæculi, hujus litteratos sensit, & dixit, non fine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore:* dolor etenim afficit tum animam, tum corpus. *Dolor animæ tristitia dicitur, molestia vero quæ fit in corpore, dolor dici potest. tristitia non potest; sed ex dolore corporis, plerumque anima contristatur.* Quod si quæras à D. Augustino unde procedit dolor apud mortales; respondebit ex amissione boni possessi. *Ipse enim dolor est testimonium boni adempti.* Dum quis boni patitur jacturam, dolet & quo majus est damnum quod incurrit, eo majori afficitur tristitia: siquidem *damnum dicitur, quod aliquis perdit.* Martyres à tristitia & dolore eximi nequeunt, nisi eorum offendatur humanitas & fortitudo. Aliud enim est dolere & tristari, aliud, à dolore & à tristitia vinci. Martyres tenserunt in corpore dolorem, in anima passi sunt tristitiam,

L. 14 Civ. 9

D. Aug. in Ps. 42.

D. Aug. lib. de Mendac. 8.

tiam, sed cum Dei adjutorio superarunt corporis dolorem, & animi tristitiam. *Nisi adesset sensus dolorum, nihil haberet admirabile, martyrium, sed superare dolorem, corona dignum est.* Sentire dolorem est humanæ infirmitatis; vincere dolorem & tristitiam, est gratiæ & fortitudinis. Nam ut subjungit D. Cyprianus, *horrere mortem, naturæ est; vincere naturam animi fortitudine, gratiæ est.* Quanta autem fuerit Martyrum fortitudo, conjectandum est ex damno quod faciebant; damnum vero ex detrimento boni quod patiebantur: omne enim fortunæ & naturæ amittebant bonum; nam divitiis denudabantur, dignitatibus dejiciebantur, deliciis frustrabantur; à suis amicis & proximis separabantur; & post acerbissimos toleratos dolores vita privabantur.

D. Cypr. de Dup. Mart.

At unde in tanta bonorum jactura, tanta Martyrum fortitudo? Hujus multiplicem accipe causam: 1. Quia temporalia non amantes, de eorum amissione non multum dolebant: *Fortitudine non amat homo hæc temporalia, & non dolet amissa.* 2. Quia à Christiana disciplina erant eruditi, terrenorum jacturam ferre patienter; ut ipsemet Martyres declarant persecutoribus & tyrannis. *Illa ipsa obstinatio quam exprobratis, magistra est.* Sumitur autem ibi obstinatio, non pro obdurata pertinacia in arrepto hæresis proposito: sed pro constanti & tolerantiore patientia. 3. Quia Christiani abdicatione temporalium bonorum erant ad martyrium præparati & expediti. [Sunt qui existimant Christianos, expeditum morti genus ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus.] 4. Quia minus patiebantur damnum, ne majus incurrerent. *Nemo dubitat cavendi majoris damni causa, patiendum esse quod minus est.* 5. Quia amittentes terrena bona, sibi comparabant cœlestia: *Et si aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris.* Ob has aliasq; rationes fortes fuerunt Martyres, tum in amittendis fortunæ & naturæ bonis: tum in tolerandis etiam gravissimis suppliciis.

D. Aug l. 1. de lib. Arb. 11. — Tert. Apol. 48. — Tert lib. de Spect. 1. — D. Aug lib. de Mendac. 18. — Tert lib. ad Mart. 2.

II. PARS.

Zero Eleates consultus à Donysio, quidnam philosophia præstaret? cum respondisset, Contemptum mortis, flagellis tyranni subjectus sententiam suam ad mortem usque signabat. Veteres Philosophi ita erant de constantia commendati, ut Sidonius Apollinaris Theodorici Regis prædicans æquanimitatem dicat: *Putes Theodoricum, & in calculis arma tractare? Sola est ibi cura vicendi: in bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in utrisque philosophatur.* Theodoricus tesserarum ludo vacans, dum in bonis jactibus vincit, tacet: dum malis actibus vincitur; tum quasi victor ridet, exultat, triumphat; & de affectata Philosophiæ æquanimitate, Philosophorum æmulatur constantiam. [Nihil est inexpugnabilius Philosophia, nihil tranquillius: Omnia prius cedunt quã Philosophus. Duo sunt invicta, Deus, & Angelus, & tertiũ, Philosophia. Est enim Philosophus non materialis in materia, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in affectib⁹ imperturbatus ubiq; inferior cæteris præterquã animi magnitudine & cedendo vincens illos qui se vincere putant. Adeo tranquillũ, inexpugnabilẽ & invictũ Philosophũ efficit constantia

Tert. Apol. 48. — Ep. ad Agricolam. — D. Greg. Naz Orat. pro Basil.

ut in quavis fortuna sive prosperè ridente, sive adversa minitante, sive supplicia infligente, inconcussus & invisus permaneat. Nec mirum, quia in materia vacat materia, & spiritalem Angeli velut sapit naturam; est in terra cœlestis: licet enim in terra degat, in cœlo tamen conversatur; est in passionibus impatibilis, non quòd reipsâ non acerba patiatur, & humanitus doleat; [dolores enim sunt humanorum sensuum appendices] sed quia ad constantiam crebris vitæ molestiis eruditus, & duris persecutionibus assuetus sentiendo propè obtineat, ut sentire non possit. Verùm *quid simile Philosophus & Christianus*? Martyres namque Christiani passos gentiles Philosophos longè superant in patiendi 1. justitia, 2. constantia, 3. multimoda suppliciorum tolerantia. Tert. Apol. 46

2. *Si quis patitur ut Christianus, ne erubescat; glorificet autem Dominum in isto nomine.* Tantum abest ut tormenta quæ patitur Christianus ut Christianus, sint probrosa, quinimò & Deo, & Religioni, & sibi gloriosa sunt. Quod attentè non considerant qui *dicunt quando pœnam sustinent: Si meruissemus, non erubesceremus; nunc autem injustè pati, & sine causa, ignominiosum nobis est. Oculi qui non vident, imò si pro culpa pateris, erubesce; sine culpa pateris, gloriare*, præsertim cum justa de causa pateris. Nam, ut animadvertit D. Augustinus: *cùm boni & mali eadem faciant, eademq; patiantur, non factis & pœnis, sed causis utique discernendi sunt.* D. Augustino arridens D. Bernardus bellè ad propositum ait duas res mortem efficere pretiosam: *Vitam & causam; sed amplius causam, quàm vitam: illam esse pretiosissimam, quam & causa commendat & vita.* Pretiosissima fuit Martyrum mors, quam & vita commendat, & causa. Vita enim illorum fuit innocua, gratiâ ornata, sanctitate decorata; neque enim pro patratis criminibus, sed pro demonstratis virtutibus passi sunt mortem; ut ipsimet declarant Scapulæ Africæ præsidi: *Quod aliud negotium patitur Christianus, nisi suæ sectæ? quam incestam, quam crudelem tanto tempore nemo probavit.* Alium non minus crudelem præfectum objurgant adhuc apud D. Cyprianum: *Innoxios, justos, Deo charos domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis.* Itaque injustè torquebantur ab injustis judicibus, quorum crudelitas Martyrum testabatur innocentiâ, & vitæ probitatem. Unde & crudeles illos persecutores redarguunt: *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentia nostra, crudelitas vestra.* Justa etiam de causa passi sunt, scilicet pro Dei honore, religionis propugnatione, veritatis confessione, virtutis decore. Qui moritur pro aliqua veritate mathematica, physica, logica, verè non est Martyr: at qui moritur pro Deo, pro fide, pro aliqua virtute Christiana, pro veritate ad pietatem pertinente, martyrii meretur coronam. Propter has causas se passos testantur ipsi Martyres: *Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur; quod nec sacrilegi, nec hostes publici, verùm nec tot majestatis rei pati solent.*

Tertull. Scorp. 12 — Hug Vict. l. 1. miscellan. tit. 50 — Epist. 48 ap Vincentium — Epist. 98 — Ter. l. ad Scap. 4 — Adv. Demet. — Tert. Apol 48 — Tert. l. ad Scap. 4

Multò pretiosior est Martyrum mors gentilium Philosophorum morte, quam non commendat neque vita, neque causa. Non vita, quia fuerunt su-

perbiâ inflati, lasciviâ dehonestati, infidelitate notati, cunctis sceleribus contaminati, ut fusè demonstrat Tertullianus, cujus verba aliorsum retulimus. Non causa, quia non subierunt mortem pro Dei honore, aut religionis zelo, aut pro tuenda aliqua virtute, aut fidei veritate; sed vel ex vanitate, vel desperatione, vel aliqua animi passione, quantumvis ab Ethnicis eorum mors prędicetur, & Christianorum martyrio præferatur. *Propterea enim desperati & perditi existimamur: sed hæc desperatio & perditio penes vos, in causa gloriæ & famæ vexillum virtutis extollunt. Mutius dexteram suam in ara libens reliquit. O sublimitas animi! Empedocles totum sese Catanensium æthneis incendijs donavit: ô vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo secundum matrimonium dedit: ô præconium castitatis! Regulus, ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur: ô virum fortem, & in captivitate victorem! Anaxarchus cùm in exemplum ptisanæ pilo contunderetur: Tunde, tunde, ajebat, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis: ô Philosophi magnanimitatem, qui de tali exitu suo etiam jocabatur! Omitto alios, qui cum gladio proprio aliove genere mortis, mitiore de laude pepegerunt. Ecce enim Attica meretrix carnifice jam fatigato, postremò linguam suam concisam in faciem tyranni sævientis exspuit, ut exspueret & vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Certè Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honoris conferunt, quantum sanguinis fuderint: ô gloriam licitam, quia humanam; cui nec præsumptio perdita, nec persuasio desperata reputatur, in contemptu mortis, & atrocitatis omnimoda, cui tantum pro patria, pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet!* Longiusculè refert Tertullianus supplicia, quæ plures passi sunt Gentiles vel ex præsumptione, vel desperatione, vel vanitate, pro patria, pro imperio, pro amicitia, quibus longè superiores sunt Martyres: tum quia eorum vita erat non scelerosa, sed innocua: tum quia non iniqua de causa, sed justa de causa sunt cruciati: tum quia majorem animi demonstrârunt constantiam.

Apol. 46
Ter. Prædic. tom. 2 Tract. de Apostol. Conc. 4
Tert. Apol. 48

2. Mirabilis profectò Gentilium constantia, qui *se gladio confecerunt animo suo ducti*, vel qui ab aliis cruciati atrocissima passi sunt supplicia: *Acerba licèt ista, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò appetita, famæ & gloriæ causâ; nec tantùm à viris, sed etiam à fœminis.* Plura refert Tertullianus exempla tum eorum, qui animo suo ducti sese gladio confecerunt; tum eorum, qui ab aliis damnati acerbiora quæque supplicia constantissimè subierunt. His longè constantior Christianus martyr, qui *impavidos animos dat dolori*; quasi sit *vivum cadaver*, ut fatur D. Zeno Veronensis Antistes: vivum quidem ad doloris sensum, cadaver emortuum ad suppliciorum tolerantiam. *Incertum est, utrùm impassibilis judicetur, cùm aliquid passus, quasi nihil passus sit, invenitur*; tantâ est constantiâ præditus. Hanc animi immobilitatem in cunctis generatim Martyribus agnoscit Eusebius Emissenus: *Diversa multimoda crudelitatis ingenia, novosq; cruciatus in semet Sanctorum pectora invicta consumunt; intolerandum pondus malorum contemnendo vincunt, & sentiendo obtinent,*

Tert. l. ad Mart. 4
Apol. 48
Lib. 1. ad Nat. 18
l. ad Mart. 4.
l. de An. 1
D. Cypr. l. de laud. & exhor. Mart.
Serm. de S. Arcad.
S. Zeno ser. de Pat.
Hom. de Blandin.

nent, ut sentire non possint. Tum quia internis juvantur consolationibus, quia divinâ gratiâ fortes sunt effecti. *Quid magnum si fortis sit Angelus? magnum si fortis sit caro: sed unde fortis? unde fortis vas fictile nisi à Domino?* Tum quia à Christo habetur *mira æquanimitatis fides.* Tum quia *nibil crus sentit in nervo, cùm anima in cœlo est,* & promissam contemplatur immortalitatis coronam. D.Aug.in Ps.138 Tert.l.de Pat.3 Tert.l.ad Mart.2

Ethnicæ constantiæ exempla habemus apud Romanos, Græcos, & Indos. Inter Romanos commendantur Mutius & Regulus. *Mutius dexteram suam in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Regulus dux Romanorum captus à Carthaginensibus, cùm se unum pro multis captivis Carthaginensibus compensari noluisset, maluit hostibus reddi, & in arca genus stipatus, undique extrinsecùs clavis transfixus, tot cruces sentit.* Verùm, ut fatur D.Augustinus: *Martyres Scævolas, & Curtios, & Decios, non sibi inferendo pœnas, sed illatas ferendo, virtute verâ superârunt.* Plus audet Minutius Fœlix, generosis illis Romanis etiam debiles mulierculas Christianas & pueros præponens: *Quid cum Mutio vel Regulo comparo? pueri ac mulierculæ nostræ cruces, & tormenta, feras, & omnes suppliciorum terriculas inspiratâ patientiâ doloris illudunt.* Calanus Indorum Gymnosophista super struem lignorum corpus suum componens coram Alexandro Macedone, pacato animo expectavit mortem, & absque ullo motu consumptus est ab igne. *Et ut nostra cum Indorum Gymnosophistis conferamus, quod ille verbis gloriatus est, sanctus Laurentius factis probavit, ut vivus exureretur, & flammis superstes diceret: Versa, & manduca.* Nec minor fuit constantia B.Eulaliæ virginis, cui cùm jussu Decii ardentes faces toto corpore admoverentur, sic alloquebatur tyrannum: [Jam callum est corpus meum, vires tamen mihi minimè deficiunt, jube ut aspergat sale, ut cœlesti Sponso cibus sapidus sim.] Calanus Gymnosophista in momento ignis violentiâ efflavit animam, ejusque corpus fuit consumptum: at èconverso (non S. Laurentius brevi vel simplici passione perimitur; nam qui gladio perimitur, semel moritur, uno impetu liberatur, hic autem longâ & multiplici pœnâ cruciatur, ut mors ei adsit ad supplicium, & desit ad finem. Dicitur enim ab illo sævissimo persecutore hæc in Laurentio constituta pœna, ut ardentium expositum moli carbonum, insuper cum ferrea crate distentum, lenta flamma consumeret, ut non tam inflammando citò interimeret hominem, quàm diu exurendo torqueret; ita ut cùm unum latus exustum persecutor cerneret, aliud latus ignibus objiceret exurendum.] Inter Græciæ Sapientes multum Socrates commendatur, qui ab Atheniensibus damnatus ad mortem, ejus constantiam *nec conjugis fletus statim viduæ, nec liberorum conspectus exinde pupillorum, lege pietatis inflexerat.* At multò constantior Martyr: Tum quia *Christianus etiam damnatus gratias agit*: Tum quia pœnas non formidat, sed eas exoptat, ut S. Ignatii comprobatur exemplo: *Ignes, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorũ concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut Iesum nanciscar*; Tum quia lætus & gaudens audit latam in se mortis sen-

Tert.l.ad Mart.4 L.5.Civ.14 In Octav. Plutarch. in vita Alex. D. Ambr. ep.7 D.Aug. Ser.1.de S.Laur. Tert.l.de An.1 Tert: Apol.46 ep.ad Rò.

Tertull. Scorp. 6 sententiam: *Hunc tu lesum existimabis, quem vides latum?* Neque duntaxat hanc animi lætitiam exhibet Martyr cùm damnatur ad mortem, & ad supplicium ducitur; sed etiam mediis in tormentis, & dum acerbissimos patitur cruciatus: *Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem.* Tum quia tot palmas sibi computat, quot sunt tolerata pro Christo supplicia; ut constat ex Secunda virgine fortissima, quæ sic ad tyrannum: [Applica ignes, saxa, gladios, flagella, fustes, & virgas: quot tu pœnas intuleris, tot ego glorias numerabo; quot tu violentias irrogâris, tot ego martyrii computabo palmas.] Tum quia gloriosè triumphat. Cui probè competunt quod de Eleazaro refert D. Ambrosius, qui *elephantis ruinâ inclusus magis quàm oppressus, suo est sepultus triumpho.* Unde Christiani sic ratiocinantur apud Tertullianum: *Ergo vincimus, cùm occidimur; licèt nunc Sarmentitios & Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis revincti Sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Cur Sarmentitii & Semaxii vocarentur Christiani, bellè explicat Tertullianus: quia scilicet ad stipitem dimidii axis alligati sarmentis ignitis urebantur. Tunica palmata tam celebris apud Romanos erat vestis triumphantium, dicta palmata à palmis quæ intertextæ erant; sarmenta autem quibus cremabantur Martyres, & axis cui alligabantur, erat palmata eorum vestis; & habitus, in quo triumphabant, pompa quâ recti in cœlum evolabant. Victoribus triumphi honor deferebatur; in suis suppliciis triumphabant Martyres, non solùm tormenta, sed & tyrannos, & tortores ipsos superantes: *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas pulsata ac laniata membra vicerunt.* Quibus de sua fortitudine congratulatur ibidem D. Cyprianus: *Tolerâstis usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed potius vobis supplicia cesserunt:* tolerantibus admirabili constantiâ universa suppliciorum genera.

D. Bern. Serm 61 in Cant.

Adhelm. de Virgini. c. 26

L. 1. Offic. 10

Apol. 48

D Cypr. l. 2 ep. 6. ad Mart.

3. Gentiles Philosophi miram ostentârunt constantiam, fortiter tolerantes *gladium gravem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium, in tormentis*: quorum multa refert Tertullianus exempla. Verùm ut fatetur Trajanus Imperator, acerrimus Christianorum persecutor [nulla gens pro Deo suo tanta toleravit, quanta Christiani pro suo Christo.] Omnia namque passi sunt suppliciorum genera: nihil excogitari potest horribile & acerbum ad cruciandos homines accommodatum, quod non sustinuerint Christiani à tyrannis & tortoribus, *à dæmone subornatis, & modulatis ad omnem sæviendi iniquitatem*: qui crudelitatis ingenio cunctas invenerunt torquendi artes, universa suppliciorum adhibuerunt instrumenta, omnia corporum afflixerunt membra, ut nulla pars corporis vacua esset dolore, sed peculiari afficerêtur supplicio. E tot suppliciorum varietatibus, quibus probata fuit Martyrum fortitudo, nonnulla refert Tertullianus: *Crucibus & stipitibus imponitis Christianos, ungulis deraditis latera*

Tert. l. ad Mart. 4

Tert Apol. 27

Apol. 12

Chri-

Christianorum, cervices ponimus, ad bestias impellimur, ignibus urimur, in metalla damnamur, in insulas relegamur, aliaque innumera patimur supplicia à crudelibus persecutoribus, qui *de iniquitate sævitiæ gloriantur*. Tert.Apol:48.

Horribiles sunt equidem cruciatus, quos à sævis tyrannis perpessi sunt Martyres; sed quò crudelior fuit carnificum crudelitas, eò constantior fuit Martyrum fortitudo: *Grande nescio quid æstimari oportet, cujus compensatio tantarum atrocitatum tolerantia constat.* Regius Vates Israëlitarum liberationem de Ægyptiaca servitute & persecutione sic refert: *Qui educit vinctos in fortitudine*, ut qui vinculis undique circundati erant, fortes evaserint. Chaldæus legit: *Salvavit eos in pompa.* Christiani martyres educti sunt in fortitudine, de infirmitate vires mutuantes. [Refert traditio sæcularium literarum: habuisse quemdam in exercitio usuque certaminis, hoc genus virtutis ac roboris: ut quoties in luctamine succumbens virium suarum amicam & nutricem terram impulsu adversarii contigisset, toties de solo surgens magis ac magis in adversarium prævaleret: ac si dejectio prostrati occasio fieret triumphi; dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam.] Quod de Anthæo ait Emissenus, Christiano martyri probè convenit, qui cùm infirmatur, tunc potens est, sumit de doloribus & cruciatibus vires, &, ut fatur præfatus Author, *foris cedit, intùs triumphat; quem cruciat manifesta pœna, pascit docta victoria*: infirmitate vincens tyranni potentiam, invictâ constantiâ crudelis inimici detriumphans sævitiam, & dum vinci videtur reportans victoriam. *Impossibile est ejus æstimare virtutem, cujus unius vinci victoria est: ac si dejectio prostrati, occasio fieret triumphi: dabat enim quodammodo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam.* Martyres educti sunt in fortitudine, fortes facti sunt in bello, salvati sunt in pompa.

Tert. lib. 1 ad Nat. 7

Psal:67

Euseb. Emiss. Homil: 6. ad Pasch.

Homil:4 de Epiph.

S.Zeno Serm:de Pat.

Moralis Philosophus, ut amico Lucilio animi fortitudinem & constantiam inspiraret, sic eum alloquitur: *Dic tibi: Ex istis quæ terribilia videntur, nihil est invictum, singula vicêre jam multi; ignem Mutius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam Cato, & nos vincamus aliquid.* Christiane, non tibi Gentilium, sed Martyrum exempla propono, teque ad constantiam Ethnici verbis compello. [Ubi ad vincula manicasque tremunt manus, ubi ad carceris fœtorem nauseat stomachus, ubi caro mollicula verbera refugit, ubi tormenta mortemque mens exhorrescit; dic tibi: Ex istis quæ terribilia videntur, nihil est invictum, singula vicêre jam multi] Divi Divæque Martyres: crucem Petrus, gladium Paulus, saxa Stephanus, ignem Laurentius, feras Ignatius, rotas Catharina, & cæteri innumera suppliciorum & tormentorum genera. Et nos vincamus aliquid: Vincamus inimicorum sævitiam, vincamus insatiabilem appetitûs concupiscentiam, vincamus passionum violentiam, vincamus adversam qua premimur fortunam. *Neque fortes adversa prosternunt.* Ex Theodoreto: *Martyrum appellationes magis norunt omnes, quàm vel amicissimorum nomina: ad hæc suis liberis imponere studens, quo eis inde securitatem, præsidium, seu phylacterium compa-*

Epist:99

Chrysol. Ser.124

Serm:8.

rent. Antiquitus Christani Martyrum nomina suis filiis imponebant, quos horum nominum prospectu arcebant à malo, promovebant ad bonum, & ad martyrii tolerandi sufflammabant amorem: ad quod subeundum sese ad religionem vocatos existimabant. *Ad hanc sectam utique suscepta ejus condidione pacti venimus ut animas nostras auctorati in has pugnas accedamus.* Primipili Christiani erant ad mortem pro religione obeundam expediti, & Martyres suppliciis testati sunt fidem. Nam *alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probaverunt: alÿ fustibus interim & ungulis, insuper degustata martyria in carcere esuriunt* : & omnes miram demonstrarunt animi fortitudinem; tum in cruciatibus tolerandis: tum in hostilibus debellandis.

Tert. l. ad Scap. 1

Tertull. Scap. 1

III. PARS *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, cum in sacramenti verba respondimus.* Athletæ qui in stadio singulare volebant inire certamen, duo tenebantur præstare. Unum, proprium declarare nomen; aliud, oleò inungi ut in pugna fortiores forent. Hæc duo præstant Christiani suscipientes Baptismi sacramentum; in quo ad Dei vocantur militiam; nam & proprium declarant nomen, & supra pectus, caput & humeros unguntur; ut robustiores fiant: & quasi vires supernaturales quas suscipiunt in Baptismate non sufficiant, novas accipiunt adhuc in Confirmatione, in qua *caro signatur, ut & anima muniatur.* Homo considerari potest in natura, & in religione, & in quovis statu consideretur, conditio ejus est militaris: *Militia est vita hominis super terram.* Hoc de hominis natura asseverat Job. De religione ait D. Hieronymus; *Vita Christiana, quæ in Baptismo incipit, vita militaris est.* Cui arridens D. Augustinus hoc scitu dignum ponit ænigma. *In isto bello, est tota vita Sanctorum.* Præliandum nobis est adversus mundum, carnem & dæmonem. Nam, ut fatur sanctus Paulinus, *inter insidias & pugnas vita transigitur, & per ignes doloso cineri superpositos ambulamus.* Uti patria est locus pacis & quietis, ita via est status prælii & certaminis. (Luctamen sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressuræ, angustiæ, stadium: aliud est quietis tempus; hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus: nullus ubi ad certamen se exuit, unctusque est, requiem quærit.) Nam ut belle subjungit Tertullianus, *nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & insuavitas consistit* : At inter omnes Christianos, Martyres potissimum sunt *summi regis legitimi & germani milites*, qui pro ejus religione fortiter dimicantes & morientes, 1. idololatriam debellarunt: 2. Christianam Religionem propugnarunt: 3. Spolia de inimicis reportarunt.

Tert. l. ad Mart. 3

Tert. l. de Res. Car. 8

Epist. ad Heliod.

Ep. ad Gazaphil.

D. Chrysost. in 2. ad Timoth

D. Athan. quæst. 11. ad Antiochium.

1. *Prælium est nobis quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis, pro veritate certemus: victoria est autem pro quo certaveris, obtinere.* Milites qui pro hominibus militant, multum discriminantur à Dei militibus. Illi vili stipendio & sanguinem fundunt, & persæpe vitam amittunt; isti pro Deo vivo certantes immortalem sibi comparant vitam: Illi dum occumbunt, vincuntur: nam *luctator ter abjectus perdit palmam*; isti dum occiduntur, vincunt, & mo-

Tertull. Apol. 48.

Sen. l. 5. de Benef. c. 3.

& moriendo victoriam de inimicis reportant. *Quinam illi tam beati victores, nisi proprie Martyres? Illorum enim victoria quorum & pugnæ; eorum vero pugnæ quorum & sanguis:* suoque sanguine Martyres, 1. tyrannos superarunt: 2. dæmones debellarunt: 3. idololatriam à tyrannis, & dæmonibus propugnatam, detriumpharunt. 1. Tyrannos superarunt, siquidem in persecutione *cum tormentis præliatur.* Inaudita autem, cruenta & insolita passi sunt Martyres à tyrannis & persecutoribus tormenta, sed stupenda prorsus animi fortitudine & constantia. Unde sic fantur apud Tertullianum: *Sic ita ad Deum expansos, ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.* His suppliciis constanter toleratis, Martyres *vicerunt mortē, persecutores victi sunt:* & quia non tantum adversus tyrannos, sed etiam adversus dæmones *in persecutionibus præliatur:* Martyres Dei milites in tormentis 2. dæmones debellarunt, ut ipsimet declarant: *Illos nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur.* Neque sunt duntaxat Martyres *vincendo luctati, adversus spiritalia nequitiæ:* sed quia, ut fatur Tertullianus, *obnititur, & adversatur idololatriæ Martyrium.* Idololatriam 3. adhuc detriumpharunt: Multis modis agressi sunt idololatriam Christiani, verbi Dei prædicatione, miraculorum patratione, templorum eversione, virtutum operatione, in dæmonas dominatione, invicta cum oratoribus, philosophis, magis, aruspicibus, disputatione: attamen nihil gloriosius idololatriam detriumphavit, quam martyrum supplicia. Nam *martyrium cum sua gratia certat cum idololatria: liberat enim ab idololatria,* & Christianam veritatem fortiter propugnat.

Tertull. Apol. 48 — Tertull. Scorp. 10 — Apol. 30 — D. Amb. l. de Fid. Res. — Tert. l. de Pat. 13 — Tertull. Apol. 27 — Tertull. Scorp. 1. Scorp. 5. — Tertull. Scorp. 5

2. *Cæterum pati oportebat omnem Dei prædicatorem atque cultorem, qui ad idololatriam provocatus negasset obsequium, secundum illius quoque rationis statum; qua & præsentibus tunc & posteris commendari veritatem oportebat; pro qua fidem diceret passio ipsorum defensorum ejus; quia nemo voluisset occidi nisi compos veritatis.* Multa sunt motiva credibilitatis quæ Christianæ religionis suadent veritatem; sed super omnia passio Martyrum illam efficit credibilem. Nam ut fatur D. Hieronymus: *Triumphus Dei, passio Martyrum: pro Christi nomine cruoris effusio.* Cujus hanc egregiam reddit rationem. *Odor notitiæ Dei disseminatur inter gentes, & subit tanta cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur.* Ethnici namque videntes tot Christianos omnis ætatis, conditionis, & sexus, viros, fœminas, senes, juvenes, ignaros, doctos, potentes, divites, nobiles, libēter, alacriter, constanter tot, tanta, tamque insolita tolerare tormenta, in semetipsis ratiocinabantur: Oportet ut vera sit Christiana religio, pro qua tot homines vitam fortiter amittunt, quam tot Martyres prædicant *sanguinis suffragio.* Nullum efficacius adduci potuit testimonium ad probandam fidei veritatem quam passio Martyrum, qui eam *clamant sanguinis suffragio.* Sanguis Martyrum binam emittit vocem. Unam ad Deum, pro cujus honore effunditur: unde clamat, ait Ambrosius, *passionis triumpho*: alteram, ad homines, quos de religio-

Tertull. Scorp. 5 — Epist. 150 ad Hedibiam. — D. Ambr.

religionis veritate convincit *sanguinis suffragio.* Nullus enim nisi mentis inops vellet pro tuendo mendacio fundere sanguinem, & pati mortem.

Sic de persecutionum fluminibus vaticinatus est Regius Propheta: *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt vocem suam.* Psal. 29 Vocem dico Evangelicam, grandem & validam, quæ ad ultimos usque orbis pervenit terminos: unde gloriosus Martyr mutuatâ D. Ambrosii eloquentiâ, judicem, tyrannum, carnificem alloquitur: *Abscinde linguam, sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem oblitterabis, non eripies testimonium veritatis.* L. de Jacob: c. 11 Hæc ubi ad carnificem constanter dixit Dei Athleta, tum vehementi quodam patiendi desiderio excitatus inclamat: *Quid verba damus? loquaciora sint vulnera, satis jam Deum sermone laudavimus, nunc passione laudemus.* Ipsa verba aures duntaxat feriunt, vulnera verò etiam intuentium animos pervadunt, mentem veritatis testimonio convincunt, & de religionis hostibus spolia reportant.

Tert. Apol. 48 3. *Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur; ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in fortuitis, ut Diogenes, ut Pirrhon, ut Callinicus; nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo.* Christiani virtutum exemplarium operationibus, & magis adhuc fortitudine in passionibus innumeros ad christianam religionem adducebant Ethnicos; *Illa ipsa obstinatio quam exprobratis, magistra est.* Tert. Invicta qua patiebantur patientia, Gentiles docebat fidem: *Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intùs in re sit? quis non ubi requisivit, accedit?* Idololatræ conspicientes parentes Christianos sciscitabantur causam, cur adeò atrocia paterentur supplicia. Audientes autem pati duntaxat pro religione, statim inferebant veram esse illam religionem, pro qua tot homines tanta adeò fortiter sustinebant tormenta. Itaque errorem abjicientes, idololatriam respuentes, veritatem amplexantes, efficiebantur Christiani, & pro fidei confessione effundebant constanter sanguinem. *Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur quoties metimur à vobis; semen est sanguis Christianorum.* Sic alloquuntur Christiani tyrannos apud Tertullianum, cujus sententias aliorsum illustratas videbis. Tert. Prædic. tom. 2 Tract. de Apostolis, Conc 6 Impræsentiarum expendendum duntaxat est quàm bellè dicat: *Semen est sanguis Christianorum.* Ut enim semen in terram projectum atque emortuum, aliud sexagesimum, aliud centesimum reddit ingenti fœnore: sic & Martyrum sanguis dum in terram effluit, adinstar christiani seminis sese multiplicat, & in gentem magnam germinat: D. Aug. in Ps. 40 *Quid factum est de tot mortibus Martyrum, nisi ut verba Dei prævalerent, & tanquam irrigata terra sanguine testium Christi pullularet ubique seges Ecclesiæ?* Sic S. Hermenegildi sanguis à patre Leovigildo rege Ariano fusus, & fratrem Recaredum, & totam Visigothorum gentem ab Arianismo ad Christianam fidem convertit: *Unus in gente illa mortuus est, ut multi viverent; & dum unum granum fideliter cecidit, ad obtinendam fidem animarum seges multa surrexit.* D. Greg l. 3. Dialog. 31

Inde

Inde colligendum quantos Christianos produxerit sanguis Martyrum. *Occisi sunt Martyres ad multiplicandam Ecclesiam. Valuit sanctus sanguis effusus seminationi: accessit mors Martyrum, & multiplicati sunt magis magisque Christiani.* Proinde tot de hostibus spolia retulerunt, quot gentiles ad Christianam religionem converterunt. *Hac sunt ô formosi milites Christi, insignia vestra victoria: ista, ô Athleta probatissimi, perfectique divini bellatores vestra fidei ac fortitudinis pramia.* Vestro sanguine rigata est Ecclesia & abunde fœcundata. Nam, ut ait D. Ambrosius, expendens istud Davidicum: Super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam; *In tribulationibus fundatur Ecclesia, in tempestatibus & procellis, in sollicitudinibus & mœrore, in rebus adversis, & in fluminibus praparatur.* Martyres propugnarunt veritatem sanguinis suffragio; quos ideo D. Aug. nuncupat, *firmos Ecclesia:* & Gregorius Nazianz. *generis nostri primitias, hac columna; fidei coronas*, quam de idololatria victricem reddiderunt: *Miles triumphalibus de hoste spoliis onustus, vulneribus suis gaudet:* Dei Martyres de tot conversis gentilibus lætantur, cicatricesque suas servant in cœlo, velut victoriæ insignia.

D. Aug. Præfat. in Ps. 40.
S. Ephrem Or. de lau. Mart.
Ps. 23.
Orat. 6
D. Cyp. l. de laud & Exhort. Mart.

Hucusque contemplati sumus fortitudinem qua Martyres tanquam generosi Dei milites præliati sunt, & omnia tormentorum genera passi, ut de inimicis reportarent victoriam. *Proinde vos benedicti, quodcumque hoc durum est ad exercitationem animæ & corporis, deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus vivus est, Xystarches Spiritus sanctus; corona æternitatis bravium.* Certamen quod inituri sumus est *agon sacer*; & ut fatur Chrysologus; *Magnus itaque agon iste est, in quo spectaculum Domino exhibemus.* Multas rationes conglobat Chrysologus, ut nos ad strenue certandum provocet. 1. Quia *spectamur certantes à Domino: spectamur ab Angelis.* 2. Quia *in hoc agone primo Dominus & Salvator noster, & certavit & vicit, ut nobis exemplum certaminis & victoria demonstraret.* 3. Quia *sancti Martyres in agone certaminis positi, non solum vitia peccatorum, sed ipsam mortem vicerunt, & pramia immortalitatis susceperunt.* 4. Quia *in agone isto terreno qui vincere volunt abstinent se à vitiis quibusdam, à potu nimio: abstinent ab omni immunditia, sub tanta castitate, ut etiam propria conjugia non requirant, nec aliter se vincere posse sperant, nisi corpus castum pudicumque servaverint: & post tantum laborem quid aliud quam parvam & corruptibilem & vilem quidem coronam accipiant? Si ergo pro corruptibili corona tantus labor suscipitur: quanto magis nos omnem laborem sustinere debemus, quibus pramium cœleste, & æterna cœli corona promittitur?* Ex his concludit Chrysologus: *Est ergo nobis agonizandum non levi certamine: certamus enim contra spiritalia nequitiæ, contra diabolum & Angelos ejus; certamus contra injustitiam, contra impietatem, contra malitiam, contra impudicitiam, contra diversas illecebras peccatorum, & si certantes vincimus, tot coronas accipimus, quot vitiorum victores fuerimus, in terra vincimus, sed pramium virtutibus in cœlestibus accipimus.*

Tert. l. ad Mart. 3
Phil. Jud. de Agric.
Serm. 119.

CONCIO TERTIA.

Lib. de Res. Car. 43 — *Martyriorum præstantiam* prædicat merito Tertullianus. Tanta est *martyrij prærogativa*, ut D. Cyprianus audeat Apostolis præponere Martyres.
Lib. 2. Ep. 6 — *Plus est esse Martyrem, quam esse Apostolum*. Et D. Augustinus post attente consideratas cunctas, quas Ecclesia in suo sinu complectitur dignitates, audacter
In Ps. 67 — pronunciat: *Martyres in Ecclesiis summum locum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt*. Cui arridens D. Cyprianus, eloquenter, quamvis fuse, Mar-
L. 5. Ep 12 — tyrum declarat excellentiam. *Quid enim gloriosius quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis varia & exquisita tormenta, etiam extorto & excruciato, & excarnificato corpore, Christum Dei filium, etsi recedente, tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo, cœlum petisse? quam desertis hominibus, inter Angelos stare? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis, in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam cœleste regnum, sine ulla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo, in Christi nomine factum fuisse? quam judicis sui, divina dignatione judicem factum fuisse? quam immaculatam conscientiam, de confessione nominis reportasse? quam humanis & sacrilegis legibus contra fidem non obedisse? quam veritatem voce publica contestatum fuisse? quam ipsam quæ ab omnibus metuitur, moriendo mortem subegisse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus, robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem, non horruisse? quam supplicia sua, post fidem amare cepisse? quam detrimentum vitæ suæ putare non exisse?* Post tot conglobata Martyrum encomia, quid amplius ad eorum laudem potest decantari? Et tamen hæc aliaque ejusmodi elogia insufficientia existimat D. Augustinus ad eorum gloriam digne commendandam. Nec mirum, quia in hac materia muta est quævis eloquentia humana,
Lib. 6: de Martyrib. — *Nemo explicat verbis Martyrum dignitates*. Quis enim poterit enarrare sermone Martyrum nobilitatem, in quibus est 1. virtutum consummatio: 2. passionis Dominicæ communicatio: 3. sanguinis Christi velut adæquatio.

Tert. l. de Pat. 12 — Inter virtutes, *Fides, Spes, Dilectio*, primum nobilitatis tenent locum: Tum quia à Deo qui est illarum objectum proprium, suam mutuantur dignitatem: Tum quia, ut docet D. Augustinus, *Fide, Spe, & Charitate* præsertim co-
In Enchir. c. 3 — litur Deus. Tum quia Christiana religio potissimum in exercitio virtutum Theologicarum consistit. At ejusmodi virtutes in quibus sita est Christiana perfectio, in Martyribus suam accipiunt consummationem, seu ultimum perfectionis gradum. Quapropter Martyrum mortem pretiosam prædicat
Epist. 9 — D. Cyprianus, *quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam de consummatione virtutis*. Martyres namque pro religione morientes:

1. inconcussam ostentant Fidem: 2. arduam demonstrant Spem: 3. perfectam præ se ferunt Charitatem.

1. *Martyria Fidei examinatoria* belle nuncupat Tertullianus: Tum quia de sua fide Christiani examinabantur à judicibus: Tum quia in martyriis suam fidem constanter profitebantur veri fideles. Tùm quia patienter tolerando tormenta fidem fortiter propugnabant. *Fides superat in Martyribus, nec quidquam deficit, nisi fidei defectu.* Unde postquam Tertullianus plura protulit exempla justorum, qui in veteri lege, & in novo testamento, pro defensione fidei constanter subierunt mortem, concludit: *Talia à primordio & præcepta & exempla, debitricem martyrij fidem ostendunt.* Quando scilicet occurrit aliqua necessitas: ut cum alicui Christiano incumbit negotium aut fidem negandi, aut mortem subeundi, tunc præferenda est religio vitæ, & prius sustinenda est mors corporis, quam negando Deum amittere animæ vitam. In illo casu *potior est necessitas obeundi martyrij, quam evadendæ passionis.* Qui prius eligunt mori quam negare Deum, & respuere religionem, sunt veri fideles & consummati Christiani: dicentes, *Malumus damnari, quam à Deo excidere*; hi accipiunt coronam de consummatione virtutis, *cum aliqua atrocitas fidem Martyrum coronavit.*

Scorp. 7.
D. Cyp. de dupl. Mar.
Scorp. 8.
Tert. l. de cor. mil. 11
Tertull. Apol. 48.
Tertull. Scorp. 1

2. *Quid nunc, si Deus non certaminis nomine in martyria fidem exposuisset; sed & proprij profectus? Nonne oportebat illam habere aliquem spei cumulum, cui studium suum cogeret, votumque suspenderet, quo eniteretur ascendere?* Duo sunt quæ fideles ad martyria constanter toleranda sufflammant: Unde Dei honor, pro cujus religione decertant; alterum, æterna merces, quam præparavit Deus iis qui pro defensanda veritate amittunt temporalem vitam: quapropter ut Christus Dominus Apostolos ad constantiam in tormentis accendat: *Persecutiones eis prædicat, & passiones venturas in martyrium utique, & in salutem.* Fide & spe fulti, fortiter sustinuerunt tyrannorum persecutionem, & carnificum crudelitatem. Magna fortitudine prædita est vera fides, terrena bona generose contemnens & cuncta mala & tormenta pro Deo sustinens: Unde fucatos illos Christianos artifices, qui sub prætextu temporalis egestatis sese excusare volebant de idolorum fabricatione redarguit Tertullianus: *Nemo eorum, quos Dominus adlegit, Non habeo, dixit, quo vivam. Fides famem non timet; scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum?* Nec minori virtute pollet Spes Christiana ad contemptum præsentium bonorum, & tolerantiam malorum, *Spes enim sequitur fidem*; & ut belle ad propositum fatur D. Chrysostomus: *Fides gloriam inchoat; Spes sustinendo consummat.* Fides martyrii gloriam inchoat, spes sustinendo consummat, tolerando constanter atrociora quæque tormenta. Hæc spes consummata eluxit in Martyribus: *Non enim sine causa talia speraverunt præmia, qui usque ad sanguinem certaverunt pro veritate. Non eos mundus illexit, non eos terror fregit, non tormenta vicerunt, non blanditiæ deceperunt*; sed mira animi fortitudine, terrena

Tertull. Scorp. 6
Tert. l. 5 adv. Marc. 10.
Lib. de Idol. 12
D. Aug. in Psal. 17
Ser. de fid.
D. Aug. in Ser. 6. de Martyrib.

cuncta contempserunt, & acerbissimos cruciatus pertulerunt. Bone Deus! *quanta mala passi sunt Martyres, quanta exitia, quanta tormenta! Squalorem carcerum, stricturam catenarum, sævitiam ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum; ista omnia passi propter sempiternam fœlicitatem*; & propter demonstrandam vehementem qua æstuabant Dei charitatem.

D. Aug. in Ps. 117

Tertull. Scorp. 4

3. *Deum jubeor de omni substantia diligere, ut pro eo moriar*: etenim cum Deus sit bonum infinitum, ejus amor præferendus est amori bonorum temporalium: Corporis, animæque nostræ. Renuntiandum potius est fortunæ bonis, & vitæ nostræ, quam divino renuntiandum amori. *Ad hoc enim prælium quasi quadam tuba Evangelij sui nos excitat Dominus dicendo: Qui plus diligit patrem aut matrem quam me, non est me dignus. Qui plus diligit animam suam quam me, non est me dignus. Qui non tollit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* Deo digni fuerunt sancti Martyres, pro ejus amore crucem tollentes, patrem & matrem relinquentes, & animam suam ponentes. *Cum omnium summa virtutum, & omnis plenitudo justitiæ de illo amore nascatur, quo Deus diligitur: profecto hic amor in nullis sublimius excellere clariusque fulgere, quam in beatissimis Martyribus invenitur.* Idcirco Martyrum mors vocitatur ab Alexandrino Clemente *consummatio*; non solum quia consummat vitam, sed præsertim quia à consummata charitate procedit.

D. Cypr. l. 5. Epist. 12

D. Aug. Serm. 4. de S. Laur.

Strom. 4

Quare ista diximus fratres? Ut quando celebratis natalitia Martyrum, imitemini Martyres. Imitanda est eorum fides, spes, dilectio. Sancti per fidem fortiter sustinuerunt supplicia: *Nobis fides præsidium* debet esse in adversis, persecutionibus, morbis, alijsque afflictionibus. Martyres spe fortes effecti contempserunt temporalia, ut sibi compararent æterna: pro quibus cuncta etiam mala constanter tolerarunt. Christiane, *si crucem tollas, & Dominum sequaris, tota paradisi clavis tuus sanguis est.* Tandem 3. Martyres charitate sufflammati, Dei amorem propriæ vitæ prætulerunt: Deum ama dilectissime & cuncta tolerabis: quia *dilectio omnia sustinet, omnia tolerat*, & in cœlo consummatur.

D. Aug. Ser. 44. de Divers. c. 34

Tertull. Scorp. 1

Tert. l. de An. 55

Tert. l. de Pat. 12

II. PARS.

Nihil est gloriosius humanitati Christi quam communicatio idiomatum cum Divinitate ob unionem hypostaticam in persona Verbi: & nihil est Martyribus gloriosius quam communicatio quam habent cum passionibus Christi: quos ideo ad tolerantiam hortatur Apostolorum princeps apud Tertullianum: *Dilecti, ne expavescatis ultionem, quæ agitur in vobis in tentationem, quasi novum accidat vobis: etenim secundum quod communicatis passionibus Christi, gaudete, uti & in revelatione gloriæ ejus, gaudeatis exultantes.* Duas affert causas cur in afflictionibus gaudere debeant fideles: Tum quia in tribulationibus, Christi passionibus communicant: Tum quia cum Christo patientes futuri sunt participes gloriæ ipsius. Omissa autem hac posteriori ratione quæ futuram spectat gloriam; uti Divinitas communicatur humanitati, & vicissim humanitas Divinitati, & ex unione utriusque constituitur Christus, cujus passiones sunt Theandricæ: ita 1. Christus communicat Martyrum passionibus: 2. Mar-

Scorp. 12

2. Martyres communicant Christi passionibus. 3. ex hac mutua communicatione, Martyrum passiones velut eædem habentur cum Christi passionibus.

1. *Cùm te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Atquè illi cùm super te lacrymas agunt, Christus patitur.* Tert. l. de Pœn. 10 Quemadmodum caput naturale in suis membris patitur, ita Christus patitur in Martyribus, quibuscum componit corpus Ecclesiæ mysticum, cujus ipse est caput, & membra sunt Fideles. Hinc Christus ait Saulo (Quid me persequeris?) Non ait, ut animadvertit D. Augustinus: Serm. 14 de Sanct. *Quid persequeris fideles meos? sed, quid me persequeris?* quia ipsos persequendo me persequeris: qui persequitur membra, caput quoque persequitur; quapropter Dominus *persecutorem suum, vocavit persecutorem membrorum suorum*, D. Aug. Tract. 10 in Joan. quæ dum persequitur, ipsummet persequitur, ob unionem quæ reperitur inter caput & membra. Et ob hanc causam dicitur Salvator occisus ab origine mundi, quia scilicet in persona Abel occisus est, & deinceps successivè per cuncta retrò secula in suis justis passus est; ut bellè, quàmvis longiusculè, ostendit Paulinus: Epist. ad Aprum. *Ab initio seculorum Christus in omnibus suis patitur. Ipse est initium & finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis semper, & patiens, & triumphans in Sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre, in Noë irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Iacob famulatus, in Iosepho venditus, in Moyse expositus & fugatus, in Prophetis lapidatus & sectus, in Apostolis terrâ marique jactatus, & multis ac varijs beatorum Martyrum cruciatibus frequenter occisus.*

Duplex est Christi corpus. Unum naturale, aliud mysticum. In corpore suo naturali non amplius patitur, quia est gloriosum, impassibile, & immortale: at in corpore mystico varia tormentorum genera, etiam post passionem suam tolerat Dominus. Quemadmodum in cunctis Sanctis vivit, ita in cunctis Martyribus mortuus est, & contra naturæ leges, quæ unam duntaxat cuivis homini decernit necem, tot pertulit mortes, quot ejus membra pertulerunt martyria. Crucifixus est in Petro, decollatus in Paulo, lapidatus in Stephano, crematus in Laurentio, dilaniatus à feris in Ignatio, pelle nudatus in Bartholomæo, & quotidie adhuc moritur in iis, qui pro Dei honore enecantur, & patitur in his, qui patiendo communicant Christi passionibus.

2. Neque solùm in Christo est communicatio divinitatis cum humanitate, sed etiam divinitatis cum humanitate: Tert. l. de Car. Ch. 5 *Ita utriusque substantiæ censu, hominem & Deum exhibuit; hinc natum, inde non natum; hinc carneum, inde spiritalem; hinc infirmum, inde præfortem; hinc viventem, inde morientem.* Eodem modo (non quidem ob unionem hypostaticam) sed ob unionem mysticam membrorum cum capite, Martyres communicant Christi passionibus: quapropter non tam suos cruciatus & ignominias, quàm Christi cruciatus & ignominias pati dicuntur: *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes*, Hebr. 13 Et Paulus de se testatur: *Ego stigmata Iesu in corpore meo* Gal. 6

 porto:

2.Cor:4 *porto*: & fideles mortificationi vacantes : *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes.* Illam passionum suarum mortificationem exoptat Matth:26 Salvator dicens: *Transeat à me calix iste.* Non postulat Christus præceptum & ultrò acceptum non bibere calicem passionis ; sed ut ab ipso pertranseat ad Martyres; quia, ut ait D. Hilarius, *pati nisi ejus passione non possunt*: quasi Martyrium passio sit velut altera Christi passio: vel aliqua dominicæ passionis portio; vel saltem quædam ipsius ampliatio, quam adimplent Martyres, dum ex concepto furore in Christi nomen, & rem Christianam atrocius torquentur. Coloss.1 Quomodo Apostolus de semetipso fatur: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Verùm Apostolus nimium sublimando humanas passiones, quodammodo videtur dehonestare divinas; nam quid potest deesse passioni Christi, quæ abundè satisfecit pro mundo, & pro mille adhuc mundis foret sufficientissima? Esto desit aliquid passioni Christi, poteritne humana fragilitas divino operi præstare complementum? Passioni Christi nihil defuit quoad valorem & pretii sufficientiam: ei tamen deest aliquid ut applicetur tum infidelibus, tum fidelibus. Ut applicetur infidelibus, oportet ut Apostoli peregrinentur per universum orbem, Gentes doceant, Evangelium annuntient, miracula patrent, tormenta sustineant, ut ex Gentilium conversione Ecclesia propagetur, crescat, perficiatur, & idololatræ ad fidem adducti fiant participes passionis & D:Chrysost.ho.4 in cap.1 Coloss. redemptionis Christi: *Nondum omnia passus est pro vobis, etiam post mortem patitur; nam quæ illum oportebat pati, ego pro illo patior.* Non secus, ait Theophylactus, ac si duce exercitûs abeunte, ducis vicarius loco ejus pro phalange dimicans, ipsius recipiat vulnera. Christo namque in cœlum assumpto, Apostoli in acie dimicantes pro eo vulnerantur, suisque suppliciis adimplent quæ desunt passionum Christi. Ut etiam passio Christi applicetur fidelibus, suumque accipiat complementum: *Deest illi conjunctio ipsius cum afflictionibus* Cajet. *nostris.* Tanti æstimantur Christianorum passiones, ut dicantur complementum passionis Christi, non quòd passio Salvatoris sit diminuta; ex se enim est sufficiens, perfecta, omnimodèque completa : sed quia ex illa conjunctione nostræ passiones eædem habentur cum Christi passionibus, quo nihil illustrius ad gloriam Martyrum potest enarrari.

3. Passiones, quas pertulit Christus in sua humanitate, dicuntur Theantricæ, & valorem pretiumque infinitum mutuantur ex unione cum persona Verbi. Martyrum quoque passiones ex unione cum passionibus Christi suum mutuantur decus & meritum. Neque metuendum est quòd hujusmodi con-Tertull: Scorp:6 junctio sit injuriosa Christo, quia *nulli compensatio injuriosa est, aut gratiæ, aut injuriæ communis est ratio.* Christiani patientes Christo incorporari, unum-Rom:6 que cum eo effici & esse dicuntur : quos ideò Apostolus appellat concruci-2.Tim.5 fixos, commortuos, & Christo complantatos. Martyres per passionem suam quasi inseruntur passioni Christi sicut ramus arbori, ab eoque omnem exugunt vigoris & gratiæ succum, vimque tolerandi, merendi, & perseverandi sicut

ficut Christus: cum quo Martyres sunt mysticè unum corpus, una anima, & una passio; itaque illis tum injuriæ, tum gratiæ communis est ratio. Communis quidem ratio injuriæ, quia tam caput quàm membra passa sunt pro veritate, pro virtute, pro religione, pro Dei honore. Communis adhuc ratio gratiæ, quia Christus suâ passione fundavit Ecclesiam, & Martyres suâ passione fœcundârunt Ecclesiam. *Quid factum est de tot mortibus, nisi ut verba Dei prævalerent, & tanquam irrigata terra sanguine testium Christi pullularet ubique seges Ecclesiæ?* (D.Aug. in Ps. 140) Unde illis tanta virtus? Ex unione cum Christo. *In Ecclesia Catholica nihil habentes simulationis, compaginati juncturâ unitatis confessi sunt Christum: caput quod præcesserat, sicut membra sequi concupierunt; sed qui concupierunt? in tormentis patientes, in confessione fideles, in sermone veraces.* (D.Aug. in Psal. 39)

Fratres, oblatum vobis de manu Domini calicem tribulationum læto animo suscipite: *Quis pati renuat patiente Domino?* (Laur. Just. l. de Cast. Connub. c. 8) Communicate cum Christo per fidem & gratiam, communicate Christi passionibus, ut sitis participes gloriæ & felicitatis: *Quoniam & Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum semetipsum, ut adsequamini vestigia ejus.* (Tertull. Scor. 12) Sequenda sunt Christi exempla in passionibus, ut cœlestem assequamur felicitatem. Imitandi sunt adhuc Martyres, qui nobis patiendi præbuerunt exemplum. *Martyr enim cum patitur, non sibi solùm patitur, sed omnibus: sibi enim patitur ad meritum, omnibus ad exemplum; sibi patitur ad requiem, omnibus ad salutem: exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumelijs vitam æternam quærere, didicimus mortem non timere*, (D.Aug. Serm. 3. de 7. fratrib. Machab.) didicimus nostris passionibus quodammodo Christi passiones compensare.

II. PARS.

Ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo posset. (Tert. 2. l adv. marc. 27) Licèt Deus ab homine infinitè distet, attamen unitus est homini ut ex æquo homo cum Deo agere posset. Quod quomodo exequatur, habes aliorsum elucidatum Christiane, modò attendas quòd Deus passus est, ut homo posset ex æquo pati cum Deo. *Christus in præsepio reclinatus legem Martyrij præfigebat*, (Tertull. Prædic. tom 1 Tract. de Amore, Conc 4) vagiens, & fundens lacrymas. In horto quoque Gethsemani, *orans cum sudore sanguineo Dominus noster Iesus Christus, significabat de toto corpore suo, quod est Ecclesia, emanaturas Martyrum passiones.* (Pet. Dam. Serm. 11) Verùm cruci affixus martyrii formam subministravit. Qualis Martyrum dignitas? quanta eorum excellentia, qui suo martyrio theologicas consummant virtutes, Christi passionibus communicant, & quod est prorsùs stupendum, eas quodammodo adæquant? *Quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat æquari passionibus Domini & Magistri.* (D. Aug. l. de ver. Innocen. c. 68) Vide hanc adæquationem alibi explanatam, & in præsentiarum considera Martyres repensantes Christo, 1. dilectionem pro dilectione. 2. sanguinem pro sanguine. 3. cicatricem pro cicatrice. (Tertull. Scorp. 9)

1. Christus hominem *amavit utique, quem magno redemit*: (Tert. Prædic. tom. 1 Tract. de Apostolis, Conc. 2) scilicet inauditos sustinendo cruciatus; amor namque probatur passionibus, *quia nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale computat amor verus.* (Tert. l. de Car. Chr. 4) *Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœnæ? quæ mortes amorem prævalent separare perfectum?* (Chrysol. Serm. 40)

amor

amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet; si amor est, vincit omnia. Vim amoris eloquenter declarat Chrysologus, quam evidenter demonstravit in sua passione Dominus Jesus, ob hominum dilectionem acerbissimos crucis tolerans cruciatus. *Quamvis illi dilectioni, qua Dominus nos redemit nulla humana charitas possit aquari;* attamen sanctissimi Martyres *Domino Iesu Christo pro hominibus omnibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quàm similitudine passionis.* Quemadmodum enim Christus ex hominum dilectione posuit animam suam, ita & ipsi pro Christi amore constanter passi sunt mortem: sicque dominico conformantur amori, qui est typus & forma martyrii: *Dilectio qua Deum diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat: & tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit:* imprimens in eo velut divini amoris characteres, exprimensque formam charitatis, ex qua pro hominibus mortuus est Christus.

D. Aug. Ser. 4. de S. Laurēt.

Tertull. Scorp. 6

Quod ominatus fuerat ipsemet Dominus de Martyribus per os Prophetæ loquens: *Vram illos sicut uritur argentum, probabo eos sicut probatur aurum, utique per tormenta ignium & suppliciorum.* Charitas benè auro comparatur: tum quia sicut aurum inter metalla est pretiosius, sic charitas inter virtutes nobilior: tum quia quemadmodum aurum in igne probatur, ita amor igne tribulationum demonstratur. Sicut igitur aurifex in fornace probat & purificat aurum, & dum acrior est & diuturnus ignis, purius reddit aurum, meliorique de nota commendat: sic Deus Martyres probavit in camino tribulationis, & quilibet Dei miles potest dicere cum Jobo: *Ipse verò scit viam, & probavit me quasi aurum quod per ignem transit.* Hanc veræ dilectionis probationem præfiguratam vult Balduinus per manna, quod prius frangendum molâ, prius terendum pistillo, prius coquendum erat in olla, ut alicujus saporis suavitatem gustui exhiberet: *Terrebat populus in mortario coquens ollâ; in olla autem tribulationis per ignem passionis manna coquitur, quando bonum, quod in bonis est, inter mala quæ patimur, magis magisq; solidatur, quod tunc quidem fit, cùm Deus inter flagella magis diligitur.* Martyres tanquam manna attritum & coctum in camino tribulationum, suavissimum exhibebant saporem, & quò acerbiores patiebantur cruciatus, eò vehementius & ardentius Deum diligebant, reddentes Christo amorē pro amore, mortem pro morte.

Tertull. Scorp. 7

Cap. 23

Num. 11 apud Tilman.

2. *Vide an servaverit genus, à quibus & testimonium sui expectet, & in quos justitiæ vicem mandat:* Ut scilicet passionem passione, mortem morte, supplicium supplicio compensent. Nam licèt passionis Christi & Martyrum inæquale sit meritum, neque pœnalissima ipsorum mors longo etiam intervallo possit conferri cum Christi morte, quoad rationem meriti; attamen quoad gratitudinis officium nihil amplius ab illis potuit exigi, quàm ut pro Christo vitam offerrent, qui subierat pro eis mortem, *passione debitam pro passione referentes gratiam, ac sanguine pro sanguine solventes remunerationem.* Quod nec effugit visum Regii Vatis, qui de cœlo eruditus, nihil invenit præter martyrium

Tertull. Scorp. 10

Asterius in Phocā Mart.

tyrium, quod pro dominica passione possit rependere vicem. Unde postquàm ardenti gratitudinis desiderio in hæc verba prorupit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* statim subjungit: *Calicem salutaris accipiam.* Per beneficia quæ nobis tribuit Dominus, pro quibus gratitudinem ostendere desiderat Propheta, D. Augustinus intelligit Christi passionem: calicem verò salutaris, quo Christi recognoscitur passio, Martyrum passionem interpretatur: *Quia prior passus est, dat imitari passiones suas, & ideò pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Calicem, quem Christus in sua passione pro hominum salute bibit, Martyribus propinavit: *Si calix salutaris est, necesse est ut salvemus calicem illum, totum illum bibentes, ut nihil fundamus ex eo: effundit autem accipiens, qui denegat ne aliquid patiatur.* Calicem salutaris de manu Domini suscipientes Martyres, nihil ex eo effuderunt, sed abundè biberunt in gratitudinis monumentum. Unde sic fantur apud Theodorum Heracleotem: *Aliam enim pro ijs, quæ à Domino accepimus, vicem rependere non valemus, nisi pro ipso mortem sustinendo, atque hanc ipsi pro omnigenis beneficijs remunerationem reponendo,* Quàmvis enim Martyres pro Christo morientes par pari non reddiderint, neque gratitudinem beneficio Dominicæ passionis æqualem præstiterint; quia tamen nihil amplius referre potuerunt præter martyrium, imparem debiti solutionem sic pretiosè taxavit Christus, ut Martyrum passionem acceptaverit ad propriæ passionis remunerationem. Ad quod alludere videtur Tertullianus de Martyrum carne loquens: *Cùm pro nominis fide in medium extracta, & odio publico exposita decertat; cùm in carceribus maceratur teterrimo lucis exilio; cùm jam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur; cùm denique supplicijs erogatur, enisa reddere Christo vicem, moriendo pro ipso, & quidem per eandem crucem sæpè, nedum per atrocia quæque ingenia pœnarum.* Martyres pro nominis fide decertant, id est, pro Christiano nomine, seu pro Christo, Christianæ disciplinæ Magistro: tormentorum machinatione laniantur, id est, ingeniosâ tyrannorum sævitiâ in adinveniendis suppliciis, quæ constanti animo sustinuerunt nitentes reddere Christo vicem, moriendo pro ipso.

Ps. 115

Orig. Tr. 35. in Matthæ.

In Comment. Pat. Græc.

L. de Res. Car. 8

Subjungit Tertullianus Martyrum adhuc carnem commendans: *Ne illa beatissima & gloriosissima, quæ potest apud Dominum parere debito tanto, ut hoc solum debeat ei, quod ei debere desierit; hoc magis vincta, quod absoluta.* Christo paruerunt Martyres suâ morte Dominicam passionem compensantes. Jubet qui exigit, paret qui præstat quod promisit: appellanti namque creditori paret debitor cùm satisfacit: Martyres Domino satisfecerunt, pro eo morientes, debitum solventes. Quid amplius quàm vitam pro vita præstare potuerunt? Tantum autem debitum quo potuerunt modo solventes, novum contraxerunt debitum, scilicet quòd à priori liberati, eò magis fuerunt adstricti, quò magis absoluti, hoc ei duntaxat debentes, quod ei debere desierint, mortem morti, cicatricem cicatrici rependentes.

Tert. l. de Pud. 22 *Illa cicatrices Christiano prælio insculpta, & utique invidiosa apud Christum, quia vixisse cupierunt; & sic quoque gloriosa, quia non vincendo cesserunt.* A Christo peregrinatur invidia; tum quia ejus summa sanctitas nullo vitio dehonestatur; tum quia bonum duntaxat invidetur: nullum est autem bonum quod eminentiori modo non sit in Deo; tum quia Christus in cœlo corpore & animâ perfectissimè beatur, nec ei deest quidquam quod invidere possit: attamen adeò sunt gloriosa Martyrum vulnera, tantique ea æstimat, Christus, ut si posset invidiæ zelo affici, Martyrum invideret cicatricibus quas ei pro suis plagis rependunt velut gratitudinis tesseram, & amoris insigne: *Ut bonus miles feret vulnera enumerabit cicatrices, & transverberatus telis, moriens amabit eum pro quo cadet, imperatorem.* Martyres boni Christi milites Christi amore in arenam descenderunt, Imperatoris amore ducti pugnarunt cum tormentis, & telis confossi ardenter dilexerunt Dominum, pro cujus gloria dimicârunt, & sub tyrannorum sævitia occubuerunt. *Oportet enim quomodo Christus animam suam posuit pro vobis, ita fieri pro eo & à vobis.* Christus pro amore Martyrum contra diabolum decertavit, ut eos ab ejus tyrannide liberaret; pro eis vulneratus, dilaniatus, clavis perforatus, spinis confixus est. Audite illum loquentem apud Chrysologum: *Crux hæc non mea, sed mortis est aculeus; clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem; vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meos visceribus introducunt; extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam; sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prerogatur in pretium.* Christi Domini vulnera Martyrum sufflammant charitatem, eisque admirabilem præstant constantiam, ut suis vulneribus Domini compensent plagas. Nam ut bellè ad propositum fatur Petrus Blesensis: *Stat Martyr afflictus quidem, sed invictus, vidensque sanguinem suum ex diversis corporis partibus ebullire, non sua, sed Redemptoris vulnera attendit.* Sua Martyr non sentit vulnera, quia Christi considerat plagas; dolores ab ejus corpore aut peregrinantur, aut saltem mitigantur: quia plus habet spiritum suum in vulneribus Salvatoris, quem ardenter amat, quàm in corpore proprio, in quo habitat.

Sen. l. de Beat. Vit. c. 15

Tert. l. de Fug. in Persec. 12

Ser. 108

In cap. 2 Job.

Multiplici de causa Christus in corpore glorioso servare voluit cicatrices vulnerum, quæ in sua pertulerat passione, quarum duas in præsentiarum refero. Unam à V. Beda mutuatam: *Dominus signum perpetuæ victoriæ vulnerum cicatrices, cœlo inferre maluit, quàm abolere;* tanquam gloriosum victoriarum suarum trophæum cicatrices servans. Alteram ex D. Augustino desumptam: *Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* Cicatrices in corpore Christi glorioso sunt velut ejus ornamentum, & pretiosa monilia, quæ illud mirè decorant. Ob duas illas rationes post resurrectionem apparebunt in Martyrum corporibus cicatrices vulnerum, quæ pro religione receperunt, 1. tanquam memoriale perenne victoriæ, quam de tyrannis reportarunt: *Vulnerum cicatrices in corporibus Martyrum, quæ pro Christi nomine pertulerunt, in illo regno videbimus*

In cap. 6 Luc.

L. 22. Civ. 20

D. Aug. ibid.

bimus tanquam virtutis indicia. 2. Ut ex illis cicatricibus augustè ornentur, & pretiosè decorentur : *Corpora ipsa sua magna habebunt ornamenta, in quibus passi sunt magna tormenta.* D. Aug. Ser. 6 de Martyrib.

Quid amplius ad gloriam Martyrum potest dici, quàm quòd virtutes consummeut, dominicæ passioni communicent, mortem suam quasi ex æquo compensent, sintque in ordine ad Dei Filium, quod Dei Filius est per respectum ad Patrem? Dei Filius est perfecta Dei viventis imago, & Martyres sunt Dei morientis imagines; nam imitantes ejus passionem illam in semetipsis repræsentant. Ut enim pulchrè philosophatur Petrus Blesensis: *Poteris imaginem & similitudinem Dei in te repingere, si pro fide Christi poteris occumbere; tunc enim quasi cera sigillum imprimitur, cùm morti Christi mors nostra assimilatur. Benè resignavit suam Deus imaginem in Martyre suo, qui jam illam primam & veram præ clarificatione, & præ exaltatione supercœlesti: Non valemus videre imaginem juxta nos configuratam, per passionem respicimus imaginis imaginem.* Lib de Pœn. 4 Martyres sunt imagines imaginis, quia sunt imagines Christi qui est imago Patris, repræsentantque Dei Filium, qui est *repræsentator Patris.* Tert. l. adv Prax. 24 Imitanda est imago Dei, si felicitatis volumus esse consortes. Nam ut profundè ratiocinatur Gregorius Nyssenus: *Si divinum numen solum est beatum, beatitudinis communio per hoc hominibus contingit, si Deo assimilentur.* Orat. 1. de Beatit. Ut autem Deo possent assimilari mortales, Dei Filius factus est homo, seseque eis imitandum præbuit. Perfectissimum illud exemplar imitati sunt in passione Martyres, ideoque beatitudinis illius sunt participes. Nos quoque simus Christi patientis imagines, ut Christi gloriosi mereamur assequi similitudinem: *Siquidem compatimur, uti & cum illo glorificemur.* Tertull. Scorp. 13 Et si non possumus rependere cicatricem pro cicatrice, mortem pro morte, sanguinem pro sanguine, reddamus saltem amorem pro amore, ex dilectione Dei sustinentes cuncta quæ nobis eveniunt adversa: *Videte quid Martyribus debeamus, qui sibi vixerunt, & mortui exemplum nobis reliquerunt & benè vivendo, & tolerando fortiter passiones.* D Aug. Ser. 3. de 7 Fratrib. Machab. Habemus ante oculos nostros illas imagines imaginis, illas imitemur fortiter tolerantes, benè viventes, ut cum illis possimus immortali frui beatitudine.

CONCIO QUARTA.

Tert. l. adv. Jud. 14 — SEd Iesus iste Christus, Dei Patris summus Sacerdos, *ipse etiam effectus hostia.* Martyres quoque simul sunt hostiæ & sacerdotes. Hostiæ, quia immolantur; Sacerdotes, quia sacrificant. Christus ut hostia variè à variis oblatus est. Nam *Pater tradidit Filium suum, & ipse Christus corpus suum, & Iudas Dominum suum.* Non absimiliter Martyres tanquam sacræ victimæ immolantur à tyrannis, à Deo, & à semetipsis, suntque hostiæ, 1. crudelitatis, 2. pietatis. 3. charitatis.

D. Aug. ep. 48. ad Vincent.

I. PARS. Tert. Apol. 2 — *Plinius secundus, cùm provinciā regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsâ tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Trajanum Imperatorem, allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum reperisse.* Justa de causa Christiani dæmonibus, & sceleratis hominibus recusabant offerre sacrificium, quod soli vero debetur Deo. Gentiles hanc obstinationem non sacrificandi falsis deis ferre non valentes, sæviebant in Christianos illis exprobrantes: *Deos non colitis, & pro Imperatoribus sacrificia non impenditis.* Quapropter tanquam rei læsæ divinæ & cæsareanæ majestatis eos insequebantur, omnique crudelitate torquebant; & qui Sacerdotis noluerant fungi ministerio, à tyrannis tanquam hostia immolabantur. Sed hostia 1. fortunæ bonis denudata. 2. ignominiâ mulctata. 2. crudeliter mactata.

Tert. Apol. 10

1. Nihil non tentabant Gentiles ut Christianos à vera religione dimoverent, & ad sacrificandum falsis diis adducerent: *Itaque torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absolvimur negantes, quia nominis prælium est.* Qui à fide deficiebant, absolvebantur, & abundè locupletabantur; qui verò in nominis confessione perseverabant, fortunæ bonis denudabantur: *Bonorum adhibitā proscriptione.* Verùm, ut in Martyrum laudem prædicat D. Augustinus: *A Christo non solùm colendo, verùm etiam confitendo tantam per orbem terræ Martyrum multitudinem metus ullus aut error revocare non potuit, blanditiæ nulla, promissio nulla dimovit; sed nec facultatum violenta substractio:* neque honoris dejectio, & ignominiosa denigratio.

Tert. Apol. 2

Tert. Apol. 3

L. 12. Civ. 6.

Tertull. Apol. 2 — 2. *Cogitis tormentis de confessione decedere* Christianos: non solùm bonorum proscriptione, & facultatum substractione; sed etiā ab honoribus dejectione, & infamię dehonestatione: quia honor magis ęstimatur ab hominibus, quàm ipsamet vita; tyranni Christianos privabant honoribus, & ignominiâ mulctabant: nam, ut subjungit Tert. *Crudelitas posteà erasa est, in pudoris notam capitis pœna conversa: suffundere maluit hominis sanguinē, quàm effundere.* Nam ut majore pudore afficerent Christianos, eorum religionem dehonestabant, quasi caput asini[illegible] ū pro Deo venerarentur. *Nam & quidem somniāstis caput asininū esse*

Tert. Apol. 16

esse Deum nostrum. Christū dedecorabant horribili figura eum repræsentantes: nam ut refert Tertullianus: *sed nova jam Dei nostri in ista proxime civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione, Deus Christianorum Onocboëtes. Is erat auribus asininis altero pede ungulatus, librum gestans, & togatus. Risimus & nomen, & formam.* Ipsi quoque Christiani irrisionis & ignominiæ causa nuncupantur *bestiarij.* Tandem pro religione damnati infames habebantur; nam *tenebantur, ligabantur, lapidabantur, in omnibus suis motibus quasi viles irridebantur, execrabantur, detestabātur, habebantur pro maledicto, & dicebantur: sic moriaris sic incendaris, sic crucifigaris.* Tantam ignominiam patienter patiebātur, ad instar Susannæ, in cujus laudē prædicat D. Ambr. *Illa ubi audivit vocem damnationis vultum aperuit, soli invelata & intecta martyrio & volens injuriæ occurrit, ut ibi martyrij fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris.* Verum ut decantat Regius Vates, pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. *In conspectu Domini tunc tantum erat pretiosa, quando opprobrium erat esse Christianum, & vilis erat in conspectu hominum, mors Sanctorum.* Ibid. Tertull. Apol. 8. S. Aug. Ser. 19. de Diverſ. D. Aug. Ser. 19.

3. Tandem gentiles Christianorum immolabant vitam, crudelique puniebant supplicio: quod libenter & lætanter patiebantur Martyres, dicentes audacter tyrannis: *Cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus.* Et horum parvus non erat numerus. *Quis enumeret quam multi quantalibet sævitia crudelitatis, occidi, quam Christum negare maluerunt?* Sese felices existimantes imitari Dominum suum, qui *tanquam ovis ad victimam* ductus & à satellitibus in ara crucis immolatus est: cujus passionem æmulati Martyres Salvatorem alloquuntur: *Tui causa deputati sumus ut pecora jugulationis.* At uti Salvator tanquam victima pietatis à Patre oblatus est, ita Martyres tanquam pietatis hostiæ, à Deo sunt immolati. Tert. l. ad Scap. 1 D. Aug. l. 22. Civ. 6. Tert. l. 4. adv: Marc. 40. Tertull. Scorp. 15.

Deus Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ad quid Pater tradidit Filium? Scilicet ut sua morte Deum glorificaret, diabolum debellaret, hominibus vitam compararet. *Crudelem Deum qui non intelligit, credit* Filium unigenitum morti tradidisse. At qui bene intelligit non crudelem, sed benignum & pium credit. Iisdem de causis voluit Deus ut Martyres, velut hostiæ immolarentur, ut sua morte, 1. Deum glorificarent: 2. diabolum debellarent: 3. vitam immortalem sibi compararent. II. PARS. Tertull. Scorp. 7 Tert. ibid

1. *An Deus hominum mundi sanguinem flagitat, maxime si taurorum & hircorum recusat?* Taurorum & hircorum sanguinem recusavit Deus, quia hujusmodi hostiæ non erant ad ejus gloriam procurandam idoneæ: proprii autem filii efflagitavit sanguinem velut aptissimum ad ejus justitiam placandam, gloriamque sceleribus hominum dedecoratam, reparandam & procurandam: Quod probe sciens Filius: *ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio.* Christus Dominus toto vitæ tempore Deum glorificavit virtutum actionibus, sed præsertim moriens sua passione Tertull. Scorp. 1. Hebr. 10

Patris procuravit gloriam: Martyr Salvatoris æmulans exemplum suis suppliciis Dei gloriam procurare nititur; ut constat ex Alexandro Martyre, animi magnitudine Alexandrum Macedonem longe superante: qui cum de suo nomine interrogaretur à tyranno constanter respondit: (Ego Christianus sum & fui semper, & futurus sum in gloriam Dei.) *Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori quam regnare in hoc sæculo: quid enim præstantius quam fieri Christi hostiam, & sua morte debellare diabolum?*

D Amb. l. de Bon. Mort. c. 3

2. *Christus cum hoste præliatus per trophæum crucis triumphavit.* Primum hominem debellaverat dæmon, eumque morti subjecerat: at Christus mori voluit, ut hominis victorem vinceret diabolum. Hanc causam passionis Christi, ejusque reportatam de diabolo victoriam eloquenter tractat Chrysologus: *Quæramus ergo quæ hujus causa mortis, quæ hujus sit utilitas passionis Et plane vis certa, vera ratio, causa lucens, utilitas tanti sanguinis peraperta: namque Pastoris una ex morte virtus emicuit singularis. Pastor pro ovibus, morti quæ ovibus imminebat, occurrit, ut auctorem mortis diabolum, novo ordine captus caperet, vinctus vinciret, puniret occisus, & ovibus moriendo viam vincendæ mortis aperiret.* In Christi schola eruditi Martyres, ab illo modum vincendi diabolum didicerunt. Unde sic fantur apud S. Zenonem: *Sanguinem ambitiose plerumque effundimus, cum in persecutione pro nomine Domini diabolum moriendo vastamus.* Tædiosum foret singulorum referre victorias, solius Vincentii victoriam propono, de quo sic fatur D. Augustinus. *Animadvertat sanctitas vestra, quo diabolus suum produxerit ministrum: & quomodo Christus suum servaverit famulum.* Loquitur de Daciano præfecto crudelissimo, & dæmonis ministro ferocissimo, qui frustra omnia inhumanitatis adhibuit ingenia, cunctaque suppliciorum tentavit genera, ut Vincentii vinceret constantiam: Sed sanctus Martyr probe suo respondens nomini, diabolum, ejusque ministrum gloriose superavit. Nam ut subjungit D. Augustinus; *tot convicta miraculis persistebat impietas, agnoscatur operata diaboli malignitas; tot vexata suppliciis non cedebat infirmitas, agnoscatur ergo operata divinitas*, quæ Vincentio cæterisque Martyribus dedit vires ad vincendum diabolum, & comparandam sua morte vitam immortalem.

Tert. l. 4. adv. Marc. 20

Serm. 40.

Serm. de Circunc.

Serm. 1. de Vincent.

3. Christus in ara crucis immolatus est; ut sua morte nobis compararet vitam. *Vides quomodo etiam proprium suum primogenitum & unigenitum Sophia divina jugulavit, utique victurum, imo & cæteros in vitam redacturum.* (Martyres Redemptoris exemplum sequuti, verbera & vincula sustinentes, corpora tormentis subjicientes, & sanguinem fundentes, ad cœlestem meruerunt patriam pertingere, & coronam vitæ accipere.) Quis non ad eorum exemplum libenter perdet temporalem vitam, ut acquirat æternam? *Martyres vicerunt, quia voluntati carnis, voluntatem spiritus præposuerunt, amabant hanc vitam: sed aliam ponderabant, & inde considerabant, quantum amanda esset æterna, si sic amatur ista peritura*, quam libenter Christo sacrificabant.

Tertull. Scorp. 7

D. Aug. Serm. de Mart.

D. Aug. Ser. 31. ex addit per Pat. Sirm.

Possum

Possum dicere cum Sophia Dei, Christus est qui se tradidit pro delictis nostris: jam & semetipsam Sophia trucidavit. Christus humanata sapientia, sacerdos simul & victima, semetipsum immolavit in ara crucis trina potissimum de causa. 1. Ut carnis suæ veritatem demonstraret: 2. ut charitatem suam hominibus ostentaret: tandem 3. ut sua nobis bona abundanter donaret: *Semel Christus pro nobis obiit, semel occisus est, ne occideremur, si vicem repetit, num & ille salutem de mea nece expectat?* Sic loquuntur Gnostici, ut fideles à voluntate patiendi martyrium deterreant. Verum licet Christus salutem de Martyrum nece non expectet, generosi tamen milites sustinent mortem: Deoque sacrificant: *Itaque & sacrificamus, sed Deo nostro*; seseque velut hostias innocuas immolantes; ut 1. testentur Christi veritatem: 2. demonstrent suam erga Christum charitatem: 3. suam ostendant liberalitatem.

III.PARS Tertull. Scorp. 7

Tertull. Scorp. 1

Tert. l. ad Scap. 2

1. Carnis veritatem sua morte demonstravit Christus. Inde Tertullianus redarguit Marcionem veram Christo denegantem carnem. *Sed jam hinc responde interfector veritatis: Nonne vere crucifixus est Deus? nonne vere mortuus, ut vere crucifixus? nonne vere suscitatus, ut vere scilicet mortuus? Falso ergo statuit inter nos scire Paulus tantum Iesum crucifixum: falso sepultum ingessit, falso resuscitatum inculcavit. Falsa est igitur & fides nostra, & phantasma erit totum, quod speramus à Christo.* Veritatem incarnationis Verbi, Passionis, Mortis, & Resurrectionis Christi testati sunt Martyres & suo sanguine, & sua nece confirmarunt, audacter propalantes mediis in tormentis: *Pro veritate, pro Deo vivo crematmur.* Philosophi gentiles non tuebantur suam doctrinam cum dispendio vitæ, fugiebant dum imminebat aliquod periculum, teste Apollonio qui ab Imperatore Domitiano accersitus ut suæ doctrinæ redderet rationem, fugit. Martyres è contra Christianas veritates audacter propugnabant, etia m cum effusione sanguinis, & discrimine vitæ: nam *certabant agonizantes, & nomen Domini invocantes, Christum confitentes, ipsum Dominum prædicantes, & pro ipsius confessione etiam semetipsos tradentes ignibus*; adeo ardens erat charitas qua diligebant Christum.

Lib. de Car. Chr. 5

Tert. l. ad Scap. 4

D. Aug. Serm. de Martyrib.

2. Christus *dilexit hominem, propter eum omni se humilitate dejecit usque ad mortem, & mortem crucis.* Christianus vere Deum diligens paratus esse debet pro eo animam suam ponere potius quam debitum ei denegare amorem. Majorem namque charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat pro amicis suis: Heliogabalus dicere solebat, ad Reges & Imperatores regiam pertinere mortem. Infamis ille Imperator speculationes suas non redegit ad praxim, uti in vita fuerat demisso animo, ita in morte muliebrem ostentavit pusillanimitatem. Ad Martyres regia pertinet mors, quam pro Dei amore fortiter sustinent, & à quo nulla tormentorum acerbitate possunt dimoveri: *Sed in omnibus istis supervincimus pro eo qui nos dilexit (persuasum enim habemus, quod neque mors, neque vita, neque sublimitas, neque profundum, neque alia conditio poterit nos à dilectione Dei separare, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Natura horret mortem, potissimum quæ sociatur tormentis, conserva-

Tert. l. de Car. Chr. 4.

Lamprid.

Tertull. Scorp 13. D. Thom. 22. q 124. art. 3

servationemque vitæ præ cæteris diligit. Idcirco Martyres consummatam ostendunt charitatem pro Christo adeo dilectam sponte amittentes vitam, & cruentam sustinentes mortem. Insignem Martyrum dilectionem non approbant impii, existimantes *quod nec simplicitas, sed vanitas, imo dementia, pro Deo mori*: sed toto aberrant cœlo, quia non ex vanitate sed ex charitate procedit mors Martyrum, qui non dementiam, sed cœlestem demonstrant prudentiam, dantes animam pro Christo, qui omnia eis donavit.

Tertull. Scorp. 1

3. *Quomodo non & cum Filio omnia condonavit Pater?* Regulares Evangelica servantes consilia sunt in statu perfectionis acquirendæ cuncta bona fortunæ, corporis, & spiritus Deo offerentes: per votum namque paupertatis offerunt cuncta bona temporalia quæ possident, & quæ sperant; per votum castitatis, offerunt corpus, matrimonii renuntiantes voluptatibus, *Virginitas, de bonis carnis, Deo adoletur*: per votum obedientiæ offerunt animam, submittentes Superiori Dei vices gerenti, mentis cogitationes, & voluntatis affectus. Martyrium Evangelica consilia eminentiori modo continet, in quo Martyres Deo omnia offerunt: 1. fortunæ bona, per paupertatem adeo arctam, ut propriæ etiam renuntient vitæ: 2. carnem, quam ut innocuam victimam offerunt: cujus acerbissimos supra retulimus ex Tertulliano cruciatus: tandem 3. spiritum offerunt facti obsequentes usque ad mortem, cuncta hæc bona sponte Christo offerunt Martyres, *cum & hostia ab animo libenti expostulentur*

Tertull. Scorp. 7

Tert. l. de Res. Car. 8

Tert. l. ad Scap. 2

Sanctus Stephanus ab Eusebio Emisseno prædicatur *beatus, qui fumantem adhuc dominici victimam sanguinis, primus honoravit, recenti sacrificio passionis.* Beatus quoque quilibet Martyr qui pro Christo patiens & moriens dicere valet: *Propter ejus disciplinam occidor, ei offero opimam hostiam; non grana thuris unius assis, non Arabicæ arboris lacbrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis*: sed sanguinem meum, sed corpus meum tormentis & cruciatibus dilaceratum, sed animam meam charitatis igne sufflammatam, sed vitam meam, in doloribus & suppliciis amissam: *Non enim eget Deus conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus: hæc enim dæmoniorum pabula sunt.* Deus immolatas rejicit gentilium hostias, grata habet sacrificia, in quibus Martyres religiosam immolant vitam, vel Christiani puras offerunt mentes: (Nos ipsi primitias spiritus habentes.) *Quorum jam spiritus tanquam sacrificium oblati sunt Deo, & divino charitatis igne comprehensi.* Hujusmodi sacrificium animæ charitatis igne æstuantis offerebant fideles nascentis Ecclesiæ, quare postquam Minutius Fœlis dixit; Delubra & aras non habemus gentilium more, subjungit: *Litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia: hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.* Et quia homo non solum à Deo animam accepit, sed etiam corpus: *Sed jam quid obsecret Apostolus audiamus;* Obsecro, inquit, vos, ut exhibeatis corpora vestra. *Apostolus rogando sic omnes homines ad sacerdotale fastigium provexit:* ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam. *O inauditum Christiani pontificatus officium! quando homo*

Ser. de S. Stephan.

Tertull. Apol. 30.

Tert. l. ad Scap. 2

Rom. 8.

Anselm.

In Octav.

Chrysol. Ser. 108.

homo sibi ipse est & hostia & sacerdos: quando homo non extrinsecus. quod Deo est immolaturus inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est. Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos: quando hostia mactatur & vivit, sacerdos nescit occidere, qui litabis? Mirum sacrificium ubi corpus sine corpore sine sanguine sanguis offertur. Obsecro, inquit vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam vivam. *Fratres hoc sacrificium Christi descendit ex forma, qui corpus suum pro vita saeculi vitaliter: & vere corpus suum fecit hostiam vivam, quia vivit occisus.*

Duplex est sacrificium in quo immolatus est Christus. Cruentum unum, in ara crucis oblatum: incruentum aliud quod quotidie in Altari offertur. Duplex est etiam martyrium quod binum illud Christi sacrificium honorat. Unum cruentum in quo suo sanguine, suis tormentis, & sua morte, Martyres Christi honorant sanguinem, cruciatus & mortem; aliud incruentum, quod incruentum Missæ sacrificium veneratur. *Esto homo, esto, & da sacrificium, arripe gladium spiritus, altare cor tuum pone: & sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam; Deus fidem, non mortem quaerit: votum non sanguinem sitit: placatur voluntate, non nece.* Chrysol. ibid. Ut hoc incruentum martyrium Deo sit acceptum, debet in tribus præsertim imitari incruentum Missæ sacrificium. 1. Totus Christus immolatur in Altari; &, ut fatur Guillelmus Alvernus, *nihil à sacrificio vacat.* Hoc exemplar, subjungit Parisiensis Antistes, perfecte imitatur vir sanctus & disciplinatus, *in quo nihil vacat à sacrificio, sed totus est in sacrificio, totus sacrificium, totus oblatio*, offerens Deo animam sanctitate, virtutibus ornatam, corpus suum adhuc mactans. De Legibus c. 28 *Tali ergo confirmatus exemplo, offer corpus tuum, & non solum macta, sed etiam seca per omnia virtutum membra; quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties à te Deo viscera fuerint immolata virtutum. Offer fidem, ut perfidia sit punita: immola jejunium, ut voracitas cesset: sacrifica castitatem, ut moriatur libido: impone pietatem, ut deponatur impietas: invita misericordiam, ut avaritia deleatur: & ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare: Sic fiet corpus tuum, tua hostia, si nullo peccati jaculo fuerit sauciata.* Chrysol. 2. Christus in altari est velut mortuus; nullam operationem exercens vitæ animalis & sensibilis, quia caret extensione locali, & spatio ad humanè & sensibiliter agendum necessario, ideoque dilectus Discipulus exclamat se vidisse Agnum in altari velut occisum. Apoc. 5. Nam licet sit verè vivens, vitaliter tamen non operatur, habens oculos nec videns; aures nec audiens; linguam nec loquens; manus nec operans; pedes nec ambulans. Christianus est velut mortuus passionum impetus refrænans, passiones quidem non occidit sed impedit effrenem earum vitam. *Nemo dicat fratres, quod temporibus nostris Martyrum certamina non sunt; nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, cupiditatem contemnere, superbiam humiliare, magna pars est martyrii.* D. Aug. Ser. 250. de Temp. 3. Christus in altari patienter sustinet hæreticorum blasphemias, libertinorum impietates, sacrilegorum indignitates, adstantium in Ecclesiis iniquas animi cogitationes, & irre-

D Greg. Hom. 35. in Evang. irreverentes corporis immodestias. *Sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus.* Nonne meretur martyrium sine passione perfectum, pater patienter tolerans filii ingratitudinem; maritus uxoris luxum & lasciviam; dominus domesticorum inobedientias & latrocinia; amicus amici perfidiam & fraudes? Chrysol. Ser. 40 *Quis dubitat quod resurgant, vivant, regnent occisi Martyres, quando Christus illis resurrexit, vivit, & regnat occisus?* Vivi quoque Martyres sese per passiones & virtutum actiones Deo mactantes, resurgent, vivent, & regnabunt occisi. Chrysol. Ser. 108. *Vivit corpus tuum, ô homo; vivit, quoties à te Deo, virtutum vita vitiorum mortibus immolatur:* nam motiens vitiis vivens virtutibus immolans corpus, sacrificans animam, anima & corpore vives in æternum.

CONCIO QUINTA.

Athletæ olim & pugiles exeuntes de arena vel stadio victores, in victoriæ præmium recipiebant de manu Agonothetis coronam frondibus vel floribus contextam, quam recusavit strenuus ille miles, Tert. l. de Cor. mil. 1 *& nunc russatus sanguinis sui spe, de martyrij candida melius coronandus.* Coronam quam in votis habebat solummodo Christianus miles, ob desiderium martyrii, de facto receperunt Martyres qui pro religione sustinuerunt mortem: Tert. l. de Præsc. Hæret. 29. idcirco *martyriis coronata* nuncupat Tertullianus, ipsique Martyres merito appellari Tert. l. de Cor. mil. 7 possunt *Coronarij*: quia scilicet 1. Christum coronant: 2. Ecclesiam coronant: 3. semetipsos coronant.

I. PARS: Tert. l. de Cor. Mil. 10. *Ipsum Christum coronatum* scimus, in eoque multimodam coronam recognoscimus. Non loquimur de corona quam essentialiter possidet in quantum Deus, quæ illi cum Patre & Spiritu sancto est communis; neque etiam de corona quæ ei contigit etiam in utero Virginis, ubi virtute unionis hypostaticæ factus est Rex regum & Dominus dominantium: neque adhuc com-Tert. ib. memoramus *illam impetratis contumeliosæ coronam* quam Romani milites imposuerunt capiti ejus; neque tandem differimus de corona quam post pas-Tert. lib. adv. Jud. 14. sionem suscepit: Pater enim æternus *gloria & honore coronavit illum.* Ultra has coronas, adhuc in suis Martyribus coronatur Christus; quia eis 1. pugnandi vires & arma subministrat: 2. in illis cum suis hostibus pugnat: 3. per illos vincit & triumphat.

Tert. l. ad Mart. 3. 1. *Itaque Epistates vester Christus Iesus qui vos spiritu un*[illegible] *ma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem* [illegible] *conditione seponere, ut vires corroborarent in vob*[illegible] Christianis pro religione incarceratis. Epistates [illegible] tis præest. Martyres in ergastulis erudieba[illegible] præliari deberent, eisque arma & vires [illegible] dimicandum. Debora prostrato Sis[illegible] Judic. 5. Pæana canit: *Cessaverunt fortes in* [illegible]

minus. Quæ sunt hæc nova bella, quæ in Israele elegit Dominus, dum cessaverunt fortes, & strenui bellatores quieverunt? Respondet Rupertus: *Idcirco Deus nova bella elegisse dicitur, eo quod de inermibus fortes & victoriosos fecerit.* In Glos.
Prælium quod Debora inivit cum Sisara, ubi mulier inermis ducem fortissimum debellavit, est figura certaminis sanctorum Martyrum, quos adeo fortes & victoriosos Dominus fecit, ut gloriosam de diabolo reportarint victoriam, & ut fatur D. Augustinus *muliebris infirmitas inimicum antiquum miraculo majore devicit.* Cujus plura refert S. Doctor exempla. Inter quæ duo selegi, quæ mihi insigniora videntur. Unum, de S. Victoria; alterum de beata Agnete. De S. Victoria sic fatur Hipponensis Antistes: *In hoc ergo tanto agone ista sancta non sexu invalido retardata, non fœminea cogitatione enervata, non mundo blandiente emollita, non minante, perterrita, infirma firmiter certavit, fortiter spiritu carnem, spe timorem, diabolum fide, mundum charitate vincens.* Admirabilis fuit Victoriæ fortitudo, sed non minus stupenda Agnetis virtus. *Agnes puella tredecim annorum vicit diabolum; eum puella ista vicit, qui Herculem multosque decepit.* Unde infirmis virginibus tanta fortitudo, nisi ab Epistate Jesu Christo, qui tanto gloriosius de dæmone triumphat, quanto robustior est ille fortis armatus, & infirmior sexus fœmineus qui cum eo decertat? *Ibi est corona gloriosior, ubi Christus infirmior: quia profecto virilis animus in fœminis majus aliquid fecit, quando sub tanto pondere fragilitas fœminea non defecit. Bene inhæserant uni viro, cui virgo casta unica exhibetur Ecclesia. Bene, inquam, inhæserant uni viro, à quo virtutem traxerunt, qua resisterent diabolo; ut fœminæ prosternerent inimicum, qui per fœminam prostraverat virum. Ille in eis apparuit invictus, qui pro eis factus est infirmus. Ille eas fortitudine ut vincerent implevit, qui ut eas fortes efficeret semetipsum exinanivit. Ille eas ad hos honores laudesque perduxit, qui pro eis opprobria & crimina audivit: ille fecit fœminas viriliter & fideliter mori, qui pro eis dignatus est de fœmina misericorditer nasci.* Multus est D. Augustinus in commendanda muliebri fortitudine: nec mirum si tanta fuerint virtute præditæ, cum eis vires subministraverit Christus, in eisque pugnaverit.

Ser. 105. de Diversis.
Ser. de S. Vict.
Serm. de Sanct.
D. Aug. Ser. 104.

2. *Prælium est nobis quod provoca*[illegible] *tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus: victo*[illegible]*m pro quo certave*[illegible]*tinere.* Pro Christo certantes Martyres, p[illegible] [illegible]toriam repor[illegible] [illegible]madmodum victoria militum tribui[illegible] [illegible]uci qui in su[illegible] [illegible]ugnat & vincit; ita victoria quam d[illegible] [illegible]portant M[illegible] [illegible]ti milites, refertur ad [illegible] [illegible]ur, quo c[illegible] [illegible], sub quo, & pro q[illegible] [illegible]nt, quo[illegible] [illegible]no Eusebius Emisse[illegible] [illegible]iversor[illegible] [illegible]rveniisset, rur[illegible] [illegible]atur [illegible] [illegible] *aquarum*, *ad* [illegible]isto [illegible] [illegible]rum fortitudo, [illegible]ori[illegible] [illegible] gloria quam suis [illegible]o I[illegible] [illegible] conspicientis coram

Tertull. Apol. 48
Hom. de S. Maxim.

 ram

ram se milites strenue decertantes sibique etiam cum dispendio vitæ palmas captantes: Nec minus Christi gaudium, ante cujus conspectum Martyres

D. Cyp. Ep. 9. fortiter demicant. *Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit*; gloriosèque de suis hostibus triumphavit!

Tert. l. de Cor. Mil. 14. 3. *Gloria & honore coronatur.* Scipio Africanus ob reportatas de hostibus victorias Romæ triumphans coronam qua erat redimitus apposuit supra caput Jovis Capitolini; ajens coronam debitam esse Jovi cujus duntaxat auxilio Scipio Reipublicæ debellarat hostes. Quanto justius Martyrum coronæ Christo debentur, cujus gratia certarunt & in certamine victores extiterunt?

Epist. 9 Quos ideo ad fortiter dimicandum hortatur D. Cyprianus: *Scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire: qui non sic est, ut servos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter, & coronatur.*

Ser. de S. Alexio. Christus Martyres coronat: nam ut fatur Petrus Damianus, *qui fuerat author pugnæ, factus est corona victoriæ, Iesus Christus Dominus noster.* Martyres adhuc Christum coronant: idcirco Joannes Evangelista in Apocalypsi testa-

Apoc. 19. tur, se vidisse Agnum indutum veste aspersa sanguine, & *in capite ejus diademata multa.* Quot martyria pro Christo tolerata, tot sunt diademata quibus coronatur.

D. Paulinus eximiam sui Vitriaci virtutem velut Christi pompam con-

Epist. 26. templatur. *Cum primo Christi amore succensus, ordinante ipso Domino, quandam operis sui pompam.* Ob eximiam Vitriaci sanctitatem ovat Christus, & quasi ambitiosam triumphi sui ducit pompam. Quanto major est Martyrum quam

Epist. 150. ad Heldib. Epist. 1. Vitriaci amor, tanto gloriosius per illos Christus triumphat. *Triumphus Dei, passio martyrum*, ait D. Hieronymus. Inde exclamat D. Bernardus: *O felix pro Christo, & cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec miles occisus fraudabitur victoria:* quia etiam moriens victor eva-

D. Aug. Ser. 11. de Sanctis. dit, sibi suoque imperatori acquirit coronam: *Quotiescumque Sanctorum martyria celebramus, toties laudes Salvatoris edicimus, & quoties asserimus eorum passiones, toties Christi gloriam prædicamus. Non enim suspicimus quod passi sunt, sed propter quem passi sunt, admiramur*; & nos ad eorum exemplum Chri-

Tert. l. de Pat. 14. stum nostris tribulationibus glorificemus: Job nuncupatur *operarius victoriæ Dei*: quia in illo patienter adversitates ferente Deus diabolum superavit. Nos quoque si patientes fuerimus in adversitatibus, erimus operarii victoriæ Dei:

Tertull. Deus ob Jobi constantiam ovat, triumphat. *Quale in illo viro feretrum Deus diabolo extruxit! quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit!* Job dicitur feretrum diabolo extruxisse: vel quia ejus patientiâ omnes satanæ ictus impetusque sunt contusi, quasi à mortuo & in feretro delato ejaculati: Vel potius alludit Tertullianus ad feretrum quod erat instrumentum triumphi, in quo devictarum gentium arma magna in pompa circumferebantur; Job autem divina gratia adjutus diabolum vincens Deo feretrum

extruxit,

extruxit. Deo trophæum erigunt Christiani tribulationes æquo animo ferentes: Deus Jobi fortitudinem lætus aspiciebat. *Quid? videbat Deus.* Neque Jobi duntaxat, sed cujusvis Christiani constantiam lætanter conspicit Deus: *O quàm pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur, cùm adversus minas, & supplicia, & tormenta componitur!* sua namque constantia Deum lætificat, Christo triumphum parat, & Ecclesiam coronat. Tertull. Min. Fœl. in Octav:

Discipuli diffusi per orbem, & ipsi à Judæis insequentibus multa perpessi, utique pro fiducia veritatis libenter, Roma postremò per Neronis sævitiam sanguinem Christianum seminaverunt. Aliorsum fusè demonstratum est, quomodo sanguis Martyrum Christianam religionem seminavit, multiplicavit, dilatavit: nunc adjiciamus iis, quæ ibi sunt dicta, per Martyres Ecclesiam fuisse 1. propagatam. 2. propugnatam. 3. coronatam. II. PARS. Tert: Apol. 21 Tert. Prædic. tom. 2 Tract. de Apostolis, Conc 6

1. Scapula Africæ Proconsul fidei Christianæ persecutor acerrimus, illam Martyrum suppliciis eradicare, penitusque destruere præsumebat. Cui audacter in vanum laborare repræsentat Tertullianus: *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur.* Ex Gregorio Nazianzeno [Est in fabulis plantam quandam esse, quæ cùm inciditur, germinet, quæque cum ferro certare dicatur, ac, si Poëtarum more loqui licet, quæ morte vivat, & incisione nascatur, & consumptione augeatur] Talis mihi videtur Ecclesia, quæ incisione propagata est, consumptione incrementata, & Martyrum morte multiplicata. Uti enim *granum morte multiplicatur*, ita Ecclesia Martyrum morte propagatur. Inde exclamat D. Bernardus: *Moriatur granum, & surgat gentium seges.* Per illud granum frumenti, de quo loquitur in Evangelio Salvator: [Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet;] D. Augustinus Christum Dominum intelligit: *Jesus seipsum dicebat: ipse enim erat granum mortificandum & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum.* Martyres quoque fuerunt granum frumenti mortificatum & multiplicatum: nam suâ morte fidem propagârunt, Ecclesiamque propugnârunt. l. ad Scap. 4. Apud Antton. in Melit. 2 Serm: 89 Tert. l. de Ref. Car. 12 Serm: 15 in Cant. Joan. 12 Tract. 51 in Joan.

Quid enim sapientius & incontradicibilius confessione simplici & exerta in Martyris nomine cum Deo invalescentis? Nihil validius, nihilque fortius ad idololatriam debellandam, & Ecclesiam propugnandam, quàm confessio fidei facta à Christianis, etiam cum vitæ dispendio: nisi enim à Deo fuissent adjuti, & luce veritatis illustrati Martyres, nunquam suâ morte Christianam disciplinam tantâ fortitudine propugnâssent. Quod probè agnoscens D. Ambrosius ait: *Morte Martyrum religio defenditur, cumulata fides, Ecclesia roborata est.* Cujus illustre fert D. Augustinus exemplum de urbe Roma, quam Martyrum reliquiæ à Barbarorum vastatione defensârunt: *Testantur hoc loca Martyrum, & Basilica Apostolorum, quæ in illa vastatione urbis ad se confugientes suos, alienosque receperunt. Hucusque cruentus sæviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor; illo ducebantur à miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem mi-* Tert. l. 4 adv. marc. 19 L. de Fid. Resur. L. 1. Civ. 1

 seri-

sericordiam non habebant : qui tamen ipsi alibi truces atque hostili more sævientes, postquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuisset : tota feriendi refrænabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Sic cicuraverunt Barbaros reliquiæ Martyrum, & ab eorum captivitate & furore liberaverunt Ecclesiã Romanam, quam suo sanguine coronaverant.

l. de Præsc. Hæret 36. 3. *Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Loquitur de Roma Tertullianus, quam Principes Apostolorum
S Leo ser. 1 in Nat. Petri & Pauli. suo sanguine rigârunt, ubi suam sedem posuit Petrus, *& quæ erat magistra errorum, facta est discipula veritatis :* quæ servierat idolis, verum colit Deum; & quæ fuerat imperii caput, est modo summi Pontificis thronus. Mithra, quam deferunt Episcopi, quæ est capitis ornatus, & quædam coronæ species; & thiara corona triceps, qua coronatur Papa, sunt honoris insignia, quæ mutuârunt à Christo, & Martyribus; qui, ut subjungit S. Leo : *Apostolicorum æmuli triumphorum urbem nostram, purpuratis, & longè lateq; rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronârunt.* Ex dictis liquido constat quantum debeat Martyribus Ec-
D. Aug. Ser. 30. in Psal. 118. clesia, quantum illis sit adstrictus Christianus populus : siquidem *purpurata est universa terra sanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalitiis Martyrum, crebrescunt sanitates meritis Martyrum.*

Christiani, firmiter teneamus fidem Ecclesiæ à Christo fundatæ, Marty-
D. Aug. ep. 38. ad Lætum. rum cæde propagatæ, sanguine propugnatæ, nece coronatæ : *Ecclesia mater est, quæ nos de Christo concepit; hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam vitam peperit, & fidei lacte nutrivit, & nutrit.* Adhæreamus Eccle-
Tert. l. de Præsc. Hæret. 36 siæ Romanæ, quæ est sedes Apostolica : *unde nobis quoque authoritas præsto est;* & ut valeamus habere Deum patrem, agnoscamus Ecclesiam matrem.
Serm: 109 de Temp. Nam ut ratiocinatur D. Augustinus : *Talis est via justorum, talis est via Sanctorum tenentium Deum patrem, tenentium Ecclesiam matrem, nec illum parentem, nec istam offendentes; sed in amore utriusque parentis viventes, & ad hæreditatem æternam properantes, non læso patre, non læsâ matre; datur hæreditas. Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam & Eva; parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus & Ecclesia.* Hos duos honoraverunt, amaverunt Martyres suâ morte, Christum, Ecclesiam, seipsum coronantes.

III. PARS Apol. 48 *Ecce enim & tormentorum certamina coronantur.* Gentiles alloquitur Tertullianus, ut ex coronis, quibus honorabant Athletas, concludat potiori jure coronandos esse Martyres pro veritate, pro virtute, pro Deo tormenta pa-
Tert. l. de Cor. mil. 15 tientes. *Accipit & Angelus victoriæ coronam in candido equo ut vinceret :* quo denotatur non solùm corona victoriæ, quam suâ passione obtinuit Christus; neque adhuc corona gloriæ quam merentur fideles strenuè contra mundum, carnem, & diabolum dimicantes : *Decerta & tu bonum agonem, cujus*
Tert. ib. *coronam & Apostolus repositam sibi meritò confidit :* sed etiam corona victoriæ,

quæ

quæ debetur Martyri, quem 1. Christus ad coronam invitat. 2. cui tyrannus sæviendo coronam procurat. 3, quique moriendo semetipsum coronat.

1. *Serva Deo rem suam incontaminatam, ille eam si volet, coronabit. Imò & vult; denique invitat: Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ.* Res Dei, quam incontaminatam servare debet Martyr in persecutionibus, est vera fides, & vera religio. Ad cujus conservationem trina potissimum stimulatur ratione: 1. quia in conspectu Dei decertat. 2. quia Christus illum in certamine adjuvat. 3. quia victor de manu Dei coronam acceptat. Martyres in conspectu Dei decertant: *Ad agonem secularem exercentur homines, & parantur: & magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo & Imperatore præsente contigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & coronæ cælestis premio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, & super eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruatur. Prœliantes nos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli eius spectat Christus.* Qui 2. certantes adjuvat: ut constat ex tribus pueris conjectis in fornacem Babylonicam, eò quòd Regis statuam adorare recusâssent. *Itaque dixerunt à Deo conceptâ fiduciâ, quando vigore animi conditionales minas Regis excutiunt: Non habemus necessitatem respondendi huic tuo imperio. Est enim Deus noster quem colimus, potens eruere nos de fornace ignis, & ex manibus tuis; & tunc manifestum fiet tibi, quòd neque idolo tuo famulabimur, nec imaginem tuam auream quam statuisti, adorabimus.* Nabuchodonosor puerorum loquendi libertatem & animi fortitudinem ferre non valens, jussit arsuros conjici in fornacem horrendè ardentem & fumantem: *quos propterea Deus texit, ne potestatem ejus mentiri viderentur.* Nam flamma eos innoxiè lambit, & peregrino eis rore gratius adulatur. In medio fornacis tres pueri impunè ambulant, & exultantes Deo concinunt hymnos. Stupet prodigium Rex Barbarus, & ait: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei: *Perspice igitur & tu cum Rege Babylonio, & invenies illic tanquam filium hominis (nondum enim verè erat, nondum scilicet natus ex homine) jam tunc istos exitus constituentem, salvas facit animas trium fratrum, qui eas pro Deo perdere conspiraverant.* Auxilium quod præstitit Dei Filius tribus pueris, præfigurat opem, quam laturus erat Martyribus Christus. Tale miraculum stupens D. Chysostomus exclamat: *O quibus triumphis te incorrupta fides extendis! Adest tibi amica majestas, ut innocentia liberetur, patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, ut crescat gloria puerorum;* ne hæc à flammis immunitas magiæ tribuatur, hic quartus velut filius hominis apparet. At dum damnatis & in fornace arsuris adest opem laturus, & patitur se cum pueris in supplicio numerari, similis filio Dei reputatur: filii enim Dei proprium est miseris opem ferre, innoxiè inter illos versari, & in medio flammarum impunè exultare; inde crescit gloria puerorum, non secus ac gloria Martyrum: Nam ut bellè ait ad propo-

D. Cypr. l. 4. ep. 6

Tertull. Scorp. 8

Tertull. Scorp. 8

Dan. 3

Tert. l. 4 adv. marc. 21

L. 5. c. 2 propositum Hegesippus: *Christus patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed quadam misericordia compassione, aut gloria celebritate*, certantes adjuvans, & 3. victores coronans. *Quanta est gloria dignitas, quanta felicitas presi-*
D. Cypr. l. 4. epist. 6 *de Deo congredi, & Christo judice coronari*, etiam de manu tyrannorum crudeliter sævientium!

Orat. 6 2. Bellè Gregorius Nazianzenus Martyres nuncupat *fidei coronas*: Tum quia pro fide strenuè & viriliter dimicârunt: tum quia propugnatâ fide co-
Tertull. Scorp. 1 ronati sunt, & quod est prorsus stupendum, *atrocitas fidem Martyrum coronavit*. Nisi enim eos persecuti fuissent tyranni, martyrii non accepissent co-
Euseb. E. miss. hom. de S. Blád. ronam: *cruciatibus afflicti, suppliciis explorati, sævis ignibus sacrificij more decocti, quantas susceperunt in corpore pœnas, tantas in spiritu perceperunt coronas*. Inde concludit Eusebius: *Ecce prophanus hostis nequaquam tantum prodesse potuit obsequio, quantum potuit gladio*. Quapropter tyrannum sic allo-
Serm. 32 quitur Petrus Damianus: *Tu ergo agnothetam Christi cùm dejicere moliris, extollis; dum superare niteris, insuperabilem reddis: servisti nempe dum sævisti, & auxisti palmam, dum exaggeras pœnam*. Ob eandem rationem ipsimet Mar-
Tert. Apol. 48 tyres gratias agebant judicibus, qui eos damnârant ad mortem: *Inde est, quòd ibidem sententijs vestris gratias agimus. Vt est æmulatio divinæ rei & humanæ, cùm damnamur à vobis, à Deo absolvimur*. Deinde lætantur in suppliciis,
Ter. l. ad Scap. 4 quia persecutorum crudelitas magnam illis acquirit gloriam: *Sed majora certamina, majora sequuntur præmia; crudelitas vestra, nostra est gloria*; quantò magis patimur, tantò majorem nobis comparamus coronam.

Tert. l. 4 adv. Marc. 29 3. *Quia & Zacharias: Corona autem erit eis, qui toleraverunt*: Quærunt interpretes, quare Deus in pœnam primævi delicti mortem fuerit Adamo comminatus: divinæ justitiæ innumera alia suppetebant suppliciorum genera, quibus posset condignè hominem punire: cur morte potius quam aliâ pœnâ inobsequentem punire voluerit hominem? Tempestivè respondet Moy-
1. p. Comment. de Parad. c. 1 ses Barcepha Syrus: [Cùm ex ipsius posteritate futuri essent Martyres, lata est adversus illum mortis sententia, ut hi per mortem pro sua pietate ac reverentia obitam, coronas adipisci possent justitiæ.] Corona debetur victoriæ, vi-
L. 1, ep. 1 ctoria verò Martyrum addicta est eorum morti. Nam ut fatur D. Cyprianus: *Vinci non possunt, & mori possunt; & hoc ipso invicti sunt, quia mori non timent*. Nec tormentorum formidant dolores; nam, ut subjungit S. Cyprianus: *Mar-*
Epist. 9 *tyrium nihil haberet admirabilius fine dolore, quem superâsse dignum est corona*. Quali coronâ digni sunt Martyres, qui, ut eis congratulatur D. Cyprianus, acerbissimos quoque dolores invicto animo tolerârunt? *Robur pectoris vestri, & perseverantiam fidei, quo praconio vocis exornem? Tolerâstis usque ad consummationem gloriæ, durissimam quæstionem; nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum quem tormenta non dabant, coronæ dederunt*.

D. Cypr. l. 4. ep. 6 Christiani, quamdiu sumus in hoc mundo, dimicare debemus, ut cœlestem valeamus obtinere coronam. Quapropter *armemur fratres dilectissimi, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorruptâ, fide integrâ, virtute devo-*

devota. Imitemur constantiam Martyrum, & ad eorum exemplum vitæ incommoda, fortunæ adversa, corporis dolores, egestates & afflictiones superemus: *Quò longior vestra pugna, & corona sublimior; agon unus, sed multiplici præliorum numerositate congestus; semel vincit qui statim patitur; & qui manet semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.* D.Cypr. ep.16 Christus Dominus passioni proximus postquam prædixit discipulis persecutionum atrocitatem, & tyrannorum sævitiam, hortatur ut qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Luc.22 Ubi D.Ambrosius: *Est gladius spiritualis ut vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, & immolata carnis exuviis ematur tibi sacri corona martyrii.* Lib. 10 in Luc. Duplex est gladius Christiano necessarius. Spiritualis unus, passionis alter. Ille est verbum Dei, iste est mortificatio; ille pervadit mentem, & cuncta quæ sunt fidei contraria, resecat: iste corpus atterit, & immolans Deo carnem super aram pœnitentiæ & mortificationis, sacri martyrii emit coronam, quam largitur Deus in cœlo iis, qui pro ejus amore passi sunt.

CONCIO SEXTA.

HAbes hic quoque prædicationem, & remunerationem martyriorum. Tertull. Scorp. 8 Hucusque Martyrum pœnas discriminavimus, fortitudinem commendavimus, excellentiam demonstravimus, vitam sacrificavimus, victorias retulimus: *Sed nondum de bono martyrii, nec de utilitate ejus* disseruimus. *Nihil adhuc de præmio, ad quod Deus Martyres invitat,* enarravimus. Tertull. Scorp. 2 In præsentiarum autem propalanda sunt præmia, quæ suis passionibus Martyres promeruerunt: Tert. l. ad Mart. 2 *Nam quos per cruentissimum persecutorem humiliaverat diabolus, exaltavit Deus; quos ille damnavit, iste glorificavit; ille opprobriis adimplevit, hic præmiis; ille induxit mortem, hic ad vitam de morte perduxit.* Euseb. Emiss. hom. 4. de Epiphan. Denique quot mala passi sunt Martyres, tot contraria bona liberaliter contulit Deus. Nam Martyres fuerunt 1. fortunæ bonis denudati, & sunt abundè gratiæ gazis locupletati. 2. morte mulctati, & sunt immortalitate donati: 3. ignominiâ dehonestati, & sunt honore decorati.

Damna, quæ passi sunt Martyres, abundè compensata sunt: *Revera fœnore interitu, & injuriâ usurâ, & lucro damno.* I. PARS. Tert. l. de Resur. 12 Tria damna tolerârunt Martyres: sordes scilicet, cruciatus, & bonorum jacturam. 1. Sordes: nam *squalent sine balneis membra, situ & sorde deformia.* D.Cypr. l.3 ep. ult. 2. Cruciatus, quos mirâ prorsus fortitudine tolerârunt; nam ut refert D. Cyprianus: *Inexpugnabilem fidem expugnare non potuit sæviens diu plaga repetita, quàmvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera.* Epist. 9 Ultra sordes, quas in carceribus patiebantur Martyres; ultra cruciatus, quibus in tribunalibus di-

servationemque vitæ præ cæteris diligit. Idcirco Martyres consummatam ostendunt charitatem pro Christo adeo dilectam sponte amittentes vitam, & cruentam sustinentes mortem. Insignem Martyrum dilectionem non approbant impii, existimantes *quod nec simplicitas, sed vanitas, imo dementia, pro Deo mori*: sed toto aberrant cœlo, quia non ex vanitate sed ex charitate procedit mors Martyrum, qui non dementiam, sed cœlestem demonstrant prudentiam, dantes animam pro Christo, qui omnia eis donavit.

Tertull. Scorp. 1

Tertull. Scorp. 7

3. *Quomodo non & cum Filio omnia condonavit Pater?* Regulares Evangelica servantes consilia sunt in statu perfectionis acquirendæ cuncta bona fortunæ, corporis, & spiritus Deo offerentes: per votum namque paupertatis offerunt cuncta bona temporalia quæ possident, & quæ sperant; per votum castitatis, offerunt corpus, matrimonii renuntiantes voluptatibus, *Virginitas, de bonis carnis, Deo adoletur*: per votum obedientiæ offerunt animam, submittentes Superiori Dei vices gerenti, mentis cogitationes, & voluntatis affectus. Martyrium Evangelica consilia eminentiori modo continet, in quo Martyres Deo omnia offerunt: 1. fortunæ bona, per paupertatem adeo arctam, ut propriæ etiam renuntient vitæ: 2. carnem, quam ut innocuam victimam offerunt: cujus acerbissimos supra retulimus ex Tertulliano cruciatus: tandem 3. spiritum offerunt facti obsequentes usque ad mortem, cuncta hæc bona sponte Christo offerunt Martyres, *cum & hostia ab animo libenti expostulentur*

Tert. l. de Res. Car. 8

Tert. l. ad Scap. 2

Ser. de S. Stephan.

Sanctus Stephanus ab Eusebio Emisseno prædicatur *beatus, qui fumantem adhuc dominicæ victimam sanguinis, primus honoravit, recenti sacrificio passionis.* Beatus quoque quilibet Martyr qui pro Christo patiens & moriens dicere valet: *Propter ejus disciplinam occidor, ei offero opimam hostiam; non grana thuris unius assis, non Arabicæ arboris lachrymas, nec duas meri guttas, nec sanguinem reprobi bovis mori optantis*: sed sanguinem meum, sed corpus meum tormentis & cruciatibus dilaceratum, sed animam meam charitatis igne sufflammatam, sed vitam meam, in doloribus & suppliciis amissam: *Non enim eget Deus conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus: hæc enim dæmoniorum pabula sunt.* Deus immolatas rejicit gentilium hostias, grata habet sacrificia, in quibus Martyres religiosam immolant vitam, vel Christiani puras offerunt mentes: (Nos ipsi primitias spiritus habentes.) *Quorum jam spiritus tanquam sacrificium oblati sunt Deo, & divino charitatis igne comprehensi.* Hujusmodi sacrificium animæ charitatis igne æstuantis offerebant fideles nascentis Ecclesiæ, quare postquam Minutius Fœlis dixit; Delubra & aras non habemus gentilium more, subjungit: *Litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera sententia: hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.* Et quia homo non solum à Deo animam accepit, sed etiam corpus: *Sed jam quid obsecret Apostolus audiamus:* Obsecro, inquit, vos, ut exhibeatis corpora vestra. *Apostolus rogando sic omnes homines ad sacerdotale fastigium provexit:* ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam. *O inauditum Christiani pontificatus officium! quando homo*

Tertull. Apol. 30.

Tert. l. ad Scap. 2

Rom. 8.

Anselm.

In Octav.

Chrysol. Ser. 108.

homo sibi ipse est & hostia & sacerdos: quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus inquirit: quando homo secum, & in se, & quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat: quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos: quando hostia mactatur & vivit, sacerdos nescit occidere, qui litabit? Mirum sacrificium ubi corpus sine corpore sine sanguine sanguis offertur. Obsecro, inquit vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam vivam. *Fratres hoc sacrificium Christi descendit ex forma, qui corpus suum pro vita saeculi vitaliter: & vere corpus suum fecit hostiam vivam, quia vivit occisus.*

Duplex est sacrificium in quo immolatus est Christus. Cruentum unum, in ara crucis oblatum: incruentum aliud quod quotidie in Altari offertur. Duplex est etiam martyrium quod binum illud Christi sacrificium honorat. Unum cruentum in quo suo sanguine, suis tormentis, & sua morte, Martyres Christi honorant sanguinem, cruciatus & mortem; aliud incruentum, quod incruentum Missæ sacrificium veneratur. *Esto homo, esto, & da sacrificium, arripe gladium spiritus, altare cor tuum pone: & sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam; Deus fidem, non mortem quærit: votum non sanguinem sitit: placatur voluntate, non nece.* Chrysol. ibid. Ut hoc incruentum martyrium Deo sit acceptum, debet in tribus præsertim imitari incruentum Missæ sacrificium. 1. Totus Christus immolatur in Altari; &, ut fatur Guillelmus Alvernus, *nihil à sacrificio vacat.* Hoc exemplar, subjungit Parisiensis Antistes, perfecte imitatur vir sanctus & disciplinatus, *in quo nihil vacat à sacrificio, sed totus est in sacrificio, totus sacrificium, totus oblatio,* offerens Deo animam sanctitate, virtutibus ornatam, corpus suum adhuc mactans. De Legibus c.28 *Tali ergo confirmatus exemplo, offer corpus tuum, & non solum macta, sed etiam seca per omnia virtutum membra; quia toties tibi vitiorum artes moriuntur, quoties à te Deo viscera fuerint immolata virtutum. Offer fidem, ut perfidia sit punita: immola jejunium, ut voracitas cesset: sacrifica castitatem, ut moriatur libido: impone pietatem, ut deponatur impietas: invita misericordiam, ut avaritia deleatur: & ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare: Sic fiet corpus tuum, tua hostia, si nullo peccati jaculo fuerit sauciata.* Chrysol. 2. Christus in altari est velut mortuus; nullam operationem exercens vitæ animalis & sensibilis, quia caret extensione locali, & spatio ad humanè & sensibiliter agendum necessario, ideoque dilectus Discipulus exclamat se vidisse Agnum in altari velut occisum. Apoc. 5. Nam licet sit verè vivens, vitaliter tamen non operatur, habens oculos nec videns; aures nec audiens; linguam nec loquens; manus nec operans; pedes nec ambulans. Christianus est velut mortuus passionum impetus refrænans, passiones quidem non occidit sed impedit effrenem earum vitam. *Nemo dicat fratres, quod temporibus nostris Martyrum certamina non sunt; nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, cupiditatem contemnere, superbiam humiliare, magna pars est martyrii.* D. Aug. Ser. 250. de Temp. 3. Christus in altari patienter sustinet hæreticorum blasphemias, libertinorum impietates, sacrilegorum indignitates, adstantium in Ecclesiis iniquas animi cogitationes, &

D Greg. Hom. 35. in Evang. irreverentes corporis immodestias. *Sine ferro Martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter custodimus.* Nonne metetur martyrium sine passione perfectum, pater patienter tolerans filii ingratitudinem; maritus uxoris luxum & lasciviam; dominus domesticorum inobedientias & latrocinia; amicus amici perfidiam & fraudes? Chrysol. Ser. 40 *Quis dubitat quod resurgant, vivant, regnent occisi Martyres, quando Christus illis resurrexit, vivit, & regnat occisus?* Vivi quoque Martyres sese per passiones & virtutum actiones Deo mactantes, resurgent, vivent, & regnabunt occisi. Chrysol. Ser. 108. *Vivit corpus tuum, ô homo; vivit, quoties à te Deo, virtutum vita vitiorum mortibus immolatur*: nam moriens vitiis vivens virtutibus immolans corpus, sacrificans animam, anima & corpore vives in æternum.

CONCIO QUINTA.

ATHletæ olim & pugiles exeuntes de arena vel stadio victores, in victoriæ præmium recipiebant de manu Agonothetis coronam frondibus vel floribus contextam, quam recusavit strenuus ille miles, Tert. l. de Cor. mil. 1 *& nunc russatus sanguinis sui spe, de martyrij candida melius coronatus.* Coronam quam in votis habebat solummodo Christianus miles, ob desiderium martyrii, de facto receperunt Martyres qui pro religione sustinuerunt mortem: Tert. l. de Præsc. Hæret. 29. idcirco *martyria coronata* nuncupat Tertullianus, ipsique Martyres merito appellari Tert. l. de Cor. mil. 7 possunt *Coronarij*: quia scilicet 1. Christum coronant: 2. Ecclesiam coronant: 3. semetipsos coronant.

I. PARS: Tert. l. de Cor. Mil. 10. *Ipsum Christum coronatum* scimus, in eoque multimodam coronam recognoscimus. Non loquimur de corona quam essentialiter possidet in quantum Deus, quæ illi cum Patre & Spiritu sancto est communis; neque etiam de corona quæ ei contigit etiam in utero Virginis, ubi virtute unionis hypostaticæ factus est Rex regum & Dominus dominantium: neque adhuc commemoramus Tert. ib. *illam impietatis contumeliosæ coronam* quam Romani milites imposuerunt capiti ejus; neque tandem differimus de corona quam post passionem suscepit: Tert. lib. adv. Jud. 14. Pater enim æternus *gloria & honore coronavit illum.* Ultra has coronas, adhuc in suis Martyribus coronatur Christus; quia eis 1. pugnandi vires & arma subministrat: 2. in illis cum suis hostibus pugnat: 3. per illos vincit & triumphat.

Tert. l. ad Mart. 3. 1. *Itaque Epistates vester Christus Iesus qui vos spiritu unxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, ut vires corroborarent in vobis.* Loquitur Tertullianus Christianis pro religione incarceratis. Epistates autem est Magister qui Athletis præest. Martyres in ergastulis erudiebat Christus, quomodo in agone præliari deberent, eisque arma & vires subministrabat ad strenue & fortiter dimicandum. Debora prostrato Sisara in gratitudinis monumentum Deo Judic. 5. Pæana canit: *Cessaverunt fortes in Israel, & quieverunt, nova bella elegit Dominus.*

minus. Quæ sunt hæc nova bella, quæ in Israele elegit Dominus, dum cessaverunt fortes, & strenui bellatores quieverunt? Respondet Rupertus: *Idcirco Deus nova bella elegisse dicitur, eo quod de inermibus fortes & victoriosos fecerit.* In Glos.

Prælium quod Debora inivit cum Sisara, ubi mulier inermis ducem fortissimum debellavit, est figura certaminis sanctorum Martyrum, quos adeo fortes & victoriosos Dominus fecit, ut gloriosam de diabolo reportarint victoriam, & ut fatur D. Augustinus *muliebris infirmitas inimicum antiquum miraculo majore devicit.* Cujus plura refert S. Doctor exempla. Inter quæ duo selegi, quæ mihi insigniora videntur. Unum, de S. Victoria; alterum de beata Agnete. De S. Victoria sic fatur Hipponensis Antistes: *In hoc ergo tanto agone ista sancta non sexu invalido retardata, non fœminea cogitatione enervata, non mundo blandiente emollita, non minante, perterrita, infirma firmiter certavit fortiter spiritu carnem, spe timorem, diabolum fide, mundum charitate vincens* Admirabilis fuit Victoriæ fortitudo, sed non minus stupenda Agnetis virtus. *Agnes puella tredecim annorum vicit diabolum; eum puella ista vicit, qui Herculem multosque decepit.* Unde infirmis virginibus tanta fortitudo, nisi ab Epistate Jesu Christo, qui tanto gloriosius de dæmone triumphat, quanto robustior est ille fortis armatus, & infirmior sexus fœmineus qui cum eo decertat? *Ibi est corona gloriosior, ubi Christus infirmior: quia profecto virilis animus in fœminis majus aliquid fecit, quando sub tanto pondere fragilitas fœminea non defecit. Bene inhæserant uni viro, cui virgo casta unica exhibetur Ecclesia. Bene, inquam, inhæserant uni viro, à quo virtutem traxerunt, qua resisterent diabolo; ut fœminæ prosternerent inimicum, qui per fœminam prostraverat virum. Ille in eis apparuit invictus, qui pro eis factus est infirmus. Ille eas fortitudine ut vincerent implevit, qui ut eas fortes efficeret semetipsum exinanivit. Ille eas ad hos honores laudesque perduxit, qui pro eis opprobria & crimina audivit: ille fecit fœminas viriliter & fideliter mori, qui pro eis dignatus est de fœmina misericorditer nasci.* Multus est D. Augustinus in commendanda muliebri fortitudine: nec mirum si tanta fuerint virtute prædita, cum eis vires subministraverit Christus, in eisque pugnaverit. Ser. 105. de Divers. Ser. de S. Vict. Serm de Sanct. D. Aug. Ser. 104.

2. *Prælium est nobis quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus: victoria est autem pro quo certaveris, obtinere.* Pro Christo certantes Martyres, pro Christo victoriam reportant. Quemadmodum victoria militum tribuitur exercitûs duci qui in suis militibus pugnat & vincit; ita victoria quam de suis hostibus reportant Martyres Christi milites, refertur ad Christum cujus auxilio prælantur, quo cum prælantur, sub quo, & pro quo prælantur. Cui probe competunt, quod de suo Maximo Eusebius Emissenus prædicat. *Quidquid ab uno ad universorum gratiam pervenisset, rursum ab universis ad unius gloriam revertebatur, & quasi nobilitas aquarum, ad fontis magnificentiam redundabat.* A Christo dimanant Martyrum fortitudo, vires, arma, quibuscum pugnant; ad Christum redire debet gloria quam suis victoriis adipiscuntur. Magna profecto Imperatoris lætitia conspicientis co- Tertull. Apol. 48 Hom. de S. Maxim.

ram se milites strenue decertantes sibique etiam cum dispendio vitæ palmas captantes: Nec minus Christi gaudium, ante cujus conspectum Martyres fortiter dimicant. *Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in talibus servis suis & pugnavit & vicit*; gloriosèque de suis hostibus triumphavit!

D. Cyp. Ep. 9.

3. *Gloria & honore coronatur.* Scipio Africanus ob reportatas de hostibus victorias Romæ triumphans coronam qua erat redimitus apposuit supra caput Jovis Capitolini; ajens coronam debitam esse Jovi cujus duntaxat auxilio Scipio Reipublicæ debellarat hostes. Quanto justius Martyrum coronæ Christo debentur, cujus gratia certarunt & in certamine victores extiterunt? Quos ideo ad fortiter dimicandum hortatur D. Cyprianus: *Scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire: qui non sic est, ut servos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter, & coronatur.* Christus Martyres coronat: nam ut fatur Petrus Damianus, *qui fuerat author pugnæ, factus est corona victoriæ, Iesus Christus Dominus noster.* Martyres adhuc Christum coronant: idcirco Joannes Evangelista in Apocalypsi testatur, se vidisse Agnum indutum veste aspersa sanguine, & *in capite ejus diademata multa.* Quot martyria pro Christo tolerata, tot sunt diademata quibus coronatur.

Tert. l. de Cor. Mil. 14.

Epist. 9

Ser. de S. Alexio.

Apoc. 19.

D. Paulinus eximiam sui Vitriaci virtutem velut Christi pompam contemplatur. *Cum primo Christi amore succensus, ordinante ipso Domino, quandam operis sui pompam.* Ob eximiam Vitriaci sanctitatem ovat Christus, & quasi ambitiosam triumphi sui ducit pompam. Quanto major est Martyrum quam Vitriaci amor, tanto gloriosius per illos Christus triumphat. *Triumphus Dei, passio martyrum,* ait D. Hieronymus. Inde exclamat D. Bernardus: *O fœlix pro Christo, & cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec miles occisus fraudabitur victoria:* quia etiam moriens victor evadit, sibi suoque imperatori acquirit coronam: *Quotiescumque Sanctorum martyria celebramus, toties laudes Salvatoris edicimus, & quoties asserimus eorum passiones, toties Christi gloriam prædicamus. Non enim suspicimus quod passi sunt, sed propter quem passi sunt, admiramur*; & nos ad eorum exemplum Christum nostris tribulationibus glorificemus: Job nuncupatur *operarius victoriæ Dei*: quia in illo patienter adversitates ferente Deus diabolum superavit. Nos quoque si patientes fuerimus in adversitatibus, erimus operarii victoriæ Dei: Deus ob Jobi constantiam ovat, triumphat. *Quale in illo viro feretrum Deus diabolo extruxit! quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit!* Job dicitur feretrum diabolo extruxisse: vel quia ejus patientiâ omnes satanæ ictus impetusque sunt contusi, quasi à mortuo & in feretro delato ejaculati: Vel potius alludit Tertullianus ad feretrum quod erat instrumentum triumphi, in quo devictarum gentium arma magna in pompa circumferebantur; Job autem divina gratia adjutus diabolum vincens Deo feretrum extruxit.

Epist. 26.

Epist. 150. ad Heldib.

Epist. 1.

D. Aug Ser. 11. de Sanctis.

Tert. l. de Pat. 14.

Tertull.

extruxit. Deo trophæum erigunt Christiani tribulationes æquo animo ferentes: Deus Jobi fortitudinem lætus aspiciebat. *Quid? ridebat Deus.* Neque Jobi duntaxat, sed cujusvis Christiani constantiam lætanter conspicit Deus: *O quàm pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur, cùm adversus minas, & supplicia, & tormenta componitur!* sua namque constantia Deum lætificat, Christo triumphum parat, & Ecclesiam coronat. Tertull. Min. Fœl. in Octav:

Discipuli diffusi per orbem, & ipsi à Iudæis insequentibus multa perpessi, utique pro fiducia veritatis libenter, Romæ postremò per Neronis sævitiam sanguinem Christianum seminaverunt. Aliorsum fusè demonstratum est, quomodo sanguis Martyrum Christianam religionem seminavit, multiplicavit, dilatavit: nunc adjiciamus iis, quæ ibi sunt dicta, per Martyres Ecclesiam fuisse 1. propagatam. 2. propugnatam. 3. coronatam. II. PARS, Tert: Apol. 21 Tert. Prædic. tom. 2 Tract. de Apostolis, Conc 6

1. Scapula Africæ Proconsul fidei Christianæ persecutor acerrimus, illam Martyrum suppliciis eradicare, penitusque destruere præsumebat. Cui audacter in vanum laborare repræsentat Tertullianus: *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur.* Ex Gregorio Nazianzeno [Est in fabulis plantam quandam esse, quæ cùm inciditur, germinet, quæque cum ferro certare dicatur, ac, si Poëtarum more loqui licet, quæ morte vivat, & incisione nascatur, & consumptione augeatur] Talis mihi videtur Ecclesia, quæ incisione propagata est, consumptione incrementata, & Martyrum morte multiplicata. Uti enim *granum morte multiplicatur*, ita Ecclesia Martyrum morte propagatur. Inde exclamat D. Bernardus: *Moriatur granum, & surgat gentium seges.* Per illud granum frumenti, de quo loquitur in Evangelio Salvator: [Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet;] D. Augustinus Christum Dominum intelligit: *Iesus seipsum dicebat: ipse enim erat granum mortificandum & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide omnium populorum.* Martyres quoque fuerunt granum frumenti mortificatum & multiplicatum: nam suâ morte fidem propagârunt, Ecclesiamque propugnârunt. L. ad Scap. 4. Apud Anton. in Melil. 2 Serm: 89 Tert. l. de Res. Car. 12 Serm: 15 in Cant. Joan. 12 Tract. 51 in Joan.

Quid enim sapientius & incontradicibilius confessione simplici & exerta in Martyris nomine cum Deo invalescentis? Nihil validius, nihilque fortius ad idololatriam debellandam, & Ecclesiam propugnandam, quàm confessio fidei facta à Christianis, etiam cum vitæ dispendio: nisi enim à Deo fuissent adjuti, & luce veritatis illustrati Martyres, nunquam suâ morte Christianam disciplinam tantâ fortitudine propugnâssent. Quod probè agnoscens D. Ambrosius ait: *Morte Martyrum religio defenditur, cumulata fides, Ecclesia roborata est.* Cujus illustre fert D. Augustinus exemplum de urbe Roma, quam Martyrum reliquiæ à Barbarorum vastatione defensârunt: *Testantur hoc loca Martyrum, & Basilica Apostolorum, quæ in illa vastatione urbis ad se confugientes suos, alienosque receperunt. Hucusque cruentus sæviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor; illo ducebantur à miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem mise-* Tert. l. 4 adv. Marc. 39 L. de Fid. Resur. L. 1. Civ. 1

fericordiam non habebant : qui tamen ipsi alibi truces atque hostili more sævientes, postquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum, quod alibi jure belli licuisset: tota feriendi refrenabatur immanitas, & captivandi cupiditas frangebatur. Sic cicuraverunt Barbaros reliquiæ Martyrum, & ab eorum captivitate & furore liberaverunt Ecclesiã Romanam, quam suo sanguine coronaverant.

l. de Præsc. Hæret 36. S Leo ser. 1 in Nat. Petri & Pauli. *3. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* Loquitur de Roma Tertullianus, quam Principes Apostolorum suo sanguine rigârunt, ubi suam sedem posuit Petrus, *& quæ erat magistra errorum, facta est discipula veritatis*: quæ servierat idolis, verum colit Deum; & quæ fuerat imperii caput, est modo summi Pontificis thronus. Mithra, quam deferunt Episcopi, quæ est capitis ornatus, & quædam coronæ species; & thiara corona triceps, qua coronatur Papa, sunt honoris insignia, quæ mutuârunt à Christo, & Martyribus; qui, ut subjungit S. Leo: *Apostolicorum æmuli triumphorum urbem nostram, purpuratis, & longè latèq; rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto uno diademate coronârunt.* Ex dictis liquido constat quantum debeat Martyribus Ecclesia, quantum illis sit adstrictus Christianus populus: siquidem *purpurata*

D. Aug. Ser. 30. in Psal. 118. *est universa terra sanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalitiis Martyrum, crebrescunt sanitates meritis Martyrum.*

Christiani, firmiter teneamus fidem Ecclesiæ à Christo fundatæ, Martyrum cæde propagatæ, sanguine propugnatæ, nece coronatæ: *Ecclesia mater est, quæ nos de Christo concepit; hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam vitam peperit, & fidei lacte nutrivit, & nutrit.* Adhæreamus Ecclesiæ Romanæ, quæ est sedes Apostolica: *unde nobis quoque authoritas præsto est*; & ut valeamus habere Deum patrem, agnoscamus Ecclesiam matrem. Nam ut ratiocinatur D. Augustinus: *Talis est via justorum, talis est via Sanctorum tenentium Deum patrem, tenentium Ecclesiam matrem, nec illum parentem, nec istam offendentes; sed in amore utriusque parentis viventes, & ad hæreditatem æternam properantes, non læso patre, non læsâ matre; datur hæreditas. Quia duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam & Eva; parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus & Ecclesia.* Hos duos honoraverunt, amaverunt Martyres suâ morte, Christum, Ecclesiam, seipsum coronantes.

D. Aug. ep. 38. ad Lætum. Tert. l. de Præsc. Hæret. 36 Serm. 109 de Temp.

III. PARS Apol. 48 *Ecce enim & tormentorum certamina coronantur.* Gentiles alloquitur Tertullianus, ut ex coronis, quibus honorabant Athletas, concludat potiori jure coronandos esse Martyres pro veritate, pro virtute, pro Deo tormenta patientes. *Accipit & Angelus victoriæ coronam in candido equo ut vinceret*: quo denotatur non solùm corona victoriæ, quam suâ passione obtinuit Christus; neque adhuc corona gloriæ quam merentur fideles strenuè contra mundum, carnem, & diabolum dimicantes: *Decerta & tu bonum agonem, cujus coronam & Apostolus repositam sibi meritò confidit*: sed etiam corona victoriæ,

Tert. l. de Cor. mil. 15

Tert. ib.

quæ

quæ debetur Martyri, quem 1. Christus ad coronam invitat. 2. cui tyrannus sæviendo coronam procurat. 3, quique moriendo semetipsum coronat.

1. *Serva Deo rem suam incontaminatam, ille eam si volet, coronabit. Imò & vult; denique invitat: Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ.* Res Dei, quam incontaminatam servare debet Martyr in persecutionibus, est vera fides, & vera religio. Ad cujus conservationem trina potissimum stimulatur ratione: 1. quia in conspectu Dei decertat. 2. quia Christus illum in certamine adjuvat. 3. quia victor de manu Dei coronam acceptat. Martyres in conspectu Dei decertant: *Ad agonem secularem exercentur homines, & parantur: & magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo & Imperatore præsente contigerit coronari. Ecce agon sublimis & magnus, & corona cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, & super eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruatur. Præliantes nos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli eius spectat Christus.* Qui 2. certantes adjuvat: ut constat ex tribus pueris conjectis in fornacem Babylonicam, eò quòd Regis statuam adorare recusâssent. *Itaque dixerunt à Deo conceptâ fiduciâ, quando vigore animi conditionales minas Regis excutiunt: Non habemus necessitatem respondendi huic tuo imperio. Est enim Deus noster quem colimus, potens eruere nos de fornace ignis, & ex manibus tuis; & tunc manifestum fiet tibi, quòd neque idolo tuo famulabimur, nec imaginem tuam auream quam statuisti, adorabimus.* Nabuchodonosor puerorum loquendi libertatem, & animi fortitudinem ferre non valens, jussit arsuros conjici in fornacem horrendè ardentem & fumantem: *quos propterea Deus texit, ne potestatem ejus mentiri viderentur.* Nam flamma eos innoxiè lambit, & peregrino eis rore gratius adulatur. In medio fornacis tres pueri impunè ambulant, & exultantes Deo concinunt hymnos. Stupet prodigium Rex Barbarus, & ait: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei: *Perspice igitur & tu cum Rege Babylonio, & invenies illic tanquam filium hominis (nondum enim verè erat, nondum scilicet natus ex homine) jam tunc istos exitus constituentem, salvas facit animas trium fratrum, qui eas pro Deo perdere conspiraverant.* Auxilium quod præstitit Dei Filius tribus pueris, præfigurat opem, quam laturus erat Martyribus Christus. Tale miraculum stupens D. Chrysostomus exclamat: *O quibus triumphis te incorrupta fides extendis! Adest tibi amica majestas, ut innocentia liberetur, patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, ut crescat gloria puerorum;* ne hæc à flammis immunitas magiæ tribuatur, hic quartus velut filius hominis apparet. At dum damnatis & in fornace arsuris adest opem laturus, & patitur se cum pueris in supplicio numerari, similis filio Dei reputatur: filii enim Dei proprium est miseris opem ferre, innoxiè inter illos versari, & in medio flammarum impunè exultare, inde crescit gloria puerorum, non secus ac gloria Martyrum; Nam ut bellè ait ad propo-

D. Cypr. l. 4. ep. 6

Tertull. Scorp. 8

Tertull. Scorp. 8

Dan. 3

Tert. l. 4 adv. marc. 21

L.3.c.2 propositum Hegesippus: *Christus patitur in singulis, non utique corporis dolore, sed quadam misericordia compassione, aut gloria celebritate*, certantes adjuvans, & 3. victores coronans. *Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas presidente Deo congredi, & Christo judice coronari*, etiam de manu tyrannorum crudeliter sævientium!

D.Cypr. l.4.epist.6

Orat.6 2. Bellè Gregorius Nazianzenus Martyres nuncupat *fidei coronas*: Tum quia pro fide strenuè & viriliter dimicârunt: tum quia propugnatâ fide coronati sunt, & quod est prorsus stupendum, *atrocitas fidem Martyrum coronavit*. Nisi enim eos persecuti fuissent tyranni, martyrii non accepissent coronam: *cruciatibus afflicti, suppliciis explorati, sævis ignibus sacrificij more decocti, quantas susceperunt in corpore pœnas, tantas in spiritu perceperunt coronas*. Inde concludit Eusebius: *Ecce prophanus hostis nequaquam tantum prodesse potuit obsequio, quantum potuit gladio*. Quapropter tyrannum sic alloquitur Petrus Damianus: *Tu ergo agnotheta Christi cùm dejicere moliris, extollis; dum superare niteris, insuperabilem reddis: servisti nempe dum sævisti, & auxisti palmam, dum exaggeras pœnam*. Ob eandem rationem ipsimet Martyres gratias agebant judicibus, qui eos damnâ rant ad mortem: *Inde est, quòd ibidem sententijs vestris gratias agimus. Vt est æmulatio divinæ rei & humanæ, cùm damnamur à vobis, à Deo absolvimur*. Deinde lætantur in suppliciis, quia persecutorum crudelitas magnam illis acquirit gloriam: *Sed majora certamina, majora sequuntur præmia; crudelitas vestra, nostra est gloria*: quantò magis patimur, tantò majorem nobis comparamus coronam.

Tertull. Scorp. 1

Euseb. E. miss. hom. de S. Blád.

Serm. 32

Tert. Apol. 48

Ter. l. ad Scap. 4

Tert. l. 4 adv. Marc. 29 3: *Quia & Zacharias: Corona autem erit eis, qui toleraverunt*: Quærunt interpretes, quare Deus in pœnam primævi delicti mortem fuerit Adamo comminatus: divinæ justitiæ innumera alia suppetebant suppliciorum genera, quibus posset condignè hominem punire: cur morte potius quam aliâ pœnâ inobsequentem punire voluerit hominem? Tempestivè respondet Moyses Barcepha Syrus: [Cùm ex ipsius posteritate futuri essent Martyres, lata est adversus illum mortis sententia, ut hi per mortem pro sua pietate ac reverentia obitam, coronas adipisci possent justitiæ.] Corona debetur victoriæ, victoria verò Martyrum addicta est eorum morti. Nam ut fatur D. Cyprianus: *Vinci non possunt, & mori possunt; & hoc ipso invicti sunt, quia mori non timent*. Nec tormentorum formidant dolores; nam, ut subjungit S. Cyprianus: *Martyrium nihil haberet admirabilius sine dolore, quem superâsse dignum est corona*. Quali coronâ digni sunt Martyres, qui, ut eis congratulatur D. Cyprianus, acerbissimos quoque dolores invicto animo tolerârunt? *Robur pectoris vestri, & perseverantiã fidei, quo præconio vocis exornem? Tolerâstis usque ad consummationem gloriæ, durissimam quæstionem; nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum quem tormenta non dabant, corona dederunt*.

1.p. Comment. de Parad. c. 1

L. 1, ep. 1

Epist. 9

Christiani, quamdiu sumus in hoc mundo, dimicare debemus, ut cœlestem valeamus obtinere coronam. Quapropter *armemur fratres dilectissimi, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorruptâ, fide integrâ, virtute devo-*

D. Cypr. l. 4. ep. 6

devota. Imitemur constantiam Martyrum, & ad eorum exemplum vitæ incommoda, fortunæ adversa, corporis dolores, egestates & afflictiones superemus: *Quò longior vestra pugna, & corona sublimior; agon unus, sed multiplici præliorum numerositate coagestus; semel vincit qui statim patitur; & qui manet semper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur, quotidie coronatur.* D.Cypr. ep. 16 Luc. 22 Christus Dominus passioni proximus postquam prædixit discipulis persecutionum atrocitatem, & tyrannorum sævitiam, hortatur ut qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Ubi D. Ambrosius: *Est gladius spiritualis ut vendas patrimonium, emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, ut exuas corpus, & immolata carnis exuvijs ematur tibi sacri corona martyrij.* Lib 10 in Luc. Duplex est gladius Christiano necessarius. Spiritualis unus, passionis alter. Ille est verbum Dei, iste est mortificatio; ille pervadit mentem, & cuncta quæ sunt fidei contraria, resecat: iste corpus atterit, & immolans Deo carnem super aram pœnitentiæ & mortificationis, sacri martyrii emit coronam, quam largitur Deus in cœlo iis, qui pro ejus amore passi sunt.

CONCIO SEXTA.

Habes hic quoque prædicationem, & remunerationem martyriorum. Tertull. Scorp. 8 Huc usque Martyrum pœnas discriminavimus, fortitudinem commendavimus, excellentiam demonstravimus, vitam sacrificavimus, victorias retulimus: *Sed nondum de bono martyrij, nec de utilitate ejus* disseruimus. *Nihil adhuc de præmio, ad quod Deus Martyres invitat,* enarravimus. Tertull. Scorp. 2 In præsentiarum autem propalanda sunt præmia, quæ suis passionibus Martyres promeruerunt: *Nam quos per cruentissimum persecutorem humiliaverat diabolus, exaltavit Deus; quos ille damnavit, iste glorificavit; ille opprobrijs adimplevit, hic præmijs; ille induxit mortem, hic ad vitam de morte perduxit.* Tert. l. ad Mart. 2 Euseb. Emiss. hom. 4. de Epiphan. Denique quot mala passi sunt Martyres, tot contraria bona liberaliter contulit Deus. Nam Martyres fuerunt 1. fortunæ bonis denudati, & sunt abundè gratiæ gazis locupletati. 2. morte mulctati, & sunt immortalitate donati: 3. ignominiâ dehonestati, & sunt honore decorati.

Damna, quæ passi sunt Martyres, abundè compensata sunt: *Revera fœnore interitu, & injuriâ usurâ, & lucro damno.* I. PARS. Tert. l. de Resur. 12 Tria damna tolerârunt Martyres: sordes scilicet, cruciatus, & bonorum jacturam. 1. Sordes: nam *squalent sine balneis membra, situ & sorde deformia.* 2. Cruciatus, quos mirâ prorsus fortitudine tolerârunt; nam ut refert D. Cyprianus: *Inexpugnabilem fidem expugnare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera.* D. Cypr. l. 4 ep. ult. Epist. 9 Ultra sordes, quas in carceribus patiebantur Martyres; ultra cruciatus, quibus in tribunalibus dilace-

Tert. Apol 6 lacerabantur, fuit 3. *bonorum adhibita proscriptio.* Quàm verè proclamat Christus: *Felices qui persecutionem passi sunt causâ nominis mei.* Nam Martyrium 1. omnes peccatorum sordes lavat. 2. cunctam pœnam peccatis debitam condonat. 3. gratiæ & gloriæ bona comparat.

Tertull. Scorp. 7

1. *Sordes quidem baptismate diluuntur, martyrio verò maculæ candidantur.* Baptismus delet sordes originalis delicti; Martyrium quoq; maculas primævæ labis emaculat seu candidat. Martyres enim *sunt qui veniunt ex illa pressura magna, & laverunt vestimentum suum, & candidaverunt ipsum in sanguine Agni.* Sanguis quem Christus in sua passione effudit, peccatorum maculas lavat; & animas, quas crimina nigras effecerant, candidat: *Qualis rubor, qui dealbandi non caret effectu.* Triplex passim dinumeratur baptismus: Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptismus fluminis est baptismus aquæ; baptismus flaminis est pœnitentia; & baptismus sanguinis est martyrium: quod licèt non sit Sacramentum, virtutem habet & sacramenti Baptismatis, & sacramenti Pœnitentiæ: *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum: unum & ipsum, sanguinis scilicet hic est baptismus, qui lavacrum, & non acceptum repræsentat, & perditum reddit.* Duplex est peccatum: Originale, & actuale. Originale, per baptismum deletur; actuale, per pœnitentiam tollitur. Martyrium tum baptismatis, tum pœnitentiæ habet virtutem: nam ad instar baptismatis delet originale delictum in Adamo contractum, & ad instar pœnitentiæ tollit omne peccatum actuale, quod adultus post acceptum baptismum propriâ voluntate commisit, & insuper cuncta bona opera per peccatum mortificata vivificat. Quod probè sciens Christianus: *pati exoptat ut Dei totam gratiam redimat; ut omnem ab eo vitam compensatione sanguinis sui expediat, omnia huic operi delicta donantur,* & Martyres non solùm à peccati sordibus lavantur, sed adhuc ab omni pœna peccato debita liberantur.

Tertull. Scorp. 7 — Tertull. Scorp. 12 — Gilb. Ser. 47. in Cant. — Tert. l. de Bapt. — Tert. Apol. 48

Tert. Apol. 1

2. Illorum *pœna felicitas.* Pœna namque temporalis, quam passi sunt in tormentis, exemit eos ab omni pœna peccati sive æterna in inferno, sive temporali in purgatorio. Hoc est discrimen inter baptismum fluminis, & flaminis: quòd in sacramento Baptismi deletur peccati culpa, & tota adhuc peccati remittitur pœna; in sacramento autem Pœnitentiæ deletur quidem culpa, remittitur etiam pœna æterna peccato debita, sed remanet pœna temporalis solvenda vel in hoc mundo, vel in purgatorio, nisi sit tanta cordis conversio & contritio, ut sufficiat ad totius pœnæ remissionem. At *in martyrio omnia sacramenta baptismi continentur quantum ad liberationem à culpa, & a pœna.* Efficaciam namque baptismatis æmulans, ex opere operato omnem peccati remittit pœnam, in quo Pœnitentiæ sacramentum superat: *Hoc enim baptisma est in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius,* æquivalens baptismati: quia sicut baptismus aquæ sacramentaliter repræsentat Christi passionem, sic baptismus sanguinis repræsentat eam realiter; quod non facit baptismus pœnitentiæ seu flaminis. Et ideò sicut in baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa, & à pœna propter conformitatem sacramentalem ad

D. Tho. 3 p q. 68. a. 2 — D. Cypr. de Exhor. Mart.

passio-

passionem Christi, sic etiam in baptismo sanguinis propter conformitatem realem ad passionem Christi liberatur homo ab omni culpa & pœna, quod ut plurimum non fit in baptismo Pœnitentiæ, virtute cujus deletur quidem culpa, sed non condonatur penitus pœna, sed de æterna commutatur in temporaneam. Stupendam illam martyrii efficaciam bellè declarat Tertullianus: *Prospexerat & Deus imbecillitates conditionis humanæ, adversarij insidias, rerum fallacias, seculi retia, etiam post lavacrum periclitaturam fidem, perituros plerosque rursum post salutem, qui vestitum obsoletâssent nuptialem, qui faculu oleũ non præparâssent, qui requirendi per montes & saltus, & humeris essent reportandi: posuit igitur secunda solatia, extrema præsidia, dimicationem martyrij, & lavacrum sanguinis exinde securum. De cujus felicitate David: Beati quorum dimissa sunt delicta, & quorum operta sunt iniquitates. Beatus vir cui non imputaverit Deus delictum. Propriè enim Martyribus nihil reputari potest, quibus in lavacro ipsa vita deponitur*; nihil scilicet reputari potest in purgatorio, nulla pœna etiam temporalis superest ibi solvenda. Ut enim animadvertit D. Cyprianus Tertullianum expendens: *Aliud est, missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, & pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne, & pendere in die judicij ad sententiam judicis: aliud statim ad gloriam pervenire, fidei & virtutis accipere mercedem, peccata omnia passione purgâsse, & à Domino coronari.* Illud pertinet ad multos, qui post deletam culpam in sacramento Pœnitentiæ, post commutatam pœnam æternam in temporalem, non satisfecerunt divinæ justitiæ in seculo per opera pœnalia, solvere tenentur in purgatorio: istud verò spectat Martyres, qui suâ passione solverunt pro omni pœna etiam temporali, peccato debita, & ob jacturam temporalium sunt bonis gratiæ & gloriæ opulenter locupletati.

Scorp. 6

ep. 52. ad Antonian

Nam *ea victoria habet & gloriã placendi Deo, & prædam vivendi in æternum.* Martyres per gratiam Deo placent, & per gloriam in cœlo vivunt in æternum. In baptismate renatus, gratiâ sanctificatus adoptatur à Deo, & acquirit jus ad cœlestem hæreditatem. Martyr quoque in suppliciis renascitur, divinam accipit filiationem, ut de Paulo asseverat Tertullianus: *Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur Nativitatem, cùm illic martyrij renascitur generositate.* Martyr moriens renascitur ad gratiam & gloriam. Hæc abundè demonstrant quàm faustum sit martyrium, quod delictorum sordes mundat, à pœna peccati liberat, gratiam & gloriam comparat.

Tert. Apol. 48

Scorp. 12

Quàm meritò ait Petrus Damianus, *laudanda divina dispositio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut à perpetuis eos flagellis abscondat; ad hoc premit, ut elevet; ad hoc secat, ut sanet; ad hoc dejicit, ut exaltet. Qui enim bona agit, & mala suscipit, quidquid sibi justæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi in cœlo multiplicius cumulatur*: ut Martyrum comprobatur exemplo, qui conjecti in carceres, sordibus squalentes, sunt à delictorum sordibus mundati: qui à tyrannis tormentis dilacerati, sunt ab omni pœna peccatis debita exempti; qui cunctis fortunæ bonis denudati, sunt cœlestibus gloriæ thesauris ditati.

L. 8. ep. 6

Pet. Dam. ibid. tati. Christiane, *de tuis pressuris atque molestiis gaude, & totis in Domino visceribus gratulare, quia qui nunc, ut ita fatear, pœnarum munium levitate deprimeris, remunerandus postmodum, pretiosi auri pondera reportabis*; adinstar Martyrum, qui morte mulctati, sunt immortalitate donati.

II. PARS. Lib. 5. adv. Marc. 10 *Tunc fiet verbum, quod scriptum est apud Creatorem : Ubi est mors victoria tua, vel contentio tua? ubi est mors aculeus tuus?* Alludit Tertullianus ad Paulum, qui agens de gloria corporum, quâ in resurrectione Beati fulgebunt, cognatâ jam immortalitate, ita scribit : Oportet corruptibile hoc induere 1 Cor. 15 incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : *Absorpta est mors in victoria, ubi est mors victoria tua?* D. Athanasius id scriptum L. de Pass. Chr. existimat Isaiæ 25. v. 8. ubi juxta Septuaginta translationem dicitur: *Devorata est mors prævalens.* In Martyribus mors prævalens absorpta & devorata est, nam pro morte temporali, quam passi sunt, trinâ pollebunt immortalitate: scilicet 1. animæ beatificatæ. 2. carnis glorificatæ. 3. famæ decantatæ.

Tertull. Scorp. 9 1. *Ipsi præsides cùm hortantur negationi; Serva animam tuam, dicunt, & noli animam tuam perdere* : at èconverso Christus Dominus: *Qui pluris, inquit, fecerit animam suam quàm me, non est me dignus; id est, qui maluerit vivere me negando, quàm mori confitendo.* Non eodem modo alloquuntur Christianos tyrannus & Christus. Tyrannus eos ad fidei negationem hortatur, si animam, id est vitam temporalem servare desiderant : Christus indignos nomine Christiano declarat illos, qui pro conservanda vita temporali negant disciplinam. Qui tyranno obtemperant, & fidem negant, vitam temporalem custodientes, vitam æternam amittunt ; qui verò Christo obsequuntur, vitam amittentes temporalem, vitam æternam custodiunt. Nam, ut subjungit Dominus : *qui animam suam invenerit, perdet illam ; qui verò perdiderit* Tert. ibid. *meî causâ, inveniet illam. Proinde enim inveniet eam, qui negârit lucrifaciendo vitam ; sed perdet in gehennam, qui se putat negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur, sed inventurus eam in vitam æternam.* Quàm infelix Christianus, qui de sua fide interrogatus, negat illam, ne perdat præsentem vitam! nam conservans miserabilem hanc vitam cum vitæ dispendio, æternam vitam in cœlo possidendam amittit, & æternam mortem in inferno sustinendam incurrit. Quàm felix Martyr, qui testans fidem cum detrimento præsentis vitæ, æternam vitam sibi comparat in cœlo, quia *finitâ vita* peractâ necessario deveniendum est aut ad interminabilem vitam, aut ad interminabilem mortem!

Clem. Alex. exh. ad Gent. Tert. l. de An. 1 *Socrates ipsâ morte coram immortalitatem vindicat animæ, necessariâ præsumptione ad injuriæ frustrationem.* Socrates Græcæ tunc virtutis norma, videt in carcere uxorem mox viduam, filios jamjam pupillos, philosophicam & domesticam familiam injustè dehonestatam, & plura in paucis acerba, quæ quantumvis magnanimum virum concutere potuissent, hæc intrepidus videt, dum attentius animæ immortalitatem considerat. Martyres

tyres bonorum despoliationem, honorum depositionem, tormentorum susceptionem, & avaram dulcis vitæ jacturam, alacri spe, & virili fortitudine subeunt: *& illa tanquam oblatam mortis occasionem, velut pignus immortalitatis invadunt: & si circa superficiem solidi roboris temporaria mors desævit, intra conscientiæ medullas vita se recipit;* [Euseb. Emiss. hō. 4. de epiph] certo sperans immortalitatem animæ beatificandæ, & carnis glorificandæ.

2 *Sed respice compensationem cum caro & anima dependitur. quibus in homine carius nihil est, ipsa dependi in profectu, quorum est profectus; ipsa erogari, quæ lucrifiant. Eadem pretia, quæ & merces.* [Tertull. Scorp. 6] Martyr ex anima & corpore constitutus, pro fidei confessione sustinens mortem; in anima & in corpore remuneratur. Nam anima, vita æterna potitur, corpus quoque suscitandum est ad gloriam: & caro tormentis dilaniata erit immortaliter glorificata. Ad gloriam animæ & corporis aspicientes Martyres, tormenta ipsamque mortem despiciebant audacter propalantes, *Martyria desæviant sed in salutem.* [Tertull. Scorp. 5.] Innumera sunt Martyrum exempla, qui in novo Testamento fortiter restiterunt atrocissimis quibusque cruciatibus; sed non est prætereunda Machabæorum constantia, qui in veteri Testamento, velut insensibiles sævissima passi sunt supplicia. [Lib. 2. de Machab. 7] Jubet tyrannus ob piam in divina lege obstinationem, primo amputari linguam: & cute capitis detracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, cæteris ejus fratribus & matre inspicientibus, & cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter: (Magnanimus ille adolescens, quamvis spoliata jam ossium compage, non ingemiscebat, sed perinde ac si in igne transformaretur in immortalitatem, cruciatus fortiter ferebat.) [Joseph. l. de Mach. 9] Nec minor fuit aliorum fortitudo quam commendat D. Ambrosius, de uno illorum ajens: *Exuebant immanes bestiæ corium capitis, & pardalicis feritatibus sæviebant, At ille desistens; Quam dulce est, inquit, mori pro religione! quam suavis omnis acerbitas mortis pro pietate!* [Lib. 2. de Jacob & Vita beata c 11.] Similem ostentarunt cæteri constantiam: *Fratres in fide, fratres in genere, fratres in passione. In his enim erat una mens, & congressio, una victoria, una habitatio in terris, & una in cælis:* [S. Aug. Serm. 2. de sept. fratt. Machab.] eorum anima immortali fruitur fœlicitate, caro etiam ad immortalem gloriam est suscitanda: Quare unus ex illis sic tyrannum alloquitur: *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æterna vitæ resurrectione suscitabit,* & famam nostram immortalitate donabit. [Euseb. Emiss. hō. 4. de epiph]

3. Tertullianus postquam Athletarum retulit prælia, vulnera, flagella, illatas violentias, receptas injurias, denotat finem ob quem cuncta illa læti anter patiebantur mala. *Sed quantum livores illi, & cruores, & vibices, negotiantur; qualem potest præstare sæculum, de fama æternitatem, de memoria resurrectionem.* [Scorp. 6] At de fama æternitatem quam suis certaminibus adepti non sunt athletæ & pugiles, Martyr sua morte sibi comparabit; nam (in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit:) [Psal. 111.] Ut illud verissime dictum à Sidonio mihi [L. 9. Ep. 8.]

mihi videatur. *Improborum proba, aque ut praeconia bonorum immortalia manent.* Sed quia in inferioribus ostendendus est honor Martyribus debitus, ex prælibatis sequentes observandæ sunt reflexiones. Mors Martyrū in immortalitatem commutata fuit; nam amittentes pro Christo vitam temporalem, vitam æternam adepti sunt: & multi Christiani hac ætate, pro re nullius momenti, pro turpi lucro, pro honore vano, pro oblectamento lascivo, vitam æternam amittunt, & mortem æternam acquirunt, nec considerant quod 1. Clē. Alex. l. Strom. 7. sunt *in confinio naturæ mortalis & immortalis*, quod hæc vita mortalis terminatur ad æternam vitam vel mortem: 2. Martyrum caro laniata suppliciis, resurrectura est ad immortalem gloriam: & nos debemus ad virtutem uti corporibus nostris ut suscitentur ad vitam; præsertim quia, ut ait dubius Tertullianus, Lib. de Trin. 19. de Spiritu sancto, inhabitatore loquens, *Erudiuntur in illo, & per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius discunt se moderanter temperare.* Tandem 3. Martyres sua passione sibi compararunt Tert. l. 4. adv: Marc. 39. de fama æternitatem; *de qua scilicet psalmus; Tolerantia, inquit, justorum non peribit in finem.* Nos quoque si sancte vixerimus, & Christiane moriamur, erimus in æternum de virtute commendati, *quia & alibi, honorabilis mors justorum* Tert. ibid *ex tolerantia sine dubio*: nam Martyres qui fuerunt ignominia dehonestati, sunt honore decorati.

III. PARS Tertull. Scorp 9. *Beati eritis cum vos dedecoraverint.* Christus Dominus ut discipulos suos ad ignominias & tormenta fortiter toleranda sufflamaret, beatos illos prædicat cum à tyrannis & persecutoribus fuerint tanquam infames damnati, & ignominiosa morte mulctati; nam hujusmodi ignominiæ in gloriam & honorem commutabuntur, Pastorem sequentur oves quæ ejus audierunt vocem. Chrysol. Ser. 40. *Necesse est ut quæ sunt ad mortem secuta sequantur ad vitam quæ ad contumeliam concitata sunt, concitentur ad honorem, & sint participes gloriæ, quæ passionis participes extiterunt.* Idem eis eveniet quod terræ in aurum conversæ: Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 4. *Quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata, nomen terræ in igne reliquit: atque exinde de tormentis in ornamenta; de suppliciis in delicias; de ignominiis, in honores, metalli refuga mutatur.* Cuncta quæ servierunt tyrannis ad dedecorandos martyres, servient ad eos honorandos. Nam 1. eos ignominiosa morte damnarunt: 2. ad eos torquendos instrumenta suppliciorum infamia accommodarunt: 3. post mortem corporibus sepulturam denegarunt: & 1. Sanctorum martyria honorantur: 2. suppliciorum instrumenta decorantur: 3. corpora religiose venerantur.

1. Tertullianus belle præstantiam suppliciorum quæ pertulerunt Martyres commendat, dum gentilium depretiat deos qui fiunt conformiter ad tormenta quæ patiebantur Christiani. Apol. 12 *Quantum igitur de diis vestris, nomina solummodo video quorundam veterum mortuorum, & fabulas audio, & sacra de fabulis recognosco. Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo, quam materias sorores esse vasculorum, instrumentorumque communium, vel ex eisdem vasculis & instrumentis quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis*

tis transfigurante, & quidem contumeliosissime, & in ipso opere sacrilege; ut reveta nobis, maxime qui propter Deos ipsos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quod eadem & ipsi patiuntur, ut fiant. Crucibus & stipitibus imponitis Christianos. Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci & stipiti superstructa: in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deraditis latera Christianorum; at in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos sine capite sunt dij vestri. Ad bestias impellimur: certe quas Libero, & Cybele, & Cœlesti applicatis. Ignibus urimur: hoc & illi à prima quidem massa. In metalla damnamur: inde censentur dij vestri. In insulas relegamur: solet & in insulas aliquis Deus vester, aut nasci, aut mori. Inde argute concludit ex deorum consecratione, Martyrum consecrans supplicia. *Si per hæc constat divinitas aliqua: ergo qui puniuntur, consecrantur: & numina, eorum dicenda supplicia.* Tyranni Martyres dedecorare censebant infami eos afficientes supplicio, & eos in divos consecrabant: Nam ut de Martyribus fatur Eusebius Emissenus: *cruciatibus afflicti, suppliciis explorati, variis ignibus sacrificij more decocti, quantas susceperunt in corpore pœnas, tantas in spiritu perceperunt coronas; ac sic per tormentorum plagas, & torquentium moras, prius consecrati sunt, quam perempti.* Et ut subjungit Emissenus, tyranni Christianos persequentes nequaquam tantum prodesse potuissent obsequio, quantum profuerunt gladio; quia eorum mors tanto est gloriosior, quanto ignominiosior videbatur. *Ecce martyrium Christi, & apud homines & in hoc mundo non solum non est opprobrium, sed magnum est ornamentum. Ecce non solum in conspectu Domini, verum etiam in conspectu hominum jam pretiosa est mors Sanctorum ejus. Ecce non solum non contemnuntur, verum etiam magnis honoribus præferuntur Martyres ejus.* Ecclesia namque spiritu veritatis illustrata, inter divos & beatos, illos dinumerat, eorum memoriæ solemnitatem dedicat, & singulis annis diem mortis devote celebrat. *Vides quam martyrij definiat fœlicitatem, cui de gaudio mutuo acquiris solemnitatem.* De tali honore ab Ecclesia exhibito Martyribus congratulatur D. Cyprianus. *Eant nunc Magistratus & Consules, annuæ dignitatis insignibus, & duodecim fascibus glorientur; ecce dignitas cœlestis in vobis honoris annui claritate signata est: & jam reverentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est.* Et ne aliquid Martyrum desit gloriæ, etiam instrumenta quibus sunt ignominiose dilaniati, honorantur.

Serm. de S. Bland.

D. Aug. Serm. 9. in Ps. 118.

Tertull. Scorp. 13

Epist. 16

2. *Siquidem honorata est apud Deum mors religiosorum ipsius, ut canit David; non opinor ista communis, & omnium debitum: atqui justa etiam ignominiosa est ex elogio transgressionis, & merito damnationis; sed illa quæ in ipso additur ex testimonio religionis, & prælio confessionis, pro justitia & sacramento.* Honorata est etiam apud Deum mors quam passi sunt Martyres pro veritate fidei, & operatione virtutis; & *in honorem transierunt triumphi, ipsa etiam instrumenta supplicij.* D. Chrysostomus clavos quibus Petrus cruci affixus fuerat, velut totidem gemmas, atque ensem qui gentium Apostolo caput detruncavit, velut

Tertull. Scorp. 8

Pet. Dam. Serm. 32.

velut diadema quoddam venerabatur. Crux quoque Christi est Ecclesiæ gloria, *nihil erat in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid deerat fideli servo, qui tantum dedit honoris supplicio suo?* Crux Christi, catenæ Petri, gladius Pauli, lapides Stephani, craticula Laurentii gemmis & auro inseruntur. *Quod fuit instrumentum pœnæ, est gloriæ testimonium*, & Martyrum corpora quibus sepulturam denegarunt tyranni, religiose à fidelibus venerantur.

D. Aug. Tract. 70. in Joan. Euseb. Emiss. hô. de Sanct. Mart Epiphod. & Alex. Tertull. Scorp. 8 Lib de Tob. c. 1.

3. Nam ut ait Propheta Evangelicus: *A facie injustitiæ perit justus, & erit honor sepultura ejus.* Multus est D. Ambrosius ut demonstret humanitatis simul ac pietatis esse negotium, tradere sepulturæ defunctorum cadavera. *Nam si viventes operire nudos lex præcipit, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, unde jam non revertuntur? Nihil hoc officio præstantius est conferre, qui tibi jam non possit reddere; vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt?* Tyranni Christianorum persecutores, omnem pietatem ac humanitatem deponentes, ipsisque feris immaniores, post trucidatos Martyres eorum corporibus negabant sepulturam, bestiisque devoranda exponebant. Quod fuerat à Regio Vate ominatum: (Posuerunt morticinia servorum tuorum, escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ.) Sacra Martyrum corpora sepulchri honore privantur, volucribus & canibus depastanda objiciuntur; & tyranni post innocentium hominum cædem in inanimata cadavera crudeliter sæviunt. *Sacra corpora funeris honore privantes ignibus dabant: & post hominum mortes, contra ipsam pugnabant humanitatem.* Quos belle Emissenus redarguit sævitiæ, & dementiæ. Sævitiæ, nam *cum jam causa perisset furoris, finem non imponebant crudelitati.* Dementiæ: *Quam confusa dementia! quibus cœlum acquirebant, his terram negabant.* At nihil profecit insolens persecutorum sævitia, incassum Martyrum memoriam, cadaverum tabe conspurcare tentavit, dum sepulturæ asilum mortuis inhumanè denegat, eorum honori suffragatur. Unde de sævis illis tyrannis subjungit Eusebius: *Sed tamen vellent nollent beatitudinis eorum testes erant, quibus etiam mortuis invidebant.*

Ps. 78. — Euseb. Emiss. hô. de S. Bland

Martyrum gloriam testabantur tyranni mortuorum corporibus invidentes: Martyrum gloriam testabantur feræ eorum corpora lambentes, & à voracitate belluarum defendentes; Martyrum gloriam testantur fideles quorum reliquias religiose venerantur. Constantinus Magnus Imperator in Nicæo Concilio effossos pro fide Episcoporum oculos pie osculabatur, pro certo persuasus, ait Theodoretus, *osculo se benedictionem inde hausturum*: & nunc etiam fideles religiose venerantur Martyrum reliquias, quas argento, auro, pretiosissimis ornant margaritis, *ut hinc intelligatur in quali honore secum habeat animas occisorum: quando caro exanimis, tanto affectu divinitatis coronatur.* Sanctorum adhuc reliquias commendat Deus multis miraculis, quæ in eorum basilicis & sepulchris operatur. Nam ut fatur D. Augustinus

L. 1. c. 11. — D. Aug. Ser. de S. Vincent.

de

de Joanne Baptista loquens: *Divina providentia constat actum, ut per plura loca deportatis beati Martyris reliquiis, plura virtutum signa fierent, pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius, ad fidem & dilectionem ejus, quem prædicaverat, confluerent.* Ex honore quam præstant fideles Martyrum reliquiis, & ex miraculis quæ operatur Deus ad eorum sepulchra, recte colligit Magnus Gregorius, quanta potiantur felicitate, & in quali honore habendi sint. *Quomodo ergo vivunt illic ubi vivunt si in tot miraculis, hic vivunt, ubi moriuntur?* Quanto honore veneranda sint sacra Martyrum ossa, reliquiæque aliorum Sanctorum qui potiori sui parte cœlos incolunt, & quorum tandem corpora rediviva nativitate empyrei gloria potientur, demonstrat D. Hieronymus referens quanta veneratione sacri Prophetæ Samuelis ossa sub Arcadio Imperatore, anno Domini 406. à Judæa, magna & Imperatoris & populi pompa & devotione translata sint. Sic enim Vigilantium hæreticum pungit. *Sacrilegus est nunc Augustus Arcadius qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam: omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & dissolutos cineres serico & vase aureo portaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia sunt jucundati quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent atque suspicerent, ut de Palæstina usque ad Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laude una voce resonarent.* Nonne exemplaris illa pietas hæreticorum hujusce ætatis condemnat impietatem, qui Sanctorum reliquiis non solum debitam non præstarunt reverentiam, sed quod est horribile dictu, omni affecerunt ignominia æmulantes Ethnicorum barbariem? Qui *ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asilo quodam mortis, jam alios, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant.* At ut eorum error & blasphemia evidentius appareat, addu cendus est D. Ambrosius, quem sanctum ipsi recognoscunt, cujusque doctrinam amplectuntur. *Hæc est enim sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Quod si dicas; Quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta, de qua jam nulla Deo cura est? ubi est illud: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus? Honorare debemus servos Dei, de quibus dicitur: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis.* Quod si in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: quanta hæreticorum impudentia & temeritas denegare Sanctorum reliquiis honorem, quos Patres Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, non minus sanctitate quam doctrina illustres, in primitiva Ecclesia veneratas testantur?

Serm. 3. de Decoll. S. Joan.

Hom. 26. in Evang.

Tertull. Apol. 37.

Serm. 93.

At ne ullus circa honorem Martyribus debitum subrepat error: tria animadvertenda sunt ex Augustino. 1 (Nos martyres nostros, nec divinis honoribus colimus, nec sacrificia illis offerimus.) Latria soli Deo debetur, & cum ad

Lib. 8. Civ 27.

ad latriam pertineat oblatio sacrificii, soli Deo non Martyribus offertur sacrificium. *Quis enim antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit, ut ex ipsorum corporum admonitione major affectus exsurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adjuvante possimus.* 2. Honoramus Martyres non propter ipsos, sed propter Deum, pro cujus religione dimicarunt & mortui sunt. *Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis.* Et hic honor non est duntaxat civilis aut politicus, qualis est ille qui defertur parentibus, magistratibus, dominis, principibus; sed religiosus, quia gratiam & gloriam quam contulit eis Deus, honorat, proceditque à charitate, diciturque Dulia. *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus; sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita fœliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes.* 3. Ultra Dei gloriam qui laudandus est in suis Martyribus, *populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur,* ut gratiæ Dei respondeat, fortiter pugnet pro fide & religione, disciplinam Christianam fideliter custodiat, & cœlestem fœlicitatem obtineat.

D. Aug. l. 20. cont. Faust. c. 21

D. Aug. l. 8. Civ. 27.

D. Aug. l. 20. cont. Faust. c. 21

D. Aug. ibid.

MORS.

MORS.*

SCHOLIUM.

Mors est: 1. Inevitanda: 2. Recogitanda: 3. Ediscenda; 4. Praevenienda: 5. Bona, desideranda: 6. Mala, lugenda.

CONCIO PRIMA.

NEC *mortem sine quaestionibus, licet finem omnium quaestionum.* Mors quae omnes finit quaestiones variis tamen opinionibus ventilatur; inter quas quatuor praesertim mihi occurrunt. 1. Est impiorum, qui Deum non credentes, animam humanam immortalem non censentes, nullam post mortem beatitudinem sperantes, nec poenam metuentes, gulae indulgent, lasciviae vacant, divitias accumulant, honores sectantur, vivere in deliciis satagunt, dicentes: *Mortuum quod mortuum; & vive, dum vivis; &, post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa.* Impia haec opinio plures blasphemias continet, quas aliorsum confutavimus, demonstrantes animae immortalitatem, Dei existentiam, aeternam beatitudinem, interminabilem inferni poenam: 2. Sententia est Epicuri non multum ab impiorum opinione dissentiens. *Quamquam Epicurus negarit mortem ad nos pertinere: Quod enim dissolvitur, inquit, sensu caret; quod sensu caret, nihil ad nos.* Stolidum illum Philosophum acute redarguit Tertullianus: tum quia si *mors nihil ad nos: ergo & vita nihil ad nos: si enim quo dissolvimur praeter nos, etiam quo compingimur, extra nos; si ademptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus, quicquam ad nos:* Tum quia perperam philosophatur Epicurus: *Dissolvitur & caret sensu, non ipsa mors, sed homo, qui eam patitur: quod si hominis sit pati mortem dissolutricem corporis, & peremptricem sensus: quam ineptum, ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur?* 3. Sententia est cujusdam Menandri haeretici, negantis mortem ad suos pervenire. *Vt jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere; sed haeretici magis Menandri*

Tert. l. de An. 50.
Tert. l. de Res. Car. 3
Ter. Praed to. 1. Tract. de An. rat. Conc. 3. to. 2. tract. de Deo Conc. 1. Tract. de Beat. to. 3. Tract. de Infern.
Tert. l. de An. 42.
Tert. l. de An. 50.

nandri stupor conspuatur, dicentis mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire. In hoc scilicet se à superna & arcana potestate legatum, ut immortales, & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant qui baptisma ejus induerint. Multis hæreticum illum insequitur Tertullianus; quibus prætermissis, 4. eaque vera tenenda est sententia, quæ hominum asseverat mortem, cujus examinanda est 1. veritas: 2. potestas: 3. æqualitas.

I PARS. Tert. l. de An. 52. *Qui primordia hominis novimus, audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominem, sed ex culpa, ne ipsa quidem naturali: facile autem usurpari naturæ nomen, in ea quæ videntur à nativitate ex accidentia accidisse.* Confutat gentiles Philosophos qui ignorantes mortem esse originalis delicti pœnam, asseverarunt eam ad hominis pertinere naturam. Verum ut philosophatur Tertullianus: *Si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors naturæ adscriberetur.* Multiplici autem ratione demonstrat non in mortem institutum hominem. *Porro, non in mortem institutum eum, probat ipsa lex, conditionali comminatione suspendens, & arbitrio hominis addicens mortis eventum. Denique si non deliquisset, nequaquam obysset: Ita non erit natura, quod ex oblationis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate per necessitatem.* Idem argumentum tractat aliorsum Tertullianus: *Si mors malum, nec mors comminatori suo, sed contemptori faciet invidiam, ut auctori. Contemnendo enim eam fecit; non utique futuram si non contempsisset.* Mors est pœna peccati quod commisit Adamus; peccavit autem divinam contemnendo legem; divinam legem transgressus est voluntarie & non necessario: quia ejus observatio in libero ejus arbitrio posita est. Itaque mors nequit adscribi Deo qui *creavit hominem inexterminabilem*; scilicet ut esset immortalis, si vellet Deo obsequi, & in innocentia persistere. Quia vero ab innocentia descivit Deoque obsequi noluit; *exinde ad mortem, sed ante ad vitam*; ad vitam, ex Dei bonitate; ad mortem ex sua iniquitate. Inde sapienter concludit Tertullianus: *Igitur sic Deus homini vitæ statum induxit; ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur:* sed per malitiam. *Aculeus itaque mortis, peccatum est, peccati punctu mortificatum est genus humanum*, & cuncti homines originalis culpæ participes, sed 1. divina sententia ad mortem damnati: 2. etiam dum vivunt majori ex parte mortui: 3. tandem putredini & corruptioni addicti.

L. 2. adv. Marc. 9.

Sap. 2.

Tert. l. 2. adv. Marc. 11.

Lib. 2. adv. Marc 8.

D. Aug. l. 3. de Pecc. mer. c. 11.

Tert. lib. adv. Jud. 2.

1. *Namque in principio mundi ipsi Adæ & Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent; quod si contra fecissent, morte morerentur.* Recens creatum hominem, immortalitatis privilegio inexterminabilem, in paradisum transtulit Deus: præcepitque ei ut ab una arbuscula temperaret, si immortalitatis vellet conservare donum, quod absque dubio amitteret mox ut prohibitæ arboris gustaret fructum: (In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.) Simmachus legit,

Gen. 2.

legit, *Mortalis eris*; id est, certæ mortis incurres sententiam: quam de facto incurrit inobsequens Adamus, Dei mandatum contemnens, & inhibitum pomum comedens: *Homo semper medico prior negotium fecit, denique sibimet ipsi periculum mortis attraxit: acceperat à Domino suo, ut à medico, satis utilem disciplinam secundùm legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo arbuscula temperaret, quam ipse medicus importunam interim noverat; audijt ille quem maluit, & abstinentiam rupit, edit inlicitum, & transgressione saturatus, in mortem cruditavit.* Id est, post illicitum pabulum mortifera cruditate laboravit, crudam mortem vomitu non egerens, sed crudâ digestione decoquens, & in suam substantiam velut convertens, posteros indigestæ mortis reliquit hæredes; ut eloquenter declarat Zeno Veronensis: *Adam in arce cùm esset adhuc paradisi constitutus, beatissimusq; beati orbis imperio potiretur, tandiu felix, tandiu inexterminabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti continuit: at ubi sinistro consensu sacræ arboris pomum malè dulce delibavit, lacrymas reperit, dolores & gemitus sibimet comparavit, ultimoque sudore turbatus, posteris hæreditatem indigesta mortis dereliquit.* Sententia mortis, quam tulit Deus adversus scelerosum Adamum, ferit etiam nepotes culpæ ejus participes, *quibus Adamus puteus mortis extitit.* Filii damnati sunt ad mortem in persona protoparentis: *Per satanam homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & proptereà in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Cunctæ hominum voluntates (exceptis Christo, & Deiparâ) continebantur in Adami voluntate, quo peccante & ipsi in illo peccârunt: *Nunquid non in semine tota arbor? vitium ergo seminis, vitium totius arboris.* Adamo adhuc damnato ad mortem, & ipsi quoque damnati sunt; & cunctæ hominum mortes exindè sequutæ, sunt tot exequutiones primævæ illæ sententiæ à divina justitia adversus Adamum latæ: *Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem, & exindè proficiunt delicta cum pœnis; & pereunt jam omnes, qui paradisi nullam cespitem norunt.* Uti morbi hæreditarii à parentibus diffunduntur in filios; & quemadmodum sententia, quæ nobilem criminosum ignobilitate mulctat, filios quoque ejus reddit ignobiles: ita pœna mortis, cui fuit addictus scelerosus Adam, transit in ejus posteros: *Sententiam, Dei natura pronuntiat: Terra es, & in terram ibis, & qui non audivit, videt.* Intimatam Adamo sententiam in paradiso terrestri, non audierunt homines; hujus tamen executionem intuentur in cunctis, qui coram ipsis intereunt, cui etiam ipsi subjacere coguntur: *Quia semel immiserat se morte natura nostræ, unà cum ipsis eorum qui procreabantur successionibus mortalitas penetravit. Quo factum est, ut vita nos exciperet mortua, ipsa quodammodo vita nostra morte perempta. Nam haud dubiè vita nostra mortua est, cùm immortalitate spoliata sit.* Bellè dicitur vita mortua; quandiu hac luce utimur, vivere quidem videmur; sed verius assiduè morimur, imò majori ex parte mortui sumus.

Tertull. Scorp. 5

Serm. de Pat.

Chrysol. Serm. 65

Tert. l. de Test. an. 3

Chrysol. Serm. 118

Tert. l. 1. adv. Marc. 23

Tert. l. de Res. Car. 18

Gregor. Nyss. hom. 12. in Cânt.

2. *Mors, si non semel tota, non est; si quid anima remanserit, vita est; non magis* Tert. l. de An. 51

Pet. Dam. ibid. tati. Christiane, *de tuis pressuris atque molestiis gaude, & totis in Domino visceribus gratulare, quia qui nunc, ut ita fatear, pœnarum nantum levitate deprimeris, remunerandus postmodum, pretiosi auri pondera reportabis*; adinstar Martyrum, qui morte mulctati, fiunt immortalitate donati.

Tunc fiet verbum, quod scriptum est apud Creatorem : Ubi est mors victoria tua, vel contentio tua ? ubi est mors aculeus tuus ? Alludit Tertullianus ad Paulum, qui agens de gloria corporum, quâ in resurrectione Beati fulgebunt, cognatâ jam immortalitate, ita scribit : Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est : *Absorpta est mors in victoria, ubi est mors victoria tua ?* D. Athanasius id scriptum existimat Isaiæ 25. v. 8. ubi juxta Septuaginta translationem dicitur : *Devorata est mors prævalens.* In Martyribus mors prævalens absorpta & devorata est, nam pro morte temporali, quam passi sunt, trinâ pollebunt immortalitate: scilicet 1. animæ beatificatæ. 2. carnis glorificatæ. 3. famæ decantatæ.

II. PARS. Lib. 5. adv. Marc. 10
1 Cor. 15
L. de Pass. Chr.

Tertull. Scorp. 9 1. *Ipsi præsides cùm hortantur negationi ; Serva animam tuam, dicunt, & noli animam tuam perdere* : at èconverso Christus Dominus : *Qui pluris, inquit, fecerit animam suam quàm me, non est me dignus*; *id est, qui maluerit vivere me negando, quàm mori confitendo.* Non eodem modo alloquuntur Christianos tyrannus & Christus. Tyrannus eos ad fidei negationem hortatur, si animam, id est vitam temporalem servare desiderant : Christus indignos nomine Christiano declarat illos, qui pro conservanda vita temporali negant disciplinam. Qui tyranno obtemperant, & fidem negant, vitam temporalem custodientes, vitam æternam amittunt ; qui verò Christo obsequuntur, vitam amittentes temporalem, vitam æternam custodiunt. Nam, ut subjungit Dominus : *qui animam suam invenerit, perdet illam ; qui verò perdiderit meî causâ, inveniet illam. Proinde enim inveniet eam, qui negârit lucrifaciendo vitam ; sed perdet in gehennam, qui se putat negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur, sed inventurus eam in vitam æternam.* Quàm infelix Christianus, qui de sua fide interrogatus, negat illam, ne perdat præsentem vitam ! tam conservans miserabilem hanc vitam cum vitæ dispendio, æternam vitam in cœlo possidendam amittit, & æternam mortem in inferno sustinendam incurrit. Quàm felix Martyr, qui testans fidem cum detrimento præsentis vitæ, æternam vitam sibi comparat in cœlo, quia *scenâ vitæ* peractâ necessario deveniendum est aut ad interminabilem vitam, aut ad interminabilem mortem !

Tert. ibid.

Clem. Alex. exh. ad Gent. Tert. l. de An. 1 *Socrates ipsâ morte coram immortalitatem vindicat animæ, necessariâ præsumptione ad injuriæ frustrationem.* Socrates Græcæ tunc virtutis norma, videt in carcere uxorem mox viduam, filios jamjam pupillos, philosophicam & domesticam familiam injustè dehonestatam, & plura in paucis acerba, quæ quantumvis magnanimum virum concutere potuissent, hæc intrepidus videt, dum attentius animæ immortalitatem considerat. Martyres

tyres bonorum despoliationem, honorum depositionem, tormentorum susceptionem, & avaram dulcis vitæ jacturam, alacri spe, & virili fortitudine subeunt: *& illa tanquam oblatam mortis occasionem, velut pignus immortalitatis invadunt: & si circa superficiem solidi roboris temporaria mors desævit, intra conscientiæ medullas vita se recipit*; certo sperans immortalitatem animæ beatificandæ, & carnis glorificandæ. Euseb. Emiss. hô. 4. de epiph

2 *Sed respice compensationem, cum caro & anima dependitur, quibus in homine carius nihil est, ipsa dependi in profectu, quorum est profectus; ipsa erogari, quæ lucrifiant. Eadem pretia, quæ & merces.* Martyr ex anima & corpore constitutus, pro fidei confessione sustinens mortem; in anima & in corpore remuneratur. Nam anima, vita æterna potitur, corpus quoque suscitandum est ad gloriam: & caro tormentis dilaniata erit immortaliter glorificata. Ad gloriam animæ & corporis aspicientes Martyres, tormenta ipsamque mortem despiciebant audacter propalantes, *Martyria desæviant sed in salutem.* Innumera sunt Martyrum exempla, qui in novo Testamento fortiter restiterunt atrocissimis quibusque cruciatibus; sed non est prætereunda Machabæorum constantia, qui in veteri Testamento, velut insensibiles sævissima passi sunt supplicia. Jubet tyrannus ob piam in divina lege obstinationem, primo amputari linguam: & cute capitis detracta, summas quoque manus & pedes ei præscindi, cæteris ejus fratribus & matre inspicientibus, & cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter: (Magnanimus ille adolescens, quamvis spoliata jam ossium compage, non ingemiscebat, sed perinde ac si in igne transformaretur in immortalitatem, cruciatus fortiter ferebat.) Nec minor fuit aliorum fortitudo quam commendat D. Ambrosius, de uno illorum ajens: *Exuebant immanes bestiæ corium capitis, & pardalis feritatibus sæviebant. At ille desiciens; Quam dulce est, inquit, mori pro religione! quam suavis omnis acerbitas mortis pro pietate!* Similem ostentarunt cæteri constantiam: *Fratres in fide, fratres in genere, fratres in passione. In his enim erat una mens, & congressio, una victoria, una habitatio in terris, & una in cælis*: eorum anima immortali fruitur fœlicitate, caro etiam ad immortalem gloriam est suscitanda: Quareunus ex illis sic tyrannum alloquitur: *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis; sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æterna vita resurrectione suscitabit*, & famam nostram immortalitate donabit. Tertull. Scorp. 6 Tertull. Scorp. 5. Lib. 2. de Machab. 7 Joseph. l. de Mach. 9 Lib. 2. de Jacob & Vita beata c. 11. S. Aug. Serm. 2. de sept. fratt. Machab. Euseb. Emiss. hô. 4. de epiph

3. Tertullianus postquam Athletarum retulit prælia, vulnera, flagella, illatas violentias, receptas injurias, denotat finem ob quem cuncta illa lætanter patiebantur mala. *Sed quantum livores illi, & cruores, & vibices, negotiantur; qualem potest præstare sæculum, de fama æternitatem, de memoria resurrectionem.* At de fama æternitatem quam suis certaminibus adepti non sunt athletæ & pugiles, Martyr sua morte sibi comparabit; nam (in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit:) Ut illud verissime dictum à Sidonio Scorp. 6 Psal. 111. L. 9. Ep. 8.

mihi videatur. *Improborum proba, aque ut praconia bonorum immortalia manent.* Sed quia in inferioribus ostendendus est honor Martyribus debitus, ex prælibatis sequentes observandæ sunt reflexiones. Mors Martyrũ in immortalitatem commutata fuit; nam amittentes pro Christo vitam temporalem, vitam æternam adepti sunt: & multi Christiani hac ætate, pro re nullius momenti, pro turpi lucro, pro hònore vano, pro oblectamento lascivo, vitam æternam amittunt, & mortem æternam acquirunt, nec considerant quod 1. sunt *in confinio natura mortalis & immortalis*, quod hæc vita mortalis terminatur ad æternam vitam vel mortem: 2. Martyrum caro laniata suppliciis, resurrectura est ad immortalem gloriam: & nos debemus ad virtutem uti corporibus nostris ut suscitentur ad vitam; præsertim quia, ut ait dubius Tertullianus, de Spiritu sancto, inhabitatore loquens, *Erudiuntur in illo, & per ipsum corpora nostra ad immortalitatem proficere, dum ad decreta ipsius dis unt se moderanter temperare.* Tandem 3. Martyres sua passione sibi compararunt de fama æternitatem; *de qua scilicet psalmus; Tolerantia, inquit, justorum non peribit in finem.* Nos quoque si sancte vixerimus, & Christiane moriamur, erimus in æternum de virtute commendati, *quia & alibi, honorabilis mors justorum ex tolerantia sine dubio:* nam Martyres qui fuerunt ignominia dehonestati, sunt honore decorati.

Clé. Alex. l. Strom. 7.

Lib. de Trin. 19.

Tert. l. 4. adv. Marc. 39.

Tert. Ibid

III. PARS

Tertull. Scorp 9.

Beati eritis cum vos dedecoraverint. Christus Dominus ut discipulos suos ad ignominias & tormenta fortiter toleranda sufflamaret, beatos illos prædicat cum à tyrannis & persecutoribus fuerint tanquam infames damnati, & ignominiosa morte mulctati; nam hujusmodi ignominiæ in gloriam & honorem commutabuntur. Pastorem sequentur oves quæ ejus audierunt vocem. *Necesse est ut qua sunt ad mortem secuta sequantur ad vitam qua ad contumeliam concitata sunt, concitentur ad honorem, & sint participes gloria, qua passionis participes extiterunt.* Idem eis eveniet quod terræ in aurum conversæ: *Quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata, nomen terra in igne reliquit: atque exinde de tormentis in ornamenta; de suppliciis in delicias; de ignominiis, in honores, metalli refuga mutatur.* Cuncta quæ servierunt tyrannis ad dedecorandos martyres, servient ad eos honorandos. Nam 1. eos ignominiosa morte damnarunt: 2. ad eos torquendos instrumenta suppliciorum infamia accommodarunt: 3. post mortem corporibus sepulturam denegarunt: & 1. Sanctorum martyria honorantur; 2. suppliciorum instrumenta decorantur: 3. corpora religiose venerantur.

Chrysol. Ser. 40.

Tert. l. 1. de Cult. Fœm. 4.

1. Tertullianus belle præstantiam suppliciorum quæ pertulerunt Martyres commendat, dum gentilium depretiat deos qui fiunt conformiter ad tormenta quæ patiebantur Christiani. *Quantum igitur de diis vestris, nomina solummodo video quorundam veterum mortuorum, & fabulas audio, & sacra de fabulis recognosco. Quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo, quam materias sorores esse vasculorum, instrumentorumque communium, vel ex eisdem vasculis & instrumentis quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis*

Apol. 12

tis transfigurante, & quidem contumeliosissime, & in ipso opere sacrilege; ut reveta nobis, maxime qui propter Deos ipsos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quod eadem & ipsi patiuntur, ut fiant. Crucibus & stipitibus imponitis Christianos. Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci & stipiti superstructa: in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur. Vngulis deradit is latera Christianorum; at in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos sine capite sunt dij vestri. Ad bestias impellimur: certe quas Libero, & Cybele, & Cœlesti applicatis. Ignibus urimur: hoc & illi à prima quidem massa. In metalla damnamur: inde censentur dij vestri. In insulas relegamur: solet & in insulas aliquis Deus vester, aut nasci, aut mori. Inde argute concludit ex deorum consecratione, Martyrum consecrans supplicia. *Si per hæc constat divinitas aliqua: ergo qui puniuntur, consecrantur: & numina, eorum dicenda supplicia.* Tyranni Martyres dedecorare censebant infami eos afficientes supplicio, & eos in divos consecrabant: Nam ut de Martyribus fatur Eusebius Emissenus: *cruciatibus afflicti, suppliciis explorati, sævis ignibus sacrificij more decocti, quantas susceperunt in corpore pœnas, tantas in spiritu perceperunt coronas; ac sic per tormentorum plagas, & torquentium moras, prius consecrati sunt, quam perempti.* Et ut subjungit Emissenus, tyranni Christianos persequentes nequaquam tantum prodesse potuissent obsequio, quantum profuerunt gladio; quia eorum mors tanto est gloriosior, quanto ignominiosior videbatur. *Ecce martyrium Christi, & apud homines & in hoc mundo non solum non est opprobrium, sed magnum est ornamentum. Ecce non solum in conspectu Domini, verum etiam in conspectu hominum jam pretiosa est mors Sanctorum ejus. Ecce non solum non contemnuntur, verum etiam magnis honoribus præferuntur Martyres ejus.* Ecclesia namque spiritu veritatis illustrata, inter divos & beatos illos dinumerat, eorum memoriæ solemnitatem dedicat, & singulis annis diem mortis devote celebrat. *Vides quam martyrij definiat fœlicitatem, cui de gaudio mutuo acquirit solemnitatem.* De tali honore ab Ecclesia exhibito Martyribus congratulatur D. Cyprianus. *Eant nunc Magistratus & Consules, annuæ dignitatis insignibus, & duodecim fascibus glorientur; ecce dignitas cœlestis in vobis honoris annui claritate signata est: & jam reverentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa est.* Et ne aliquid Martyrum desit gloriæ, etiam instrumenta quibus sunt ignominiose dilaniati, honorantur.

Serm. de S. Bland. — D. Aug. Serm. 9. in Ps. 118. — Tertull. Scorp. 13 — Epist. 16

2. *Siquidem honorata est apud Deum mors religiosorum ipsius, ut canit David; non opinor ista communis, & omnium debitum: atqui justa etiam ignominiosa est ex elogio transgressionis, & merito damnationis; sed illa quæ in ipso additur ex testimonio religionis; & prælio confessionis; pro justitia & sacramento.* Honorata est etiam apud Deum mors quam passi sunt Martyres pro veritate fidei, & operatione virtutis; *& in honorem transierunt triumphi, ipsa etiam instrumenta supplicij.* D. Chrysostomus clavos quibus Petrus cruci affixus fuerat, velut totidem gemmas, atque ensem qui gentium Apostolo caput detruncavit, velut

Tertull. Scorp. 8 — Pet. Dam. Serm. 32.

de Joanne Baptista loquens: *Divina providentia constat actum, ut per plura loca deportatis beati Martyris reliquiis, plura virtutum signa fierent, pluresque per memoriam doctrinæ & vitæ illius, ad fidem & dilectionem ejus, quem prædicaverat, confluerent.* Ex honore quam præstant fideles Martyrum reliquiis, & ex miraculis quæ operatur Deus ad eorum sepulchra, recte colligit Magnus Gregorius, quanta potiantur felicitate, & in quali honore habendi sint. *Quomodo ergo vivunt illic ubi vivunt si in tot miraculis, hic vivunt, ubi moriuntur?* Quanto honore veneranda sint sacra Martyrum ossa, reliquiæque aliorum Sanctorum qui potiori sui parte cœlos incolunt, & quorum tandem corpora rediviva nativitate empyrei gloria potientur, demonstrat D. Hieronymus referens quanta veneratione sacri Prophetæ Samuelis ossa sub Arcadio Imperatore, anno Domini 406. à Judæa, magna & Imperatoris & populi pompa & devotione translata sint. Sic enim Vigilantium hæreticum pungit. *Sacrilegus est nunc Augustus Arcadius qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Iudæa transtulit in Thraciam: omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & dissolutos cineres serico & vase aureo portaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia sunt jucundati quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent atque suspicerent, ut de Palæstina usque ad Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laude una voce resonarent.* Nonne exemplaris illa pietas hæreticorum hujusce ætatis condemnat impietatem, qui Sanctorum reliquiis non solum debitam non præstarunt reverentiam, sed quod est horribile dictu, omni affecerunt ignominiæ æmulantes Ethnicorum barbariem? Qui *ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asilo quodam mortis, jam altos, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant.* At ut eorum error & blasphemia evidentius appareat, addiscendus est D. Ambrosius, quem sanctum ipsi recognoscunt, cujusque doctrinam amplectuntur. *Hæc est enim sanctorum Martyrum gloria quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Quod si dicas; Quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta, de qua jam nulla Deo cura est? ubi est illud: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus? Honorare debemus servos Dei; de quibus dicitur: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis.* Quod si in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: quanta hæreticorum impudentia & temeritas denegare Sanctorum reliquiis honorem, quos Patres Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, non minus sanctitate quam doctrina illustres, in primitiva Ecclesia venerata testantur?

Ser. 3. de Decoll. S. Joan.

Hom. 12. in Evang.

Tertull. Apol. 37.

Serm. 93.

At ne ullus circa honorem Martyribus debitum subrepat error: tria animadvertenda sunt ex Augustino 1 (Nos martyres nostros, nec divinis honoribus colimus, nec sacrificia illis offerimus.) Latria soli Deo debetur, & cum Lib. 8. Civ. 27.

ad latriam pertineat oblatio sacrificii, soli Deo non Martyribus offertur sacrificium. *Quis enim antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit, ut ex ipsorum corporum admonitione major affectus exsurgat, ad acuendam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adjuvante possimus.* 2. Honoramus Martyres non propter ipsos, sed propter Deum, pro cujus religione dimicarunt & mortui sunt. *Honoramus sane memorias eorum tanquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro veritate certarunt, ut innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque convictis.* Et hic honor non est duntaxat civilis aut politicus, qualis est ille qui defertur parentibus, magistratibus, dominis, principibus; sed religiosus, quia gratiam & gloriam quam contulit eis Deus, honorat, proceditque à charitate, diciturque Dulia. *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate passionem paratum esse sentimus; sed illos tanto devotius, quanto securius post incerta omnia superata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita fœliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes.* 3. Ultra Dei gloriam qui laudandus est in suis Martyribus, *populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur,* ut gratiæ Dei respondeat, fortiter pugnet pro fide & religione, disciplinam Christianam fideliter custodiat, & cœlestem fœlicitatem obtineat.

D. Aug. l. 20. cont. Faust. c. 21

D. Aug. l. 8. Civ. 27.

D. Aug. l. 20. cont. Faust. c. 21

D. Aug. ibid.

MORS.

M O R S.

SCHOLIUM.

Mors est: 1. Inevitanda: 2. Recogitanda: 3. Ediscenda; 4. Praevenienda: 5. Bona, desideranda: 6. Mala, lugenda.

CONCIO PRIMA.

NEC *mortem sine quaestionibus, licet finem omnium quaestionum.* Mors quae omnes finit quaestiones variis tamen opinionibus ventilatur; inter quas quatuor praesertim mihi occurrunt. 1. Est impiorum, qui Deum non credentes, animam humanam immortalem non censentes, nullam post mortem beatitudinem sperantes, nec poenam metuentes, gulae indulgent, lasciviae vacant, divitias accumulant, honores sectantur, vivere in deliciis satagunt, dicentes: *Mortuum quod mortuum; & vive, dum vivis; &. post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa.* Impia haec opinio plures blasphemias continet, quas aliorsum confutavimus, demonstrantes animae immortalitatem, Dei existentiam, aeternam beatitudinem, interminabilem inferni poenam: 2. Sententia est Epicuri non multum ab impiorum opinione dissentiens. *Quamquam Epicurus negarit mortem ad nos pertinere: Quod enim dissolvitur, inquit, sensu caret; quod sensu caret, nihil ad nos.* Stolidum illum Philosophum acute redarguit Tertullianus: tum quia si *mors nihil ad nos: ergo & vita nihil ad nos: si enim quo dissolvimur praeter nos, etiam quo compingimur, extra nos; si ademptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus, quicquam ad nos:* Tum quia perperam philosophatur Epicurus: *Dissolvitur & caret sensu, non ipsa mors, sed homo, qui eam patitur: quod si hominis sit pati mortem dissolutricem corporis, & peremptricem sensus: quam ineptum, ut tanta vis ad hominem non pertinere dicatur?* 3. Sententia est cujusdam Menandri haeretici, negantis mortem ad suos pervenire. *Ut jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere; sed haeretici magis Menandri*

Tert. l. de An. 50.
Tert. l. de Res. Car. 3
Ter. Praed to. 1. Tract de An. rat. Conc. 3. to 2. tract de Deo Conc. 1. Tract. de Beat. to. 3. Tract. de Infern.
Tert. l. de An. 42.
Tert. l. de An. 50.

 nandri

legit, *Mortalis eris*; id est, certæ mortis incurres sententiam: quam de facto incurrit inobsequens Adamus, Dei mandatum contemnens, & inhibitum pomum comedens: *Homo semper medico prior negotium fecit, denique sibimetipsi periculum mortis attraxit: acceperat à Domino suo, ut à medico, satis utilem disciplinam secundùm legem vivendi, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo arbuscula temperaret, quam ipse medicus importunam interim noverat; audijt ille quem maluit, & abstinentiam rupit, edit inlicitum, & transgressione saturatus, in mortem cruditavit.* Id est, post illicitum pabulum mortifera cruditate laboravit, crudam mortem vomitu non egerens, sed crudâ digestione decoquens, & in suam substantiam velut convertens, posteros indigestæ mortis reliquit hæredes; ut eloquenter declarat Zeno Veronensis: *Adam in arce cùm esset adhuc paradisi constitutus, beatissimusq; beati orbis imperio potiretur, tandiu felix, tandiu inexterminabilis vixit, quandiu imperata regalis edicti continuit; at ubi sinistro consensu sacræ arboris pomum malè dulce delibavit, lacrymas reperit, dolores & gemitus sibimet comparavit, ultimoque sudore turbatus, posteris hæreditatem indigesta mortis dereliquit.* Sententia mortis, quam tulit Deus adversus scelerosum Adamum, ferit etiam nepotes culpæ ejus participes, *quibus Adamus puteus mortis extitit.* Filii damnati sunt ad mortem in persona protoparentis: *Per satanam homo à primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* Cunctæ hominum voluntates (exceptis Christo, & Deiparâ) continebantur in Adami voluntate, quo peccante & ipsi in illo peccârunt: *Nunquid non in semine tota arbor? vitium ergo seminis, vitium totius arboris.* Adamo adhuc damnato ad mortem, & ipsi quoque damnati sunt; & cunctæ hominum mortes exindè sequutæ, sunt tot exequutiones primævæ illæ sententiæ à divina justitia adversus Adamum latæ: *Homo damnatur in mortem ob unius arbusculæ delibationem, & exinde proficiunt delicta cum pœnis; & pereunt jam omnes, qui paradisi nullum cespitem norunt.* Uti morbi hæreditarii à parentibus diffunduntur in filios; & quemadmodum sententia, quæ nobilem criminosum ignobilitate mulctat, filios quoque ejus reddit ignobiles: ita pœna mortis, cui fuit addictus scelerosus Adam, transit in ejus posteros: *Sententiam, Dei natura pronuntiat: Terra es, & in terram ibis, & qui non audivit, videt.* Intimatam Adamo sententiam in paradiso terrestri, non audierunt homines; hujus tamen executionem intuentur in cunctis, qui coram ipsis intereunt, cui etiam ipsi subjacere coguntur: *Quia semel immiscuerat se morti natura nostra, unà cum ipsis eorum qui procreabantur successionibus mortalitas penetravit. Quo factum est, ut vita nos exciperet mortua, ipsa quodammodo vita nostra morte perempta. Nam haud dubiè vita nostra mortua est, cùm immortalitate spoliata sit.* Bellè dicitur vita mortua; quandiu hac luce utimur, vivere quidem videmur; sed verius assiduè morimur, imò majori ex parte mortui sumus.

2. *Mors, si non semel tota, non est; si quid animæ remanserit, vita est; non magis vita*

Tertull. Scorp. 5

Serm. de Pat.

Chrysol. Serm. 65

Tert. l. de Test. an. 3

Chrysol. Serm. 118

Tert. l. 1 adv. Marc. 25

Tert. l. de Res. Car. 18

Gregor. Nyss. hom. 12. in Cant.

Tert. l. de An. 51

vita deputabitur mors, quàm diei nox. Loquitur Tertullianus de morte, quæ animam à corpore separat, præsentemque vitam terminat, quæ *vita non vitalis* vocitatur à Sinesio. De qua dubitat D. Augustinus, an dicenda sit vita mortalis, an vitalis mors: *Nescio unde venerim huc, in istam dicam mortalem vitam, an mortalem vitam? nescio.* At D. Bernardus absque ulla hæsitatione nomen vitæ ei denegat: *Nec vita sanè dicenda est quâ nimirum soli vivitur morti.* Et sanè hæc vita mors quędam est: tum quia vix natus infans, dum infantiæ pannis obvolvitur, præproperè sui funeris insignia gestat, diciturque *pannis jam sepultura involucrum initiatus.* Primus hominis tumulus est venter matris, in quo inclusus incipit mori, & velut in sepulchro viventi tumulatur. Mox ut in lucem editur, fasciis involvitur, non secus ac illi qui in sepulchris deponendi sunt; itaq; incipit mori mox ut incipit vivere: *Vita hujus principium mortis exordium est;* quæ ideò potius mors, quàm vita est dicenda. *Hac vita quam vivimus, magis mors est; nec simpliciter vita, sed vita mortalis, semperq; ex quo incipimus vivere, nihil aliud agimus, nisi morti appropinquare, & incipere mori.* Tum quia non solùm, ut vult D. Bernardus, *omnis mutatio quædam mortis imitatio est;* sed etiam, ut fatur dubius Tertullianus, *immutatio cujusdam mortis portio est.* Cujus rationem præbet certus Tertullianus, quia *transfiguratio, interemptio est pristini.* Cui arridens Magnus Gregorius sic de mutabilitate ratiocinatur: *Quid mutabilitas nisi mors quædam est, quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat?* Hominis autem vita tot mutationibus subjacet, ut hoc nomine indigna videatur D. Augustino: *Ista vita mors esse convincitur, quæ tantâ mutabilitate variatur.* Unde quò prolixior est vita eò prolixior est mors: *Ipse enim quotidianus corruptionis defectus quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis?* ut acutè animadvertit Isidorus Clarus, expendens illud Geneseos, ubi Deus ad Adam: [In quocunque die comederis ex eo, morte morieris] Nam licèt mortuus non fuerit Adàm mox ac de pomo vetito comedit, sed per multa secula vixerit; attamen vixit, & mortuus est, quia statim post peccatum mortalis factus est, & ejus vita mors prolixior extitit: *Incipies eâ ipsâ die esse mortalis, & corruptioni obnoxius, ut vita futura sit quædam prolixior mors.* Tum quia tot obivimus mortes, quot jam præmisimus ætates. In homine septem distinguimus ætates: infantiam, puerilitatem, adolescentiam, juventutem, virilitatem, senectutem, decrepitudinem. Infantia desumitur à nativitate usque ad septimum annum; pueritia, à septimo anno usque ad decimum quartum; adolescentia, ab anno decimo quarto usque ad vigesimum secundum; juventus, à vigesimo secundo usque ad trigesimum; virilitas, à trigesimo usque ad quinquagesimum; senectus, à quinquagesimo usque ad septuagesimum; à septuagesimo incipit decrepitudo sustinens labores & dolores usque in finem. Hujuscemodi ætates in eodem homine nunquam sunt simul, sed sibi adinvicem succedunt: *Si quis est ætate provectior, is fuit aliquando infans, mox puer, deinde pubens, deinde adolescens, posteà juvenis, postea vir, postremò senex; sed non simul*

Marginal notes: L.1. Cõf. 6 — Serm. de fall. præs. Vit. — Tert. l. 4 adv. marc. 21 — D. Prosp. L.2. de Vocat. Gent. 21 — D. Bern. Serm. 17 in Ps. 90 — Serm. 81 in Cant. — L. de resur. — L. adv. Prax. 27 — L. 12. Mor. 17 — Serm. 6 in Comm. — Serm. D. Greg. hò. 37. in Evang. — Phil. Jud. L. de Joseph.

simul omnia. Nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens juveni, juvenis viro, vir seni, senectus morti? Et fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur. Puerilitas namque mors est infantiæ, adolescentia pueritiæ, juventus adolescentiæ, virilitas juventutis, senectus virilitatis; *quæ omnes ætates ante senectutem evanuerunt.* Inde concludit D. Augustinus: *Quot gradus optas ætatis, tot tibi optas mortes ætatum. Veniente pueritiâ moritur infantia; veniente adolescentiâ, moritur pueritia; veniente juventute, moritur adolescentia; veniente senectute, moritur juventus.* Quam appellamus mortem, non prima, sed ultima mors est, eamque plures præcedunt: *Agunt opus suum fata, nobis sensum nostræ necis auferunt, quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitæ limine latet. Infantiam in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, juventutem senectus abstulit; incrementa ipsa, si benè computes, damna sunt.* Unaquæque vitæ periodus, mors est præcedentis. Quilibet dies præcedentis diei peragit funus; singulis ætatibus, annis, mensibus, diebus, horis, momentis, homo aliquâ suî parte moritur, & vivas suî exequias repetito funere nescius concelebrat: *& exequias funeris ipse præcedit parte sui corporis jam sepultus*; numerosam vitæ portionem habens in vivo corpore jamdiu emortuam & tumulatam, &, ut eloquenter fatur Chrysologus: *Homo hominis est sepulchrum; ubi in homine non homo cernitur, sed cadaver.* Homo suî sepulchrum; quia magna suî jam obiit ex parte, cùm posterior ætas mors fuerit prioris. Itaque homo, qui est vivum suiipsius feretrum, est putredini & corruptioni mancipatus.

Phil. Jud. In Ps. 127

Seneca de Consol. ad Mariã c. 20

S. Zeno de S. Arcad.

Serm. 120

3. *Atque adeò caro est, quæ morte subruitur, ut exinde à cadendo cadaver renuncietur*: sed cadaver putridum, vermibus scatens, tam malè olens, ut ejus fœtorem haud ferre valentes mortales, illud tumulent. Cadaver efficitur etiam caro Magnatum, Principum, Regum, qui post mortem eò magis fœtent, quò delicatioribus fuerunt nutriti cibis: *Nulla discretio inter cadavera mortuorum, nisi fortè quòd gravius fœtent divitum corpora distenta luxuria.* Et ob hanc causam Romani in loco putrido & corrupto ædificârunt templum fortunæ, quam velut Deam venerabantur, innuentes conctos mortales in quavis dignitate essent constituti, obnoxios esse corruptioni: *Porrò autem qui hodie induitur purpurâ, cras includitur sepulchro; hodie qui hominibus dominatur, cras à vermibus factus putrido corroditur; hodie regalibus infulis redimitur, cras vilibus panniculis exanime cadaver obvolvitur; hodie splendet coronatus in regalis excellentiæ solio, cras fœtet marcidus in sepulchro.* Cujus insigne habemus exemplum in Elisabetha Imperatrice Caroli Quinti Imperatoris conjuge, quæ vivens mirâ erat pulchritudine prædita, post mortem verò ita fuit deformis ac fœtens, ut horror putridi hujus cadaveris Franciscum Borgiam Gandiæ Ducem à sæculi vanitate ad religionis portum adduxerit.

Tert. l. de Res. 18

D. Ambr. l. 6. Exam. 8.

Clem. Alex. Adhort. ad Gent.

Pet. Dam. ep. 71

In sententia mortis adversus homines lata agnoscit D. Chrysostomus Dei misericordiam. Nam intimans eis mortem, dat excellens remedium, tum ut eos à peccato præservet, tum ut innocentiam conservet: Non condemnat

Homil. 17 in Gen.

eos ad mortem conditionatè, uti Adamum in paradiso terrestri, sed eos absolutè morti mancipatos declarat. Post ejusmodi sententiam divino ore prolatam *ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus*, ut animus nihil præsagiat & expectet præter mortem, nobisque de statu vitæ cogitantibus respondeat mens velut echo fidelis, moriendum est. Sirus legit: sententiam damnationis habemus in nobis, qua à Deo supremo judice ad certam mortem damnati & destinati sumus. Quod innuere videtur Apostolus Christianos attendens *tanquam morti destinatos.* Quid est morti destinatos? Vulgò dicitur, mortis reos: at Neotericus aliter expendit Apostolum, animadvertens *destinam* esse funem injectum collo reorum, qui auditâ judicis sententiâ, mortis destinantur supplicio. Quid aliud cogitet reus ad supplicium ductus nisi mortem? Christianus tanquam reus ad mortem damnatus, & à Deo morti destinatus, è cujus collo pendet destina funestissima, totus debet esse in consideratione mortis, præsertim cùm jam magnâ sui parte sit mortuus. Basilius Seleucus hanc mortis considerationem nuncupat *viventem mortem*: quia vitio mortem affert, virtutem vivificat. Inordinati concupiscentiæ motus tot sunt vitæ, quæ necem inferentes animæ, passiones efficiunt viventes. At Christianus mortem seriò recogitans *vivificatrice morte, quotidie vitam in se passionis occidet.* Quomodo enim vitiis vacabit Christianus sese tumulatum, putridum, & à vermibus consumptum recogitans? Sic putredo & vermes velut Jobi parentes eum ad vitæ perfectionem sublimârunt: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Semel & iterum generatus fuit Job: semel à suis parentibus, iterum à vermibus. A parentibus accepit vitam miseriis & morti addictam, à vermibus mutuatus est vitam virtutis, immortalitatis velut æmulam: *Quemadmodum quispiam mortalium sine parentibus non potest existere, ita ego factus sum, quasi sine putredine & vermibus esse non possem.* Sicut hanc vitam mortalem nemo vivere potest absque producentis aut generantis opere; sic nemo virtuti valet vivere, nisi à meditatione vermium & putredinis ad spiritualem vitam gignatur. Sepulchrum fuit Jobo matripater seu patrimater, à quo mutuatus est meliorem existentiâ & perfectiorem vitam. Christianus meditans sepulchri putredinem vitio moritur, virtuti vivit, animæ vitam operatur consideratâ mortis veritate & potestate.

2. Cor. 1

2. Cor. 4

Cerda.

Orat. 32

D. Greg. l. 8. mor. 16

Cap. 17

D. Hier.

II. PARS. Tria sunt quæ ab observantia legum eximunt: 1. qualitas personarum: sic Reges non sunt addicti legibus quas ipsi condiderunt. 2. præscriptio temporum, qua leges efficiuntur caducæ. 3. regionis privilegium: leges in Gallia latæ non obligant in Hispania. Nullum horum homines eximit à lege mortis: *non privilegia personarum, non spatium temporum, non privilegium regionum.* Mortis potestas Dei æmulatur potestatem. Tres sunt præsertim potestatis divinæ proprietates. Est namque 1. summa cui nemo valet resistere: *Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.* 2. Est æterna: *Potestas ejus potestas æterna.* 3. Est immensa: *Potestas tua, in terminos universæ terræ.*

Tert. l. de vel. virg. 1

Esther. 13

Dan. 7

Dan 4

Mortis potestas tanquam particeps proprietatum divinæ potestatis, est velut summa, æterna, & immensa: quia 1. nullus ei resistit: cuncta tempora comprehendit: 3. ad omnia loca se extendit.

1. Quamtumvis prosper à fortunâ potiantur homines, in quavis sint dignitate constituti, *moriendum erit nihilominus*. Nemo est qui non sit mortis dominationi subditus: cunctos generatim mortales *nullo resistente vastavit*, dixit alias nonnemo: (Tria potentia sunt, Mars, Mas, Mors; sed potentissima est mors. Sicut enim Mars marem, ita mars Martem domat.) Invictam illam mortis potestatem agnoverunt veteres, mortem repræsentantes absque oculis, sine auribus, tenentem in manu falcem cum hac inscriptione: *Nemini parco*. Est cæca, quia non considerat magnatum dignitatem: est surda, quia non audit miserorum clamorem, sua falce cunctos metiens, *captivat, vastat, interficit, omnes quos natura præsentem perducit ad vitam, ducit reges, trahit populos, gentes impellit, non divitiis redimi, non flecti precibus, non lacbrymis molliri, non viribus unquam potuit ista superari*, cunctos nullo resistente devastans: *Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus, resistitur regibus: venit una mors, quis ei resistit? nihil illa fortius*. Potestas ejus summa imperio suo cunctos homines subjicit: potestas æterna cuncta tempora comprehendit.

Tert. l. de An. 50. Lib. 2. Par. 18.

Chrysol. Ser. 118.

D. Aug in Ps. 122.

2. Cuncti mortales in quavis temporis differentia extiterint, vel extituri sint, mortis subduntur dominio. Omnes hominum vitas devorat *ipsorum temporum propria gula*. Mortis potestas velut divinæ particeps æternitatis, complectitur varias corporis differentias; homines qui fuerunt in prætерito ab origine mundi usque nunc, mortui sunt: homines qui sunt in præsenti, certo morituri sunt. *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem?* Tandem homines qui extituri sunt in futuro, morituri sunt. *Hodie fit, cras fit, futurum est, debitum est reddendum morti*; à qua nec ipsemet Christus fuit liber, neque Enoch & Elias erunt exempti: *Translatus est Enoch & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet; cæterum morituri reservantur*; quia mortis potestas divinæ immensitatis particeps ad omnia loca se extendit.

Tert. l. de Res. 4.

Ps. 88. D. Aug. Tract. 43. in Joan. Tert. l de An. 50.

3. Mors ubique grassatur. Nullus est locus in sæculo ab ejus potestate immunis: ingreditur tuguriola pauperum, arces munitissimas militum, regum curias. *Cæterum quos putas tibi magistros, homines sunt, & ipsi morituri quandoque*. Constantius Imperator sciscitans à legato à rege Persarũ Roma misso, quid sibi de superba illa videretur urbe orbis imperio gloriosa, ille respondit: *Roma sicut & alibi homines moriuntur*. Ubique mortis subjiciuntur dominio, ejus potestas velut immensa cuncta complectitur loca, seseque extendit à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. *Natus es homo, moriturus es: quo ibis ut non moriaris?* Peragra si vis Europam, Asiam, & Africam; ascende navem, sulca mare, totum percurre veterem & novum mundum: *Ergo cum moriturus es, qua evadas, non habes*: quocumque *eas nullam jam habes potestatem tollendi mortis necessitatem*.

Tert. l. ad Scap. 4

Fulgos l. 7 c. 2

D. Aug. Tract. 43 in Joan. D. Aug. ib. D. Aug. Ser. 31. ex edit per Pat. Sirm.

Bene ait mortis necessitatem, quia, ut docet Hipponensis Antistes; *ex quo nasci-*

Ser. 1. in Do. 1. Qu.

nascimur necesse est ut moriamur: hoc enim & medicus, & imperitus concedunt. Mortis necessitas fulcitur irrevocabili Dei sententiâ,& quotidianâ comprobatur experientiâ : *Respice omnia mala, ubique est, fortè erit, fortè non erit.* Ægrotus ille fortè sanabitur, reus ille fortè punietur, neque solùm in hujusce vitæ malis,sed etiam in bonis admittendum est fortè. Hic puer qui natus est ducetne longam vitam ? fortasse. Si diu vivat vacabitne literis? fortasse. Si evadat doctus eritne Ecclesiasticus? fortè. Si nubat,habebitne prolem ? fortè. *Nunquid potes dicere : fortè non morietur ?* Fortè habet locum in cunctis vitæ bonis & malis,sed non habet locum in morte : *Cætera nostra & bona & mala incerta sunt,sola mors certa est*:nullum fortè patitur,omnē dubietatem excludit. Illam mortis inevitabilem necessitatem plures non considerant Christiani,nec attendunt ad mortis potestatem, cui nullatenus resistere valent,nec ad mortis æqualitatem , quæ absque ulla exceptione cunctos indiscriminatim prosternit mortales.

D. Aug. Serm. 21 de Verbis Dom.

D. Aug.

III. PARS

Nam & mortuorum est coronari. Humana superbia sepulchra olim coronabat, nunc quoque *coronat mortuos.* Coronamento sanè otioso in cadavere jam decinerescente ; quia neque corona, neque cætera dignitatis ornamenta quidquam apud mortem proficiunt,quæ Reges non secus ac subditos æqualiter 1. vitâ privat. 2. cunctis fortunæ bonis denudat. 3. in cinerem & pulverem immutat.

Tert. l. de Cor. mil. 10

Clem. Alex. l. 2 pædag.

1. *Hoc igitur opus mortis separationem animæ atque corporis.* Hanc separationem æqualiter operatur in Regibus ac in cæteris hominibus: omnibus enim communis est lex moriendi: *Mortem non pluribus stadijs ab aula, quàm à tugurio distare memineris.* Quare Demetrius nobilis Romanus, magni animi, celebratæque constantiæ vir, Neroni ferocienti audacter dixit : *Mortem tu mihi minitaris,natura tibi.* Ut Imperator Romanus etiam in ipsa triumphi pompa conservaret mortis memoriam,admonebatur se esse hominem : *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo: Respice post te, hominem te memento.* Mortis memoria suggerebatur Imperatoribus Constantinopolitanis : ipso namq; die quo ascendebant Imperii solium,inter omnium plausus & pompę magnificentiam aderant domûs Augustæ præpositi,è vario marmore frusta offerentes,& postulantes,quo ex genere fieri sibi monumentum vellent. Addit Codinus quòd iidem Imperatores inter regia ornamenta sinistrâ manu ferebant textile quoddā aureum , in quo inclusus aggestusque erat pulvis, hieroglyphicum mortalitatis,symbolum funeris,monens Imperatores humiles esse oportere ut mortales. Quod *ut Dominus Papa recognitet, in ejus coronatione coram eo succenditur parum de stupa, & dicitur ei: Sic transit gloria mundi, Sanctissime Pater.* Ad necessariam illā mortis memoriam Eugenium Pont. Max. perpetuò revocandum curavit D. Bernardus : *Iugi meditatione inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta meditare novissima tua; quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.* Magnus Basilius mortis adhuc memoriam objicit oculis divitum, magnatum, hero-

Tert. l. de An. 50

Hildeb. ep 3

Arian. in Epict. l. 1 c. 25

Tert. Apol. 33

Leontius in Vita S. Joannis Eleemos.

Hug. Cardin. in c. 3. Rom.

Epist 37

herouм, principum, regum, cæterorumq; qui in seculo velut stella splendent: *Mortalem te esse recordare, circumspice illos, qui antè similibus splendoribus efflorebant: ubi nunc sunt illi qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi duces? ubi tyranni? nonne omnes pulvis? nonne fabula? nonne in paucis ossibus memoria vitæ conservatur?* Profectò quemadmodum in arena inflatus oceanus consumit tumentes fluctus suos: *Huc usque venies, & non procedes amplius, ibi confringes tumentes fluctus tuos*: ita in morte confringitur fœminarum pulchritudo, divitum abundantia, heroum fortitudo, nobilium celsitudo, regum majestas: *Si rasum fuerit caput meum, deficiam, eroq; sicut cæteri hominum.* Capillo innitebantur Samsonis vires, quo amputato debilis non secus ac cæteri homines effectus est. Capillis, id est, fortunæ bonis potentes Reges discriminantur à plebeis subditis, quibus amputatis sicut cæteri deficiunt: &, ut fatur D. Chrysostomus, nullus Rex inferni portas effugit: non Saul, qui primus regni diadema induit; non David, regno dignus appellatus; non Samuel ille regum pater, qui effuso oleo illum regno dignum declaravit; nō sapientissimus Salomon, sapientiâ & potentiâ famosissimus. Mors æqualiter cunctos Reges, Imperatores, summos Pontifices vitâ privat, & cunctis fortunæ bonis denudat.

Serm. de Morte.

Judith. 16

2. *Perituris peritura creduntur*: quibus denudantur in morte qui opulenter terrena fortunæ bona possident. Quod probè cognoscens Saladinus Ægypti Sultanus morti vicinus jussit tunicam inferiorem hastâ suspensam per regiam civitatem deferri ante funus præcone prævio clamante: [Saladinus Asiæ dominator & dominator, ex tanto regno, tantisq; opibus nihil aliud secum fert, nisi hoc quod videtis.] D. Augustinus unà cum matre Monica Romā progressus, & Imperatorū sepulchra ingressus, conspiciens Cæsaris recenter tumulati cadaver, in hæc prorupit verba: *Ubinam est ô mater, tam præclarum Cæsaris corpus? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus deliciarum? ubi multitudo dominiorum? ubi caterva Baronū? ubi acies militum?* ubi cætera omnia quibus fulgebat, tumebat, cunctisq; hominibus præeminebat? Cui mater: *Fili hæc omnia sibi defecerunt, quando defecit spiritus ejus.* Eodē modo ratiocinandum est de quovis homine, aut divitiis opulenter locupletato, aut nobili prosapiâ nato, aut in dignitatibus constituto, aut supra solium regiū sublimato, aut infulis Pontificiis redimito, aut aliis fortunæ bonis inflato, & à pauperibus demissis subditis discriminato: *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus: quia cùm interierit non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria ejus.* Et ut te monet D. Augustin. explanans illud Davidicum: *Vides viventem, cogita morientem: quid hic habebat, attende; quid secum tollat, attende.* Vivens habebat nobilitatem, pulchritudinem, potestatem, dignitatem, divitias, splendida palatia, supellectilia pretiosa, horum nihil moriens defert: *Ecce enim ex eis nihil nisi soli cineres remanserunt.* Neque plus in morte defecerunt divites & Reges, quàm miseri & egeni cunctis bonis depauperati. Et ob hanc causam funera nūcupantur exequiæ, quia mors cunctos adæquat homines tātoperè in vita discriminatos: *Nescit natura divites, quæ omnes pauperes*

Tert. l. de Ref. Car. 44

Platin. in Vit. Cœlest. 3

Serm. 38 ad Frat.

Ps. 48

D. Aug. Ser. 13. de Adv. Dō. ad Judic.

D. Ambr. Serm de Nab. c. 1

generat. Principes & Reges nascuntur egeni, egeni quoque moriuntur; nudi egrediuntur de utero matris, nudi iterum ingrediuntur sepulchrū: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Seu, ut expendit D. Ambrosius: *Nudi omnes nascimur, nudi omnes morimur.* Cuncti mortales humanam carnē depretiant: *An aliud prius vel magis audias tam ab hæretico, quàm ab ethnico? & non protinus, & non ubique convitium carnis, in originem, in materiam, in casum, in omnem exitum eius? immunda à primordio ex fæcibus terræ, immundiora deinceps ex seminis sui limo, frivola, infirma, criminosa, onerosa, molesta? & post totum ignobilitatis elogium, caducæ in originem terram, & cadaveris nomen: & de isto quoque nomine perituræ in nullum jam inde nomen, & in omnis jam vocabuli mortem?* Nihil melius ad deprimendam mortalium vanitatem: omnes enim ex æquo sunt compositi ex carne ignobili, molesta, infirma, immunda, caduca; omnes ex æquo cadunt per mortem, & cadaver putridum efficiuntur; omnes ex æquo in nullum jam inde nomen deveniunt. Superbos namque amittunt titulos Senatoris, Baronis, Marchionis, Ducis, Principis, Regis, Pontificis, omnique moriuntur vocabulo, mortui namque desinunt esse, quidquid dum viverent, vocabantur, suntque jam nihil: *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Deficient opibus, voluptatibus, honoribus, cunctisque bonis quæ eis ex fortuna acciderant, & convertentur in pulverē suum qui ad omnes homines indiscriminatim pertinet, siquidem mors cunctos æqualiter in pulverem immutat.

Job 1. 6 Exam. 8. l. de Ref. Carn. c. 4. Psal. 103.

3. *Cadere ergo dicimus corpus in terram per mortem: sicut & res ipsa testatur ex Dei lege. Corpori enim dictum est: Terra es, & in terram ibis.* Cuncta mixta resolvuntur in elementa, ex quibus fuerunt composita: *Ita quod de terra est, ibit in terram.* Cuncti homines cujusvis conditionis sunt ex terra materiati, itaque in terram redeunt: *Omnes aquæ in mare revertuntur, & omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur.* Omnes aquæ in mare revertuntur, quia à mari exeunt: omnes homines in terram convertuntur, quia eorum corpora suam à terra sumpserunt originem; quapropter homo definitur à Gregorio Nysseno: *Terrea statua, mox pulvis futura.* Figura & valor fictilium non obstat quin sint lutea & fragilia. Sume tibi statuam terream, pinge, deaura, orna illam quantumlibet volueris ejusmodi colores, ornamenta aurea non destruunt terream ejus naturam, neque adimunt fragilitatem. Quot sunt in mundo homines, tot sunt statuæ luteæ, & quantumvis fortuna illas pingat, deauret ornet, sunt tamen ex æquo terreæ, fragiles in pulverem resolvendæ: *Lutea statua mox pulvis futura.* Statua, quam Deus Nabuchodonosor ostendit, erat ex auro, argento, ære, ferro & luto composita, illam indestructibilem & æternam existimavit Rex, utpote pretiosis & duris metallis coadunatam: at magno fuit attonitus stupore conspiciens magnam illam statuam à parvo lapide in momento destructam: *Contrita sunt pariter ferrum, terra, æs, argentum, & aurum: & redacta quasi in favillam æstivæ areæ.* Valor argenti & auri, durities æris & ferri, non magis restitit, quàm fragilitas

Tert l. 5 adv. marc. 9. Tert. ib. Eccles. 41. l. de Beat. Orat. 4. Dan. 2.

terræ & luti, cuncta ex æquo sunt in favillam redacta, & à vento dispersa. Rerum diversitas ex quibus illa componebatur statua, denotat varias hominum cōditiones: nonnulli sunt aurei, nempe reges inter mortales, (non secus ac aurum inter metalla) primum nobilitatis & dignitatis locum tenentes, quidam argentei, scilicet divites, argento & divitiis opulenter locupletati; alii ærei, ut superbi, qui in honoribus & dignitatibus constituti resonant vanitatem; isti sunt ferrei, nimirum qui castra sequuntur, de sua fortitudine adeo præsumentes, ut nihil sibi posse resistere existiment. Lutum pauperes & subditos significat, qui non secus ac terra, aliorum pedibus conculcantur: attamen *contrita sunt pariter ferrum, terra, æs, argentum, & aurum: & redacta quasi in favillam æstivæ areæ.*

Quandiu aquæ fontium, rivorum, fluminum, existunt extra mare, sunt variæ in colore, sapore, pondere: at dum in mare reversæ sunt, & suo centro unitæ, nulla est inter illas varietas, sed sunt ejusdem coloris, saporis, & ponderis: Quandiu homines vivunt magna est inter illos fortunæ diversitas: at statim ac mors dominata est eis, convertuntur in pulverem ejusdem coloris, valoris & ponderis; nobiles, potentes, divites, principes, sitis quantum volueritis superbia inflati, *Redigentur in lutum cervices vestræ:* seu, ut alii legunt, *supercilia vestra:* honores, gradus, dignitates, potestates, quibus tumetis. *Habes ex isto fomite æstuantem magnum regem sola gloria minorem.* Loquitur de Alexandro Macedone, ob varias victorias reportatas elato, nimisque propter felicem belli successum tumido. Hujus vanitatem ut dejiceret quidam Philosophus exhibuit petram talis naturæ ac proprietatis, ut posita in una bilance superaret quodcumque pondus in altera bilance positum; verum mox ut ei superponebatur tantillum cineris, evadebat levissima, & altera bilanx præponderabat. Lapis ille potentissimum denotat regem, qui quandiu vivit cunctos alios in pondere & dignitate superat: at mox ut efflavit animam, mox ut ei superpositus est cinis, cæteris hominibus non præponderat; cinis illum cum suis subditis adæquat. Idcirco D. Ambrosius ut tumentem dejiciat, illum mittit ad mortuorum sepulchra. *Respice in sepulchra hominum, & vide quid ex te nisi cinis & ossa remanebunt, hoc est ex corpore tuo. Respice, inquam, & dic mihi quis dives & pauper sit, discerne inopes ac potentes;* quia, ut fatur D. Chrysostomus, *cum omnibus vermes rationem ponunt.*

Job. 15
Tert. l. de Pall. 4.
D. Paulin. l. de Mort. æter. & tempor. c. 1.
Lib. 6. Exam. 8.
Serm. de Annunt. apud Cōbefis.

Summopere exoptat Regius Vates, *ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Plerumque homines duplici laborant errore, existimantes se esse quod non sunt, & non cognoscentes id quod verè sunt: ignorant propriam naturam, & ad accidentia duntaxat respiciunt: *Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus eo quod est: sed adjicimus illi, & ea quibus adornatus est;* nimirum exteriora fortunæ bona: *Si vis veram hominis æstimationem inire, purum inspice: ponat patrimonium, ponat honores, & alia mendacia.* Hanc cognitionem in Eugenio summo Pontifice exoptabat D. Bernardus, quem obsecrat ut in eminentia dignitatis ad quam est sublimatus attente consideret se esse hominem. *Una sane consi-*

Psal. 9.
Senec.
Lib. 2. de Consid.

consideratio, quid fueris, & quis sis; & altera, quid sis factus. Quasi dicat: Duo in te sunt: unum naturale, aliud accidentale: A natura habes, quod sis homo, miser, fragilis, corruptibilis, mortalis; ex accidenti habes, quod sis summus Pontifex, Ecclesiæ caput visibile, Petri successor, Christi Vicarius. Quod habes à natura tuum est, quod habes ex accidente tibi datum est, sine quo natus es, & sine quo vivere potes; consulo tibi ut ita consideres illud quod es per accidens, ut nunquam divertas mentis oculos ab eo quod es per naturam. Illam suiipsius cognitionem suggerere nititur Ecclesia imponens cineres supra cujuslibet Christiani caput, quod est rationis sedes, qui si sapiat (ponet in

Thren. 3 pulvere os suum.) Juxta Rabani Mauri expositionem, *Ille in pulvere ponit os suum qui humiliter sentiens, fragilem se cognoscit: & de pulvere factum, iterum in pulverem reversurum fatetur*: Seu ut vult D. Ambrosius: *dabit in sepulturæ fossuram os suum*: attente considerabit se æque ac cæteri mortales moriturum, cunctis fortunæ bonis denudandum, & tandem in sepulchro in pulverem reversurum. Hac consideratione humiliter de se sentit, sese ad gratiæ susceptionem disponet, & strenue studebit virtuti, ut immortalem valeat assequi gloriam.

Serm. 10 In Ps. 118

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. de An. 51

Opus autem mortis in medio est, discretio corporis animæque. Hoc tamen opus mortis plerique non recogitant. Homines nonnulli se immortales & semper victuros existimant; quidam se diu victuros sperant; alii tandem, se horam mortis conspecturos credunt. Adversus tres illos errores, tres fulciendæ sunt veritates, stabilienda est certitudo mortis adversus eos qui se immortales existimant: proximitas mortis, adversus eos qui se diu victuros sperant: incertitudo horæ mortis adversus eos qui hanc horam se prævisuros temerarie præsumunt: Homo itaque est 1. certo moriturus: 2. brevi moriturus: 3. nescit horam, qua est moriturus.

I. PARS. Tert. l. de Res. Car. 18

Nulla mors non ruina membrorum est. Quamvis mors non secus ac ruina membrorum cunctis sit communis hominibus: nam *quis est homo qui vivet & non videbit mortem?* attamen ut moralis etiam animadvertit Philosophus, *inter cætera mala hoc habet stultitia, semper vivere.* Adversus insanientes illos mortales Deus per os Esaiæ maledicta vibrat: *Væ coronæ superbiæ, filiis Ephraim, flori decidenti.* Quod si hujusmodi maledictionum sciscitentur causam, respondebit Propheta. *Dixistis enim, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* Quantum vero decipiantur & stultescant, inde patet

In Ps. 30 quia, ut fatur D Augustinus, velint nolint necessario morientur. *Mori necesse est, & nemo vult: Nemo vult quod necesse est: Nemo vult quod erit velis nolis. Dura necessitas, nolle quod non potest vitari*; ut constat ex 1. irrevocabili Dei sententia; 2. fidei & rationis notitia: 3. quotidiana morientium experientia.

1. Reco-

1. *Recogitemus mortem ex Dei lege: idque omnium esse debitum.* Cæsar Augustus Perusia capta, cunctos miseræ hujus urbis cives damnavit ad mortem, orantibus autem veniam, seseque excusare conantibus, dixit, *Moriendum est.* Quod Perusinis Augustus, idipsum nobis Deus: *Statutum est hominibus semel mori.* Statutum est nimirum fixo, immobili, & indispensabili Dei decreto. Nam ut fatur Ecclesiasticus, *Testamentum hujus mundi est, morte morietur.* Post latam divina lege sententiam de certitudine mortis, nullus est dubitandi locus, & qui divino huic non acquiescunt decreto, insaniunt.

Tert. l. de Monom. 9
Suet. in Aug c. 15.
Heb 9 14

Nunc ad originem, id est ordinem mortis. Fuse demonstratum est ex Tertulliano Deum non esse mortis authorem. *Et quamvis sufficiat illa sententia qua dicit, Deus mortem non fecit; quare eam tam trucem, tam crudelem, tam immitem, nonnulli à Deo velint esse conditam, scire non possum. Nemo sine piaculo æstimat tam pium, tam bonum Deum, mortem creare potuisse: cujus universus mundus dolore continuo gemitu, lachrymis, accusat & detestatur authorem. Si mori etiam penes homines est criminum pœna, quo ausu concreata homini & pœna ante creditur innocenti, insita esse quam vita?* Eloquenter simul & acute Chrysologus demonstrat Deum non esse mortis authorem; quod ipsemet Christus declarat interrogans Judæos ubinam posuissent Lazari corpus; eos autem interrogat non quasi ignorans sepultum in terra, sed ut inde docendi originem mortis ansam sumeret. *Ille sic interrogans exigebat fidem, scientiam porrigebat, ut adstantes scirent, quod mors, quod sepulchrum, quod corruptio, quod putredo, quod fœtor non ex conditione Dei, sed ex delicto hominis, hominibus accessisset. Nam cum dicit, ubi posuistis eum? mulieres increpat, mulieres arguit, hoc est quem ego posui in paradiso, in regione vitæ, ecce vos ubi posuistis eum?* Diabolus sua invidia, mulier suis blanditiis primum hominem ad peccandum allexit, & homo peccando sibi suisque posteris mortis statum attraxit. *Quare mortem ab uno & primo homine esse posteris acquisitam, insinuare & approbare evangelica laborat auctoritas.* Quod quomodo factum sit, belle declarat D. Augustinus: *Mortis originem si quaramus, pater mortis peccatum est: si enim nunquam peccaretur, nemo moreretur. Legem Dei, hoc est præceptum Dei, homo primus accepit, ut si servaret, viveret: si corrumperet, moreretur. Non se credendo moriturum, fecit unde moreretur; & invenit verum fuisse quod dixerat qui legem dederat. Inde mors, inde mortalis:* Inde secuta Dei sententia lata adversus Adamum ejusque posteros, quod credere debent Christiani, si velint à veritate deficere. Nam ut concludit D. Augustinus; *constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati.* Mors quæ est pœna originalis peccati, cunctos homines ferit, ut fidei & rationis notitia demonstratur.

Tert. l. de An. 50.
Sap. 1
Chrysol. Ser. 112.
Chrysol. Serm. 64
Chrysol. Ser. 112
Ser. 141. de Temp.
Lib. 13. Civ. 15.

Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate. De pacto & conditione morimur; nascimur sub conditione moriendi, & contractus vitæ sub lege mortis initus est; quia *ita nati sumus, ut necessario moriendum est.*

Tert. l. de Car. Chr. 6.
D. Aug. l. qu. in Jos. qu. 2

Magnum

Magnum est discrimen inter has propositiones, *non posse mori, posse non mori, & non posse non mori*. Prima propositio pertinet ad Deum, Angelos & Animas rationales, sed longe diversa ratione. Deus nullo modo potest mori, quia vita & immortalitas ei essentialiter competit: Angelus & anima rationalis non possunt mori, non quia eis immortalitas essentialiter competit, sed quia sunt entia spiritualia absque ulla materia, quæ est principium corruptionis. Secunda propositio primos parentes spectat, quandiu enim fuerunt in statu innocentiæ poterant non mori; quia justitia originalis præstabat eos immortales, qua per peccatum deperdita, donum illud immortalitatis perdiderunt, mortalesque effecti sunt, non secus ac eorum posteri, quibus tertia propositio competit, quia non possunt non mori; sed necessario moriuntur: *per collegium transgressionis*; quia scilicet in Adam peccaverunt: *per consortium mortis* in pœnam scilicet peccati; quomodo Christus *pro nobis mortem, id est peccati pœnam sine peccato subire dignatus est*: ex lege nativitatis *non enim mori solet, nisi quod nascitur*. Qua ratione Christi nativitatem ex ejus morte adversus Marcionem probat Tertullianus; *Si propter id quod moritur mortuus est Christus, id autem moritur, quod & nascitur; consequens erat, imo præcedens; ut æque nasceretur propter id quod nascitur; quia propter idipsum mori habebat, quod, quia nascitur, moritur*. Vel tandem ob constitutionem humanæ naturæ: quod enim contrariis adunatur absque miraculo semper subsistere nequit: homo autem est *diversitatibus corporatus*, habetque in suo corpore contrarias elementorum qualitates, unde sicut in statu innocentiæ pax elementorum conservasset hominum vitam, ita post naturæ corruptionem eorum dissidium cunctos homines morti mancipat, ut quotidiana morientium experientia patet.

Tert. l. de Res. Carn. 49. Tertull. D Aug. l. de Ver. Innoc. c. 213. Tertull. Ibid. Tert. l. de Pall. 2

3. *Ipsa morte coram*. Nemo nisi mentis inops mortis certitudinem potest in dubium revocare. *Mors cum statu viventibus sit amara, statu turbat ipso exitu, plus conturbat exemplo: mortuum quot iens quis viderit, totiens se morti ejulat destinatum*. Si sciscitemur à D Chrysostomo, cur Deus non præcepit Adamo ne comederet de pomo vetito sub pœna inferni, potius quam sub pœna mortis; respondebit quia cognoscimus infernum per fidem, non per rationem, aut per sensuum notitiam: ratio etenim concipere nequit quomodo peccatum unius momenti æterna puniendum est pœna: sensus quoque gehennæ tormentis adversantur, censentes in suppliciis violentiam non posse compati cum diuturnitate: at mortis certitudinem, non solum fides sed etiam ratio, imo & sensus comprobant. Fides cujus depositio est infallibilis, mortis testatur veritatem: Ratio quæ agnoscit in humanis corporibus contrarias elementorum qualitates, mortis demonstrat necessitatem; Sensus quoque qui intuentur cadavera absque ullo motu, & putridum eorum afflant odorem, mortis proclamant certitudinem.

Tert. l. de An. 1. Chrysol. Ser. 64.

Verum licet nihil videatur certius quam esse omnibus aliquando moriendum: multi tamen se nunquam morituros existimant: *Nihil imprudentius fingi*

Senec. Ep. 121.

fingi potest, quam si putre corpus sortiri, aeterna tamen proponamus. Fides homines de terra factos in terram reversuros pronuntiat; fides interitum infallibilem asseverat: Ratio corporum dissolutionem demonstrat: Oculi mortuos quotidie intuentur non modo senes, verum etiam adolescentes, puerulos etiam lacte nutritos, aliosque cujusvis sexus & conditionis. Sapiens alta voce proclamat: *Nemo est, qui semper vivat*; & tamen post latam Dei sententiam, post infallibilem fidei notitiam, post evidentem rationis intelligentiam, post Sapientis doctrinam, post sensuum experientiam; plerique adeo stultescunt ut sese immortales existiment. Eccles. 9

Quod si quandoque cum quis coram ipsis moritur *adhuc funere cadente, adhuc mediante morte, corpore adhuc praesente* recogitant se morituros, haec cogitatio statim evanescit, illam subito propellunt: *Sed cum efferuntur mortui, cogitatur mors & dicitur, vae misero mihi: talis heri ambulat, aut ante septem dies illum novi: illud atque illud mecum locutus est, nihil est homo, nempe curat illa: sed forte cum mortuus plangitur, cum exequiae praeparantur, cum effertur, cum itur, cum sepelitur; sepulto autem mortuo etiam talis cogitatio sepelitur: recedunt istae curae mortiferae, obliviscitur quae dudum dixerat, de successione cogitat decessurus, reditur ad fraudes, ad rapinas, ad perjuria, ad violentiam, ad infinitas corporis voluptates.* Similes sunt lethargicis qui à somno clamoribus, motibus, percussionibus tantisper excitati, debili intuentur vultu, imperfecte audiunt sermones loquentium, unoque aut altero verbo indistincte prolato, ad pristinum redeunt soporem. Non absimiliter homines qui sese nunquam murituros censent, si interdum praedicatores magna voce de more concionantes eos à lethargico somno excitant, si interdum aperiunt oculos & conspiciunt morientes coram ipsis; si interdum tympana pro defunctis sonantia audiunt: haec omnia sensus duntaxat externos feriunt nec penetrant usque ad internas animi potentias: aut si illa considerant solum transeundo considerant, periitque memoria eorum cum sonitu. *Quid istuc, quaeso, quid istuc est? nihil ita quotidie homines ut mortem vident? nihil ita obliviscuntur ut mortem.* Verum si qui se immortales existimant, insaniunt, non magis sapiunt qui se credentes mortales, censent diu victuros.

Chrysol. Serm. 6. D. Aug. Ser. 55 de Res. Dom. Eucher. Epist. Paraen.

Megarenses aedificant quasi nunquam morituri: & plures Christiani sic agunt quasi longò tempore sint victuri. Dum vigesimum attingunt annum, tunc, inquiunt, nasci incipiunt; quando sunt quinquagenarii, se in medietate tantum vitae proclamant; septuagenarii se adhuc in juventutis flore decantant: & quando alicujus mors ad eos pervenit, hoc nuntio nullatenus moventur; nec mirum ajunt, si talis est fato functus, quia aut senex erat, aut incurabili morbo laborabat; aut negotiorum pondere oneratus occubuit, aut ab inimico interfectus fuit: nos vero nullos habemus hostes, neque sumus implicati negotiis, neque ullo laboramus morbo, sumusque adhuc juvenes. Verum quantumvis sese diu victuros existiment, *omnis vita humana brevis est*: quia 1. finem habet: 2. crastino caret: 3. instans solummodo temporis cōtinet.

II. PARS. Tertull. Apol. 39. D. Aug. Serm. de Verb. Apo

Tert.l. de An.46 Ser.5. de Verb.Apo D.Aug. l. 50. Hom. hom.1

1. *Nulla longa mora ejus quod eveniet*: quia, ut ait D. Augustinus, *quantumlibet diu differatur, veniet quod differtur.* Inde humanæ vitæ colligit brevitatem: *Separatio mentis à carne quandoque ventura est; propter brevitatem vitæ nunquam longe est. Quantum est autem in hac vita longum, quod erit aliquando finitum? & quod erat longum erit nullum; quia quando erat, non stabat; & quando producebatur, non augebatur, nec addendo crescebat, quia veniendo recedebat.* Vita dum venit recedit; dum accedit fugit; dum propius videtur appropinquare, longius distat: & tandè omnino evanescit: *Nec prius incipit augeri ætas nostra quam minui; si quid adjicitur spatij temporalis, non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat.* Primi parentes senescentes inceperunt mori prima die qua peccaverunt, licet postea multum vixerint.) Adam vixit nongentis triginta annis, Seth nongentis septuaginta duobus annis, Mathusalem nongentis nonaginta annis: ejusmodi spatium quod longum nobis videtur nihil est: *Nihil enim sunt dies nostri.* Hominis vita longa nequit dici, quia necessario finem habebit: & quantumvis ad plures extendatur annos, hi anni aliquando nihil erunt. Dies quæ præteriit, nihil est: ante Dominum *mille anni tanquam dies hesterna quæ præterijt*; mundi duratio longior est vita cunctorum hominum, adeo tamen brevis apparet Apostolo, ut eam unum dumtaxat censeat diem. *Adhortamini vos per singulos dies donec hodie cognominatur.* Apostolo adhærens D. Ambrosius hanc sententiam confirmat verbis ipsiusmet Christi operarios desides redarguentis. Quid hic statis tota die otiosi? *Diem vocat omnia tempora mundi.* Mundi durationem magis adhuc abbreviat Propheta Evangelicus, quam momentum duntaxat nuncupat. *Abscondere modicum donec transeat indignatio*: quod D. Hieronymus de toto tempore usque ad ultimum judicium intelligens, concludit: *Nihil longum est, quod finem habet.* Brevissima igitur est humana vita, finem habens, & crastino carens.

D Amb. l. de Vocat. Gent. c.8. D.Thom. 22 q.164. a.1.ad 2. Job.7 Ps.89 Hebr.3 Matth.20. Lib. de Fid.& res. Cap. 20

Tert.l. de Orat.6

2. In Oratione Dominica erudit nos Dominus postulare panem nostrum quotidianum. *Merito autem adjecit, da nobis hodie, ut qui præmiserat; Nolite de crastino cogitare*: plerique tamen Christiani, Domini despicientes documenta, de crastino nimium sunt solliciti: & hoc quia sese diu victuros considerant. Hoc errore decepti, castella ut dicitur ædificant in Hispania, figmenta configurant, pro futuro multa decernunt; Ejusmodi domum inquiunt, struemus, hæreditatem adipiscemur, officia in justitia ememus, his imperabimus copiis: & ut fatur Philosophus Moralis, *de partibus vitæ omnes deliberant, de termino vitæ nemo deliberat.* Recogitant quid facient in juventute, quæ negotia tractabant in virilitate, quanam potientur fortuna in senectute. Antequam genuerint prolem, de ejus educatione loquuntur; mox ut nati sunt filii, de tota illorum vita disponunt: nonnullos Ecclesiæ vovent, quosdam negotiationi addicunt, alios armis mancipant, cæteros justitiæ decernunt: de eorum matrimoniis, & officiis tractant, illosque vocant Equites, Abbates, Monachos, & ut obplorat Tertullianus, *sed posteritatem recogitant Christiani, quibus crastinum non est.*

L.de Exh. Cast. 11.

Refert

Refert Isiodorus Clarus inveniri in Græcia juxta fluvium Hipparis animalculum Hephemeron nuncupatum, quatuor pedes & tot alas habens, cujus vita ultra unum diem non protenditur, & tamen ita de ea conservanda est sollicitus, ac si multis sæculis deberet vivere. En verum specimen stultitiæ plurimorum Christianorum: Quos insequitur etiam Gentilis: *Tanquam semper victuri vivitis; nunquam vobis fragilitas vestra succurrit, omnia tanquam mortales timetis, omnia tanquam immortales concupiscitis.* Nam diu vivere præsumentes, totum suum adhibent studium, in sectandis honoribus, captandis voluptatibus, comparandis opibus: dicentes cum insaniente illo: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, ede, bibe, quiesce, lætare:* Hos de stultitia redarguit Philosophus Moralis: *Quam stultum est ætatem disponere! nec crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longa inchoantium: emam, ædificabo, credam, exigam, hæc res geram, tunc demum lassam & plenam senectutem in otium referam.* Ite nunc mortales, erigite familias, titulos, palatia arces æternas credite cras morituri: *Ecce nunc qui dicitis; Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino:* Mors ultimum vitæ vestræ actum claudet, cum ad mortalitatis finem venerit, finis pariter erit fictitiarum cogitationum vestrarum. Audite Apostolum qui ut vos ad temporalium contemptum inducat, vobis vitæ objicit brevitatem: *Reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Vide consequentias quas infert Apostolus ex isto antecedente: *Tempus breve est:* seu ut legit Tertullianus: *Tempus in collecto est, superest, ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes, agant:* adeo collectum & breve est tempus, ut unum duntaxat instans seu momentum contineat.

Senec. l. de Brev. vit. c. 4

Luc. 12

L. 17. Ep. 102.

Jacob. 4

1. Cor. 7.

Lib. 2. ad Ux. 5

3. Inter Gentiles nonnulli sapientes, *Saturnum interpretantur tempus, & ideo falcatum; quia tempore omnia dirimuntur, & ideo voratorem suorum, quod omnia in se edita, in seipsum consumat.* Cuncta temporalia tempora mensurata devorantur & consumuntur à tempore, ut fatur D. Augustinus: *Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur.* Quod ipsi etiam fatentur reprobi, qui dum essent in sæculo se diu victuros falso crediderunt: *Nos nati continuo desivimus esse.* Quatuor nobis his verbis innuunt. 1. Vitæ exordium esse etiam mortis initium, & ut ait nonnemo: *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.* 2. Quod vita potius est mors dicenda quam vita; quia *quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars vitæ, & nunc quoque cum crescimus vita decrescit, hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus.* 3. Vitam nostram nihil habere stabile, sed esse in continuo fluxu & motu constitutam: nam ut subjungit D. Augustinus: *Isti vero dies non sunt, ante abeunt pene quam veniant; & cum venerint, stare non possunt: jungunt se, sequuntur se, & non tenent se:* propulsant & excludunt se. *Vita ipsa morti similis est, dies ipsi properantes transeunt, quod hodiernus dies externum exclusit, crastinus ideo nascitur ut excludat hodiernum.*

Tert. l. 2. ad Nat. 12.

Ps. 38

Sap. 5

Sen. ep. 24

D. Aug. Ser. 39. de Verb. Dó.

4. Vitam nostram non posse dici longam, quia in momento consistit: & ut fatur Philosophus Moralis; *in puncto fugacis temporis dependet.* Tres adnumerantur temporis differentiæ: præteritum, futurum & præsens. Præteritum non est longum, quia amplius non est; futurum non est longum, quia nondum est; præsens non est longum, quia in instanti situm est. *Non dicimus tempus futurum longum quod non est, sed futurum longum, quia longa expectatio futuri est. Nec præteritum longum quod non est, sed longum præteritum, quia præteriti longa memoria est: nec præsens dicitur longum, quia caret spatio, & in puncto præterit.* Itaque vitæ nostræ longitudo in puncto & adhuc transeunte consistit. Quod probe scientes Hebræi vitam & mortem, per eundem terminum *methin* significant, cum hoc solo discrimine quod dum denotat vitam punctum superponunt, non vero dum mortem denotat: unde secundum Hebræos vita à morte puncto duntaxat discriminatur. Quod innuit etiam Sapiens, dum ait: *Omnia tempus habent & suis spatiis transeunt universa sub sole: Tempus nascendi, & tempus moriendi.* Non loquitur de tempore vitæ, nullum spatium admittit inter nativitatem & mortem: quia ut ait Gregorius Nicenus, humana vita adeo est brevis, ut dies mortis esse videatur: *Ista vita mors esse convincitur, quæ tanta mutabilitate variatur, nulla stabilitate firmatur, & cursu brevissimo terminatur.*

D. Aug. l. 11. Conf. c. 28
Ecclesi. c. 3
D. Aug. Ser. 6. de Cóm. Sct.

Christiane, *memento quod mors non tardat:* Tigurina lectio vertit: *Memento mortem moram non facere.* Noli longam tibi promittere vitam. Profecto *breves dies hominis sunt*; & adeo breves, ut auctor[illegible] cunctas res adducant velocissimas & cito transeuntes ad eorum denotandam brevitatem. Regius Vates proponit umbram: *Dies nostri velut umbra prætereunt.* Sapiens vestigium nubis. *Transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis.* Samuel aquam fluentem: *Omnes morimur, & tanquam aqua dilabimur.* Jacobus Apostolus vaporem. *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* Job vero Propheta purum nihil: *Nihil enim sunt dies mei.* Post tot Scripturæ testimonia, potestne homo sanæ mentis credere se diu victurum? Ea est tamen multorum stultitia ut mortem à se longe distantem intueantur. *In hoc fallimur, quod mortem prospicimus.* Oculi non bene discernunt objecta quæ conspiciunt de longe: bellua illis videtur homo, & magna navis, exigua velut musca apparet. Mors à longe spectata, non regulat vitam, neque à vitio dimovet, & ad virtutem adducit. Sapienter nobis præcipit Christus, ut postulemus panem non crastinum, sed hodiernum: *Hoc enim dicto & avaritia tollitur, & humana vita insinuatur incertum: Oramus quotidianum panem, quia crastina dies, quid pariet, ignoramus.* Ut ex Parabolâ hominis sibi longam vitam pollicentis comprobat ipsemet Christus: *Cui rei parabolam quoque accommodavit Filius hominis. Qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longa securitatis spatia cogitarit, in ipsa nocte moritur.* Idipsum pluribus aliis accedit *cum enim dixerint; Pax & securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus.* Spe longæ vitæ freti mortis non sunt memores, sed pro longo tempore multa in sua cogitatione disponunt. Ut enim ait D. Augustinus:

Ecclesi. 14.
Job 14
Sap. 2
L. 2. Reg. 14
Cap 4
Cap. 7
Senec. Ep. 1
D. Aug. Serm. 226 de Verb. Dom.
Tert. l. de Orat. 6
1. Thessal. 5

Ecce

Ecce dum libenter ac jucundissimè moratur homo in mundo, multaque in longa tempora disponit agenda, repentè rapitur in morte, improviso aufertur à corpore quia nescit homo diem, neque horam qua moriturus est. Serm.13. de adv. Dom. ad Jud.

Novissimè ignorare melius est, ne quod non debeas, noris; quia quod debeas, nosti. Nihil est certius morte, nihil est incertius horâ mortis; notitiam mortis fides, ratio, & experientia nobis ingenerant: horam mortis nec fides, nec ratio, nec sensuum experientia nobis demonstrant: *Necesse est ut moriamur, sed quando, nescimus; pœna certa est, hora incerta.* In hac materia trinâ laboramus ignorantiâ, nescimusque mortis nostræ 1. exitum seu modum. 2. locum. 3. tempus seu spatium. III. PARS Tert. l. de Præscr. Hæret. 14 D. Aug. Ser. 21. de Verb. Dñi.

1. *Etsi varij exitus mortis, ut est multimoda conditio causarum*: attamen, ut benè animadvertit Tertullianus, mortem *seposita quæstione fatorum & fortuitorum, bifariam distinxit humanus affectus; in ordinariam, & extraordinariam formam. Ordinariam quidem, natura deputans, placidæque cujusdam mortis; extraordinariam verò, præter naturam judicans, violenti cujusque finis.* Multi quidem moriuntur morte naturali & ordinariâ, sed multò plures morte accidentali, extraordinariâ, & violentâ. Quot milites in bello enecati? quot scelerosi capitis pœnâ mulctati? quot viatores à latronibus interempti? quot navigantes in aquis sepulti? quot veneno toxicati? quot fortuito & funesto aliquo casu oppressi? Nonnulli moriuntur apoplexiâ, ut Carolus Octavus Galliarum rex, quidam peste, ut S. Ludovicus; alii quodam opprimuntur pondere, ut Pirrhus in urbe Argos; alii in dolio meri pleno, ut Georgius Clarentiæ dux; quidam in terra sepeliuntur vivi, ut Dathan & Abiron; quidam in aqua merguntur, ut Federicus Imperator; nonnulli in aëre efflant animam, ut Absalon in quercu suspensus; alii ab igne consumuntur, ut Valens Imperator; quidam præ tristitia moriuntur, ut impius rex Antiochus; alii præ gaudio, ut Chilon Spartiata conspiciens filium in ludis Olimpicis victorem; nonnulli ex fletu, ut Heraclitus; isti ex risu, ut Zeuxis intuens Hecubam deformitate horribilem depictam. Jovianus Imperator mortuus est comedens, Archelaus bibens, Sisara dormiens, Ladislaus rex Neapolitanus cum pellice congrediens, Matthias Corvinus Hungariæ rex nuptiarum suarum festum agens: Claudius Imperator fuit ab Agrippina uxore toxicatus, crudelis Herodes à vermibus consumptus, Boleslaus à muribus devoratus, Valerianus Imperator pelle decoriatus, Carolus I. Angliæ rex decollatus, & innumeri alii morte violentâ quotidie pereunt. Hos, aliosque *varios exitus mortis ediximus*, ut constet homines ignorare modum mortis: quis enim potest scire quo genere mortis intereat in hoc seculo, ubi amicus amico insidiatur, frater fratrem trucidat, uxor maritum toxicat, filius parentibus necem parat; ubi sive comedentes, sive bibentes, sive dormientes, sive stantes, sive ambulantes, semper de vita periclitamur, & nescimus in quo loco moriemur? Tert. l. de An. 52 L. 1. Machab. 6 Tertull.

2. Varios agnoscimus *& vitæ modos, & exitus mortis*, ignoramusque non Tert. l. de An. 52

ſolùm genus mortis,ſed etiam locum in quo moriemur; an in veteri mundo,vel in novo;ſupra terram,vel ſupra mare;in urbe,vel ruri. Magellanus in terra auſtrali periit, Sebaſtianus Portugalliæ rex in Africa. Craſſus Romanus in Aſia inferens Parthis bellum, Amanus in patibulo, Julius Cæſar in medio ſenatu,& plures alii quotidie extra ſuas domos vel in mari naufragantur, vel itinerantes à latronibus trucidantur, vel villas & patrimonia peragrantes ab hoſtibus interficiuntur,vel in venatione à feris enecantur,ut exemplo comitis de Serin apparet noviſſimè ab apro enecati, vel alio fortuito caſu,improvisè domi vel foris pereunt. *Neſcis quo loco mors expectat, tu eam in omni loco expecta.* Viator de nocte iter neſciens, & bivium in denſo nemore inveniens, nonne debet metuere ne loco recti itineris deviet,& vel in præcipitia decidat,vel inter latronum manus incidat? En verum ſpecimen hominum, qui in ſeculi tenebris ambulantes, neſcienteſque quò vadunt, de ſua ſalute periclitantur: *Neſcit homo finem ſuum ſed ſicut piſces capiuntur hamo,& ſicut aves laqueo comprehenduntur ſic capiuntur homines in tempore malo*, ignorantes tum locum,tum ſpatium,& tempus mortis ſuæ.

Seneca.

Eccleſ.9

Tert. l. de Reſ Car. 48

3. *Omni horâ periclitamur.* Nullum eſt tempus,nullus dies,nulla hora,nullum momentum,in quo ſimus certi de vita, cunctis momentis,horis,diebus, & temporibus morti ſumus obnoxii: & ob hanc rationem Philoſophus definit hominem animal rationale mortale, ut eum diſcriminet à cæteris animantibus non ſolùm per rationalitatem,ſed adhuc per mortalitatem. Nam licèt cætera animalia utpote ex materia & forma compoſita,ſint corruptibilia,& de facto moriantur; attamen tempus habent vitæ determinatum, ad quod ut plurimum perveniunt, niſi per violentiam eorum mors acceleretur: at homo nullum habet tempus vitæ & mortis determinatum: in quavis ætate moritur: *Ecce obijt infans ſub uberum fontibus, puta nunc puer inveſtis, puta veſticeps.* Si parentes verum dicere velint, fatebuntur ex pueris quos genuerunt,pluies eſſe fato functos,quàm viventes: nulla eſt ætas in qua homines immunes ſint à morte: mors juvenibus æquè ac ſenibus dominatur: & ſi poſtules à me,*quando perveniemus ad mortem: & hic dixerim,cùm Deus dederit*;tum vita,tum mors ab eo dependet,& ſicut *vita in voluntate ejus*: ita ex Regio Vate, *Domini Domini eſt exitus mortis.* Eſt axioma in Jure Civili poſitum,quòd *ubi tempus in obligatione non ponitur, præſente die debetur*, remque creditam poſtulare poteſt creditor. Vita eſt nobis à Deo credita abſque ullo determinato tempore; idcircò vita in voluntate ejus,illamque poteſt omni tempore,prout voluerit,repetere. Quod non ignorans Moralis Philoſophus quàmvis Gentilis,Chriſtiane,ait: *Tam debet eſſe mors juveni, quàm ſeni; non enim citamur ex cenſu,ſed depoſito.* Magnum ſanè eſt diſcrimen inter cenſum & depoſitum. Cenſus ſemel in anno debet ſolvi; at depoſitum ſemper debet reddi quovis tempore à domino repetatur. Vitam reddere tenemur non tanquam cenſum ſemel in anno aliquo tempore determinato, ſed tanquam depoſitum in omni tempore, quo illud requiret Deus, quod tamen nobis ignotum eſt.

Tert.l.de An.56

Tert.l.de An 46

Pſ.29

Pſ.67

Miſe-

Misericordia Dei est, quia nescit homo quando moriatur : Conveniens enim fuit tum peccatoribus, tum justis, ut dies & hora mortis esset incognita. Conveniens peccatoribus, ne majori licentiâ vitiis & sceleribus vacarent, sperantes in fine vitæ agere pœnitentiam. Conveniens etiam justis, ne in opere virtutis essent desides, remittentes fervorem charitatis ad vitæ terminum. Quapropter, ut subjungit D. Augustinus, *latet ultimus dies, ut omnes observentur dies.* Ad hanc observantiam & vigilantiam sæpè sæpius hortatur Dominus in Evangelio, ubi sese comparat modò furi, qui de nocte ingreditur domum; modò Domino, qui tempore somni venit ad servos exploraturus an vigilent. Deinde prodit parabolam virginum, quarum quinque exclusæ sunt, quia non sumpserunt oleum secum : deinde prodit homines, qui tempore Noë gulæ & lasciviæ indulgentes universali mundi diluvio perierunt. Tot adhibitis hortationibus & parabolis concludit : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*, semper sitis soliciti; &, ut fatur D. Augustinus: *Deus diem mortis incertum salubriter constituit, diem ultimum suum quisque salubriter cogitet*, sumatque exinde occasionem sanctam ducere vitam, & studiosè bonis vacare operibus : *Horam ultimam Dominus noster idcircò voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta : ut dum illam pravidere non possumus, ad illam sine intermissione preparemur. Quia igitur momentis suis hora fugiunt, agite fratres charissimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid sapiens Salomon dicat : Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. Quia ergo & ventura mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest ut ante mortem tempora indulta rapiamus: sic enim mors ipsa cùm venerit, vincitur, si prius quam veniat, semper timeatur*; & benè operantes in hac vita, fruentur in cœlo post mortem æternâ & immortali vitâ.

D. Aug. l. 50. Hom. hom. 13

Matth. 25

D. Greg. Hom. 13 in Evang.

Eccles. 9

CONCIO TERTIA.

Meditare utrùm commodius sit vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam.* Verùm multò melius est ire ad mortem per continuam ejus meditationem, quàm quòd mors subitò veniat ad nos, & imparatis nobis vitam adimat. Mors subitanea devorat vitam, non solùm quia animam separat à corpore, sed adhuc quia animam à Deo per peccatum mortale separatam æternæ morti mancipat; at jugi consideratione præventâ, *Mors devoratur à vita.* Quod si quæramus à Tertulliano *quomodo devoratur à vita*, respondebit : *dum recipitur & includitur in ipsam*; scilicet quando homines toto vitæ suæ tempore se mortales recogitant. Quod innuit Regius Vates ajens : *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Exoptat Pro-

Senec. ep. 26

Tert. l. de Res. Car. 54

Ps. 54

Propheta ut descendant in sepulchrum viventes per seriam sepulchri cogitationem, vultque non ut mors veniat super eos per dissolutionem animæ & corporis, sed ut veniat super eos quandiu vivunt tanquam præses quæ vitam regulet; tanquam domina passiones frænet, tanquam regina quæ malum prohibeat, & bonum imperet. Homines, super quos venit, & quibus dominatur mors, 1. à peccandi voluptate abducit. 2. à morte peccati ad vitam adducit. 3. ad virtutem, & ad benè operandum inducit.

I. PARS. Tert.l.de Spect.2 D. Aug. l. 2.de Gen. ad litt.8 Ps.72

Mortem stultus ut debitam non extimescit: sapiens autem timet inferni supplicia, quæ criminosam secutura sunt mortem: hoc autẽ timore correptus à peccatis voluntatem suam avertit; *Nihil enim sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Ex defectu timoris quem meditata mors ingenerat, homines habenas laxant peccatis: *quia nõ est respectus morti eorum.* D. Hieronymus vertit: *Non cogitaverunt de morte.* Chaldaica versio legit: *Non terrentur, neque conturbantur propter diem mortis suæ.* Quid inde sequitur? Videte consequentias à Regio Vate illatas: *Ideò tenuit eos superbia:* ideò luxuriantur, ideò avaritiæ student, ideò atrociora quæque perpetrant scelera, similes impiis illis, qui altari terga vertebant, quia versus Orientem injiciebant oculos. At quemadmodum qui orientem vitam conspiciunt, peccata committunt, ita qui occidentem vitam, nempe mortem intuentur, revocantur à cunctorum criminum originibus, scilicet 1. superbia. 2. luxuria. 3. avaritia.

Ezech.8

Tert. l. 4. adv Marc. 9. Gen.32 Eccles.10 Pet.Dam. Opusc.15 c 23 Tert. l. 2 de cult. fœm.4 Senec.ep. ad Marciam.10 D.Aug.in ps. 89

1. *Quantum ad gloriæ humanæ aversationem* nullum est efficacius motivum, quàm recogitatio pulveris, in quem redigentur corpora nostra. Jacob totâ congrediens nocte victor tandem evasit. At cur victoriam Jacob tam gloriosè reportat? Quia, ut ex Hebræo vertunt, fuit *pulvere in lucta conspersus.* Quandiu versamur in hujus vitæ tenebris, nobis est pugnandum, præsertim cum superbia, quæ, ut fatur Siracides, *initium omnis peccati est superbia.* Ut victores exeamus de certamine, conspersi pulvere luctari debemus: *Superbia spiritus inflat, sepulchrum ad mentem redeat: necessariò illic rigida cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos proculdubio pulveremque pensamus. Quid superbis terra & cinis?* Superbia ex natura corrupta *intrinsecùs pullulat*, exteriùs verò ex fortunæ bonis inflatur. Ne homo ex externis fortunæ bonis tumescat, *sæpè admonendus est animus amet ut recessura, imò tanquam recedentia*, cuncta honorum & dignitatum insignia; & ne superbiat de generis nobilitate, corporis venustate, ingenii acumine, aut altera naturæ dote, animo volvat quod de quovis homine asseverat Regius Vates: *Manè, id est, prius sicut herba transeat; manè floreat & pertranseat: vespere, id est, posteà decidat, durescat, & arescat. Decidat usque in mortem, durescat in cadavere, arescat in pulvere.* Cujus meditatione homo arcetur à voluntate lasciviendi.

Tert. l. de Pud: 15

2. *Ad interdictionem omnis impudicitiæ* non minus est efficax mortis meditatio, quàm ad deprimendum mentis tumorem: nam, ut fatur Vero-

nensis

nensis Antistes: *Non habet concupiscentia locum ubi mors timetur*; & ob hanc causam voluit Deus ut Moysis corpus sepeliretur in terra Moab juxta lascivum idolum Beelphegor, ut consideratio sepulchri Judæos dimoveret à libidine: *Libidinis incentivum continebis, si te moriturum cognoveris.* Hoc monitum tradit Moralis Philosophus amico suo Lucilio. Christianum quoque admonet D. Bernardus: *Si te luxuria tentat, si te libido ad peccatum incitat, objice tibi memoriam mortis.* Hac memoriâ munitus castitatem servans Tobias junior à dæmone, qui libidinosos septem Saræ maritos interemerat, illæsus evasit: *Opportunè itaque quem memoria mortis à carnali copula retraxerat, vivus invenitur, ut discamus nullo salubriori remedio carnalia coërceri, quàm sepulchro.* Homo à propria carne, quæ concupiscit adversus spiritum, ad libidinem sufflammatur, ad quam adhuc à muliebri pulchritudine incitatur. Ad extinguendum sufflammatū concupiscentiæ fomitem recogitet Christianus quòd Sodomorum luxuria *ignium meruit imbres*; & quòd in perenne divinæ punitionis monumentum *hactenus Sodoma & Gomorrha, & cinis omnia, & propinquitas maris juxta cum solo mortem vivit.* Et ne à muliebri venustate ad Venerem alliciatur, seriò recogitet quòd venustissima Jesabel adeo post mortem deformis evasit, ut fœtidum ejus conspicientes cadaver attoniti dicerent: *Haccine est illa Iesabel?* Et meritò tantam stupebant mutationem: Nam *quem non movet, cùm videt tantam speciem, tantam pulchritudinem, tantum decorem resolvi in pulveres, ossa dispergi, terram terræ mandari?* In aquis Zelotypiæ, quas hauriebat in lege Mosaica mulier de adulterio suspecta, miscebatur terra: terra quoque, in quam resolvenda est caro, est luxuriæ frænum: *Nec melius poterit caro luxuriosa domari, quàm qualis erit post mortem præmeditari.*

Ser 7. de Tentat.

D. Ambr. Serm. de Mort.

Tert. l. de Pall. 2

l. 4 Reg 9

D. Aug l. 4 de Symbol. 9

Num 5

D. Aug.

3. Christus Dominus *non occultavit cupiditatem & avaritiam lucri.* Avaritiam cum cupiditate conjunxit Salvator, quia sunt inseparabiles, imò sunt unum & idem: quia avaritia nihil aliud est, quàm *bonorum cupido.* Sanguisuga nuncupatur, quia ita appetit sanguinem, ut eo nunquam satietur, neque à vena, cui annexa est, nisi injecto cinere dimoveri potest. *Sanguisuga, duæ sunt filiæ: Affer, affer*; scilicet appetitus irascibilis, & concupiscibilis; nam neque irascibilis, desiderio vindictę; neque concupiscibilis, desiderio habendi, ullum unquam terminum ponit. Cinis necessarius est ad cohibendum irascibilis impetum: *Ira fortasse efferat animum, dirige protinus oculos ad sepulchrum: mox enim omnis amaritudo deponitur, dum quo furor humanus vergat, mens provida contemplatur.* Mortis memoriâ cohibitus fuit David, ne de Saüle hoste infensissimo & persecutore injustissimo sumeret vindictam: *Conspiciebat Saulem dormientem, ac de morte communi omnibus philosophabatur: somnus enim nihil aliud est quàm mors temporaria.* Neque minus necessarius est cinis concupiscibili, ad comprimendum insatiabile avaritiæ desiderium: quare Christus discipulis suis de effusione unguenti à Magdalena facta, mussitantibus dixit: [Quid molesti estis huic mulieri? mittens enim hæc unguentum hoc, ad sepeliendum me fecit.] Ubi D. Chrysostomus: *Disseruit Christus de sepultura*

Tert. lib. 2 ad Nat. 24

D. Aug. ep. ad Demetriad.

Prov. 30

Pet. Dam. Opusc. 15. c. 25

D. Chrysost. ho de David & Saule.

Matth. 26

tura sua, ut Iudam vel saltem mortis recordatione, à malo proposito suo deterreret: scilicet à concepta proditione, quæ originem ab avaritia duxerat. *Facilè contemnit omnia qui semper se cogitat moriturum*, finemque imponit insatiabili avaritiæ cupidini. Inde subjungit Petrus Damianus: *Avaritia stimulus incitat? ad sepulchrum præsto semper recurre, ibiq́; condisce: quia mortalitatis hujus incassum stipendia plura congerimus, qui iter ipsum quod pergimus, tam brevi spatio terminamus.*

D. Hier.

Christiane, si quodvis peccati genus vitare desideras, in sepulchrum, in pulverem, mentis conjice oculos, ad instar Prophetæ Job, qui postquam dixit: [Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum,] confestim subjungit: [Non peccavi;] quia mortis cogitatio, & sepulchri meditatio illum retinuit, ne in peccatum incideret: *Perfecta vita est mortis meditatio, quam dum justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt. Vnde scriptum est: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Vnde & beatus Iob, quia dies suos considerat breviari, & solum sibi superesse sepulchrum pensat, aptè subjungit: Non peccavi.* Adeò Climaco videtur efficax mortis meditatio, tum ad frænandum passionum impetum, tum ad vitandum quodcunque peccatum, ut dicere audeat: *Nemo memoriam mortis habens potest aliquando peccare.* Illam mortis memoriam Theodorus Studita nuncupat arcanum seu mysterium, quo nihil potentius ad scelus fugiendum existimat; sermonem enim habens apud suos eo die, quo Eudocinus, unus è Monachis, supremum vitæ egerat diem: *Si nos obitus fratris non refrænat, & quid tandem revocabit? si mortis arcanum minus erudit, & quid à noxijs affectibus compescet?*

Cap. 17

D. Greg. l. 13. Mor. 30

Grad 6 de Mē. mor.

Serm. 32

Dan. 16 Erat idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoræ sex. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis uxoribus, & parvulis, & filiis, qui fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & devorabant ea. Factum est igitur postquam egressi sunt illi, Rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribravit per totum templum coram Rege, & egressi clauserunt ostium, & signantes annulo Regis abierunt. Surrexit autem Rex primo diluculo, & Daniel cum eo: & tenuit Regem ne ingrederetur intrò, & dixit: Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sunt hæc. Et dixit Rex: *Video vestigia virorum, mulierum, & infantium.* Bel, id est, juxta D. Hieronymum, *Ventus*, nihil aliud est quàm humana vita: *Ventus est vita mea.* Rex Babyloniæ est concupiscentia, quæ Bel sacrificat, eique offert terrenas divitias, venereas voluptates, mundanos honores; sacerdotes sunt passiones & vitia, quæ omnia devorant & consumunt. Vis eorum detegere fraudem? Incedant super pavimentum cinere aspersum, & virorum, mulierum, & infantium videbis vestigia. Tentat te superbia? incede cogitatione super cineres Antiochi superbi, & dicito tibi: *Quid superbis terra & cinis?* Tentat te lascivia? Incede super

Job 7

Eccles. 10

per cineres Sodomorum, quos *igneus imber excussit*; & interroga corpus tuum si pro momentanea voluptate vult sempiterna tolerare incendia. Tentat te avaritia? incede super cineres stulti illius divitis, qui ampliora requirebat horrea, & dum majori anxiebatur curâ, subitâ est morte prævêtus, & dic: Cur tantis laboribus comparanda bona, quæ necessariò vel in morte, vel in vita deserenda sunt? *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus.* Tentat te prælationis desiderium? incede super cineres eorum, qui alios præcelluerunt, & dic: *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Tentat te quævis alia passio? incede supra cineres eorum, qui simili passione exagitati sunt; & dic cum regio Vate: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Seriò recogita mortem, quæ te à peccato ad pœnitentiã adducet. Apol. 40 1. Tim. 6 Gen. 25

Duplex est *symbolum mortis:* Baptismus scilicet, & Pœnitentia. Baptismus quidem: nam, ut fatur Apostolus apud Tertullianum: *Consepulti sumus per baptisma in mortem*; quapropter unguntur in baptismate renati: quia, ut animadvertit Justinus Martyr, ejusmodi unctio est cæremonia mortuorum. Pœnitentia etiam, in quo peccatores *moriuntur, ut vivant.* Moriuntur peccatis ut vivant gratiæ. In Baptismate renatus moritur originali culpæ; In pœnitentia adultus sceleribus contaminatus moritur peccato actuali. Mortis recordatio pœnitentiæ præstat effectum, mortis æmulans operationem. Mors tria operatur: Nam 1. hominem interficit. 2. animam à corpore dividit. 3. hominẽ ab esse ad non esse convertit. Mortis autem meditatio, 1. peccatum enecat. 2. animam à pravis affectibus separat. 3. peccatorem à non esse gratię ad gratiam immutat. II PARS. Tert. l. de Pœn. 6 L. de Ref. Carn. 47 L. quæst. ad Ortho. q. 187 Tert. l. 1. ad Nat. 19

1. *Erat enim jam & mors, & aculeus mortis delictum.* Delictum est aculeus mortis, quia à peccato mors suam mutuatur originem. Etenim *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Mors etiam ad Christum pertransiit; sed non eodem modo quo ad cæteros homines, qui in Adamo peccaverunt. 1. Homines, qui in Adamo peccaverunt, mortui sunt tum in anima, tum in corpore: *Nos certè, quod nemo Christianus ambigit, & animâ & corpore mortui sumus. Animâ, propter peccatum; corpore, propter pœnam peccati.* Christus autem mortuus est, non in anima propter peccatum, quia in Adamo non peccavit; sed duntaxat in corpore, propter pœnam peccati: *De uno solo Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, Catholica fides novit, quòd pro nobis mortem, id est, peccati pœnam, sine peccato subire dignatus est.* 2. Cæteri homines etiam deletâ per baptismum originali culpâ persæpè actualia peccata lethalia committunt, quibus suas interimunt animas: *At Christus Dominus mori venit, peccare non venit:* quapropter *vixit sine culpa qui non est mortuus propter culpam.* 3. Homines cum peccato originali, vel lethali actualiter commisso morientes, secundam patiuntur mortem tum in anima, tum in corpore. Nam, ut fatur dubius Augustinus, [Quatuor esse mortes sacra Scriptura evidenter ostendit. Prima est, mors animæ, quæ suum deserit Creatorem; cùm enim eum deserit, peccat. Tert. l. 1 adv. Marc. 21 Rom. 5 D. Aug. l. 4. de Trin. 3. D. Aug. l. de Ver. Innoc. c. 313 D. Aug. Ser. 141 de Temp. L. quæst. 65. ad Orosium.

Secunda est, mors corporis. Tertia est, mors solius animæ, quam cum ex hoc corpore exierit, patitur. Quarta est, mors corporis cum anima, sicut erit post judicium.] Ex certo adhuc Augustino: *Mors utique non regnat nisi per peccatum; regnum porrò ejus est, ut hominem mortalem in secundam etiam quæ sempiterna est, mortem præcipitet.* Christus autem quia nec originaliter, nec actualiter peccavit, nullatenus secundæ morti sive animę, sive corporis fuit addictus. Nam, ut ait D. Aug. *huic conditioni mortis, his legibus inferni obstrictus nascitur omnis homo, præter illum qui factus est homo, ne periret homo.* 4. Cæteri homines nequeunt propriâ virtute triumphare de morte, sive delendo originale & actuale delictum, quod animam interficit; sive revocando corpus de morte ad vitam: Christus verò *communicando nobiscum sine culpa pœnam, & culpam solvit, & pœnam.* Culpam tum originalem, qua mortua erat anima, non secus ac mortem secundam tum animæ tum corporis solvit. *Ideò mori voluit Christus, ut mortem nostram moriendo destrueret, & vitam resurgendo repararet.* Fudit enim sanguinem sine culpa, ut nostrarum culparum chirographa deleret; mortemque sustinuit, ut nos à mortis tyrannide liberaret. Idcircò bellè nuncupatur à D. Aug. mortis interfector: *Mortuus est Christus mortis interfector. Fuit autem magis in illo mors mortua, quàm ipse in morte mortuus.* Nam moriens mortem interfecit, aculeum ejus, nempe peccatum destruxit, nostramq; mortem gloriosè vicit, & ut fatur Apostolus: *Absorpta est mors in victoria.* Inde morti insultat Paulus: *Ubi est mors victoria tua? ubi est stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est.* Pro ly *victoria* Tertullianus legit contentionem: *Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?* Vox Græca δίκη quatuor significat, scilicet causam forensem, jus, sententiam, pœnam: quasi dicat Vas Electionis: Ubi est ô mors causa tua contentiosa, qua in Dei judicio homines ob peccatum mortis reos peragebas, & vincebas? ubi est jus, quod olim habebas in homines? ubi est sententia, qua omnes tibi adjudicati sunt? ubi est pœna illa durissima, qua homines puniebas? Idem Apostolus paulò post ipsius mortis quodammodo mortem expressit: *Devorata est mors, dicens, in contentionem.* Alludit ad Oseam, ubi habetur, [Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.] Quasi dicat Christus: Ego mordebor à te ô mors, sed te vicissim mordebo. D. Hieronymus Oseam expendens pulchrè mortem alloquitur: *Qui per Osee quondam tibi rigidus minabâtur: Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne; Illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus, devorâsti, & devorata es.* Trinum morsum agnoscit D. Augustinus. Primum, quo Adamus vetitum momordit pomum: secundum, quo mors homines, etiam ipsum Christum momordit: tertium, quo Christus mordentem momordit, & devoravit mortem: [Quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari non poterat: ideò mortem Christus sustinuit, ut injusta mors justam vinceret mortem, & liberaret reos justè, dum pro eis occidebatur injustè.]

[Margin: L. 2. de Nupt. & Cócup. 27 — Serm. 141 — D. Aug. Serm. 141 de Temp. — D. Aug. Ser. 9 de Adv. Dõ. ad Jud. — In Ps. 51 — 1. Cor. 15 — Lib. de Res. Car. 47 — Tert. l. de Res. Car. 51 — Cap. 14 — Epist ad Heliod. in Epitaph. Nepot. — Serm. 101 de Temp.]

Præfatum Apostoli locum sic legit Arabicus Antiochenus: *Ubi est causa*

causa tua, lis tua, jus tuum? Victoria illa quam tot retro sæculis mors de omnibus reportabat, nunc causa est : nunc lis est : imo post Christi mortem mors causâ cecidit, litem perdidit, antiquum jus tot sæculis ratum, amisit. peccatumque quod est aculeus mortis, tum in Baptismate, tum in Pœnitentiæ sacramento occiditur: In Baptismate quidem; nam *quicumque in Christum Iesum tincti sumus, in mortem ejus tincti sumus*, & originale peccatum quo mediante mors dominabatur, in aquis baptismi submersum est. In pœnitentia etiam, nam hoc sacramentum virtute passionis & mortis Christi peccata actualia, quæ mortem animæ afferebant, extinguit. Tert. l. de Res. Carn. 47.

Ubinam est mors victoria tua? Arabicus Alexandrinus legit: *Vbinam scientia tua ô mors?* Quasi mortis scientia mortem vincat : mors vincitur ab eis qui ejus habēt scientiam, id est qui eam assidue meditantur. *Primogenita peccati mors.* Job. 18 Pœnitentes filiam armant adversus parentem ejusque utuntur recordatione, ut peccato inferant necem. Ex vipera conficitur theriaca, tanquam antidotum optimum quo morsus & venenum viperæ sanatur : & memoria mortis est remedium optimum quo peccati sanatur vulnus. Ex D. Ser. 10. in Ambrosio Basiliscus est serpens adeo venenosus ut solo intuitu interimat ani- Psal. 118. malia quæ conspicit : at si conspiciatur ab homine, priusquam intueatur hominem, statim interficitur : Mors est Basiliscus interficiens homines, *immature à morte praeventos:* at si præveniatur, & conspiciatur per veram pœnitentiam, occiditur : & ut fatur D. Ambrosius, *malitia moritur.* Tert. l. de An. 56 De Fid. Resur.

Quod de Christo mortis & diaboli debellatore asseverat Abacuc Propheta : de homine pœnitente effari potest: *Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus.* Cap. 3. Diabolus in corde peccatoris inhabitat : at dum mors præit ante faciem, penitus inspicienda hæc mortis conspectio, ad pœnitentiam inducit: pœnitentia vero diabolum à corde expellit. Septuaginta vertunt, *Ante faciem ejus ibi verbum, ratio.* Verbum seu ratio quæ mortis continuo inuetur veritatem, & tyrannidem diaboli: in eos qui sunt peccato mortui timorem inopinatæ mortis ingerit, dolorem de commissis peccatis adducit, dolor vero de peccato in pœnitentiæ sacramento diabolum fugat, & sicut mors animam à corpore, ita mortis meditatio animam à pravis affectionibus separat.

2. Mors *tantam animæ & carnis societatem, tantam à conceptu concretionem sororum substantiarum, divellit ac dirimit.* Tert. l. de An. 52. Omnis mors extinctio quædam est vel vitæ, vel animæ in corpore. Mors corporalis est extinctio vitæ, mors spiritualis est extinctio animæ per peccatum emortuæ. Corpus moritur dum anima quæ est principium vitæ naturalis ab eo separatur: anima moritur quādo Deus, qui est principium gratiæ & vitæ supernaturalis, ab ea separatur. In peccatore est separatio & conjunctio. Separatio à Deo; conjunctio, cum objectis quæ scelerose diligit. In pœnitentia etiam est separatio & conjunctio: Separatio à rebus, quæ à Deo dividebant; conjunctio cum Deo, quem pœnitens præ cunctis rebus diligit: *resuscitatur enim anima per pœnitentiam.* D. Aug l. 4. de Trin. 3. Mor-

tis autem meditatio à peccato dimovet hominem, & ad Deum convertit.
D. Aug. l. 2. de Gen. cont. Manich. *Nihil sic revocat hominem à peccato quemadmodum imminentis mortis meditatio.* Quapropter Regius Vates mortis memoriæ tribuit peccatorum conversionem. *Reminiscentur, & convertentur.* Prius reminiscentur, deinde convertentur: conversio erit velut sequela recordationis. D. Bern. in Medit. *Recordabuntur quod pulveres & cineres sunt, & convertentur ad Dominum*, dividentes cor suum à peccatis & objectis criminosis, & per charitatem adhærentes Deo, Clē. Alex. l. 7. Strom. 6. *ut mors est animæ separatio à corpore, ita & cogitatio est velut mors rationalis, abducens & separans animam à motibus & perturbationibus.*

Deus nihil non tentat, ut peccatorem convertat; gratiarum adhibet ventum, amoris ignem, & tandem mortis cogitationem: at dum mortis consideratione non movetur, est reprobationis & damnationis signum. Jerem. 6. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitia enim eorum non sunt consumpta, argentum reprobum vocate eos*, qui ex recordatione mortis non convertuntur. Tribus utitur aurifex, ut argentum purificet. 1. Igne, ut illud dissolvat & liquefaciat: 2. sufflatorio, ut ignem accendat: 3. plumbo, ut argenti diminutionem impediat: plumbum enim utpote magis grave & terrenum, in camino non decrescit sicut cætera metalla, sed accrescit. Eodem fere modo agit Deus erga peccatorem induratum. Amoris adhibet ignem, gratiæ sufflatorium, mortis plumbum, & dum hæc omnia nihil proficiunt, argentum reproborum vocate eos. Est quædam velut æmulatio inter Deum & peccatorem obstinatum: Deus qui ejus exoptat conversionem variis utitur mediis ut eum ad meliorem frugem deducat: & dum gratiæ communes non sufficiunt, objicit ejus menti mortis cogitationem velut efficacissimum conversionis medium. Peccator ex adverso Dei proposito sese opponit, ejus gratias respuit, & quando ad tantum obstinationis pervenit gradum, ut consideratio mortis nullomodo ejus obstinationem emolliat; Cant. 8. tunc *dura sicut infernus æmulatio*: Tert. l. de Res. Car. 54. sed æmulatio criminosa. *Proinde & vita, mortis scilicet æmula, per contentionem devorabit in salutem, quod per contentionem devoraverat mors in interitum.* Vita gratiæ quam per conversionem acquirunt pœnitentes innocue æmulatur criminosam peccati æmulationem. Peccatorum æmulatio animam à Deo separat: pœnitentia hominem cum Deo conjungit, peccatum, justum ab esse gratiæ ad nihilum convertit: pœnitentia hominem à peccato quod est nihilum, ad gratiam immutat.

Tert. l. de An. 29. 3. *Ex morte vita reddatur, quia ex vita mors deferatur*, ex morte peccati animæ vita per pœnitentiam redditur. Dum homo gratia sanctificatur anima ejus supernaturali vita potitur: verum statim ut labitur in peccatum, à gratia L. 1. conc. advers. leg. 15. ad non esse gratiæ infauste immutatur, à vita cadit in mortem: & ut fatur D. Augustinus, *à spirituali vita propter peccatum anima exclusa est: & ita quadam sua interiori morte jam mortua.* D. Aug. in Ps. 37. Et hæc spiritualis animæ mors est incomparabiliter pejor quam mors corporis. Tert. l. de Res. Car. 47. *Pejus mortuus est luxuriose vivens, quam moriendo luxuriam finiens.* Magna profecto pœnitentiæ virtus, *quod pe-*

rit salvum faciens: quod mortuum est, vivificans. Ut autem ait D. Augustinus, *qui vicinam sibi & instanter contemplatur mortem, pœnitentiam minime differt,* sed prompte ad eam currit, ut anima scelerosa à morte ad vitam revocetur. Qui vere pœnitet *is occasus traduxit in orientem*: Nam ut fatur Gregorius Nyssenus: *quemadmodum homo dum vera vita moritur, in mortuam hanc vitam incidit; ita cum huic vita moritur, vicissim viventi vitæ restituitur*: & ut Christianos Dominus stimularet magis ad pœnitendum, voluit ut semper in corde infixam haberent mortis memoriam; & ob hanc causam, ut acute animadvertit Basilius Seleucus, suscitato Lazaro voluit ut cum mortis indiciis rediret ad vitam. *Eadem virtute exiliebat quatriduanus mortuus, lethi signa circumferens, & exuta morte sepulchralem ornatum non exuerat, sed erat in institis è sepulchro partus, & post partionem fasciatus.*

Ser. 16. de Verb. Dó. Clē Alex. Adhort. ad Gent. Hom. 12. in Cant. Orat. 35.

Christiane *suscipe mortis imaginem, ne pœnam mortis incurras.* Mors hominem enecat, animam à corpore separat, hominem ab esse ad non esse immutat: *Cæterum mors merito in interitum devoratur, quia & in ipsa hoc devorat: devoravit, inquit, mors invalescendo, & ideo devorata est in contentionem.* Mors serio meditata, & in contentionem operans, idem præstat peccato, quod mors homini. Nam 1. peccatum interimit: 2. animam à vitiis separat & cum Deo conjungit: 3. à non esse gratiæ in gratiam convertit. *Qui ad Christum veniunt, moriuntur præteritis, ut vivant futuris: pereunt diabolo, ut Christo acquirantur: moriuntur morti, & fœliciter vitæ inseruntur,* & mortis recordatione inducuntur ad virtutem, & bene operandum.

D. Amb. l. 1 de Fid. Resur. Tert. l. de Res. Car. 54. D Aug. l. 50. Hom.

Quis incolumis à diaboli tentationibus, mundi vanitatibus, carnis blanditiis, concupiscentiæ æstibus: *Qui exanimis*, scilicet qui se vult mortuum considerat. Mortis meditatio ignita diaboli tela propellit, mundi blanditias contēnit, carnis voluptates respicit: meditata Mors 1. mentem illustrat: 2. spem in cœlo collocat: 3. ad bene operandum incitat.

III. PARS. Tert. l. de Res. Car. 57.

1. *Etiam per imaginem mortis fidem initiaris.* Mens ratione & fide illustrata, est velut sol qui microcosmum illustrat: Quemadmodum autem sol aut nubibus obscuratur, aut per interpositionem lunæ eclypsim patitur; ita sol animæ passionibus obumbratur, & peccatis adeo obscuratur, ut quæ virtutem & pietatem spectant non conspiciat, ut de semetipso fatetur Regius Vates: *Et lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Divina misericordia 37.
quæ dissipavit tenebras, quæ obscurabant mentem Prophetæ, quotidie peccatores illuminat; quibus eodem fere modo restituit visum quo cæco nato. Præteriens Jesus vidit hominem cæcum à nativitate, *expuit in terram & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.* Inde concludit Anselmus Laudunensis: *Ecce collirium quo ungitur genus humanum*, nimirum cogitatio luti ex quo plasmatum est, & luti, in quod resolvenda est caro. Hoc collirio cæcus natus recepit visum, hoc adhuc collirio inoculatur homo. Nam ut eum alloquitur Job: *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer*: cum te in sepulchro depositum, cunctis fortunæ bonis denudatum, nullo satellitio stipatum,

Tert. l. de An. 41. Joan. 9. In Eccles. Cap. 11.

tum, à vermibus depastum, in saniem, putredinem & pulverem conversum: orieris ut lucifer. Mens tua à passionum nebulis & vitiorum tenebris expedita cognoscet vilem hominis originem, mundi vanitatem, suamque spem in cœlo collocabit.

Tert. l. de An. 43. 2. *Per imaginem mortis spem meditaris.* Non propter mundum & terrena bona factus est homo ad Dei imaginem, nec vocatus ad Christianam religionem, *Homo est planta cœlestis*, & licet Christianus in terra converseiur, tamen ex notitia fidei, scit se peregrinum in terris agere, *caterum in cœlum spem habere*: Ut autem planta illa cœlestis in terra plantata æternitatis valeat producere fructus, transplantanda est per jugem mortis considerationem. Quo alludere videtur Clemens Alexandrinus de Christo ajens: *Transplantans interitum*, ne planta silvestrem faciat fructum, è seminario transplantanda est in alium commodum locum: ne homo spem suam in sæculo ponat, transplantandus est. Hæc autem transplantatio fit per continuam interitus & mortis recordationem. Idcirco Sapiens sapienter ait: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivij: in illa enim finis cunctorum admonetur homo, & vivens cogitat quid futurum sit.* Unde hominem in sæculo vel divitem, vel in honore constitutum, vel deliciis deditum, vel aliis fortunæ bonis opulenter dotatum sic alloquitur Augustinus: *Si tenet te mundus, illecebra circumquaque blandiuntur, delectat pecuniæ magnitudo, delectat honoris fulgor, delectat potentiæ terror, delectant ista, sed audiatur Apostolus, nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus.*

Clē. Alex. Adhort. ad Gent. Tertull. Apol. 1. — Eccles. 7. — L. 50. Hō. Hom. 13

Xenophō Ciropæd. Ingente Persarum exercitu Scythiam ingresso hyemis tempore quo terra tota nive operiebatur, dux singulis militibus jussit apponi supra oculos velum nigrum, ne nivis candore excæcarentur. Si homines ante mentis oculos sibi proponerent mortis necessitatem, splendore terrenorum non excæcarentur: at quia nullam habent mortis memoriam, cor suum cum terrenis ita conviscerant, ut de cœlestibus nullo modo recogitent. Quod hac parabola demonstrat D. Joannes Damascenus apud Cardinalem Bellarminum: Erat in medio itineris puteus profundissimus, in quem cadens viator, detentus est ab arbuscula in medio putei radicata, ne in profundum laberetur. Lapsu attonitus conspiciens in altum, vidit leonem rugientem: versus putei profundum vertens oculos, conspexit draconem terribilem ignem exhalantem. Tali spectaculo perterritus vidit duos mures; album unum, nigrum alterum continuo arboris radicem corrodentes, insuper quatuor serpentes arbori implicatos, eam totis viribus concutientes: ad summitatem arboris, conspiciens pendulum mellis favum, despiciens tot imminentia pericula, totus addicitur in captando melle; dum autem mel libat, & tantillæ voluptatis illecebra capitur arboris radicem edunt exeduntque mures, & miser cum arboris trunco in ima præceps labitur, & rabiei terribilis draconis exponitur. Viator est quivis homo, arbor est mortalis hæc vita, mures rodentes dies & nox, serpentes concutientes contrariæ elementorum qualitates in corporibus nostris continuo

Conc: 3. Dom. 1. Adv.

tinuo

tinuo diffidentes;profundum putei infernus;draco horribilis diabolus: leo rugiens Christus peccatori minitans supplicium; favus mellis terrenæ divitiæ,carnis voluptates,mundi honores,cætera fortunæ bona, quæ absque ullo mortis & damnationis metu miser sectatur, & post momentanea sæculi oblectamenta æternæ fœlicitatis amittit spem,& interminabilem incurrit damnationem. Christiane,ne tantum patiaris dispendium, cuncta quæ sunt in sæculo *proinde habe,ac si stillicidia mellis, de ranunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per voluptatem.* Mortis memoriam noli oblivisci: sic imminentis semper mortis recordatio,terrenas spes despiciens, æternam negotiabitur beatitatem. Non sine mysterio Deus Adamum ponens in paradiso voluptatis: præproperæ mortis timorem ei injecit,scilicet ut mortis memoria à vetito pomo temperaret, & obsequendo immortalitatem conservaret. Inter mundi delicias nobis objicitur mortis recordatio quæ immortalem negotietur vitam. *Inde est, quod & ego æternam vitam me possidere contendo: quia specialiter annexam curam mihi à Deo præstitam recognosco.* Fœlix cura quæ à terrenis cor avellens,& cœlestia sperans, ad bene operandum,excitat. Tert. l.de Spect. 27 S.Zen. Ser de Circûc.

3. *Illa ipsa ratio operatrix mortis.* At quomodo mors operari potest, destruens vitam quæ est motus & operationis principium? Belle declarat Clemens Alexandrinus: *Cogitatio est mors rationalis deducens ad vitam beneficentia,& bonarum operationum,ut tunc Deo dicat libere: Vivo sicut vis*; tua servo mandata,& virtutibus juxta tuam voluntatem studeo. Cinis sterilis est & tamen quod paradoxon sapit, de fœcunditate commendatur: ut ex Jacobi visione patet. De gregum multitudine abunde locupletandus Jacob, sic ad uxores suas fatur: postquam conceptus ovium tempus advenerat levavi oculos, & vidi in somnis ascendentes mares super fœminas,varios,& masculos, & diversorum colorum.) Septuaginta vertunt *cineratos*. Grande profecto mysterium ex cineratis parentibus generosam fœcunde sobolem Angelus Jacobo demonstrat. Quid cineri cum fœcunditate qua Dei populus opulenter augetur, nisi quia à cinere virtus fœcundatur? Divitiæ à cinere, Dei populum opulentant, & prævia mortis cogitatio, qua præmature decinerescunt mortales eos virtutum gazis abunde ditat: sic est fœcunda à cinere virtus. Quod non ignorans Homerus,mortis cogitationes nuncupat Jovis thesauros: quia inter mentis cogitatus pretiosiores sunt,qui ex memoria mortis procedūt: Sacer quoque Textus optimum existimat aurum de Ophir, allatum, Ophir autem cinerem significat. Mortis recordatio homines ad charitatem accendit, quæ est nobilior inter virtutes,& parens bonorum operum. Hoc est discrimen inter peccatores & justos, quod in illis vita,in istis vero mors operatur. *Mors in nobis operatur, vita vero in vobis.* Quid operatur in peccatoribus vita? ambitionem, voluptatem,avaritiam,iniquitatem,damnationem: Quid injustis operatur mors? honorum,voluptatum & divitiarum contemptum,pœnitentiam,pietatem,virtutem,sanctam operationem,immortalem beatitudinē. Tert.l. de An. 52 Lib.7.de Strom. Gen.31 L. 5. Reg, 10 2 Cor.4.

CONCIO QUARTA.

Tert. l.de Præsc. Hær. 7. Gentilem Philosophiam *stultitiam Dominus vocans* ab ejus studio dimovet Christianos: quia vero mortis meditatio docet caduca despicere, æterna ambire, quod est veræ philosophiæ negotium, *Philosophiam mortis* Christianis ediscendam proponit Chrysologus. Serm. 54. Ex D. etiam Bernardo *summa est Philosophia, meditatio mortis*; quæ est 1. magnificienda: 2. ediscenda: 3. experienda.

I. PARS. Tertull. Apol. 47 *A quibusdam quoque ejecta Philosophia. A Thebanis dico, à Spartianis, & Argivis.* Non est mirum quod Gentilis Philosophia à pluribus fuerit ejecta cum sapiat errorem, vanitatem, morum corruptionem: At nonne est lugendum, quod meditatio mortis quæ est Philosophia utilissima, docens veritatem, humilitatem, & pietatem, à nonnullis tanquam vitæ oblectamentis importuna respuatur? Quapropter hac ætate vere dici potest quod olim asseveravit Antoninus pius Imperator; *raros esse qui philosophentur*: & ut fatur Petrus Blesensis de mortis cogitatione differens: Lib. de transf. l. 6 Epist. 6. *Hac Philosophia frequenter in scholis describitur, sed frequentius proscribitur*; quantumvis sit 1. à sapientissimis approbata: 2. à Deo commendata: 3. pro cunctis hominibus generatim fundata.

Tert. l. de Pat. 1. 1. *Philosophi qui alicujus sapientia animalia deputantur, inter se variis scientiarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordant.* At cuncti sapientes una voce Philosophiam mortis approbant: Neque sapientes duntaxat mortem meditandam volunt; sed etiam cunctæ nationes etiam in ignorantiæ tenebris versantes, mortis memoriam sibi repræsentant tanquam verum sapientiæ indicium. Ægyptii convivii tempore ante oculos appositam habebant mortis effigiem. Idem observabatur apud Sibaritas. Apud Græcos Imperatores die qua inaugurabantur cinerem in manibus deferebant: Apud Romanos, triumphantes se esse homines mortales admonebantur. Apud plures nationes ante portas civitatis sepeliebantur mortui. D. Chrysost. hom. ult. de Spir. S. *Ut tibi jugis sit memoria mortis ante civitatis ingressum sepulchra vides: ut priusquam amplitudinem & divitias civitatis consideres, agnoscas omnium illorum finem.* Ob eandem rationem fabricantur in Ecclesiis sepulchra in quibus tumulantur fatofuncti: D. Aug. l. de cura pro mor. *ut ingredientes & egredientes mortis admoneantur.* Gregorius Nazianzenus Orat. 10. suos prodit parentes non mediocri sapientia decoratos, domesticos erudientes, ut nihil ducerent esse utilius quam *mortis & dissolutionis meditationem*, in ea sapientiam omnem sitam existimantes: Hethæi quoque adhuc Ethnici in agresti illa quondam morum barbarie sibi pulcrem præfecerunt: Gen. 23. mortua enim Sara dixit Abraham ad Hethæos: (Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron, ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna

tradat eam mihi in possessionem sepulchri.) Quæ verba sic ethice elucidat Philo Judæus: *Itaque merito Abraham, qui mortuam vitam, sepulchrumque reliquit, mortuorum custodes, & mortalium rerum dispensatores sic alloquitur. Advena & inquilinus ego sum inter vos, vos autem indigenæ, qui cinerem & pulverem pluris facitis, quam animam, dum vobis præfecistis Ephron, quod nomen significat pulverem.* Quis mortis non magnificet meditationem, cum Gentiles agrestes, pulverem sibi præfecerint, plurisque quam animam fecerint? sic fuit omni ævo mortis memoria existimata, & ab ipsomet Deo commendata. Lib. de Confus. ling.

2. *Namque in principio mundi ipsi Adæ & Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent: quod si contra fecissent, morte morerentur.* Mortis memoriam & metum illis objicit, ut obsequentes redderet: & inobsequentes de paradiso ejicit: ne de fructu arboris vitæ edentes, sese à morte eximerent. *Non magnum erat Deo, alio quolibet modo vitam subtrahere homini quem vivere noluisset: sed quoniam rationales animæ de sapientia vivunt, quorum mors est insipientia; hujus rei significandæ gratia, lignum vitæ in paradiso, fructu suo, mori hominem in corpore non sineret.* Protoparentes minimè de sapientia viventes, sed de insipientia peccantes, privavit Deus usu fructus vitæ, & ejectos de paradiso vestivit tunicis pelliceis; tum ut ex animalium pelle qua induebantur, eorum insipientia notaretur: tum ait Lippomanus, vestivit eos *de pellibus animalium mortuorum, ut signum suæ mortalitatis secum ferrent.* Tert. lib. adv. Jud. 4. D. Aug. L 1. cont. advers. leg. c. 15. Gen. 3.

A tempore quo Deus Abraham eduxit de Ur Chaldæorum, miris illum cumulavit beneficiis, divitiis opulenter locupletavit, ad honores sublimavit, exoptata prole fœcundavit, sua protectione roboravit, familiari conversatione donavit: at ex Ruperto, à tempore quo Abraham *tam ambitiosam sepulturæ suæ providentiam habuit:* Saræ mortuæ, sibique morituro magnis expensis sepulchrum paravit, ultra non apparuit illi Deus: non quod offensus fuerit quod Patriarcha tanto studio tantaque sollicitudine egerit de sepulchro, sed quia sollicita de sepulchro cura, jugis de morte cogitatio, divinæ præsentiæ & protectionis gerebat vices, ut patet ex verbis Moysis & Aaron, qui Pharaoni declarant: (Vocavit nos Deus Hebræorum, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro ne forte accidat nobis pestis aut gladius.) Lippomanus ex Hebræo vertit: *Ne forte accurrat in nos, scilicet Deus.* Chaldæus legit: *Ne forte accidat nobis mors.* Septuaginta traducunt; *Ne forte occurrat nobis mors:* ubi mors pro Deo substituitur. Mors occurrens vicarias Dei gerit vices; mors profunde meditata, assidueque per cogitationem occurrens, munificentioris gratiæ officiositatem cum Deo reciprocat: nam dum à recogitato sæpius funere, mortis memoria suggeritur, Deus in mentem ac mores quodammodo illabitur. Quapropter Deus Jeremiam erudire volens, dixit ei: *Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* Vasa lutea fragilia, sunt corpora nostra, domus figuli sunt sepulchra in quibus fictilia tumulata sunt; figulus vero fictilia confringens est Petr. Dam. Ser. 36. Exod. 5. Cap. 18.

mors homines in pulverem redigens, media autem morte, Deus Prophetam erudit, eumque cœlitus illustrat.

Tertull. Apol. 21 Christus Dominus in quo sunt absconditi sapientiæ & scientiæ thesauri, quique est Christianæ *disciplinæ arbiter, magister, illuminator, atque deductor generis humani*, mortuis coram nullum documentum dedit, neque ullum sermonem habuit: ægrotos quidem sollicite erudiebat, priusquam eis conferret sanitatem: à cœco nato fidem sciscitatur: *Credis in filium Dei ?* mentemque ipsius veritatis illustrat, dum ejus corpori largitur visum. Centurionem hortatur ut perseveret in virtute quæ ægrotantis servi meruit sanitatē: *Sicut credidisti fiat tibi.* Leprosis præcipit, ut eant, & ostendant se sacerdotibus; *Ite, ostendite vos Sacerdotibus* Paralyticum qui triginta octo annis fuerat in infirmitate sua, hortatur; *noli amplius peccare ne tibi deterius aliquid contingat.* At dum mortuos suscitat, doctoris non agit officium. Filiam Jairi à morte ad vitam revocat, & tantummodo *jussit illi dare manducare.* Filium viduæ. Nam resuscitans, absque ullo sermone *reddidit illum matri suæ.* Quatriduanum Lazarum è sepulchro eruens dixit duntaxat discipulis: *Solvite eum & sinite abire.* Quod si quæramus à D. Augustino, cur Dominus ægrotos sanans doctoris agebat munus, non vero mortuos suscitans? respondebit : *Quia pro Domino loquebatur mortis affectus.* Philosophia mortis à Deo commendata, pro cunctis generaliter est fundata.

Tertull. Apol. 7 3. *Samothraci & Eleusinæ recitentur.* In Samothrace insula celebrantur Corybantum mysteria, & Hecates sacra; in pago quoque Attidis qui Eleusis dicebatur, celebrari solebant Sacra, Cereri & Proserpinæ dicata, ab Eumulpo instituta: utraque tamen erant advenis occulta. *Nam & illa Eleusinia & ipsa attica superstitionis, quod tacent pudor est.* Mortis autem philosophia, seu ut fatur Gregorius Nyssenus, *naturæ nostræ mysterium*, nemini occultatur: ad illud cognoscendum cuncti universaliter admittuntur mortales. Multi Reges & Imperatores instituerunt Universitates, fundarunt Academias in quibus docetur vel Medicina, vel Philosophia, vel Jus civile, vel Theologia: at in illis neque fœminæ, neque etiam cuncti recipiuntur homines; at nullus est qui non admittatur ad Academiam mortis. In hac Universitate studere possunt reges & subditi, divites & pauperes, nobiles & ignobiles, docti & ignari, viri & mulieres, juvenes & senes, & generatim cuncti homines cujusvis sint gradus, conditionis & sexus. Cunctis evidenter *apparet quam verum sit quod scriptum est: Vita nostra vapor est. Vivebat ille heri; non est hodie: paulo ante videbatur, modo non est. Qui videbatur heri deducitur hodie ad sepulchrum.*

Tert. lib. adv. Valent. 1.

Orat. 2 de Beatitud.

D. Aug. Ser. 111. de Diversis

Verum ut subjungit & obplorabat D. Augustinus, *redeunt propinqui tristes domum, obliviscentes, quod dicitur, quia nihil est homo : & hoc dixit ipse homo , & non se corrigit homo, ut non nihil , sed aliquid sit homo.* Merito consequitur Propheta Evangelicus : *Iustus perijt, & non est qui recogitet in corde suo.* Mortuo justo superstites homines , debent sane meditari , in corde suo cogitare , & iterata persæpe meditatione animitus recogitare,

Cap. 57

non

non solùm justorum mortem, quàm pretiosa sit in conspectu Domini, sed etiam impiorum mortem, quàm atrociter sit infelix, & infaustè misera: At proh dolor! plerique nec justorum, nec impiorum recogitant mortem. Verùm, ut arguté ait Philo Judæus de defunctis loquens: *Vivimus illorū mortem, mortui sumus illorum vitam*, hoc est, si nostrum vivere est diu mori, & ita viventes mortui sumus defunctorum vitam, vivamus etiam defunctorū mortem, jugi morientium meditatione, & ab ipsis defunctis mortem ediscamus. L.1.Leg. Allegr.

Per *imaginem mortis disce mori & vivere*. In discendo totum vitæ tempus terunt homines: *Mihi totâ vitâ discendum est, & præcipuum ex vitæ officijs.* Quid autem tanto studio discendum sit, ibidem declarat Moralis Philosophus: *Totâ vitâ discendum est vivere, & quod magis fortasse miraberis, totâ vitâ discendum est mori.* Nihil fructuosius ediscitur quàm mors: Profectò *egregia res est, mortem condiscere*. A quibus autem ediscenda est mors? A defunctis. Ad horum scholam Socratem misit Oraculum, ut disceret sapientiam. Heraclitus gloriabatur plus profecisse ex mortuorum conversatione, quàm in nobilioribus Græciæ Academiis. Si inter Doctores præferendi sunt qui mentem illuminant, voluntatem sufflammant, & cor ad bonum inclinant, quales quæso præceptores defuncti, qui Doctorum, Oratorum, & Prædicatorum agunt vices? nam 1. docent. 2. monent. 3. suadent. II. PARS. Tert.l.de An.43 Seneca de Brevit. Vit.c.7 Senec. ep. 26

1. *De speculo mortis* erudiuntur viventes, nemo autem melius quàm defuncti ante viventium oculos ponunt speculum mortis: *Qui si modò loqui possent, hoc nobis dicerent: Vt quid infelices tantum pro seculi vanitate discurritis? ut quid vos vitijs & cupiditatibus repletis?* ut quid mentis notiones ad infima & vana fortunæ bona dejicitis? ut quid liberam voluntatem mundi mancipium efficitis? ut quid rationem passionibus subjicitis? ut quid animam Dei imaginem peccatis & criminibus polluitis? ut quid corpus in baptismate pudicitiæ dicatum, cœno lasciviæ immergitis? *Considerate ossa nostra, & vel sic horreat vobis cupiditas, vel miseria vestra.* Considerate deformitatem, quæ in facie nostra apparet, & horrete permissa toties oscula: considerate foramina quibus erant concarnati oculi, & horrete impudicos injecisse aspectus: considerate os apertum & stridorem dentium, & horrete blasphemias & impietates vestras: considerate ventrem vermibus scatentem, & horrete ingluviem & ebrietatem vestram: considerate cadaver putridum & fœtens, & horrete lascivias & impudicitias vestras: considerate summam nostram paupertatem, & horrete cupiditatem & avaritiam vestram: considerate sepulchri obscuritatem & tenebras, & horrete superbiam quæ lucem quærit, & captat videri ab hominibus. *Quod vos estis, nos fuimus.* Vos estis in Ecclesia beneficiarii & nos fuimus. Vos estis judices & senatores, & nos fuimus. Vos estis in dignitatibus constituti, & nos fuimus. Vos estis divites, & nos fuimus. Vos estis fortes & robusti, & nos fuimus. Vos estis pulchri & decori, & nos fuimus. Uno verbo nihil estis in fortuna, natura, corporis dotibus, animæ prærogativis, quod nos non fuerimus ante vos. Hæc omnia Tert. l.de An.49 D.Aug. Ser.13. de Adv.Dñ. ad judic.

amisimus, nihil nobis ex eis remansit, nisi paupertas, dejectio, putredo, corruptio, pulvis, & brevi tempore *quod nos sumus, vos eritis*, scilicet corruptio, fœtor, cinis. *Ista omnia, fratres, solicitâ consideratione pensate, & hac considerantes expavescite.* His sermonibus defuncti docent & suadent.

Ter. l. adv. Valent. 1 2. Valentiniani hæretici *habent artificium, quo prius persuadent quàm edoceant. Veritas autem docendo persuadet, non suadendo docet* : ut constat ex defunctis, qui ideò suadent viventes, quia priùs illos docuerunt. Propheta Job proponit peccatorem excæcatum, obstinatum, in vitiis & pravis moribus

Cap. 21 inveteratum, & quærit : *Quis arguet coram eo viam ejus?* His verbis denotat Propheta conversionem tanti scelerosi non modò difficilem, sed velut

L. 31. Moral. 28 impossibilem. Nam, ut animadvertit Magnus Gregorius, Scriptura sacra hoc loquendi modo utitur, quando in aliquo opere aliqua velut impossibilitas reperitur. Sic Jacob ostendere volens quantâ difficultate suscitandus erat

Gen 49 leo Christi præfigurans resurrectionem, ait : *Quis suscitabit eum?* Sic Re-

Ps. 88 gius Vates ut innuat nullum hominem esse à morte immunem, ait : *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Sic Malachias propheta de irato Chri-

Cap. 3 sti vultu in ultimo judicio, ait: *Quis stabit ad videndum eum?* Job eodem modo loquitur, ut innuat quàm sit difficile convincere peccatorem in suis sceleribus obduratum : *Quis arguet coram eo viam ejus?* Arguere namque significat intellectûs convictionem validissimis rationibus factam : quo sensu Paulus fidem *argumentum* nuncupat ; & Judas Apostolus asseverat in sua

Hebr. 11 Canonica : *Veniet Dominus arguere impios* ; & quotidie in scholis arguitur adversus propositiones à sustinente propugnandas. Quapropter dum ait Propheta: *Quis arguet coram eo viam ejus?* idem est ac si dicat : Ubinam inveniri poterit Doctor, qui efficaciâ rationis valeat induratum convincere peccatorem? Quod autem Deus operari non potest argumentis viventium, id efficit per rationes mortuorum : *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum evigilabit.* Ibi enim ejus intellectus convincetur, & voluntas flectetur. Ad Doctores pertinet excæcatos illustrare, & convincere mentes; ad Oratores spectat flectere & movere voluntates. Mortui Doctorum & Oratorum agunt officium; nam peccatorem convincunt & movent: ly enim *arguere* non solùm significat convictionem rationis efficaciâ factam; sed etiam motum voluntatis sermone immutatæ : quomodo Apostolus hortatur

2. Tim. 4 Timotheum: *Argue obsecra, increpa.* Quod probè faciunt defuncti, qui vivos tanquam Doctores docentes & convincentes, tanquam Oratores moventes, flectentes, increpantes, tanquam prædicatores suadent.

3. Multi sunt concionatores Apostolici, qui duntaxat Dei gloriam, & hominum quærunt salutem. At quantumvis purâ intentione de cathedra loquantur, vel vanæ gloriæ, vel proprii commodi, vel condescendentiæ, vel timoris, vel defectû zeli culpari possunt. At nihil horum impedit defunctos,

Tert. l. de An. 53 quin tanquam Concionatores fervidi, *vi mortis* persuadent viventes, ut duplici comprobatur exemplo : uno, ex veteri Testamento ; altero, ex novo de-

desumpto. In Actis Apostolorum legitur quod Paulus Troadem ingressus, magnâ populi adstante multitudine concionem habuit, in qua aderat Eutichius adolescens, qui gravi sopore mersus, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Hoc casu omnes attoniti, Paulus quoque conticuit; at licèt Vas Electionis tuba Evangelii, de cathedra descenderit, soluta non est concio: *pro doctore casus fuit*, ait D. Chysostomus. Eutichius mortuus gessit vices Pauli viventis, & mors subita adolescentis majori energiâ suasit mortis timorem, quàm Apostoli prædicatio: & fortè cecidit Eutichius Paulo de morte concionem habente; & quia suis sermonibus Apostolus non satis efficaciter movebat audientes, neque eis ingerebat improvisæ mortis terrorem, divina providentia Eutichii permisit casum, ut suâ morte ageret quod suâ voce non poterat præstare Paulus. Cap. 20 Hom. 42 in Act. Apost.

Neque minus stupendum est quod in veteri Testamento accidit Saülo, qui adeò erat in malitia obstinatus, ut nec Prophetarum increpationes, nec Sacerdotum admonitiones, nec Jonathæ orationes, nec Davidis submissiones, nec curiales omnes aliquid profecerint. Quid aget Deus, ut tumentem illum dejiciat Regem, arrogantiam insolentis illius deprimat, intrepido cordi terrorem injiciat? Adhibeat mortuos, ubi viventes inutiles sunt, mittat Samuëlem jamdiu fato functum, qui inobsequenti & indurato Principi dicat: *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* O quàm potens fuit Samuëlis mortui oratio! Saül qui intimatæ per Samuëlem Dei voluntati, de cunctis occidendis Amalecitis fuerat inobsequens; Saül qui contempserat Samuëlem, ipsum ad pœnitentiam urgentem, illicò ut Samuëlis mortui audivit vocem, *Cecidit porrectus in terram extimuerat enim verba Samuëlis, & robur non erat in eo*: unde hæc mutatio, nisi quia mortuus majori energiâ suadet quàm vivens? Christiani recogitate quòd cuncti mortui, quos viventes vidistis, audîstis, quibuscum conversati estis, vobis apparent, & unusquisque sigillatim vobis dicit: *Memor esto judicij mei, sic erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie*, non dicit cras, sed hodie, quia crastina dies non est in nostra potestate; certi enim non sumus usque ad crastinum, nostram ducere vitam. Annon hæc verba vobis judiciorum Dei terrorem incutient, tumorem depriment, passionum impetus frænabunt, vitiis imponent finem, & vos ad pœnitentiã adducent? Quid Rex tumens & intrepidus ad unius Samuëlis vocem: Cras tu & filii tui mecum eritis? prosternitur & terretur: & vos absque ullo terrore, absque ullo conversionis proposito auditis tot mortuos dicentes ad unumquemque vestrûm: Memor esto judicii nostri, sic erit & tuum; nobis heri, & tibi hodie. Dives epulo in inferno incendiis cruciatus rogat Abraham, ut Lazarum, aut aliquem mortuum suos mittat ad fratres, quos certò credit ad illius vocem conversuros: *Si quis ex mortuis ibit ad illos, pœnitentiam agent*; & tot mortui, quos propriis oculis vidistis animam efflantes, vos nullatenus movebunt? Si sapiens architectus vos admoneret, domum, in qua habitatis, esse ruinæ proximam, statim ex illa egrederemini, nec crastinum expectaretis. Mortui L. 1. Reg. 28 Eccles. 38 Luc. 16

muto

Tert. l. de An. 42 muto eloquio vos admonent finem vestrum esse proximum, & forsitan hac die *momentanea mortis ictu* vitam nobis erepturum. Si doctores illi vos non convincunt, oratores non movent, prædicatores non suadent, evidens signum est aut reprobationis, aut incredulitatis; si damnationem pertimescitis, emollite duritiem cordis vestri; si vera quæ prædicant mortui, creditis, agite

Cap. 14 pœnitentiam memoriæ consignantes istud Ecclesiastici effatum:

Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quod demonstratum est tibi. Tria sunt in hoc textu notatu dignissima, seriòque meditanda. Unum, quia mors non tardat, sed brevi evenit tempore. Aliud, nos esse ex testamento morti addictos, sed testamento irrevocabili, utpote non ab hominibus, sed à Deo edito. Tertium, testamentum illud immutabile fuisse nobis intimatum, non solùm per viventes, sed etiam per mortuos, à quibus mors edocta, est quotidie experienda.

III. PARS

Tert. l. de An. 42 *Per imaginem mortis disce evigilare dum dormis*: à peccati scilicet somno. D. Ambrosius hoc agnoscit discrimen inter gentiles Philosophos & Apostolum;

L. de Fid. Resur. in obit. Frat. quòd *illi studium prædicaverunt, hic ipsum usum mortis exercuit*, illi sapientiam in theoria mortis constituerunt; hic in praxi: illi mortem meditabantur, sed non se exercebant in morte, hic singulis diebus experiebatur mor-

Epist. 3. in Epitaph. Nepot. tem. Quare D. Hieronymus vult Paulum hæc dixisse verba: *Quotidie morior, fratres*, non solùm ut nos doceat modum rectè vivendi, sed etiam ut de usu

D. Athan. in Vit. Ant. mortis erudiat. Ex Apostoli exemplo concludit D. Ambrosius: *Sit quidam quotidianus usus in nobis, affectusq; moriendi.* Quotidianum illum mortis usum tanti faciebat Magnus Antonius, ut illum traderet discipulis velut spiritualis vitæ fundamentum. Inter varia etenim quæ illis dedit virtutis documenta, hoc præcipuum fuit, ut se semper cogitarent velut mortuos, & præsenté tanquam ultimum ducerent diem. Qui ad mortem sese exercent, 1. quid sibi desit cognoscunt. 2. vitam suam rectè dirigunt. 3. in suis operibus perfectè agunt.

Tert. l de Res. Carn. 47 1. *Vos reputate mortuos.* Vult Apostolus ut Christiani sese mortuos per mortis experimentum existiment. De Pacuino Siriæ Principe refert Moralis

Epist. 12 Philosophus: *Pacuinus qui Siriam usu suam fecit, cum vino, & alijs funereis epulis sibi parentaverat, hic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum hoc in symphoniam canerent; Vixit, Vixit.* Hoc domestico & quotidiano funere, Pacuinus mortis memoriam inter epulas regiasque opes, indies excitabat. *Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in somnum ituri, læti hilaresque dicamus: Vixi, & quem dederat cursum natura, peregi: crastinum si adjecerit Deus, læti recipiamus.* Inde concludit Seneca fructum, qui ex quotidiana mortis praxi colligitur: *Ille est beatissimus & securus sui possessor, qui crastinum sine solicitudine expectat, quisquis dicit: Vixi, quotidie ad lucrum surgit.* Nonne Christiano cothurno hæc typis mandata videntur? Neque minus sapienter hac supra re philosophatur D. Ambrosius:

L. de Bono Mort. c. 5 *Unde & nos dum in corpore sumus, usum mortis imitantes, allevemus animam nostram ex istius carnis cubili, & tanquam de isto exurgamus sepulchro.*

exsti-

existimantes nos *velut ex mortuis vivos; non velut vivos, sed velut ex mortuis vivos.* Qui sese considerant velut ex mortuis viventes, vel hodiè morituros, agnoscunt quid sibi desit, dicentes ad instar regii Vatis: *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi:* Seriò unusquisque recogitet, quid illi deesset, si hac die esset moriturus. Profectò multa sibi deesse reperiret: illi deesset vel valida confessio, quam fortè nunquam fecit; vel boni malè acquisiti restitutio; vel honoris denigrati reparatio; vel injuriæ condonatio; vel à pellice separatio; vel recta officii administratio; vel diei festi, dominicæ, aut quadragesimalis jejunii observatio; vel eleëmosynarum erogatio; vel passionum & cupiditatum moderatio; vel vitæ compositio; quam regulat, & dirigit mors exercita, & ad praxim redacta. Tert. lib. de res. car. 47.

2. Qui mortem non recogitant *universam vitæ conversationem sine gubernaculo transfretantes, imminentem seculo procellam vitare non nôrunt.* Qui procellosum mare sulcant, peritum satagunt habere gubernatorem. Nam ut fatur Chrysologus, *Gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas. Blandiente aura navim regit ultimus nauta. In confusione ventorum primi quæritur ars magistri.* Mundus est mare ventis & procellis agitatum: super illud navigamus mare: navis est vita nostra, ad quam regendam dedit nobis Deus rationem, legem, Christianam disciplinam: præcipuus autem nauta & navis gubernator est mors. *Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Quasi mors meditata, in memoria residens, & quotidiano usu exercita, sit optimus morum legislator. Simmachus vertit: *Pone Domine legem eis*, quasi ipsa mortis recordatio, & praxis, sit velut lata lex, quæ omnem præcipiat probitatem, & timore trahat ad obsequium. Aquila exscribit: *Pone Domine timorem mortis.* Quem non terreat vivacior mortis memoria & quotidianum ejus experimentum? Scholium græcum habet, *illucesce super eos*: quasi assidua mortis cogitatio sit velut facula præfulgens, moresque dirigens. Tert. lib. de pœn. c. Psal. 9.

Qui navem regit, non in prora residet, sed in puppi; sic nostra navis gubernator animus prosperè cuncta dirigit, si fuerit intentus extremis, si non sederit in prora, hoc est, in primo vitæ limine, si non ambulaverit per fora, id est, longioris, ut apparet, vitæ spatium; sed hæserit in puppi, hoc est, in extremo vitæ, attenta & perenni mortis meditatione. Quod innuere videtur regius Vates de Deo aiens: *Ipse reget nos in secula.* D. Hieronymus vertit; *Ipse erit dux noster in morte;* Quasi dicat, Deus nos reget media morte, quam nobis velut rectorem dedit. Liranus legit, *Ipse reget nos usq; ad mortem.* Qui de morte non cogitat, est à Deo regendus: at cùm mortem ediscit, eamq; quotidiè redigit ad praxim, non alio rectore indiget. Alii exscribunt apud Lorinum; *Ipse deducet nos juxta mortem.* Peculiaris hæc Dei cura, & sollicitior providentia regens nos usque ad beata gloriosæ æternitatis secula, deducit nos juxta mortem, id est, propè mortem, ut semper antè oculos obversantem habeamus mortem. Hugo Cardinalis elucidans istud Geneseos, ubi Isaac de civitate Gerara egrediens, Godfrid. in allegor. in Eccles. Psal. 47. Cap. 26.

ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi, sic fatur: *Torrens Geraræ decursus mortalitatis est, ubi semper debet habitare quilibet: nam summa prophetia est assidua mortis cogitatio.* Prophetia futurum præfatur: & homo meditans mortem vitę terminum respicit: res prophetatę infallibiliter eveniunt: & mortis cogitatio & praxis, vitam dirigens, vitæ navim ad salutis portum certò deducit.

Chrysol. ser. 8. *Gubernator prudens à littore cùm navim solvit, cùm mare transiturus intrat fluctus, domus, patria, conjugis, pignorum curas deponit, & ita totus mente, corpore, sensu, nauticis laboribus occupatur, ut & fluctuum possit superare discrimina & stationem lucrosi portus periculi victor intrare.* Vitæ navis à morte gubernata peccata vitat, quæ possent afferre naufragium. Qui suam mortem jugiter recogitat, *intrat carnis pelagus, scindit vitiorum fluctus, inter scopulos criminum transit, præterit littora passionum,* tutus est à tinea vitiorum, vivas sui exequias assidua recordatione celebrat, & lugubres sui funeris vestes repetitâ memoriâ attingens. [A scorpione aliquando percussi nunquam posteà à crabronibus, vespis, apibusq; feriuntur. Minùs miretur hoc, qui sciat vestem à tineis non attingi, quòd fuerit in funere] tinea acediæ, tristitiæ, iracundiæ ac vitiorum omnium vermis non attingit eum, qui jugem habet funeris memoriam, & mortis præsentis, & æternæ, ubi vermis non moritur. Hæc enim funeris seu mortis memoria peccata fugat, æstus concupiscentiæ temperat, passiones frænat, à terrenis cor avocat; ut hoc Sapientis ænigmate comprobatur. *Aperi os tuum muto, causis omnium filiorum qui pertranseunt.* Vatablus legit: *In causa omnium filiorum interitus*: quasi filii interitûs seu mortis, scilicet qui medullitùs sibi habent inviscératum interitum & mortem animitùs præsentem, dicantur muti ad rerum mundialium nugas, & surdi ad mundi loquelam: non magis de terrenis cogitantes & loquentes, non magis præstantes auditum diaboli tentationibus, carnis oblectamentis, mundi blanditiis, ac si reipsa essent mortui. Sic nos, frater, iter hujus vitæ ingressi seculi pelagus *navim corporis nostri solvamus à littore mundano: secularis patriæ renuntiemus curis: in crucis arbore tota mentis vela tendamus, virtutum funibus, sapientia remis, gubernaculis disciplina navigii nostri muniamus incessum, & subductis terris speculemur cœlum: ut ducatum signorum cœlestium, inter liquidos calles latentis via inoffensum tramitem tenere possimus: ac si gubernante Christo, flante Spiritu sancto, evictis voluptatis spumis, superatis vitiorum fluctibus, decursis criminum procellis, transvectis scopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis evitatis, vita portum intremus,* quem ingrediuntur, qui singulis moriuntur diebus, mortem namq; jugiter experientes rectè agunt, efficiuntque opera immortalitate digna.

Chrysol. ser. 41.
Plin lib. 28 cap. 3.
Prov. 31.
Chrysol. ser. 2.

Tert. lib. de resp. 48. 3. *Quotidiè morior.* Quotidiè moriebatur Apostolus, nec quidquam nisi morte coràm operabatur, imitans Christum, qui ad mortem properans instituit Eucharistiam, quæ est sacratissimum mysterium & præstantissimum divinæ potentiæ opus. [Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.] Uti Apostolus

quotidiè moriebatur; ita ut simus perfecti singulis moriamur diebus. *Quis mortuus integer? id est, perfectus. Qui exanimis* qui sese inter mortuos considerat. Et quemadmodum Christus morte coràm augustissimum instituit Altaris Sacramentum, ita singula nostra efficiamus opera, quasi essent ultima; accedamus ad pœnitentiæ tribunal, quasi ultimam facturi confessionem; adeamus ad Eucharistiæ mensam, quasi ultimam communionem recepturi; assistamus Missæ sacrificio, quasi ultimam Missam audituri; largiamur dona pauperibus, quasi ultimam eleēmosinam erogaturi; & sic de cæteris. Qui hoc modo operantur, sunt perfecti & sicut stellæ de die non splendentes in nocte scintillant: & ut fatur Veronensis Antistes: *Velut funereæ faces in occasus suos quasi quibusdam deducuntur exequiis:* ita dum homo præproperè suas celebrat exequias, virtutis spargit radios. Tert. l. de res. Carn. 57. Serm. de res.

Meditare mortem. Quid hoc dicit, meditari libertatem jubet? libertatem à mundi tyrannide, à diaboli dominatione, à carnis voluptate, à peccati servitute. *Qui mori didicit, servire dedidicit;* scilicet vitiis, concupiscentiis, passionibus. Tres sunt hominum ordines, qui hac in materia deficiunt. 1. Nonnulli non meditantur mortem; alii non experiuntur mortem; tertii ex præsentia mortis non benè operantur. 1. Meditatio mortis est, ut vidimus summâ philosophiâ, imò & summâ prophetiâ. Insipientes tamen multi summam illam dedignantur sapientiam. Nonne est stupendum, ait D. Chrysostomus, nulla est res, de qua sæpiùs homines loquantur, quàm de morte, & nulla est res, quam minùs recogitent, quàm mortem? In matrimonii contractu multoties nomen mortis apponitur: si vir antè uxorem moriatur, si uxor priùs moriatur, si primogenitus moriatur, & toties repetito mortis nomine, nullam mortis conservant memoriam. 2. Alii ediscere mortem dedignantur, verùm imprudenter: nam si, qui publicum habituri sunt sermonem, illum student & ediscunt: quantò magis ediscenda est mors, ex qua æterna dependet aut fœlicitas, aut miseria? *Supervacaneum forsitan putas id discere, quo semel utendum est. Hoc est ipsum quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus.* Si bis moreremur, tantum non esset periculum, quia semel in peccato mortui possemus iterùm pœnitentes & in gratia existentes mori: at quia semel morimur, & ex una illa morte dependet interminabilis pœna, aut gloria, semper ediscenda est mors, ut moriamur non ad inferni pœnam, sed ad cœli gloriam. *Semper antè oculos nostros versetur ultimus dies, & cùm diluculò surrexerimus, ne ad vesperam nos confidamus pervenire: & cùm in lecto membra deposuerimus, de lucis non confidamus adventu: & facilè poterimus cor nostrum à vitiis & concupiscentiis malis refrænare.* 3. Tertii ex cogitatione suæ mortis ansam sumunt malè operandi. *Megarienses obsonant quasi crastina die morituri.* Cujusmodi sunt plures alii impiè dicentes: *Manducemus ac bibamus, cras enim moriemur.* Quos meritò redarguit D. Augustinus, cùm potiùs dicere deberent: Cras moriemur, itaque jejunemus, oremus, bonis vacemus operibus, studeamus virtutibus, ut in gratia & Dei amicitia morientes immortalem adipiscamur vitam.

Senec. ep. 26. Hom. 3 de Spiritu S. Senec. ep. 26. D. Aug. in Nemo in inferno confitebitur tibi. Tert. Apol. 39. Tert. lib. de Res. Carn. 49.

CONCIO QUINTA.

Tert. lib. de An. 52. SUnt *varii exitus mortis, ut est multimoda conditio causarum.* Ut autem animadvertit D. Augustinus, *non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant* Epist. 121. ad Victorianum. *Deus attendit in servu suis.* Non est consideranda causa mortis an ordinaria, vel extraordinaria: naturalis, vel violenta: in lecto, vel in mari: febre, vel ferro: in juventute, vel senectute accidat; sed qualitas mortis est attendenda, Epist. 78. scilicet bonitas: nam ut sapienter philosophatur moralis Philosophus; *Quomodo fabula, sic vita; non quamdiu, sed quàm benè acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo tempore, qua ætate, quo loco, qua rerum opportunitate desinas: quocunque voles, desine: tantùm bonam clausulam vitæ impone.* Lib de bon. mor. c. 2. D. Ambrosius trinam distinguit mortem. Bonam, malam & indifferentem. Bona, est justificatio, quâ homo peccato moritur, ut justitiæ & sanctitati vivat. Mala, est peccatum lethale, quod animæ mortem affert, expellens ab eâ gratiam sanctificantem quæ est principium vitæ spiritualis. Indifferens, est separatio animæ D. Aug. in Psal 33. à corpore, quâ homo amittit vitam naturalem. Itaque: *secundùm animam intelligenda est mors pessima, aut optima; non secundùm corpus, aut contumeliis, aut honores, quos homines vident.* Mors enim naturalis, quâ anima disjungitur à corpore, ex se est indifferens, nuncupaturque bona, aut mala juxta dispositionem animæ, in qua quis moritur: D. Aug. l. de Ver. Innoc. c. 147. *Bonis bona, malis mala.* Mala malis, nempè peccatoribus, quorum anima separatur à corpore peccato lethali affecta. Bona bonis, scilicet animam gratiâ sanctificatam exhalantibus: Bona reverà mors 1. desiderata: 2. præparata: 3. remunerata.

I. PARS. *Profiteris & vitæ incommodum & mortis beneficium.* Animam rationalem Lib. de Test. An. 4. alloquitur Tertullianus, quæ naturaliter vitæ miserias & mortis testatur solatia. Idem asseverat Philosophus moralis solo rationis lumine illustratus Senec. aiens: *contrà injurias vitæ mortis beneficium habeo.* Non est prætereundus D. Ambrosius, qui in eximio illo de bono mortis tractatu sic fatur: *Vita oneri, mors absolutioni: vita supplicio, mors remedio.* In hac vita trino onere gravatur homo; nam miseriis subjicitur; peccandi occasionibus exponitur; exilium patitur. Tot tantarumq; angustiarum respectu Christiani bonam exoptant Tert. lib. 1. ad ux. 4. mortem. *Cupidi & ipsi iniquissimo isto seculo eximi, & recipi ad Dominum, quod etiam Apostolo votum fuit.* Fideles Pauli æmulantes exemplum mori desiderant: ut 1. à miseriis hujus vitæ eruantur: 2. à peccandi necessitatibus liberentur: 3. ab exilio ad patriam revocentur.

Tert. lib. de An. 19 Tert. 1. *Statim infans, ut vitam vagitu salutavit,* ominatur miserias, quas passurus est toto vitæ decursu. Nàm *de prospectu lachrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur:* & ob hanc causam plures nationes diem mortis cum gaudio, diem verò nativitatis cum mœrore & lachrymis

lachrymis celebrabant. Imò ipsemet Christus, qui audita Lazari morte gavisus fuerat, lachrymatur, dum restituitur ad vitam. *Certè ipse, qui dixerat, Lazarus mortuus est, & gaudeo: de quo gaudet mortuo, ipsum cùm resuscitat, tunc lamentatur. Qui cùm amittit, non flet; cùm recipit, tunc deplorat: tunc fundit mortales lachrymas, vitæ spiritum cùm refundit.* Ethnici quoque probè scientes mortem esse finem miseriarum, quæ indesinenter vitam onerosam reddunt, dicere solebant: *Optimum est non nasci, aut natum quàm citissimè denasci.* Breves hominum dies multas complectuntur miserias; nam *angustantur ad vitam, dilatantur ad miseriam.* Quantò autem prolixior vita, tantò prolixior miseria: quapropter breviati sunt dies humanæ vitæ, ut breviores essent vitæ miseriæ: nam ut fatur Hildebertus Turonensis Antistes: *Quid aliud esset vita æterna homini vitiato, nisi æterna miseria?* Tot tantæq; sunt miseriæ, quas quilibet patitur homo toto vitæ decursu, ut vix enarrari possint. Quis enim dicet miserias, quæ comitantur infantiam, senectutem & quaslibet ætates? Quis anxietates, afflictiones & diversitates, quibus omnes sexus, conditiones & status addicti sunt? Quis corporis dolores, ægritudines, animi angores, tristitias, anxietates? *Tota vita ista intelligentibus tribulatio est: Sunt enim duo tortores animæ, non quidem simul torquentes, sed cruciatum alternantes: horum duorum tortorum nomina sunt timor & dolor, cùm tibi benè est, times; cùm malè est, doles.* Neque ullus homo, quantumvis secunda fruatur fortuna, est immunis à timore, aut à dolore. Quod non ignorans Vates regius ait: *Tota die tribulatus sum.* Indè concludit D. Augustinus: *Nullus ergò Christianus dicat esse diem, in quo non sit tribulatus: tota die tribulatio: & quandò benè est, utique tribulatio.* Neque à tribulationibus, quas in vita patitur, potest eximi, nisi per mortem: quæ ideò bona nuncupatur: *Vitam qui malum dixerit, habet mortem quam bonum dicat,* tum quia à vitæ incommodis & ærumnis: tum quia à peccatis & iniquitatibus liberat.

Chrysol. ser. 64.

Euripid.

D. Greg. l. 11. mor. 26.

D. Aug. ser. 42. de verb. Dom.

Ps. 83.

Tert. Scorp. 5.

2. Quamdiu vivimus in hoc seculo, sumus obnoxii peccatis, & qui sancti habentur, persæpè cadunt. *Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retrò posteà excidat? Saul bonus præ cæteris livore posteà evertitur. David vir bonus secundùm cor Domini posteà cadis & stupri reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino ad idololatriam à mulieribus inducitur:* Et quotidie plures alii, qui in firmamento Ecclesiæ velut sidera splendent; vel in hæresim, vel in lasciviam, vel in aliquod aliud labuntur scelus: adeò infœlix hæc vita est lapsui facilis. *Quid necesse est singulas ejus miserias numerare; quàm sit onerata peccatis, offusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus; prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominiæ impleta?*

Tert. lib. de præsc. Hæret. 3.

D. Bern. Ser. 5. in dedic. Eccles.

Paulus, quantumvis vas electionis à Deo vocatus, stimulo carnis adeò vehementer colaphizabatur, ut diceret: *Infœlix ego homo, quis me liberabit* Rom. 7.

de corpore mortis hujus? Ly corpus mortis significat omnigenas calamitates, iliadem incommodorum: mors enim in arcano sermone morbum, luem, Exod. ærumnas, cladem, & quidquid generatim nocet, denotat: quo sensu Pharao locustas devastantes vocitat mortem: [Rogate Dominum, ut auferat à me mortem istam.] Itaque corpus mortis vocat Apostolus, quia est vehiculum innumerabilium miseriarum, quæ instar mortis esse videntur. Verùm meliùs ad propositum D. Ambrosius per corpus mortis intelligit universitatem vitiorum, in quæ cadunt sæpè sæpiùs homines diaboli tentationibus, mundi Tert.lib. adv. Jud. 9 vanitatibus, concupiscentiæ fomitibus, carnis æstibus. 1. *Diabolus ad hoc se regnare putat, si Sanctos à religione Dei deturbat:* si justos à sanctitate in peccatum dejiciat. Furit tanquam leo rugiens, circuitque quærens quem devoret, ubique laqueos parat, ictus tentationum jaculat, nobisque innumerabiles tendit Lib. de bon. mort. c. 6. insidias: nam ut fatur D. Ambrosius, *Quoties inimicus cordi nostro conatur inserere, quò nos reflectat à sanctitatis proposito & piis votis? quoties corporeos inflammat ardores? quoties occursare facit oculos meretricios, quibus castum justi tentet affectum, & improviso amoris speculo feriat imparatum? quoties inserit animo tuo verbum iniquum & cogitationes cordis absconditas? ut dicat tibi Dominus: Quid cogitas mala in corde tuo?* Et quia, ut fatur Tertullianus, *secularia* L. de spect. 15. *sunt diaboli*: junguntur 2. diaboli tentationibus, quibus phantasmata movet, nimirùm vani honores, nefandæ voluptates, terrenæ divitiæ, cunctaque Tert. Scorp. 6. quæ vigent in seculo vitia: regnant enim ubique hæresis, impietas, blasphemia, perjurium, calumnia, detractio, dolus, fraus, rapina, injustitia, inimicitia, vindicta, pravum exemplum, impudicitia: & ut subjungit D. Ambrosius: *Voluptates seculi esca quædam sunt, & quod pejus est, esca malorum, esca tentationum. Dum voluptatem quæris, laqueos incurris. Oculus enim meretricis laqueus amatoris est: Oculus ergò meretricis est laqueus. Laqueus est etiam sermo meretricis, qui obdulcat ad tempus fauces tuas, & postea exasperat amaritudine conscientiæ peccatricis. Laqueus est etiam aliena possessio plena amœnitatis. Omne iter hujus vitæ plenum laqueorum est: undè justus dicit: In via hac, quâ ambulabam, absconderunt laqueos mihi.* Totus denique mundus plenus est tentationibus, insidiis, periculis, laqueis: divitiæ, voluptates, honores, sanitas, pulchritudo, commodum, prosperitas, cunctæque Lib. 1. de cult. fœm. 8. creaturæ laquei sunt. Bellè vocitat Tertullianus *mendacium cupiditatis ministrum*: quia diabolus mendacii auctor utitur 3. bonis mendacibus seculi; & ut fatur Tertullianus, ad prosternendum hominem *concupiscen*-Tert. lib. de spect. 14. *tiam concitat habendi. Ex hac vitium aliud extenditur immoderatè habendi.* Ex immoderata illa habendi cupidine quot suboriantur vitia, constat tum Tert. lib. de res. carn. 4. ex litibus, dissidiis, inimicitiis, bellis, fraudibus, rapinis, injustitiis: tum quia à Deo *concupiscentia seculi damnantur.* Adde 4. concupiscentiæ fomiti ignem *carnis frivola, criminosa, onerosæ, molesta*, concupi-D. Ambr. l. de bon. mort. c. 7. scentis adversùs Spiritum, hominemque ad gulam, ebrietatem, venereasque voluptates allicientis. *Et quid de extraneis laqueis loquar? nostri nobis laquei*

laquei sunt cavendi. In ipso hoc corpore nostro laquei circumfusi nobis sunt, quos debemus vitare. Non credamus huic corpori, non misceamus cum eo animam nostram. Cum amico misce animam tuam, non cum inimico. Inimicum tibi est corpus tuum, quod repugnat menti tuæ, cujus opera inimicitia, lites, dissentiones, perturbationesque sunt. Hanc pugnam cordis contra spiritum experimento edoctus Apostolus fatetur sentire se aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captivantem in legem peccati. Pugnas, insidias, tentationes, laqueos, pericula, quibus obnoxia est vita, eloquenter declarat D. Cyprianus. *Cæterùm quid aliud in mundo, quàm pugna adversùs diabolum quotidiè geritur, quàm adversùs jacula ejus & tela continuis afflictionibus dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est: cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua, & jugis, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & undique diaboli infestatione vallata vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod lex divina prohibet: compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidiè patitur, tot periculis pectus urgetur: Et delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cùm magis concupiscendum sit, & optandum ad Christum subveniente velociùs morte properare?* Ecclesf. 6. Rom. 7. Lib. de mortalit.

Fusè dinumerat D. Cyprianus pericula, in quibus versamur ob diaboli fallacias, seculi illecebras, carnis blanditias, impiorum conversationes; quæ tædiosam vitam & mortem efficiunt appetendam. *Hinc gratulatur Sapiens raptum esse justum, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Sapiens quoque diem mortis diei vitæ præponit. *Melior est dies mortis die nativitatis;* mortuosque magis quàm viventes commendat. *Laudavi magis mortuos, quàm viventes.* Nec mirum, quia constat viventes versari mediis in tentationibus & periculis, mortuos verò *ab omni peccato, & labore, & periculo liberari.* Quare si benè oculis mentis & fidei perspiciamus, inveniemus, quòd sententia mortis à Deo lata magis respicit finem peccati, quàm hominis exitum. *Nam si recolamus, quòd Deus mortem non fecerit, inventum mortem finem peccati, ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior.* Quæ cùm ita sint, mors justorum non mala, sed bona est prædicanda; neque horrenda est, sed exoptanda, tanquam finis miseriarum, tentationum & periculorum cadendi in peccatum. Nam ut fatur D. Ambrosius: *Quis igitur dubitet de bono mortis, cùm id, quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis est, id quod violentum, id quod procellosum, & ad omnia vitia illecebrosum est, conquiescat & jaceat, & quasi fera claudatur caveâ sepulchri, relinquatur rabies ejus exanimis, & emortua compago viscerum in terram resolvatur; id autem, quod familiare virtutibus, amicum disciplinis, studiosum gloriæ, sequax boni, Deo subditum est, ad illud sublime evolet, & cum illo puro & perpetuo* D. Cypr. Eccl. 4. D. Bern. in transl. Malachiæ. D. Ambr. l. de bon. mort c. 4. Lib. de bon. mort. c. 9.

perpetuo bono atque immortali maneat, ipsi adhæreat, & cum ipso sit, ubi quo regnationem ducit anima per mortem ab exilio liberata.

Scit se peregrinam in terris agere. Quod de veritate dicit Tertullianus, id- [Apolog. 1.]
[2. Cor. 5.] ipsum de hominibus in seculo viventibus asseverat Apostolus: *Scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Quamdiu sumus in hoc corpore, tamdiu sumus peregrini, & elongati, absentesque à patria, in terra
[D. Bern. tract. de præc. & dispens. c. 27] aliena tanquam exules versamur: *Illa circa corpus occupatio quid est, nisi à Deo quadam absentatio? & absentatio quid, nisi peregrinatio? & peregrinamur ergò à Domino, & in corpore peregrinamur.* Neq; ab hoc exilio nisi per corporis dissolutionem possumus revocari: quare Regius Vates de exilii sui diuturnitate
[Psal. 119.] conqueritur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Et aliorsùm sic Deum
[Psal. 141.] deprecatur: *Educ de custodia animam meam;* nimirùm de ergastulo corporis, in
[Tert. lib. adv. Marc. 2.] quo detinetur: & quia carcer *habet vincula*, quibus ligantur, qui in eo includuntur, anima vinculis ligatur in corpore. Horum vinculorum solutionem
[Phil. 2.] exoptat Apostolus: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*: ut enim expendit Magnus
[L. 4 mor. 41.] Gregorius, dissolvi Paulus non quæreret, nisi se vinctum videret. D. quoque Ambrosius ex definitione mortis, quæ est solutio animæ & corporis, colligit
[L. de bon. mor. c. 3.] nos in hac vita teneri vinculis alligatos. *Quodlibet hîc abundet, nondum sumus*
[D. Aug. in Psal. 85.] *in patria, quò redire festinamus.* Homo in custodia inclusus de ruina carceris non tristatur, sed gaudet, sperans desiderata frui libertate; neq; justus de dis-
[Maxim. Tyr. Dissert. 41.] solutione corporis affligitur, quæ exilium ejus & carcerem terminat: *Vt quid metuat veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritualem videt in altes sublimè consurgere?* Macrobio teste, plures nationes cum lætitia & canticis mortuo-
[D. Bern. Ep. 253.] rum corpora ad sepulchra ducebant: *Persuasione hac, quâ post corpus animæ ad*
[Lib. 2. Somn. Scip. c. 3.] *originem pulchritudinis musica, id est, ad cœlum redire credantur.* Si hoc censuerunt Gentiles, quantò magis Christiani, quos fides docet justorum animas ab exilio revocatas, à corporis carcere liberatas, à vinculis, quibus detine-
[Tert. Apol. 1.] bantur, solutas, *Genus spem, sedem gratiam, dignitatem in cœlis habere*, ibique in æternum tanquam in sua patria permanere? *Hac ad mortis metum, & ad ipsius*
[Tert. l. 5. adv. Marc. 12.] *dissolutionem, & contristationem consolandam.* Tantùm abest, quòd justorum mors sit formidanda, quin potiùs est desideranda, neque tristitiam aut dolo-
[D. August. lib. 4 cötr. duas Ep. Pelag. 8.] rem ingerit, sed gaudium & lætitiam affert: Itaq; *amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exolutos paradiso restituat & regno: Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? quis non ad suos navigare festinans ventum prosperum avidiùs optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes jam habere cupimus, quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre: ut parentes salutare possimus?* quò conducit mors præsertim dũ est præparata.

[II. PARS.] Ad mortem paratos nos vult Dominus, ne *à die illo timoris deprehen-*
[Tert. l. 1. ad ux. 5.] *damur, ut Sodoma & Gomorrha.* Non loquor in præsentiarum de præparatione proxima, quæ fit in gravi morbo, vel instanti aliquo periculo per Sacramentorum susceptionem, sed de præparatione tota vita facienda, ad

instar

instar Fabiolæ, de qua scribit D. Hieronymus, *dum semper parata, mori eam non potuit invenire imparatam*. Hæc autem præparatio in tribus potissimum consistit: In 1. peccati aversione: 2. terrenorum abdicatione: 3. bonæ vitæ conversatione.

1. *Malitiam Deus exactor innocentiæ odit*. Peccatum quoque aversari debet Christianus, cujus voluntas divinæ debet esse conformis voluntati: *Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est*. Ultra conformitatem cum divina voluntate plures adhuc suppetunt rationes, quæ nos ad odium peccati stimulant, quas aliorsùm subministravimus; quibus prætermissis, odiendum dicimus peccatum: tum quia Deum offendit, *cùm universa delicta adversùs Deum sapiant*: tum quia animam interimit. Nam *quomodò moritur caro, amissâ animâ, quæ vita ejus est: sic moritur anima, amisso Deo, qui vita ejus est.* Homo scelerosus est vivens & mortuus, vivens naturaliter, mortuus spiritualiter; vivens in corpore, mortuus in anima. *Sicut visibiliter plerumque in domo integrâ & salva dominus ejusdem mortuus jacet: sic in corpore integro multi habent intùs animam mortuam*: & licèt de hac veritate absq; fidei jactura nequeant dubitare Christiani, plures tamen corporis curam sollicitè conservant, animæ verò negligunt: Quod deplorat D. Augustinus: *Omnis, qui peccat, moritur; sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci; quæ tamen* est tantò magis timenda, quantò anima est corpore nobilior, & vita animæ vitâ corporis dignior. Quare, ut animadvertit D. Augustinus, Apostolus in sua epistola ponit & dicit: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: *Lucrum putans maximum, jam secularibus laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri.*

Ut quis autem animam suam à morte peccati præservet, jugiter recogitanda est mors; meditata siquidem mors est *salutare quoddam amuletum contra peccatum*. Asilus locus erat, ubi reus quisque, quantumvis justè insectaretur, tutus erat: religio namque & jus vetabant, ne ullum dispendium aut in corpore, aut in honore, aut in re familiari pateretur, qui ad asilum confugerat: Homo *de asilo quodam mortis* tuetur & protegit animam suam, ne ei peccatum necem inferat, imò & ipsum peccatum interimit. Quod acutè quamvis longiusculè animadvertit Algerus: *Quia enim peccando Adam à Deo divisus est, ideò Deus postmodùm in morte corporali dividuum eum fecit à seipso; ut in corporis & animæ divisione cognosceret, quia ipsa ejus anima ei, qui vera est vita, non adhæsisset. Quia igitur mors exterior mortis intrinsecæ tàm erat figura, quàm pœna, ideò hinc terrendo, hinc monendo, erat quædam ipsius culpæ medicina. Si Deus priùs abstulisset pœnam medicinalem, quàm culpam mortiferam, incurabiles nos redderet, quia, ablatâ pœnâ, magis condelectaremur culpæ, & ita, culpa urgente & obstante, nullus relinqueretur locus gratiæ.* Morti corporali mancipatos nos reliquit Deus: tum ut separatio animæ à corpore præfiguraret separationem animæ à Deo factam per peccatum: tum tanquam medicina curativa, quæ nos à peccato commisso sanaret, ut, quæ erat pœna peccati, esset remedium

Epist. 3 ad — Tert. lib. de spect. 2 — Tert. lib. de pœn. 4. — Tert. Præd. to. 1 Tract. de amor. — Ho. in Deû Con. 3. — Tert. lib. de Idol. 1. — D. Aug. Tract. 49. in Joan. — D. Aug. Serm. 18. de verb. Dom. — Tract. 49. in Joan. — Lib. 4. côt. duas epist. Pelag. 8. — D. Basil. in Hexam. — Tert. apol 37. — Lib. 2. de Sacr. 6.

contra peccatum: rum ut medicina præservativa, quæ nos impediret labi in peccatum. Subjungit Algerus: *Cùm igitur culpa mors sit animæ, interim punienda erat per temporalis mortis molestiam; & sic sananda per gratiam: ut interim in regno mortis amaritudo passionum & laborum peccata excoquens purgaret, & ita gratia cœlestis virtutum germina, quò liberiùs, eò uberiùs inserens, nos vita æternæ reformaret. Propter peccatorum igitur excoctionem & purgationem non erat interim mors temporalis auferenda, sed æterna.* Mortem æternam peccato Adami debitam sua morte ademit Christus, mortem corporis verò temporalem

Dub. Aug l. de salut. docum. c. 16. reliquit, ut assidua ejus cogitatio excoquat peccata, imò & peccatis moriatur. *Quid est peccato mori nisi opera maligna in nobis damnare, & hoc miserabile seculum fugere* per terrenorum abdicationem?

2. Dominus, ut Christianos à secularibus avocet per jugem mortis cogitationem, proponit illis hominum exemplum, qui nubentes & euntes aquis

Tert. lib. 1. ad ux. 5. diluvii sunt subitò submersi. *Cùm dicit: Nubebant & emebant, insigniora ipsa carnis & seculi vitia denotat, quæ à divinis disciplinis plurimùm avocant: alterum per lasciviendi voluptatem: alterum per acquirendi cupiditatem.* His assimilantur pravi Christiani seculo addicti, qui nihil nisi terrena sapientes, & æternas

D. Aug. l. de doct. Chr. c. 20. amittunt spes, & interminabilem patiuntur miseriam. *Cujus enim animus non moritur huic seculo, neq; incipit configurari veritati, in graviorem mortem corporis trahitur; neq; ad communionem cœlestis beatitudinis, sed ad luenda supplicia reviviscet.* Qui terrenis inordinatè adhærent, multùm discriminantur à primiceris Christianis, qui cunctas seculi abdicabant voluptates, ut expeditiores

Tert. lib. de spect. 1 fierent ad subeundum martyrium, amputatis cunctis vitæ retinaculis. *Sunt qui existimant Christianos expeditum morti genus ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quò faciliùs vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus.* Eodem modo cuncta terrena abdicant, qui jugiter ad mortem se præparant, attendentes ad commonitionem principis Apostolorum asseve-

2. Petr. 1. in Glos. rantis, [Velox est depositio tabernaculi.] Ubi Strabus Fuldensis: *Pulchrè non mortem, sed depositionem vocat, quia sic est famulis Dei, carnis retinacula eruere, sicut viatoribus confecto itinere domum propriam pro habitatione tabernaculi adire: sicut positis in expeditione, prostrato hoste, ad patriam redire.* Non dicit, Velox est depositio domûs, quæ solido & durabili innititur fundamento, sed depositio tabernaculi, quod non radicatur in terra, sed facilè movetur. Velocem tabernaculi, id est, vitæ depositionem considerantes justi à terrenis cor di-

D. Aug. Serm. 42. de verb. Dom. movent, & in seculo tanquam advenæ vivunt. *Fratres, in hoc mundo tanquam peregrini vivamus. Transire nos cogitemus, & minùs peccabimus.* Secularia namq; sunt delictorum incentiva, quare moriamur peccato, moriamur seculo, moriamur nobismetipsis, ut in Domino morientes, de nobis dicatur: Beati

Apoc. 14. mortui, qui in Domino moriuntur. Ubi D. Ambrosius: [Quis mortuus mori potest? nullus nisi priùs animam accipiat. Illi sanè sunt beati, & illi mortui in Domino moriuntur, qui priùs moriuntur seculo, post-

D. Aug. in Ps. 67. eà carni.] *Hæc est mors optima, ut in cupiditatum cohibitione à terrenis, in spe cœlestis hæreditatis homo usque in finem perseverans diem vitæ hujus ulti-*

mum claudat, ad quem se præparavit per bonam vitæ conversationem.

3. *Vbi enim mors, ibi & vita post mortem: quia & vita ibi antè, ubi posteà mors.* Tert. lib. de res. carn. 47. Bonam mortem sequitur vita immortalis, quam præcedit bona vita: velut præparatio & dispositio necessariò prærequisita ad bonam mortem. Homines, qui bonam exoptant habere vitam, non multùm curant, an eorum vita sit longa, aut brevis, sed de ejus bonitate sunt multùm solliciti: *Non enim vivere bonum est, sed benè vivere. Itaque Sapiens vivit quantùm debet, non quantùm potest. Cogitat semper qualis vita, non quanta sit. Nihil existimat sua referre, faciat finem, an accipiat; tardiùs fiat, an citiùs. Citiùs mori, vel tardiùs, ad rem non pertinet: benè mori, an malè, ad rem pertinet: benè autem mori est fugere malè vivendi periculum.* Sen. Ep. 70. Pleriq; bonam mortem, at non bonam volunt ducere vitam; similes illi, qui olim interrogatus, uter mallet esse Crœsus, aut Socrates. In vita, inquit, Crœsus, in morte Socrates: in vita Nero, in morte Cato: in vita lup⁹, in morte agnus: in vita diabolus, in morte Angelus: id ambitiosus, libidinosus, gulosus & quivis scelerosus solet desiderare; tale fuit impii Balaami votum dicentis: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* Num. 23. Verùm, ut benè animadvertit Oleaster, stultè locut⁹ est; dicere namq; debebat: *Vivat anima mea vitâ justorum, Dominus non consuevit dare mortem justorum, nisi justis.* Mors Echo est vitæ: ut enim echo voci, ita mors vitæ respondet. Si blandè vox insonuit, si ad artis & musicæ numeros, & ipsa quoq; blanda & musica resonabit echo, sin autem absona, insulsa, aspera, hiulca, horrida vox intonuit; & ipsa quoq; absonum quidpiam, insulsum, asperum, horridum & triste reddet echo. *Omninò necessè est vita præsentis finem futuræ coherere principio; nec ibi tolerabilis dissimilitudo.* D. Bernar. Serm. 2. in Fest. sanct. Petri & Paul. Mors similis est vitæ: qui criminosam ducunt vitam, in sceleribus ut plurimùm moriuntur. *Hoc teneo, hoc verum puto, quòd ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita.* D. Bonav. tom. I. Opusc. collat. de cõtemp. sec. At è converso, qui studiosè vivunt, virtutibus præditi exhalant animam. *Non potest malè mori, qui benè vixerit.* D. Aug. l. de doct. Chr. c. 2. Nam ut aliorsùm ait D. Augustinus: *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit.* Lib. 1. civ. 11.

Postquam Sapiens prædixit infaustum impii finem; *In malitia sua expelletur impius:* statim de justo subjungit: *Sperat autem justus in morte sua.* Prov. 14. Chaldæus legit: *Qui confidit se moriturum, justus est:* id est, justus de sua morte est sollicitus, jugiter illam cogitat, & continua mortis memoria & cogitatio illum in justitia conservat, & ad benè vivendum stimulat. Sirus habet: *Qui confidit se peccatis carere, justus est.* Præventâ namque cogitatione mors est repulsa delictorum, exilium scelerum, carentia peccatorum. Septuaginta pro morte substituunt sanctitatem: *Qui autem fidit sanctitati, justus est.* Sic præmeditata mors sanctitatem invenit, aut facit; metum in spem refingit, imò & spem cum sanctitate reciprocat. Profectò, qui timet mortem, parùm fidit sanctitati suæ; nimisque in vita sua à peccatis neglexit carentiam. Lib. 1. de bon. mort. c. 8. Nam ut ratiocinatur D. Ambrosius; *Mortis metum non ad mortem referendum est, sed ad vitam: non enim habemus, quod in morte metuamus*

metuamus, si nihil, quod timendum est, vita nostra commisit. Mortis metus non ad mortem, sed ad vitam refertur: unde iniquus timere debet mortem, quia criminosam duxit vitam; justus autem non tam prævidet mortem, quàm lætanter confidit se moriturum, quia confidit sanctitati suæ, quam in vita operatus est: & quam mors fausto fine consummat. Mortem *vitæ dispunctionem* sententiosè nuncupat Tertullianus, quia totius anteactæ vitæ est assertio: mala mors malam vitam denotat, bona verò mors bonam designat. Apud Septimium idem est dispungere ac expungere: ut enim animadvertit ejus commentator, utrumque de supputatoribus dicitur, qui accepta cum datis conferunt. Itaq; dispungere & expungere est perficere & complere; quia dispunctio seu expunctio numquam fit nisi facta & completa supputatione: undè in justo mors est vitæ dispunctio, id est, completio, perfectio, consummatio.

Lib. de Test. An. 4.

Cerd. in c. 17 l. de Spect.

Tert. l. 2. adv. Marc. 29.

Homo bonam mortem habere desiderans *erit tanquam lignum, quod plantatum est juxta exitus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hunc locum à regio Vate mutuatum variè varii interpretantur. Nonnulli *in tempore suo* ad futurum seculum & cœli remunerationem referunt: tunc enim homo justus feret fructum pietatis, virtutis, quo in vita enituit, nempè vitam æternam: Genebrardus illud de *tempore mortis* intelligit: instante namq; morte residuum vitæ tempus in bono perficit, neq; uxoris amor, natorum teneritudo, terrenorum cura hominem justum à bono dimovent, sed, omni alia ejecta sollicitudine, totum suum studium ad benè expungendam vitam adhibet. Alii tandem illud tempus ad omne vitæ tempus extendunt. Itaq; homo pius & justus tanquam generosa arbor in vere, æstate, autumno, aut etiam hyeme, id est, in adolescentia, juventute, virilitate, senectute dabit fructus cuiq; ætati opportunos. Homo justus, qui est *arbor virens semper*, qui quamdiu vivit, sollicitè sanctitatem custodit, qui in quavis ætate *arborum fructuosa* producit, in tempore mortis benè operatur, & post bonam mortem abundè remuneratur.

Psal. 1.

Tert. lib. de Idol. 19

Tert. lib. 2. adv. Marc. 11.

III. PARS

Verè mors justorum bona prædicatur, cùm tres boni species complectatur, honorem scilicet, jucunditatem & utilitatem: 1. Honorem; nam ut fatur Tertullianus, *Honorabilis mors in conspectu Domini Sanctorum ejus.* 2. Jucunditatem & gaudium; quare Christianus sic olim Ethnicum redarguit: *Tu mihi metas, & scenas, & pulverem, & arenam suspiras; dicat vellem: non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debemus?* 3. Utilitatem; quare à regio Vate pretiosa dicitur. Apostolus enim testatur *mori lucrum*, & ideò dives lucrum ut usuras piè repetat *fœnore interitu*. Vitæ usura non licet, at mortis usura licita est: quàm autem prædives sit & ultrà sortem mortis usura, constat; quia 1. homo moritur, ut vivat: 2. anima terram deserit, ut cœlum possideat: 3. corpus cadaverascit, ut gloriosum resurgat.

Lib. 2. adv Marc. 19.

Tert. lib. de Spect. 28.

Tert. lib. de res. 12.

1. Homo nascens morti destinatur. *Mutuum debitum est inter se nativitatis cum mortalitate.* Quod probè sciens regius Vates sic Deum deprecatur: [Retribue servo tuo, vivifica me:] seu, ut legit D. Ambrosius, *Retribue servo tuo, ut vivam.*

Tert. lib. de carn. Chr. 6.

Psal. 118.

vivam. Sed quare dixit, Vivam, quia hæc vita non est loco præmii, quæ in loco mortis est. Dolet Propheta in pulverem mortis se esse deductum, Apostolus cupit ex hoc mortis corpore liberari: nimirùm ut vivat. Quare regius Propheta audacter pronuntiat, non moriar sed vivam. Ex Magno autem Basilio David dicens: *Non moriar, ostendit mortem non esse mortem;* sed potiùs *mortem esse vitam;* ut dicebat olim Symeones in Perside Pontifex, Christianos ad subeundos tyranno- Niceph. l. 8. c. 36.
rum cruciatus stimulans; seu, ut vult Clemens Alexandrinus, *portam & prin-* L. 4. strom.
cipium veræ vitæ; seu, ut asseverat adhuc Basilius Seleucus, *immortalitatis ja-* orat. 15.
nuam esse mortem, & de sepulchro vitam erumpere.

Magnum sanè est discrimen inter justorum nativitatem & mortem. Eorum nativitas est janua mortis. Indè demonstrat Tertullianus contrà Marcionitas & Valentinianos, cur Christus nasci voluerit, cùm Angeli apparuerint
in carne non nata. *Nullus unquam Angelus ideò descendit, ut crucifigeretur, ut* L. de carn. Chr. 6.
mortem experiretur, ut à morte suscitaretur. Si nunquam ejusmodi fuit causa Angelorum corporandorum, habes causam cur non nascendo acceperint carnem. Non venerant mori, ideò nec nasci. At verò Christus mori missus, nasci quoque necessariò habuit, ut mori posset, non enim mori solet, nisi quod nascitur. At quemadmodùm nativitas est janua mortis, ita justorum mors est ostium vitæ: nam ut pro-
fundè fatur Tertullianus: *forma moriendi causa nascendi est.* Et ob hanc cau- Ibid.
sam Ecclesia justorum mortem, natalem nuncupat; quia tunc nascuntur, dum moriuntur mundo, tunc vivere incipiunt fœlicitati, cùm præsentis
vitæ miseriis moriuntur. *O quàm beatè moritur, qui moriendo oritur! quàm* Petr. Dam. de S Vitale mart.
fœliciter temporalem vitam finit, qui vivere perpetualiter incipit! Hinc est quòd sancta Ecclesia dies emigrationis Sanctorum natales vocare consuevit, quia protinùs in cœlo nascuntur, cùm in terra visibiliter moriuntur: & tunc verè incipiunt vivere, cùm mortalem videntur vitam finire. Fateor id specialiter convenire
Martyribus, qui, ut fatur Chrysologus, *morte nascuntur, fine inchoant, occi-* Serm. 108.
sione vivunt, & in cœlo lucent, qui in terris putabantur extincti. Verùm id etiam cunctis competit Sanctis, quorum nataliria, id est, mortem, Ecclesia celebrat: imò & cunctis justis, quorum mors est pretiosa in conspectu Domini.
Quos mors absolvit ista non finit: quos corporis resolutio promovet ad melius, non Chrysol. ser. 101.
transducit ad pœnam; quibus vita inchoatur, non finitur: quorum mors pretiosa fit non sui qualitate, sed causâ: dum vita magis lucra invenit, quàm vita perdat usuram. Eloquenter declarat Chrysologus, quomodò ex morte nascuntur, & vitam accipiunt justi. Indè ad bonam mortem nos sufflammat D. Cypria-
nus: *Fungimur exitu mortis cum præmio immortalitatis*, quod præmium rece- Epist. 56.
ptura est anima à corpore in gratia separata, deferens terram ut possideat cœlum.

2. *A nobis, ut de posthuma vita & de alia provincia animæ, ita de morte tra-* Tert. lib. de An. 42.
ctabitur, ad quam vel ipsi pertinemus, si ad nos illa. Confutato Epicuro stultè volente mortem non pertinere ad homines, Tertullianus declarat tum mortem, tum vitam pertinere ad Christianos. Vita autem justorum est posthu-

ma mortis, quia est æterna, pertinetque ad animam, quæ separata à corpore est de alia provincia relinquens terram. Ubi autem habitent animæ justorum à corpore separatæ, non conveniunt veteres Philosophi: nam *apud Platonem in ætherem sublimantur animæ sapientes: apud Arium in aërem: apud Stoïcos sub lunam*: nonnulli aliis in locis eas collocant: Verùm, ut animadvertit Tertullianus, neque est *in æthere dormitio nostra cum pueraris Platonis: aut in aëre cum Ario; aut circa lunam cum endimionibus Stoïcorum*: aut in lacteo circulo: ubi, Philone teste, heroas ab hominibus sejunctos antiqui posuerunt sapientes; aut in firmamento: sed, ut fatur Tertullianus, justis *mortuis cœlum* tanquam splendidum palatium datur. Et quemadmodum ait D. Chrysostomus, pugilem generosum, qui omnes devicit adversarios, spectatores cum plausu consurgentes *sublimem statim excipiunt, nec terram attingere patiuntur, sed humeris sublatum innumerabilibus laudibus ornantes domum reportãt*: sic cœlestes spiritus innocuas animas, de diabolo, mundo & carne victrices, è corpore egredientes excipiunt, & cum gaudio ad empyreum cœlum deportant.

Tert. lib. de An. 54. — L. de Plāt. — Lib. 1. ad Nat. 10. — Orat. de S. Ignat.

Hoc iter in sublime sibi veteres pollicebantur, ut refert Arnobius. *Vos cùm primùm soluti membrorum abieritis enodes, alas vobis affuturas putatis, quibus ad cœlum pergere, atq; ad sidera volare possitis.* Verùm frustrà sibi pollicebantur alas expeditas, quibus ad cœlum contenderent: tum quia *nulla via in cœlum, nisi cui patet cœlum*: antè autem Christi ascensum nulli homini patebat cœlum, sed erat clausum: & animæ justorum recipiebantur apud Abrahæ sinum, *interim refrigerium animarum justarum.* Tum quia cœlum patet dumtaxat animabus eorum, qui in vera fide decesserunt, non qui Idololatriam & falsam religionem professi sunt: *Agnosce itaque differentiam ethnici & fidelis in morte.* Tum quia justis duntaxat & non scelerosis permittitur cœlorum aditus; ideoq; regius Vates empyrei fores nuncupat *portas justitiæ*: & adhuc *portam Domini*, declaratque quòd tantummodò *justi intrabunt in eam*: Gentiles autem erant sceleribus & vitiis contaminati & denigrati: quare cœlum apertum est solis fidelibus. Neq; adhuc cunctis veram religionem profitentibus, sed qui vitam duxerunt fidei conformem, & in justitia existentes exhalârunt animas. Quare animæ innocuæ in exitu à corpore, dicet Deus: *Veni sponsa de Libano. Eleganter Libani utiq; montis mentione injecta, qui thuris vocabulum est penes Græcos.* Ex mente Tertulliani Libanus idem est ac thus: thus autem significat vel orationem, quæ ad modum fumi thuris ascendit ad Deum, vel sacrificium, quod soli Deo debet offerri: Libanus etiam, juxta D. Hieronymum, significat candorem: idcircò anima candore gratiæ dealbata, veniens de monte thuris, quæ vel assiduè vacavit orationi, vel Dei majestatem per sacrificia coluit, benignè excipitur, abundè præmiatur, & ut fatur princeps Apostolorum Petrus alloquens morientes in justitia: *Abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini.* Abundanter, hoc est, largè, copiosè, divite quadam opulentiâ, inexplicabili magnificentiâ, affluente omnis voluptatis copiâ, effusissimâ beneficentiâ, abundantissimâ gloriâ, qua major nequit cogitari. Illam

Lib. 2. cōt Gent. — Tert. Scorp. 10. — Tert. lib. 4 adv. Marc. 34. — Tert. lib. de An. 55. — Psal. 117. — Tert. lib. 4 adv. Marc. 11. — 2. Petr. 1.

Illam bonorum omnium abundantiam per os Jeremiæ pollicetur animæ justę ipsemet Deus. *Tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram.* Cap. 3.
In Hebræo habetur: *Terram amantissimam & jucundissimam.* Regia vertit: *Terram elegantia* elegantiarum plenissimam: Pagninus legit, *Terram concupiscibilem* & maximè appetendam: Paraphrasis Chaldaica, *Hæreditatem lætitiæ* omnium voluptatum altricem. Septuaginta traducunt: *Terram electam*, eximiam & omnibus anteponendam: quæ dicitur à Daniële *Terra inclita*, hoc est. decora, gloriosa. Illam nuncupat adhuc Jeremias Propheta *Vrbem perfecti decoris, gaudium universæ terræ.* Chaldæus legit, *Pulchritudinem gaudij*, Septuaginta vertunt, *Coronam lætitiæ*: alii verò, *Coronam gloriæ.* Quia in ea justi incredibili lætitia triumphantes Christum caput suum coronant, & vicissim ab eo coronantur: de qua decantat regius Vates: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei,* significans, ut vult Bellarminus, obrui se encomiorum copiâ, cùm enim multa gloriosa, magnifica, præstantissima sibi dici à Spiritu sancto videret, quæ non posset eloqui nomine uno, omnia est complexus, quæ effari poterat, aiens: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Adeoq; gloriosa, quòd in ejus comparatione nec Babylon dicetur ut olim *gloriosa*, teste Basilio Magno: nec Bizantium, ut fert Themistius *magnificentiæ officina*; nec Ecbatana prædicabitur à Rege Persarum Apollodio Thianæo *Deorum habitatio*; neq; Roma, ut adnotat Cassiodorus, *Virtutum omnium latissimum templum*: neque Aristides gloriabitur Athenis *triumphare bonam naturam.* Cunctas civitates, quæ nunc sunt & fuerunt aliàs in mundo, quantumvis præstantissimas, pulcherrimas, pretiosissimas in infinitum superat Empyreum, quod Apostolus nuncupat *civitatem Dei viventis*; ubi est multorum millium Angelorum frequentia, ubi est *gloriosa requies* à cunctis laboribus, quos pertulerunt in seculo justi: quam Christus Dominus vocitat *Civitatem magni regis*, quam passim fideles appellant *Paradisum, locum divinæ amœnitatis, recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum*: quorum, ut fatur Sinesius Cirenarum Antistes, *fœlicitas est fœlicior*; quia Deum intuentur, & videndo possident. In Senatum Romanum cùm Trajanus Imperator aliquando venisset, suumque exhibuisset vultum moderatione non minùs quàm pulchritudine gratiosum, communi omnium voce acclamatum est: *O vos fœlices!* quantò fœliciores animæ sanctæ clarè & intuitivè videntes Dei vultum, [in quem desiderant Angeli prospicere?] Quotanquam summo fœlicitatis objecto satiantur, perfectaque fruuntur beatitudine? *Præsume, oro te, nihil tibi opus esse, si Domino appareas, imò omnia habere, si habeas Dominum, cujus omnia.* Animæ enim sanctæ Deum videndo Deum possident, possidendo Deum omnia habent, quia in bono infinito omnia bona vel formaliter, vel eminenter continentur. Itaque justorum animæ in morte temporalia amittentes *lucro damno* cœlestia imò & divina possident, eorumque corpus cadaverascit, ut gloriosum resurgat.

Margin notes: Thren. 2. — Psal. 86. — In Isa. — Orat. 6. — Philostr. l. 1. c. 24. — Lib. 4. ep. 6. — Hebr. 12. — D. Epiph. l. 3. hæret. 38. — Matth. 5. — Tert. apol 47. — Ep. 48. — Plin. in Paneg. — 1. Pet. 1. — Tert. lib. 1. ad uxor. 4. — Tert. lib. de ref. carn. 12. — Tert. lib. de ref. carn. 7.

3. *Sic etiam ipsum mori carnis est.* Mox, ut anima à corpore separatur, caro moritur,

moritur, & corpus exanime cadaverascit, estque in sepulchro tumulandum; quapropter Tertullianus nuncupat monumenta *cadaverum stabula*, in quibus tumulata corpora requiescunt, quoad usque mundi adveniat finis. Quapropter Deus sic justos alloquitur apud Isaiam juxta versionem Tertulliani: *Populus meus introite in cellas promas quantulum, donec ira mea prætereat; sepulchra erunt cella proma, in quibus paulisper requiescere habebunt.* Usque ad diem judicii in monumentis requiescent defunctorum corpora, indè Antichristo eradicato suscitanda. *Aut cur cellarum promarum potiùs vocabulo usus est, & non alicujus loci receptorii; nisi quia in cellu promis caro salita & usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore?* Hoc est discrimen inter cellarium & promptuarium, quòd in cellario colliguntur ministeria mensarum, vel quæ victui necessaria supersunt, quæ paucorum scilicet dierum sunt; in promptuario verò, quę longi sunt temporis, reservantur. Ut autem ostendat Tertullianus, mortem corporum, quæ sunt in sepulchris, non esse diuturnam & æternam, sed duntaxat temporalem, non promptuarii, sed cellarii usus est vocabulo. *Proindè enim & corpora medicata condimentis sepulturæ mausoleis & monumentis sequestrantur, processura indè, cùm Dominus jusserit.* Ipsi etiam Christiani unguenta pretiosa & ornamentorum divitem copiam effundebant, futuram designantes incorruptibilitatem corporum, quæ *præclaris aureisq; indumentis vestiebant,* præfigurantes gloriosas dotes, quibus brevi fulgebunt suscitata justorum corpora. *Ideoq; nunquam mortuos consuevit Scriptura dicere, sed dormientes, quia evigilaturos, id est, resurrecturos vult intelligi.* Mors somnus communiter vocitatur, & ut fatur D. Augustinus, *somnum pro morte positum innumerabiliter Scripturæ continent.* Adeò ut vulgari effato passim de defuncto dicatur: *Obdormivit in Domino;* quia, ut ait D. Hieronymus expendens istud Apostoli [nolo vos ignorare de dormientibus,] *Brevi visuri sumus eos, quos dolemus absentes, neque enim mors, sed dormitio & somnus appellatur.* Plura non sunt hìc congerenda testimonia, ut ostendatur mortem amicorum Dei non esse mortem, sed dulcem somnum. Annon Isaias Propheta mortuis dicit: *Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in cinere?* Qui evigilat, utiq; dormit, ergò mors, non mors, sed somnus est: *Quia mors eorum somnus est, nequaquam resurgere, sed expergisci & evigilare dicuntur.*

Lib de res. Carn. 37. — Cap. 26. — Lib. de res. Carn. 27. — Tert. ibid. — Hom. 11. in ep. ad Hebr. — D. Aug. in Psal. 87. — In Psal. 3. — 1. Thess. 4. — Cap 26. — D. Hieron. in c. 8. Isai.

Ad tollendum mortis timorem & levandum dolorem, quem in propinquorum amissione persentiunt homines. *Proponendus est respectus denuntiationis Apostoli, qui ait: Ne contristemini dormitione cujusquam, sicut nationes, quæ spe carent: & meritò. Credentes enim resurrectionem Christi in nostram quoque credimus, propter quos ille & obiit, & resurrexit. Ergò, cùm constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis. Cur enim doleas, si periisse non credis? Profectio est, quam putas mortem.* Plura notatu dignissima refert Tertullianus. 1. Cum Apostolo mortem justorum dormitionem nuncupat, à qua evigilaturi sunt per resurrectionem: Quia 2. Christi credentes resurrectionem nostram quoque credere debemus.

Tert. lib. de pat. 8.

Quisquis in Christi resurrectione lætatur, lætatur potiùs, quia in Christo ipse resurrexit. In illo enim nostra portio, nostra conditio & mortem pertulit, & revixit. Et licèt nobis adhuc resolutio corpusculi maneat, cæpimus nunc æternâ vitâ jam vivere. Vndè quamvis fragilitatem nostram acceleret immaturæ mortis occasio, in Salvatore nunc didicimus priùs resurgere quàm perire. Antè enim homo futurus resurrexit in Christo, quam vitam sortiretur in seculo. Non enim tantum illi Dominus resurrectionis præstitit, in cujus generationis tempore resurrexit, sed etiam secuturis posteà populis hoc providit, ut priùs essemus de resurrectione securi, quàm de morte sollicii: & antè cum Deo viveremus in cœ[lis], quàm cū hominibus conversaremur in terris. In Salvatore enim omnes resurreximus, omnes reviximus, omnes ad cœlestia transmigravimus. S. Max. Hom 3 de Pascha. 3. Fides resurrectionis mortis expellit formidinem: & ut fatur aliorsùm Tertullianus, *spes resurrectionis fastidium est mortis*; quod asseverat Lib. 1. ad Nat. 10. etiam Moralis Philosophus, *& mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterùm, qui nos in lucem reponat, dies: æquo animo debet rediturus exire.* Ep 36. 4. Non est multùm dolendum de morte justorum, quos certò scimus non periisse: nam *justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*, il- Sap. 3. lorum verò corpora *cellariorum refugia servabunt*. Subjungit autem Tertullianus: In fine mundi, *post iram, processuram carnem de sepulchro, in quo ante iram fuerat illata. Nam de cellariis non aliud effertur, quàm quod infertur.* Tert. lib. de ref. carn. 27. Cellariis autem illata sunt justorum corpora, ergò de cellariis per resurrectionem educentur. 5. Profectio est, quam putas mortem, sed de morte ad vitam. *Bona mors non vita sed mortis: bona mors & nequaquam abhorrenda, quæ vitam etsi adimit, non perimit. Adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. Libenter ergò carebo ad tempus, ut in æternum possideam.* D. Bern.

Hanc immutationem in resurrectione faciendam in votis habebat Job: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea.* Cap. 14. Septuaginta vertunt: *Sustinebo, donec rursùm fiam.* Homo non est nisi stante unione animæ & corporis, in morte dissoluta fuit ejusmodi unio, quapropter homo desiicit esse: in resurrectione autem anima unietur corpori, & ita homo rursùm fiet: Alii vertunt, *Donec veniat transitus meus.* Homo moriens transit de vita ad mortem; resurgens verò transibit de morte ad vitam: *Mors piorum bona dicitur, quibus finis est ad mala temporalia, & transitus ad vitam æternam.* D. Aug. l. de ver. Innoc. c. 14. Simmachus legit, *Donec veniat sancta nativitas mea.* Generantur homines, ut conservetur species, resurgent quoque ad naturæ perpetuitatem. *Ne natura finis esset in morte, data est resurrectio mortuorum, ut per mortem culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura.* D. Ambr. l. de bon. mort. c. 4. Verùm ipsum immutationis nomen, quo utitur Propheta, denotat transitum ad meliorem statum. Corpora namque justorum *de requie sepulturæ* evigilabunt, induentque habitum Tert. Apol. 37. incorruptibilitatis, quem per pœnitentiam, mortificationem & jejunia meruerunt. Tert. lib. de ref. carn. 37. *Itaque Isaias, quale jejunium elegerit Dominus, cùm subjicit de mercede boni-*

bonitatis; Tunc, inquit, lumen tuum temporaneum erumpet, & vestimenta tua citiùs orientur: non subsericam utique, nec pallium, sed carnem volens accipi, ortum carnis resurrectura de mortis occasu prædicavit. Justorum autem caro per resurrectionem in melius immutata recipiet *indumentum nuptiale*; nempè dotes gloriosas agilitatis, claritatis, subtilitatis & immortalitatis. (Tert.)

Athenis fuit olim ea consuetudo, ut in nuptiis puer notæ ingenuitatis vannum onustam panibus & glandes ferret, & in medio hominum cœtu id solemne pronuntiaret: *Effugi mala & inveni meliora.* Quod veriùs dicere possunt justi cœlesti jam beatitudine fruentes: Quia 1. de nocte ad tenebras translati sunt: *ex nocte tum æther, tum etiam dies prognati sunt.* 2. De exilio ad patriam revocati: Nam ut fatur Petrus Blesensis, *Mors nihil est quàm peregrinationis terminus, finis miseriarum, laborum meta; mors exilii limes, janua patriæ, nativitas vitæ, principium beatitudinis primitiæ præmiorum.* 3. A doloribus exempti. *Quid accusamus mortem, quæ aut vitæ pretium luit, aut abolet ejus dolorem atque cruciatum?* 4. De naufragii periculo liberati. Nam ut subjungit D. Ambrosius; *Mors quidem portus est eorum, qui magno istius vitæ jactati salo, fidæ quietis stationem inquirunt.* Ut autem aliorsùm fatur D. Ambrosius, *Nautæ dulcia patriis oscula littoribus figunt, liberatos se periculis, absolutos erroribus gratulantes.* Justi quoque dulcia figunt oscula cœlo, tot periculis absoluti, jamque in portu amœnissimo collocati, in quem tanta animi ferebantur devotione: Et quia ad *regnum non potest nisi interposita morte transire*; quilibet justus, *quòd moriendo meliùs vivat, exultat*, lætusque terram & miseriam deserit, ut cœlum & beatitudinem adipiscatur. (Hesiod. in Theogon. — Serm. 5. de Adv. — D. Ambr. l. de bon. mort. c. 4. — L. 9. in Luc. — D. Greg. l. 31. mor. 26.)

CONCIO SEXTA.

Agnosce itaque differentiam Ethnici & Fidelis in morte. Non quidem quoad mortem corporis; quia Fidelis non secùs ac Ethnicus obnoxius est morti: sed quoad mortem animæ. Ethnicus enim absque fide & vera religione moritur, Fidelis verò veram profitens religionem: Ethnicus scelerosus & peccatis gravatus, Fidelis innocens & bonis operibus onustus: Ethnicus Dei inimicus, Fidelis à Deo dilectus: Ethnicus inferni supplicia passurus, Fidelis cœli præmia possessurus. Idem discrimen reperitur in morte bonorum & pravorum Christianorum. Mors corporis est omnibus communis, sed mors animæ ad peccatores, non verò ad justos pertinet. *De prima corporis morte dici potest, quia bonis bona fit, malis mala: secunda verò sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona.* Scelerosi secundam patientes in anima mortem malam etiam habent corporis mortem. Ut autem bona justorum mors est desideranda, ita lugenda est mala mors, 1. impiorum, qui animam mortalem credunt: 2. mundanorum, qui terrena inordinatè diligunt: 3. peccatorum, qui impœnitentes decedunt. (Lib. de rest. an. 55. — D. Aug. lib. de ver. Innoc. c. 147.)

Tale

Tale est ut plurimùm *genus mortis*, quale fuit genus vitæ. Nam ut ait D. Bernardus, *qualis vita finis ita.* Qui probè & laudabiliter vixerunt, bonam agunt mortem. Quod non ignorans Aristippus, interrogatus quomodò vitam finisset Socrates, respondit: *Utinam sic ego: quia Socrates benè vixit, benè obijt:* qui verò criminosè vivunt, non benè finiunt, ut constat ex impiis, qui malè moriuntur, quia transigunt vitam absque 1. fide: 2. spe: 3. bono opere.

I. PARS. Tert. lib. de An. 51. Serm. 18. de parvis. Laert. in vit. philos.

1. Mori humanam animam asseverant impii, *cùm totam corporis sitænam tempus aboleverit*, suamque impietatem Sapientis auctoritate fulciunt dicentis: *Unus interitus est hominum & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento ampliùs, cuncta subjacent vanitati.* Constat ex his verbis Sapientem nullum inter bestias & homines ponere discrimen, cùm utriusque sit par exitus mortis, sicut idem spirandi modus in vita, & eadem ad mutationem propensio: Quapropter *opinio Christiana, quæ animam ab interitu defendit, propter nomen solum vanitati, & stupori, & ut dicitur, præsumptioni deputatur.* Christianam opinionem dedignantur impii, decepti à morte; quæ, ut fatur Chrysologus, est *incredulitatis mater*, & ut impium in errore detineat, ad illum *mittit incredulitatem suam filiam sic minantem: Quasi non moriturus, quasi evasurus mortem, sic de vita disponis. Homo, te decipit fides, tu fidei credis, quæ, ut tollat præsentia, futura promittit, & ut auferat quæ sunt antè mortem, nescio quæ invisibilia pollicetur esse post mortem. Quis indè venit, aut quis sapiens credit tot seculis promissa, nec reddita?* Hæ sunt rationes, quibus impii suum errorem tueri nituntur: qui est tantò damnabilior; quod 1. *fidem prævaricatur:* 2. contra communem etiam Philosophorum mentem sapit; qui animæ rationalis tuentur immortalitatem; 3. contra nativam ipsius animæ inclinationem sentit; quæ ut illam alloquitur Tertullianus, *Cùm alicujus defuncti recordaris, misellum illum vocas: non uti de bono vitæ ereptum, sed ut pœnæ & judicio jam adscriptum. Misellum ergò vocas, qui nihil sentit: Quid quòd ut sentienti maledicis, cujus memoriam cum alicujus offensæ morsu facis? terram gravem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: æquè ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus & cineribus ejus refrigerium comprecaris, & ut benè requiescat apud inferos cupis. Si nihil est tibi passionis post mortem, si nulla sensûs perseverantia, si denique nihil es ipsa, ubi corpus reliquisti, cur mentiris in te, quasi aliquid ultrà pati possis;* neq; solùm defunctis imprecaris malum, & desideras bonum, sed adhuc naturaliter times mortem? At *cur in totum times mortem, si nihil est timendum post mortem, quia nec experiendum post mortem? Nam etsi dici potest ideò mortem timeri, non ultrà quid minantem, sed ut commodum vitæ amputantem: atquin cùm & incommoda longè plura vitæ pariter excedant, lucratione gravioris partis metum diluit, nec jam timenda est amissio bonorum, quæ altero bono, id est, incommodorum pace pensatur. Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Si times*

Tert. lib. de An. 51. Eccles. 3. Tert. lib. de test. An. 4. Serm. 118. Tert. lib. de pat. 9. Lib. de Test. An. 4.

vita decedere, quia optimam nôsti; certè mortem timere non debes, quam malam nescis. At cùm times, scis malam; non scires autem malam, quia nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, ut timeas. Proindè ratiocinatur Tertullianus demonstrans ex timore, quo agitatur, animam scire superesse aliquid timendum post mortem.

1.p. q.75. a.6. ad 1. Neque obstat Sapientis authoritas: vel quia, ut vult D. Thomas, loquitur in persona impiorum impiè sentientium, non solum corpus hominis, sed etiam ejus animam more bestiarum penitùs interire: vel quia, ut vult D. Hieronymus, de solo corpore hominis loquitur. Quod patet ex eodem Ecclesiastico, qui postquam de jumentis & humano corpore dixit: *De terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur*, subjungit, *& revertatur pulvis in terram suam, undè erat, & spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum:* his verbis denotans diversam esse animæ & corporis originem, diversumq; post mortem statum, cùm corpus terræ, anima verò reddatur Deo. Quod autem ait incredulitas, nullum ex mortuis unquam venisse, falsum est, ut constat ex Samuële, cujus animam verè apparuisse asseverat D. Augustinus, & ex pluribus aliis apparitionibus. Deinde *publica jam litera est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, etiam prompta humatione dispunctas, evocaturam se ab inferûm incolatu pollicetur.* Tot conglobatæ rationes aliquid superesse post hominis mortem demonstrant, exitumque impiorum lugendum ostentant, quia sine fide viventes sine spe decedunt.

Cap.12. Lib. de cur. pro mort. 15. Tert. lib. de An. 57.

Tert. lib. de pat. 9. 2. Eorum namque incredulitas *spei malè ominatur*, ad quos mors desperationem adhuc mittit, ut eos à bono dimoveat, & ad malè agendum inducat. Et ut fatur Chrysologus: *Mors desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli conjux, omnium malorum regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat: ut primùm susurratricem suam desperationem præmittat talia suadentem: Homo, cur tua perdis tempora? Ecce domina mors venit tuam animam in nihilum redigens, carnem tuam putredine, ossa tua vetustate consumens: ut te, qui non fuisti antequam nascereris, faciat non esse post mortem. Redde ergò debita ante mortem, moriturus citò, tibi, ætatibus tuis: da lusibus infantiam, da delitiis adolescentiam, da voluptatibus senectutem, da senectutem mihi, ne sine causa de spe cogites desperatus.* Verùm quàm sit debilis & frivola desperationis suadela, ostendit Tertullianus ex bono, quod sperat anima post mortem. *Ex altera parte congredior latioris spei per mortem: nam omnibus ferè ingenita est fama post mortem cupido. Longum est retexere Curtios & Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia sunt contempta mortis propter posthumam famam. Quis non hodiè memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut vel literaturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulchrorum ambitione nomen suum servet? Unde anima hodiè affectare aliquid quod velit post mortem, & tantoperè præparare quæ*

Serm.118.

Lib. de Test. An 4.

sit usura post obitum? nihil utiq; de postero curaret, si nihil de postero sciret, si nihil de postero speraret.

Lib. de res. carn. 1.

Et quia, ut aliorsùm fatur Tertullianus: *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum;* quò faciliùs Christiani sperent futuram corporum resurrectionem, in cunctis rebus, quæ sunt in mundo, mortis & resurrectionis conspiciuntur exempla, quæ fusè refert Tertullianus: *Nam dies moritur in noctem, & tenebris usquequaque sepelitur, funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent. silent, stupent cuncta: ubique justitium est. Ita lux amissa lugetur: & tamen rursùs cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra & tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam, noctem; rescindens sepulturam suam, tenebras; hæres sibimet existens, donec & nox reviviscat cum suo & illa suggestu. Redaccenduntur enim & stellarum radii, quos matutina succensio extinxerat, reducuntur & siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur & specula lunæ, quæ menstruus numerus attriverat. Revolvuntur hyemes & æstates, verna & autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippè etiam terræ de cælo disciplina est arbores vestire post spolia, flores denuò colorare, herbas rursùs imponere, exhibere eadem quæ absumpta sunt semina, nec priùs exhibere quàm absumpta. Mira ratio: de fraudatrice servatrix; ut reddat intercipit; ut custodiat perdit; ut integret vitiat; ut etiam ampliet priùs decoquit. Siquidem uberiora & cultiora restituit, quàm exterminavit. Reverà fœnore interitu, injuriâ usurâ, & lucro damno. Semel dixerim: universa conditio recidiva est. Quodcumque conveneris, fuit: quodcumque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, cùm abscesserint: omnia incipiunt, cùm desierint: ideò finiuntur, ut fiant; nihil deperit nisi in salutem.* Ex tot exemplis rectè colligit Tertullianus hominum resurrectionem. *Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus, antequam literis: viribus prædicavit, antequam vocibus: præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quò faciliùs credas prophetiæ discipulus naturæ: quò statim admittas, cùm audieris, quod ubique jam videris: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium nôris restitutorem, & utique si omnia homini resurgunt, cui procurata sunt; porrò non homini, nisi & carni, quale est ut ipsa depereat in totum, propter quam, & cui nihil deperit?* Tertulliano arridens Sanctus Zeno Veronensis Antistes admirabili sermonis eloquentiâ idem tractat argumentum. Nec minùs eloquenter Chrysologus, qui postquam demonstravit nihil homini in mundo oriri quod non occidat, nec vicissim occidere quin resurgat, sic impium urget: *Vndè homo, si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis resurrectionem tuam tibi jugiter prædicantibus acquiesce. Certè si ista longè sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, & de morte, tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari: vade ad semen Apostolo te docente: Tolle triticum aridum sine sensu, sine motu, duc sulcum, fodi terram, fac sepulchrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte de-*

Tert. lib. de res. 12.

Ser. de resur. 12

Serm. 118.

1. Cor. 15.

perit, humore turgescit, putredine corrumpitur: & cùm pervenerit ad totum, quidquid desperatio, quidquid incredulitas, quidquid corruptela tibi superiùs ingerebat, tunc subitò reviviscit in germine, in herba pubescit, juvenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem resurgit & formam: ut te homo triticum non tam doceat manducare, quàm sapere: non tam cogat laborare, quàm credere. At proh dolor impius tot exemplis non convincitur, sensibus suis non credit, naturæ magisterium despicit, prophetiæ non cedit, divinæ auctoritati non acquiescit; sed in incredulitate persistit, & desperatione motus, pravis vacat operibus, ut malam & lugendam obeat mortem.

Tert. lib. de jejun. 17. 5. Sic enim loquuntur impii; *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur;* credentes enim animam simul cum corpore morituram, nec carnis sperantes resurrectionem, nec præmium, nec pœnam post mortem expectantes, momentaneum vitæ tempus terunt vitiis indulgentes. Quos sic ratiocinantes inducit Sapiens: [Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & per hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus flatus est in naribus nostris; & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: quâ extinctâ, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata: & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur.] Ex falsis & erroneis illis principiis stultè & impiè concludunt: *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.* Atrociora quæque absque ullo metu perpetremus scelera: *Hæc cogitaverunt & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum;* quarum virtutes æternam acceperunt in cœlo mercedem, sicut criminosæ interminabilem in inferno sustinent pœnam: Neque mercedem sperantes impii, neque pœnam metuentes, criminosam ducunt vitam. *Enimverò nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam previdemus, meritò soli innocentiæ occurrimus, & pro scientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatûs non diuturni, verùm sempiterni, eum timentes,* quem timere debent cuncti mortales: etiam impii sectantes vitia carnis, *quæ dum improbis cupiditatibus fatigat animum, in æternam utriusque hominis pœnam Dei armat offensam, & spiritûs generositatem servituti exte-*

Sap. 2.

Tert. Apol. 45.

Eus. Emiss. Hom. de pœnit. Niniv.

exterioris addicit, dominante peccato: cui utique totam vim nostro vitio ministramus, ut animam mori faciat, quam non potest facere mortalem. Impiè animam mortalem existimantes, carnis resurrectionem non credentes, carnis vitiis indulgentes, & cupiditatibus ministrantes, animæ, quam nequeunt efficere mortalem, mortem inferentes armant Dei justitiam ad pœnam tum animæ, tum carnis: nam *dum ducunt in bonis dies suos, in puncto ad infernum descendunt*; ut æterna & animæ & corporis patiantur supplicia.

Hæc est lugenda illorum sors, qui dicunt: *Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa*; tormenta namque, quæ in orco tolerant, nullum unquam habebunt finem. *Sicut veritas hortatur homines fieri socios sanctorum Angelorum, ita seducit impietas ad societatem dæmoniorum, cui præparatur ignis æternus.* Christiani, erudiamur *de impiorum æstuario*, & ne gehennæ cruciemur incendiis, interminabilem tum animæ, tum corporis timeamus pœnam. Fugiamus vitia, quæ ducunt in infernum, & ut æternam valeamus consequi beatitudinem, studeamus virtutibus, animæ credamus immortalitatem, carnis speremus resurrectionem: *Quia mori nunquam libet, vivere semper delectat, resonet in ore nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostra mentis transmittatur auditum, ut mors, quæ nostros semper obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur; quia sic agricola fructus uberes & exsatiatas epulas cantat, ut imminentem vomeris laborem non sentiat, & sudorem. Sic nauta portus medulatur & lucra, ne undarum ruinas, nec maris discrimina pertimescat. Sic miles, ne vulnera metuat, ut gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos. Vnde resurrectionem mente, ore, oculis cantet, cogitet Christianus: ut totam mortis possit despicere & calcare formidinem.* Impii iniquè viventes facti sunt socii dæmonum, sustinentq; supplicia post mortem, quæ in vita non crediderunt, nec metuerunt. Sanctè nos fratres vivamus, ut Angelorum socii esse mereamur. Animæ sanctæ Angelorum inseruntur choris, Deumque clarè intuentur, & videndo possident: caro etiam, quæ virtuti ministravit, erit angelificata: *Abhinc etiam definimus carnem quidem omninò resurrecturam, atq; illa ex demutatione superventura habitum angelicum suscepturam*; scilicet incorruptibilitatis & immortalitatis. Ut autem illum habitum immortalitatis valeat assequi, mortificanda est: & ut fatur Gregorius Nazianzenus, *corpus premendum & extenuandum immortali, mortalis pars exhaurienda.* Desiderium immortalitatis mortale extenuet corpus, ne sempiternam sustineamus in anima & corpore pœnam, ad instar impiorum & mundanorum, quorum mors temporalis est lugenda.

D. Aug. ep. 49. ad Deo gratias q. 6. Tert. lib. de spect. 27. Chrysol. ser. 118. Tert. lib. de res. carn. 42. Orat. 1. in Julian.

II. PARS.

Quàm diversi sunt exitus bonorum & pravorum Christianorum! Exitus Christianorum, qui cœlestia sapiunt, sunt *placida mortis*: exitus verò pravorum Christianorum, qui contemnentes cœlestia, terrena tantummodò sapiunt, sunt *dura mortis*. Placidam illam, hoc est, *bonam facilemque mortem* Cæsar Augustus sibi, suisque exoptabat, quam Stoici egregiè dixerunt, *propriam esse proborum tantùm & verè sapientum.* D. quoque Chry-

Tert. lib. de An. 52. Chrysol. ser. 65. Sueton. in Aug. c. 99. Stob. in Ecl. l. 2. c. 4.

Chrysostomus ait probum in morte esse omnibus *tranquillitatis preceptorem.* Plura sunt, quæ placidam & tranquillam proborum efficiunt mortem. 1. Sacramentorum efficacia nimirum Pœnitentiæ, quæ illos a peccatis absolvit; Eucharistiæ, quæ sanctitatem angescit; Extremæ Unctionis, quæ adversùs diaboli tentationes munit. Nam *caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur; Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur; Caro ungitur, ut & anima consecretur; Caro signatur, ut & anima muniatur.* 2. Mariæ protectio, *ob id quòd Christo nascenti & morienti Maria adstitit digna facta, quæ filiorum Dei generationem ut Mater pientissima foveat, atq; morti nostræ, in qua Deo per gloriam nascimur, singulariter succurrat.* Deiparæ auxilium implorant fideles, quoties ejus officium decantant, eamque verbis angeli salutant: Beatissima autem Virgo *adjuvat in morte ab insidiis diaboli protegendo; adjuvat etiam post mortem animas suscipiendo, & eas in cœlum deducendo.* 3. Angelorum defensio, qui probos morientes *satellitum more circumambiunt.* 4. Bonæ vitæ antecessio. *Mors mala putanda non est, quam bona vita antecesserit.* 5. Astantium admonitio, qui eos hortantur, ut, omni aliâ rejectâ curâ, de eliciendis duntaxat virtutum actibus sint solliciti. *Dimitte ista, priùs cogita de salute tua.* 6. Interna Spiritûs sancti consolatio, qui eos sancto replens gaudio, donec *ad laureatum triumphalemque finem* pervenerint. 7. Cœlestis beatitudinis expectatio: *Nam quod est aliud votum nostrum, quàm quod & Apostoli, exire de seculo, & recipi apud Dominum? Hic voluptas, ubi & votum.* Omitto plures alias rationes, quibus posset demonstrari probos viros, *absq; ullo sensu molestia ut suavi somno correptos, extingui.* Non placida & tranquilla est improborum mors, sed anxia, dura, infœlix, lugenda; torquentur enim 1. amore: 2. dolore: 3. timore.

1. In improborum morte duplicem amorem eumq; inordinatum agnosco. Unum propinquorum, qui impatienter eam ferunt: *Ne illa quidem impatientia species excusatur in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur affectio:* totamq; suam adhibent sollicitudinem in quærenda corporis sanitate, non animæ salute. Nam ut obplorat D. Augustinus *pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque est ventura, curant omnes ne veniat, indè est quod laborant.* Nam vocant medicos, remedia parant, aliaq; multa magnis sumptibus abunde subministrant: At de salute animæ nullam adhibent curam, quin potiùs, amore perverso, obicem ponunt; neq; sacerdotes, qui eos ad pœnitentiam hortentur, nisi in vitæ termino accersunt; neque ullam eis mortis memoriam injiciunt, neque, ut alii de Deo eis loquantur, permittunt. Aiunt enim se vereri, ne sermones de Deo, de morte, judicio, inferno, cœlo: languenti & debilitato animi tristitiam, metum, pavorem ingenerent: *Alia est [...] ratio pietatis istius, crudelitatis etiam corporis nomine aversatrix, quod & [...] omo non utique mereatur pœnali exitu impendi.* Nam impedientes [...] parta restituant, tum animam, tum corpus cruciatibus [...] æternis. Quo nihil stultius, nihil inhumanius, nihil injustius potest

Tert. lib. de res. car. 8.
Salmer. [...] 5.
[...] de V. Mar. c. 6.
D. Chrysost.
D. August. [...]
D. Aug. in Psal. 102.
D. Dion. de eccles. Hierarch.
Tert. lib. de spect.
Dodon. Schola.
Tert. lib. de pat. 9.

potest dici; Neque in ea re, prudentiam, humanitatem, & amorem ostentant, sed potius imprudentiam, inhumanitatem, & odium demonstrant. Corpus animæ præferentes, & pro terrenis, eos cœlestibus privantes, & æternis ignibus addicentes. In hujusmodi habes *pietatis quoque Homericæ industriam, qui curam sepulturæ collocavit, ut instantia funeris, & honor corporum servetur, & memoria affectuum temperetur.* Tert. l. de An. 56

Neque minus est deordinatus amor morientium erga superstites filios, & proximos, quibus *cara cognationis honoraria*, etiam cum salutis dispendio relinquunt: Nam ne eos aut egenos aut inhonoratos desinant, per nefas acquisita retinent: neque injuste detenta reddunt: Amor adhuc vitæ, illos maxime perturbat: etenim *tantam animæ & carnis societatem, tantam à conceptu concretionem sororum substantiarum, divellit ac dirimit.* Per separationem autem animæ & corporis deperditur vita: nam *si mors non aliud determinatur quàm distinctio corporis animæque: contrarium morti, vita non aliud definietur, quàm conjunctio corporis animæq; si disjunctio simul utrique substantiæ accidit per mortem, hoc debet conjunctionis forma mandasse pariter obvenientis per vitam utrique substantiæ.* Quanto intimior est illa conjunctio, tanto imminens disjunctio majore animum afficit mœrore; & ob hanc causam *mors horrori est*; nam homo vehementer amans vitam quam vellet esse æternam, ardenter etiam diligit *consortium quoddam animæ & corporis, & quamdam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis.* Et quia mors compaginem illam rumpit, consortium solvit, unionem disjungit, naturam destruit, mortem summe aversatur homo: *Tantam habet vim carnis & animæ dulce consortium*; præsertim in homine prosperam vitam agente, & fortunæ bonis opulenter locupletato, quæ non nisi magno cum dolore deserit. Tert. l. de Idol. 10; Tert. l. de An. 27; D. Aug. in Ps 78; D. Aug. in Ps. 68; D. Aug. Ep. 120. ad Honorat. c. 6.

2. *Cœlestia recogita, & terrena despicies*; neque de eorum amissione dolebis: inde in proborum Christianorum persona concludit Tertullianus. *Libentes igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur*; hoc est necesse non solum toto vitæ tépore, sed etiam instante morte: tunc enim libenter amittenda sunt, quæ velimus nolimus, sunt deserenda. Voluntariam illam terrenorum orbitaté veteres etiam Philosophi suadere moliti sunt: nam *totis eloquentiæ viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarunt lachrymas, suspiria sustulerunt, negaverunt gemitus, incluserunt dolores.* Quòd si Gentiles, nihil de certa spe, aut de perpetua vita, vel de carnis resurrectione scientes, ad terrenorum contéptum hortati sunt, quanto magis id præstare debent Christiani, cito morituro dicentes: *Mori naturæ est, necesse est deperire. Nobis vixerunt veteres, vivamus nos futuris: nemo sibi quod non potest tolli velle, virtutis est: suscipe voluntarius ad quod urgeris invitus: mors antequam veniat non est, cùm autem venerit, venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas, quod cùm amiseris non dolebis.* Hæc aliaque dicunt morientibus viventes, ut eos à terrenis avocent. Tert. l. 1 ad Ux. 4; Tert. l. de Pat. 7; Chrysol. Ser. 101; Chrysol.

Verum musica in luctu importuna narratio. Sermones ejusmodi non audiunt sponte homines mundo addicti: *Misera & sibi semper inimica mortali-* Chrysol. Ser. 74

talitas dolet se mori:dolor mortis præſertim eos qui proſperantur conturbat.
Serm. 245 de Temp. Nam ut ait D. Augustinus, *tunc maxime pungit timor mortis, quando nobis bene est: nam quando male nobis est non timemus mortem.* Qui adverſa gravantur fortuna, invocant mortem, tanquam adverſitatis ſolatium & miſeriæ remedium; at qui proſperitate florent, mortem tanquam totius boni inimicam; In Pſ. 124. & ut fatur D. Chryſoſtomus, *malorum omnium ſummam & colophonem* conſpiciunt; in ſemetipſis Sapientis verificantes effatum: *O mors quàm amara est* Eccleſ. 4 *recordatio tua homini pacem habenti in divitiis ſuis!* Sapienter ait in divitiis ſuis, quia in mediis divitiis percipit delicias, oblectamenta, voluptates: in mediis divitiis juſtitiam corrūpit, pudicitiam proſternit, ſanguinem fundit, & atrociſſima quæque ſcelera committit; mediis divitiis vitam utiliter, lætanter, & L. de An. 52 honorabiliter in mundo pertranſit. Ut autem ad propoſitum ait Tertullianus: *multo violentior mors, quæ per aliena graſſatur; quæ animam per commoda expellit, quæ tunc mori affert, cùm jucundius vivere est, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate.* Quod belle hac comparatione declarat: *Vis est & illa navigiis; cùm longe à Caphareis ſaxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata decumanis, adulante flatu, labente curſu, lætante comitatu, inteſtino repente perculſu, cum tota ſecuritate decidunt. Non ſecus naufragia ſunt vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus. Nihilo refert, in terram abire corporis navem an diſſipatam, cùm animæ navigatio evertatur,* & cuncta amittantur fortunæ bona, tanto ardore deſiderata, tanto labore comparata, & tam vehementi ardore amata. Unde dolor amiſſionis æquandus eſt gaudio poſſeſſionis: ut conſtat ex Agag Amalecitarum rege, qui à Saule debellatus, & morti damnatus præ doloris Lib. 1 Reg. 15 magnitudine exclamavit: *Siccine ſeparas amara mors?* Patet etiam ex rege Antigono, qui morti proximus ſuis familiaribus dixit: *Quale theatrum amiſi!* Non minorem dolorem perſentiunt alii, qui in honoribus, voluptatibus, & opulentia vitam ducentes ſubita morbi violentia, conſpiciunt ſibi eripi corporis valetudinem, animi robur, ſenſuum voluptatem, divitiarum abundantiam, jucundam vitæ lætitiam, dignitatum pompam, cunctaque univerſaliter fortunæ bona quibus antea gloriabantur. *Erunt quaſi terebinthus, deci-* Iſa. 1 *dentibus foliis.* Terebinthus, ait Magnus Baſilius, denſa foliorum coma inſtructa, elegantem & peramœnum intuentibus colorem oſtentat; at cum hyeme folia deciderint, manet arbor abſque formoſitate horrida, quam ſolus ignis expectare videtur. Ita homines, fortuna elati, divitiis locupletati, ad honores ſublimati, mundana gloria decorati, viridiſſimo velut filiorum veſtitu ornati, fimbrias & philacteria ſua magnificentiſſime & vaniſſime dilatant: at mox, ut mortis aquilo decuſſerit, externa illa decidunt pompa, & nudi, & inopes, & cunctis bonis deſtituti remanent; Nam ut de uno illo- Pſ. 48 rum Regius fatur Vates: *Cùm morietur non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus.* Ubi D. Ambroſius divinitus ait: *Vide vim Scripturæ: gloria ſæculi non deſcendit cum peccatore, ſed gloria virtutis aſcendit cum innocente.* Gloria virtutis aſcendens cum innocente eum lætificat, gloria ſæculi non deſcen-

dit

dit cum peccatore, ut dolor eum magis affligat, quem adhuc timor futurorum perturbat.

3. *Omittamus nunc naturalem formam timendi mortem. Nemo timeat quod evadere non potest*, ut enim philosophatur D. Augustinus: *Pertinet ad vitam rectam ea quæ non sunt metuenda non metuere: mors autem homini bene & recte viventi metuenda non est.* Homo scelerose vivens metuere debet mortem: at homo innocuam vitam ducens non debet timere mortem. *Non habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita commisit.* Duplici autem potissimum ratione justi non timent mortem: Tum *quia liberat ab omni timendo*: nimirum vitæ miseriis, peccandi occasionibus, damnationis periculis: Tum quia est via ad immortalem fœlicitatem: quapropter Justum sic alloquitur D. Augustinus: *Ambula ergo viam, securus ambula? quid enim metuis in hac vita? mortem? & mortem times qui ad vitam curris? si bonus es, bene in hac vita curris, mors tibi janua erit, quæ te repræsentet, non quæ te auferat vita.* Tert. l. de Test. An. 14 D. Aug. Tert. ib. Lib. de Quar. Virt. Char. in fine.

At quemadmodum justus non terretur in morte; ita improbus timore perturbatur. Quod ipsemet fatetur: *Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Plura sunt autem quæ improbos in morte conturbant. 1. *Misera subit eos cogitatio laborasse tantum in titulum sepulchri*: 2. Diabolus qui in morte occurrit *animas aucupabundus*, ut fatur Tertullianus: 3. Peccata quæ commiserunt menti objiciuntur: *Tunc enim tota congeries criminum innovatur, & præ oculis posita, mentem percellit.* 4. Neque solum præterita aut præsentia, sed adhuc futura: *Nemo tantum præsentibus miser est*: sed adhuc futurorum prospectu, & imminentium malorum timore, ut in morte experiuntur improbi, qui metuunt Dei justitiam dicentis: *Redde rationem villicationis tuæ.* 5. Timent inferni supplicia: 6. Formidant nescientes *quo anima nuda & explosa divertit*. Cunctas has timoris rationes complectitur D. Augustinus, aiens: (Magnus tremor tunc est fratres charissimi, quando anima à corpore videtur separari. In illa enim hora angustiæ, vox detinetur, & lingua verbum excutere non timet: revolvit hinc & inde oculos frequenter, videt assistentes amicos vel parentes, filios vel fratres. Agnoscit, & loqui non valet: lamentantes audit, & consolari non potest. Venit enim hora quando non est cogitatio filiorum, nec amicorum, & nullum intervenit negotium nisi cogitatio delictorum; quo vadat, qualem remissionem accipiat, qualis locus eum suscipiat. Assistunt subito Angeli tartarei: tunc si impræparata erit, quodammodo conturbabitur: & de strato fugam petere non poterit, sed tunc oculis miseris, & vultu plorabili rogans, deprecans, adorans, & dicens: Miserere mei amator generis humani, & vos Angeli miseremini: non me nudam & sine fructu ad judicem deportetis; non me peccatorem à corpore segregetis. Rogo dimittite per modicum tempus me pœnitere, suspirare, lamentari, eleemosynas facere, deprecor deprecemini pro me, & intercedite, quia male vitam expendi. Hæc audientes tales Angeli dicũt: O misera anima, omnes dies tuos in pec- Ps. 17 Senec. de Brevit. Vit. c. 19 D. Chrysost. hom. 29. in Matth. Tert. l. de An. 53 Ser. 13. de Adv. Dõ. ad Judic.

cato vixisti, & modo vis pœnitere? sol tuus occubuit, finis tuus advenit, Deus jussit, egredere, à corpore separare, & cruciare in æterno igne secundùm opera tua, non est tibi de cætero spes salutis, sed perpetua damnatio.) Nonne hæc miseræ animæ terrorem injicient? Prodit Tertullianus: *Neronem in ultimo exitu, post pavores suos* criminosam & inferno mancipatam animam efflantem. Et de cunctis quoque sceleratis Regius decantat Vates. Mors peccatorum pessima: ubi D. Bernardus; *Mors peccatorum mala, in amissione mundi, à quo non possunt sine dolore separari, quem diligunt: pejor in dissolutione carnis, à qua evelluntur eorum anima à spiritibus malignis: pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis addicuntur ignibus.* Perpetuos illos tolerant ignes peccatores lugenda morte in lethali peccato morientes.

L. de An. 42

Ps. 53

Ser. 42. inter Parvos.

Exitus mortis varius est juxta dispositionem eorum qui moriuntur. Qui in gratia decedunt, moriuntur ut vivant: *Justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* De morte justi exclamat D. Bernardus; *Fœlix mors quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.* Qui verò in peccato lethali decedunt, moriuntur temporaliter, ut æternaliter moriantur. Nam ut ratiocinatur D. Augustinus, *Mors utique non regnat nisi per peccatum; regnum porro ejus est, ut hominem mortalem, in secundam etiam quæ sempiterna est, mortem præcipitet.* Ad sempiternam illam mortem ducit mala mors peccatorum temporalis, quãtumvis pulchra appareat. Magnum sane est discrimen inter pulchrã & bonam mortem: bona mors est dum à corpore separatur anima gratia sanctificata, virtutibus decorata: pulchra mors quando anima scelerosa misere in inferno sepelitur; corpus verò cum pompa & magnificentia tumulatur: mos sæculi, & humana vanitas *pulcherrimum funus* inducit. Verum ut animadvertit D. Ambrosius, *serica vestes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna sunt viventium; non subsidia defunctorum*: Maximi peccatorum quorum mors est mala & lugenda: quia moriuntur 1. subitanea morte præventi: 2. præpropera morte sublati: 3. in morte impœnitentes inventi.

III PARS

Tert. l. de An. 32

Sap. 4

Ser. 25. in Cant.

L. de Nupt & Concup. c. 17

Plutarch.

L. de Naboth. c. 1

Quàm multi sunt qui *subitanea mortis illa* quotidie moriuntur, qui ut fatur Job, *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt!* Septuaginta vertunt: *Cum quiete ad inferna descendunt*; quia adeo prompta est eorum mors, ut absque ullo corporis dolore, absque ulla animi mœstitia, moriantur. De quibus potest intelligi Regius Vates: *Veniat mors super illos & descendant in infernum viventes.* Versio Chaldæa legit *Mors decipiat eos*; neque ullam temporis concedat moram, sed subito & improvise moriantur; *Quoniam nequitia in habitaculis eorum.* Subitaneæ mortes sunt hac ætate adeo communes, & tamen ut deplorat D. Cyprianus, *inter populum frequenti clade morientem, nemo considerat se esse mortalem.*

Tert. l. de An. 42

Cap. 21

Ps. 54

2. Neque attendit ad *animas immatura morte præventas.* Illi autem præmature moriuntur, qui in juventutis flore efflant animas: *Pluribus notum est, dæmoniorum quoque opera, & immaturas & atroces effici mortes, quas incursibus deputant.* Ex Propheta namque Amos *sol occidet in meridie*; scilicet in medio vitæ

Tract. 1 de Mortal.

Tert. l. de An. 57

Tert. ibid.

vitæ spatio: peccata etiam quæ committunt mortales, eclipsim operantur, & mortem accelerant: *Injustitia est mortis acquisitio*, suis namque sceleribus *impii manibus & verbis accersierunt illam*; tum scelerosis sermonibus: tum nefandis operibus peccatores accelerarunt mortem, *æstimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam; quoniam digni sunt qui sint ex parte illius* Seu, ut vertit Syrus, digni sunt qui sint *sors mortis*: & ut expendit Anastasius Nicenus: *Sors pars & hæreditas*: qui ut unici filii ex asse sint possessio mortis, eaque tam activa, ut scilicet ipsi possideant, non vitam, sed mortē; quàm passiva, quos nimirum ipsa mors hæreditet, ac ut hæreditatem suam possideat, puta in quos ipsa desæviat, exerceatque suum imperium, ac mori cogat. Justi in sanctitate morientes, sunt Dei possessio & hæreditas. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Sunt hæreditas Domini, quia Deus illos possidet; sunt adhuc hæreditas vitæ, quia possident Deum, qui est vita & objectum beatitudinis: At è converso, ait Anastasius Nicænus, peccatores *facti sunt hæredes mortis*; quia eos in vita possidet, & post exitum adhuc in æternum hæreditabit. Infausta hæreditas à qua nos alienos desiderat Philosophus Moralis redarguens eos qui illam non fugiunt, sed sectantur: (quod nihil nobis mali antequam eveniat proponimus, sed ut immunes ipsi, & alii pacatius ingressis iter, alienis non admonemur casibus illos esse communes. Tot præter domum nostram ducuntur exequiæ, de morte non cogitamus: tot acerba funera, nos togam nostrorum infantium, nos militiam, & paternæ hæreditatis successionem animo agitamus.) Inde luctuosam hāc inducit conclusionem. *Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur.* Necesse est gravius percutiamur, qui moniti plagas non devitamus, necesse est pœnas sceleribus debitas incurramus, qui post crebras minas, post varia intentata pericula, post innumera subitaneæ & præmaturæ mortis exempla vivimus in peccatis, & impœnitentes morimur.

Cap. 8

Sap. 1

Quæst. 16

Ps. 127

L. de Cōsol. ad Marciam c. 9

3. Christiane *rape occasionem inopinatæ fælicitatis*? & ne differas in posterum conversionem tuam. *Res est quæ multos occidit, cum dicunt, Cras, Cras; & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, Cras, corvi vox; geme ut columba, & tunde pectus.* Ad veram pœnitentiam tria sunt necessaria: 1. Dei auxilium, nempe gratia præveniens, excitans & adjuvans: 2. liber voluntatis consensus: 3. tempus ad pœnitendum opportunum. Qui differunt conversionem usque ad finem vitæ, incerti sunt an Deus illis conferat gratias efficaces, quarum suo contemptu toties repetito se præstiterunt indignos: Incerti sunt an voluntas habeat cōvertendi propositum, assueta vitiis, depravata passionibus, & corporis doloribus gravata. Incerti tandem sunt an habeant tempus conversionis opportunum. Peccatorem conversionem differentem multis insequitur D. Augustinus: *Quando corripis? quādo mutaris? Cras, inquis: ecce quoties dicis, Cras, Cras: factus es corvus: ecce dico tibi, cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina; nam ille corvus quem imitaris exiit de arca, & non rediit*: neque redibis ipse ad Deum

Tert. l. 2. de Pœn. 4

D. Aug. Ser 16. de Verb. Dom.

Serm. 104 de Temp.

Deum tuum à quo existi; neque ad gratiam quam exuisti, neque ad vitam, quia in mortem lugendam incidisti. Quot sunt hac ætate qui differentes pœnitentiam usque ad finem vitæ impœnitentes moriuntur? *Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt*, sed in suis morientes sceleribus, ad inferni damnati sunt supplicia. Christiani, ne interminabilem illam incurratis pœnam, *non tardetis converti ad Dominum: Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino, missa columba reversa est. Quandiu Cras, Cras? observa ultimum Cras, quia ignoras, quod sit ultimum Cras.* Attende frater ad exitum tuum, ex quo dependet ingressus vel ad cœlestem patriam, vel ad gehennæ carcerem. Attente considera quot vidisti vel subitanea, vel præmatura morte decedentes, & metue ne idem tibi eveniat. *Nasammonas propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, scribit Herodotus: & Celtas apud virorum fortium busta, eadem de causa abnoctare, Nicander affirmat*: scilicet ut bene vivere & bene mori discerent. Marcella quoque nobilis Romana *laudabat istud Platonicum qui philosophiam meditationem mortis esse dixit, & præceptum satirici, Vive memor lati, fugit hora. Sic ergo vixit, ut semper se crederet esse morituram: sic induta est vestibus, ut meminisset sepulchri.* Sic & tu frater si sapis, disce mortis philosophiam, memor semper esto mortis, ut vitam possis adipisci æternam, quam tibi exopto; submittens auctoritati sanctæ Romanæ Ecclesiæ cuncta quæ in hoc volumine scripta sunt.

2. Cor. 12

D. Aug. in Ps. 102

Tert. l. de An. 57

D. Hier. Ep. 16. ad Principiam.

BIBLIOTECA

Finis Tomi quarti.

INDEX MATERIARUM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

B.

Bla-

Digitized by Google

perit, humore turgescit, putredine corrumpitur: & cùm pervenerit ad totum, quidquid desperatio, quidquid incredulitas, quidquid corruptela tibi superiùs ingerebat, tunc subitò reviviscit in germine, in herba pubescit, juvenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu periisse deflebas, speciem resurgit & formam: ut te homo triticum non tam doceat manducare, quàm sapere: non tam cogat laborare, quàm credere. At proh dolor impius tot exemplis non convincitur, sensibus suis non credit, naturæ magisterium despicit, prophetiæ non cedit, divinæ auctoritati non acquiescit; sed in incredulitate persistit, & desperatione motûs, pravis vacat operibus, ut malam & lugendam obeat mortem.

Tert. lib. de jejun. 17. 5. Sic enim loquuntur impii; *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur;* credentes enim animam simul cum corpore morituram, nec carnis sperantes resurrectionem, nec præmium, nec pœnam post mortem expectantes, momentaneum vitæ tempus terunt vitiis indulgentes. Quos sic ratiocinantes inducit Sapiens: [Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & per hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus flatus est in naribus nostris; & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum: quâ extinctâ, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata: & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur.] Ex falsis & erroneis illis principiis stultè & impiè concludunt: *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.* Atrociora quæque absque ullo metu perpetremus scelera: *Hæc cogitaverunt & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum;* quarum virtutes æternam acceperunt in cœlo mercedem, sicut criminosæ interminabilem in inferno sustinent pœnam: Neque mercedem sperantes impii, neque pœnam metuentes, criminosam ducunt vitam. *Enimverò nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, meritò soli innocentiæ occurrimus, & pro scientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatûs non diuturni, verùm sempiterni, eum timentes,* quem timere debent cuncti mortales: etiam impii sectantes vitia carnis, *qua dum improbis cupiditatibus fatigat animum, in æternam utriusque hominis pœnam Dei armat offensam, & spiritûs generositatem servituti exte-*

Sap. 2.

Tert. Apol. 45.

Euseb. Emiss. hom. de pœnit. Niniv.

exterioris addicit, dominante peccato: cui utique totam vim nostro vitio ministramus, ut animam mori faciat, quam non potest facere mortalem. Impiè animam mortalem existimantes, carnis resurrectionem non credentes, carnis vitiis indulgentes, & cupiditatibus ministrantes, animæ, quam nequeunt efficere mortalem, mortem inferentes armant Dei justitiam ad pœnam tum animæ, tum carnis: nam *dum ducunt in bonis dies suos, in puncto ad infernum descendunt*; ut æterna & animæ & corporis patiantur supplicia.

Hæc est lugenda illorum sors, qui dicunt: *Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa*; tormenta namque, quæ in orco tolerant, nullum unquam habebunt finem. *Sicut veritas hortatur homines fieri socios sanctorum Angelorum, ita seducit impietas ad societatem dæmoniorum, cui præparatur ignis æternus.* Christiani, erudiamur *de impiorum æstuario*, & ne gehennæ cruciemur incendiis, interminabilem tum animæ, tum corporis timeamus pœnam. Fugiamus vitia, quæ ducunt in infernum, & ut æternam valeamus consequi beatitudinem, studeamus virtutibus, animæ credamus immortalitatem, carnis speremus resurrectionem: *Quia mori nunquam libet, vivere semper delectat, resonet in ore nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostra mentis transmittatur auditum, ut mors, quæ nostros semper obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur; quia sic agricola fructus uberes & exsatiatas epulas cantat, ut imminentem vomeris laborem non sentiat, & sudorem. Sic nauta portus modulatur & lucra, ne undarum ruinas, nec maris discrimina pertimescat. Sic miles, ne vulnera metuat, ut gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos. Unde resurrectionem mente, ore, oculis cantet, cogitet Christianus: ut totam mortis possit despicere & calcare formidinem.* Impii iniquè viventes facti sunt socii dæmonum, sustinentq; supplicia post mortem, quæ in vita non crediderunt, nec metuerunt. Sanctè nos fratres vivamus, ut Angelorum socii esse mereamur. Animæ sanctæ Angelorum inferuntur choris, Deumque clarè intuentur, & videndo possident: caro etiam, quæ virtuti ministravit, erit angelificata: *Abhinc etiam definimus carnem quidem omninò resurrecturam, atq; illa ex demutatione superventura habitum angelicum suscepturam*; scilicet incorruptibilitatis & immortalitatis. Ut autem illum habitum immortalitatis valeat assequi, mortificanda est: & ut fatur Gregorius Nazianzenus, *corpus premendum & extenuandum immortali, mortalis pars exhaurienda.* Desiderium immortalitatis mortale extenuet corpus, ne sempiternam sustineamus in anima & corpore pœnam, ad instar impiorum & mundanorum, quorum mors temporalis est lugenda.

D. Aug. ep. 49. ad Deo gratias q. 6. Tert. lib. de spect. 27. Chrysol. ser. 118. Tert. lib. de res. carn. 42. Orat. 1. in Julian.

II. PARS.

Quàm diversi sunt exitus bonorum & pravorum Christianorum! Exitus Christianorum, qui cœlestia sapiunt, sunt *placidæ mortis*: exitus verò pravorum Christianorum, qui contemnentes cœlestia, terrena tantummodò sapiunt, sunt *duræ mortis*. Placidam illam, hoc est, *bonam facilemque mortem* Cæsar Augustus sibi, suisque exoptabat, quam Stoici egregiè dixerunt; *propriam esse proborum tantùm & verè sapientum.* D. quoque

Tert. lib. de An. 52. Chrysol. ser. 65. Sueton. in Aug. c. 99. Stob. in Ecl. c. 4

Pſ. 111. Chryſoſtomus ait probum in morte eſſe omnibus *tranquillitatis præceptorem.* Plura ſunt, quæ placidam & tranquillam proborum efficiunt mortem. 1. Sacramentorum efficacia nimirùm Pœnitentiæ, quæ illos à peccatis abſolvit; Euchariſtiæ, quæ ſanctitatem augeſcit; Extremæ Unctionis, quæ adversùs diaboli tentationes munit. Nam *caro manûs impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur; Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur; Caro ungitur, ut & anima conſecretur; Caro ſignatur, ut & anima muniatur.* 2. Mariæ protectio, *ob id quòd Chriſto naſcenti & morienti Maria adſtitit digna facta, quæ filiorum Dei generationem ut Mater pientiſſima foveat, atq; morti noſtræ, in qua Deo per gloriam naſcimur, ſingulariter ſuccurrat.* Deiparæ auxilium implorant fideles, quoties ejus officium decantant, eamque verbis Angeli ſalutant: Beatiſſima autem Virgo *adjuvat in morte ab inſidiis diaboli protegendo; adjuvat etiam poſt mortem animas ſuſcipiendo, & eas in cœlum deducendo.* 3. Angelorum defenſio, qui probos morientes *ſatellitum more circumambiunt.* 4. Bonæ vitæ anteceſſio. *Mors mala putanda non eſt, quam bona vita anteceſſerit.* 5. Aſtantium admonitio, qui eos hortantur, ut, omni aliâ rejectâ curâ, de eliciendis duntaxat virtutum actibus ſint ſolliciti. *Dimitte iſta, priùs cogita de ſalute tua.* 6. Interna Spiritûs ſancti conſolatio, qui eos ſancto replens gaudio, donec *ad laureatum triumphalemque finem* pervenerint. 7. Cœleſtis beatitudinis expectatio: *Nam quod eſt aliud votum noſtrum, quàm quod & Apoſtoli, exire de ſeculo, & recipi apud Dominum? Hîc voluptas, ubi & votum.* Omitto plures alias rationes, quibus poſſet demonſtrari probos viros, *abſq; ullo ſenſu moleſtiæ ut ſuavi ſomno correptos, extingui.* Non placida & tranquilla eſt improborum mors, ſed anxia, dura, infœlix, lugenda; torquentur enim 1. amore: 2. dolore: 3. timore.

1. In improborum morte duplicem amorem eumq; inordinatum agnoſco. Unum propinquorum, qui impatienter eam ferunt: *Ne illa quidem impatientiæ ſpecies excuſatur in amiſſione noſtrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur affectio*: totamq; ſuam adhibent ſollicitudinem in quærenda corporis ſanitate, non animæ ſalute. Nam ut obplorat D. Auguſtinus *pro morte carnis, quæ ſine dubio quandoque eſt ventura, curant omnes ne veniat, indè eſt quod laborant.* Nam vocant medicos, remedia parant, aliaq; multa magnis ſumptibus abundè ſubminiſtrant: At de ſalute animæ nullam adhibent curam, quin potiùs, amore perverſo, obicem ponunt; neq; ſacerdotes, qui eos ad pœnitentiam hortentur, niſi in vitæ termino accerſunt; neque ullam eis mortis memoriam injiciunt, neque, ut alii de Deo eis loquantur, permittunt. Aiunt enim ſe vereri, ne ſermones de Deo, de morte, judicio, inferno, cœlo: languenti & debilitato animi triſtitiam, metum, pavorem ingenerent: *Alia eſt autem ratio pietatis iſtius, crudelitatis etiam corporis nomine averſatrix, quod & ipſum homo non utique mercatur pœnali exitu impendi.* Nam impedientes ne malè parta reſtituant, tum animam, tum corpus cruciatibus mancipant æternis. Quo nihil ſtultius, nihil inhumanius, nihil injuſtius poteſt

Tert. lib. de reſ. car. 8. — Salmer. to. 3. tract. 5. — Idiot. contempl. de V. Mar. c. 6. — D. Chryſoſt. — D. Auguſt. l. 1. civ. 2. — D. Aug. in Pſal. 102. — D. Dion. de eccleſ. Hierarch. — Tert. lib. de ſpect. 29. — Diodor. Sic. l. 2. — Tert. lib. de pat. 9. — Tract. 49. in Joan. — Tert. lib. de An. 58.

potest dici;Neque in ea re, prudentiam, humanitatem, & amorem ostentant,sed potius imprudentiam, inhumanitatem, & odium demonstrant. Corpus animæ præferentes,& pro terrenis,eos cœlestibus privantes, & æternis ignibus addicentes. In hujusmodi habes *pietatis quoque Homerica industriam, qui curam sepultura collocavit,ut instantia funeris, & honor corporum servetur,& memoria affectuum temperetur.* Tert.l. de An.56

Neque minus est deordinatus amor morientium erga superstites filios, & proximos,quibus *cara cognationis honoraria*,etiam cum salutis dispendio relinquunt:Nam ne eos aut egenos aut inhonoratos desinant,per nefas acquisita retinent:neque injuste detenta reddunt: Amor adhuc vitæ,illos maxime perturbat:etenim *tantam anima & carnis societatem, tantam à conceptu concretionem sororum substantiarum,divellit ac dirimit.* Per separationem autem animæ & corporis deperditur vita:nam *si mors non aliud determinatur quàm distinctio corporis animæque: contrarium morti,vita non aliud definietur, quàm conjunctio corporis animæq;si disjunctio simul utrique substantia accidit per mortem,hoc debet conjunctionis forma mandasse pariter obvenientis per vitam utrique substantia.*Quanto intimior est illa conjunctio, tanto imminens disjunctio majore animum afficit mœrore;& ob hanc causam *mors horrori est*; nam homo vehementer amans vitam quam vellet esse æternam, ardenter etiam diligit *consortium quoddam anima & corporis, & quamdam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis.* Et quia mors compaginem illam rumpit,consortium solvit,unionem disjungit, naturam destruit, mortem summe aversatur homo : *Tantam habet vim carnis & anima dulce consortium*;præsertim in homine prosperam vitam agente,& fortunæ bonis opulenter locupletato,quæ non nisi magno cum dolore deserit. Tert.l.de Idol.10 Tert.l.de An.27 D.Aug.in Ps.78 D.Aug.in Ps.68 D.Aug. Ep.120.ad Honorat. c.6.

2.*Cœlestia recogita,& terrena despicies*;neque de eorum amissione dolebis: inde in proborum Christianorum persona concludit Tertullianus. *Libentes igitur terrena amittamus,cœlestia tueamur*;hoc est necesse non solum toto vitæ tēpore,sed etiam instante morte:tunc enim libenter amittenda sunt,quæ velimus nolimus,sunt deserenda. Voluntariam illam terrenorum orbitatē veteres etiam Philosophi suadere moliti sunt: nam *totis eloquentia viribus ad tolerantiam mortis armarunt animos, siccarunt lachrymas,suspiria sustulerunt, negaverunt gemitus,incluserunt dolores.*Quòd si Gentiles,nihil de certa spe,aut de perpetua vita,vel de carnis resurrectione scientes, ad terrenorum contēptum hortati sunt,quanto magis id præstare debent Christiani, cito morituro dicentes:*Mori natura est,necesse est deperire. Nobis vixerunt veteres,vivamus nos futuris:nemo sibi quod non potest tolli velle,virtutis est: suscipe voluntarius ad quod urgeris invitus:mors antequam veniat non est,cùm autem venerit,venisse nescitur. Nec ergo amisisse te doleas, quod cùm amiseris non dolebis.* Hæc aliaque dicunt morientibus viventes,ut eos à terrenis avocent. Tert.l.1 ad Ux.4 Tert.l.de Pat.7 Chrysol. Ser.101 Chrysol.

Verum musica in luctu importuna narratio. Sermones ejusmodi non audiunt sponte homines mundo addicti: *Misera & sibi semper inimica mortali-* Chrysol. Ser.74

talitas dolet se mori: dolor mortis præsertim eos qui prosperantur conturbat.
Serm. 245 de Temp. Nam ut ait D. Augustinus, *tunc maxime pungit timor mortis, quando nobis bene est: nam quando male nobis est non timemus mortem*. Qui adversa gravantur fortuna, invocant mortem, tanquam adversitatis solatium & miseriæ remedium; at qui prosperitate florent, mortem tanquam totius boni inimicam; In Ps. 124. & ut fatur D. Chrysostomus, *malorum omnium summam & colophonem* conspiciunt; in semetipsis Sapientis verificantes effatum: *O mors quàm amara est* Eccles. 4. *recordatio tua homini pacem habenti in divitiis suis!* Sapienter ait in divitiis suis, quia in mediis divitiis percipit delicias, oblectamenta, voluptates: in mediis divitiis justitiam corrũpit, pudicitiam prosternit, sanguinem fundit, & atrocissima quæque scelera committit; mediis divitiis vitam utiliter, lætanter, & L. de An. 52 honorabiliter in mundo pertransit. Ut autem ad propositum ait Tertullianus: *multo violentior mors, quæ per aliena grassatur; quæ animam per commoda expellit, quæ tunc mori affert, cùm jucundius vivere est, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate.* Quod belle hac comparatione declarat: *Vis est & illa navigiis; cùm longe à Caphareis saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata desumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate decidunt. Non secus naufragia sunt vitæ, etiam tranquillæ mortis eventus. Nihilo refert, in terram abire corporis navem an dissipatam, cùm animæ navigatio evertatur*, & cuncta amittantur fortunæ bona, tanto ardore desiderata, tanto labore comparata, & tam vehementi ardore amata. Unde dolor amissionis æquandus est gaudio possessionis: ut constat ex Agag Amalecitarum rege, qui à Saule debellatus, & morti damnatus præ doloris Lib. 1 Reg. 15 magnitudine exclamavit: *Siccine separas amara mors?* Patet etiam ex rege Antigono, qui morti proximus suis familiaribus dixit: *Quale theatrum amisi!* Non minorem dolorem persentiunt alii, qui in honoribus, voluptatibus, & opulentia vitam ducentes subita morbi violentia, conspiciunt sibi eripi corporis valetudinem, animi robur, sensuum voluptatem, divitiarum abundantiam, jucundam vitæ lætitiam, dignitatum pompam, cunctaque univer- Isa. 1 saliter fortunæ bona quibus antea gloriabantur. *Erunt quasi terebinthus, decidentibus foliis.* Terebinthus, ait Magnus Basilius, densa foliorum coma instructa, elegantem & peramœnum intuentibus colorem ostentat; at cum hyeme folia deciderint, manet arbor absque formositate horrida, quam solus ignis expectare videtur. Ita homines, fortuna elati, divitiis locupletati, ad honores sublimati, mundana gloria decorati, viridissimo velut filiorum vestitu ornatur, fimbrias & philacteria sua magnificentissime & vanissime dilatant: at mox, ut mortis aquilo decusserit, externa illa decidunt pompa, Ps. 48 & nudi, & inopes, & cunctis bonis destituti remanent; Nam ut de uno illorum Regius fatur Vates: *Cùm morietur non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Ubi D. Ambrosius divinitus ait: *Vide vim Scripturæ: gloria sæculi non descendit cum peccatore, sed gloria virtutis ascendit cum innocente.* Gloria virtutis ascendens cum innocente eum lætificat, gloria sæculi non descen-

dit

dit cum peccatore, ut dolor eum magis affligat, quem adhuc timor futurorum perturbat.

3. *Omittamus nunc naturalem formam timendi mortem. Nemo timeat quod evadere non potest*, ut enim philosophatur D. Augustinus: *Pertinet ad vitam rectam ea qua non sunt metuenda non metuere: mors autem homini bene & recte viventi metuenda non est.* Homo scelerose vivens metuere debet mortem: at homo innocuam vitam ducens non debet timere mortem. *Non habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita commisit.* Duplici autem potissimum ratione justi non timent mortem: Tum *quia liberat ab omni timendo*: nimirum vitæ miseriis, peccandi occasionibus, damnationis periculis: Tum quia est via ad immortalem fœlicitatem: quapropter Justum sic alloquitur D. Augustinus: *Ambula ergo viam, securus ambula? quid enim metuis in hac vita? mortem? & mortem times qui ad vitam curris? si bonus es, bene in hac vita curris, mors tibi janua erit, qua te repræsentet, non qua te auferat vita.* Tert. l. de Test. An. 14 D. Aug. Tert. ib. Lib. de Quar. Virt. Char. in fine.

At quemadmodum justus non terretur in morte; ita improbus timore perturbatur. Quod ipsemet fatetur: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Plura sunt autem quæ improbos in morte conturbant. 1. *Misera subit eos cogitatio laborasse tantum in titulum sepulchri:* 2. Diabolus qui in morte occurrit *animas aucupabundus*, ut fatur Tertullianus: 3. Peccata quæ commiserunt menti objiciuntur: *Tunc enim tota congeries criminum innovatur, & præ oculis posita, mentem percellit.* 4. Neque solum præterita aut præsentia, sed adhuc futura: *Nemo tantum præsentibus miser est*: sed adhuc futurorum prospectu, & imminentium malorum timore, ut in morte experiuntur improbi, qui metuunt Dei justitiam dicentis: *Redde rationem villicationis tuæ.* 5. Timent inferni supplicia: 6. Formidant nescientes *quo anima nuda & explosa divertit.* Cunctas has timoris rationes complectitur D. Augustinus, aiens: (Magnus tremor tunc est fratres charissimi, quando anima à corpore videtur separari. In illa enim hora angustiæ, vox detinetur, & lingua verbum excutere non timet: revolvit hinc & inde oculos frequenter, videt assistentes amicos vel parentes, filios vel fratres. Agnoscit, & loqui non valet: lamentantes audit, & consolari non potest. Venit enim hora quando non est cogitatio filiorum, nec amicorum, & nullum intervenit negotium nisi cogitatio delictorum; quo vadat, qualem remissionem accipiat, qualis locus eum suscipiat. Assistunt subito Angeli tartarei: tunc si impræparata erit, quodammodo conturbabitur: & de strato fugam petere non poterit, sed tunc oculis miseris, & vultu plorabili rogans, deprecans, adorans, & dicens: Miserere mei amator generis humani, & vos Angeli miseremini: non me nudam & sine fructu ad judicem deportetis; non me peccatorem à corpore segregetis. Rogo dimittite per modicum tempus me pœnitere, suspirare, lamentari, eleemosynas facere, deprecor deprecemini pro me, & intercedite, quia male vitam expendi. Hæc audientes tales Angeli dicũt: O misera anima, omnes dies tuos in pec- Ps. 17 Senec. de Brevit. Vit. c. 19 D. Chrysost. hom. 29. in Matth. Tert. l. de An. 53 Ser. 13. de Adv. Dõi ad Judic.

cato vixisti, & modo vis pœnitere? sol tuus occubuit, finis tuus advenit, Deus jussit, egredere, à corpore separare, & cruciare in æterno igne secundùm opera tua, non est tibi de cætero spes salutis, sed perpetua damnatio.) Nonne hæc miseræ animæ terrorem inficient? Prodit Tertullianus: *Neronem in ultimo exitu, post pavores suos* criminosam & inferno mancipatam animam efflantem. Et de cunctis quoque sceleratis Regius decantat Vates. Mors peccatorum pessima: ubi D. Bernardus; *Mors peccatorum mala, in amissione mundi, à quo non possunt sine dolore separari, quem diligunt: pejor in dissolutione carnis, à qua evelluntur eorum anima à spiritibus malignis: pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis addicuntur ignibus.* Perpetuos illos tolerant ignes peccatores lugenda morte in lethali peccato morientes.

L. de An. 42

Ps. 53

Ser. 42. inter Parvos.

Exitus mortis varius est juxta dispositionem eorum qui moriuntur. Qui in gratia decedunt, moriuntur ut vivant: *Justus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* De morte justi exclamat D. Bernardus; *Fœlix mors quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.* Qui verò in peccato lethali decedunt, moriuntur temporaliter, ut æternaliter moriantur. Nam ut ratiocinatur D. Augustinus, *Mors utique non regnat nisi per peccatum; regnum porro ejus est, ut hominem mortalem, in secundam etiam quæ sempiterna est, mortem pracipitet.* Ad sempiternam illam mortem ducit mala mors peccatorum temporalis, quãtumvis pulchra appareat. Magnum sane est discrimen inter pulchrã & bonam mortem: bona mors est dum à corpore separatur anima gratia sanctificata, virtutibus decorata: pulchra mors quando anima scelerosa misere in inferno sepelitur; corpus verò cum pompa & magnificentia tumulatur: mos sæculi, & humana vanitas *pulcherrimum funus* inducit. Verum ut animadvertit D. Ambrosius, *serica vestes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna sunt viventium; non subsidia defunctorum:* Maximi peccatorum quorum mors est mala & lugenda: quia moriuntur 1. subitanea morte præventi: 2. præpropera morte sublati: 3. in morte impœnitentes inventi.

III PARS

Tert. l. de An. 32

Sap. 4

Ser. 25. in Cant.

L. de Nupt. & Concup. c. 17

Plutarch

L. de Naboth. c. 1

Quàm multi sunt qui *subitanea mortis ictu* quotidie moriuntur, qui ut fatur Job, *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt!* Septuaginta vertunt: *Cum quiete ad inferna descendunt*; quia adeo prompta est eorum mors, ut absque ullo corporis dolore, absque ulla animi mœstitia, moriantur. De quibus potest intelligi Regius Vates: *Veniat mors super illos & descendant in infernum viventes.* Versio Chaldæa legit: *Mors decipiat eos*; neque ullam temporis concedat moram, sed subito & improvise moriantur; *Quoniam nequitia in habitaculis eorum.* Subitaneæ mortes sunt hac ætate adeo communes, & tamen ut deplorat D. Cyprianus, *inter populum frequenti clade morientem, nemo considerat se esse mortalem.*

Tert. l. de An. 42

Cap. 21

Ps. 54

2. Neque attendit ad *animas immatura morte praeventas.* Illi autem præmature moriuntur, qui in juventutis flore efflant animas: *Pluribus notum est, dæmoniorum quoque opera, & immaturas & atroces effici mortes, quas incursibus deputant.* Ex Propheta namque Amos *sol occidet in meridie*; scilicet in medio

Tract. 1 de Mortal.

Tert. l. de An. 57

Tert. ibid.

vitæ

vitæ spatio: peccata etiam quæ committunt mortales, eclipsim operantur, & mortem accelerant: *Injustitia est mortis acquisitio*, suis namque sceleribus *impii manibus & verbis accerserunt illam*; tum scelerosis sermonibus: tum nefandis operibus peccatores accelerarunt mortem, *æstimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam; quoniam digni sunt qui sint ex parte illius* Seu, ut vertit Syrus, digni sunt qui sint *sors mortis*: & ut expendit Anastasius Nicenus: *Sors pars & hæreditas*: qui ut unici filii ex asse sint possessio mortis, eaque tam activa, ut scilicet ipsi possideant, non vitam, sed mortē; quàm passiva, quos nimirum ipsa mors hæreditet, ac ut hæreditatem suam possideat, puta in quos ipsa desæviat, exerceatque suum imperium, ac mori cogat. Justi in sanctitate morientes, sunt Dei possessio & hæreditas. *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Sunt hæreditas Domini, quia Deus illos possidet; sunt adhuc hæreditas vitæ, quia possident Deum, qui est vita & objectum beatitudinis: At èconverso, ait Anastasius Nicænus, peccatores *facti sunt hæredes mortis*; quia eos in vita possidet, & post exitum adhuc in æternum hæreditabit. Infausta hæreditas à qua nos alienos desiderat Philosophus Moralis redarguens eos qui illam non fugiunt, sed sectantur: (quod nihil nobis mali antequam eveniat proponimus, sed ut immunes ipsi, & alii pacatius ingressis iter, alienis non admonemur casibus illos esse communes. Tot præter domum nostram ducuntur exequiæ, de morte non cogitamus: tot acerba funera; nos togam nostrorum infantium, nos militiam, & paternæ hæreditatis successionem animo agitamus.) Inde luctuosam hāc inducit conclusionem. *Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur.* Necesse est gravius percutiamur, qui moniti plagas non devitamus, necesse est pœnas sceleribus debitas incurramus, qui post crebras minas, post varia intentata pericula, post innumera subitaneæ & præmaturæ mortis exempla vivimus in peccatis, & impœnitentes morimur.

Cap. 8

Sap. 1

Quæst. 16

Ps. 127

L. de Cō-sol. ad Marciam c. 9

3. Christiane *rape occasionem inopinatæ fœlicitatis*? & ne differas in posterum conversionem tuam. *Res est quæ multos occidit, cum dicunt, Cras, Cras; & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, Cras, corvi vox; geme ut columba, & tunde pectus.* Ad veram pœnitentiam tria sunt necessaria: 1. Dei auxilium, nempe gratia præveniens, excitans & adjuvans: 2. liber voluntatis consensus: 3. tempus ad pœnitendum opportunum. Qui differunt conversionem usque ad finem vitæ, incerti sunt an Deus illis conferat gratias efficaces, quarum suo contemptu toties repetito se præstiterunt indignos: Incerti sunt an voluntas habeat cōvertendi propositum, assueta vitiis, depravata passionibus, & corporis doloribus gravata. Incerti tandem sunt an habeant tempus conversionis opportunum. Peccatorem conversionem differentem multis insequitur D. Augustinus: *Quando corripis? quādo mutaris? Cras, inquis: ecce quoties dicis, Cras, Cras: factus est corvus: ecce dico tibi, cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina; nam ille corvus quem imitaris exiit de arca, & non rediit*: neque redibis ipse ad Deum

Ter. l. 2. de Pœn. 4

D. Aug. Ser 16. de Verb. Dom.

Serm. 104 de Temp.

Deum tuum à quo existi; neque ad gratiam quam exuisti, neque ad vitam, quia in mortem lugendam incidisti. Quot sunt hac ætate qui differentes
2. Cor. 12 pœnitentiam usque ad finem vitæ impœnitentes moriuntur? *Et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt*, sed in suis morientes sceleribus, ad inferni damnati sunt supplicia. Christiani, ne interminabilem illam
D. Aug. in Ps. 102 incurratis pœnam, *non tardetis converti ad Dominum: Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino, missa columba reversa est. Quandiu Cras, Cras? observa ultimum Cras, quia ignoras, quod sit ultimum Cras.* Attende frater ad exitum tuum, ex quo dependet ingressus vel ad cœlestem patriam, vel ad gehennæ carcerem. Attente considera quot vidisti
Tert. l. de An. 57 vel subitanea, vel præmatura morte decedentes, & metue ne idem tibi eveniat. *Nasammonas propria oracula apud parentum sepulchra mansitando captare, scribit Herodotus: & Celtas apud virorum fortium busta, eadem de causa abnoctare, Nicander affirmat:* scilicet ut bene vivere & bene mori discerent. Mar-
D. Hier. Ep. 16. ad Principiam. cella quoque nobilis Romana *laudabat istud Platonicum qui philosophiam meditationem mortis esse dixit, & præceptum satirici, Vive memor leti, fugit hora. Sic ergo vixit, ut semper se crederet esse morituram: sic induta est vestibus, ut meminisset sepulchri.* Sic & tu frater si sapis, disce mortis philosophiam, memor semper esto mortis, ut vitam possis adipisci æternam, quam tibi exopto; submittens auctoritati sanctæ Romanæ Ecclesiæ cuncta quæ in hoc volumine scripta sunt.

Finis Tomi quarti.

INDEX MATERIARUM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

B.

Bla-

C.

D.

H.

I.

L.

La-

N.

R.

S.

T.

V.

Viri

FINIS.

LABOR. RESTAURO
R. [illegible]